B. BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II ROMA
203
3 I
9

203.3.19

R. P. F. IACOBI

# RAGGII

DE

REGIMINE REGVLARIVM.

CENTVRIA I. II.

# R. P. F. IACOBI
# RAGGII
## GENVENSIS
### ORDINIS CAPVCCINORVM
### DE
# REGIMINE REGVLARIVM
## PRIMA CENTVRIA
*In tres partes diſtributa.*

In quarum prima incommoda, quæ in Regularium electionibus oriri poſſent, nec vſque in hanc diem prælo ſubiecta, enucleantur: in ſecunda remedia aſſignantur: in tertia nonnulla ſelecta elucidantur.

*EDITIO SECVNDA*

Aucta, locupletata, & ad meliorem formam redacta.




GENVÆ, M. DC. LIII.

EX TYPOGRAPHIA BENEDICTI GVASCHI.

*DE LICENTIA SVPERIORVM.*

Imprimatur.

Ex auctoritate Illuſtriſs. Magiſtratus Inquiſit. Status.

*Laurentius Oliuerius Cancell.*

Digitized by Google

# REVERENDISSIMIS PP.
# GENERALIBVS
## SACRORVM ORDINVM
*Fr. Iacobus Raggius Capuccinus.*

DE regimine Regularium pertractaturus, opus hoc, Religioſiſſimi Patres, non niſi vobis dicare debebã; qui in eodem regimine ad Dei gerendas vices nõ ſine profundo diuinæ Prouidentię conſilio eſtis aſſumpti: vos, vos eſtis illi, quibus reliqui Regulares omnes, poſthabito proprio conſilio, putantes ſe obſequium præſtare Deo, faſtu abdicato mortalium, libentiſsimè parent: vos eſtis Duces illorum exercituum, quos in commune Orbis bonum, cladẽmque vitiorum regularium Ordinum anteſignani in Eccleſia militante centuriarunt. Sacroſancta Dei

Eccle-

Eccleſia, cuius Maieſtati flectitur omne genu, cœleſtium ſcilicet, qui eam lætantes mirantur, terreſtrium, qui eam pœnitentes adorant, inferorum, qui eandem dolentes contremiſcunt, eſt illa domus, quam Sapientia ęterna deſcendens de ſinu Patris, ac humanitatem diuinitati aſſocians, velut alterum deliciarum Paradiſum cœleſti ſibi artificio conſtruxit, quam humano generi prauarum affectionum tumultibus æſtuanti, non ſupra inſtabilē arenam, ſed ſupra firmam petram, in ęuum duraturam fundauit, de qua, ne deteſtabilium morum, ac dogmatum flumina ex inferorum portis erumpentia aduerſus eam præualere poſſint, à Domino dictum
Matth. 16. eſt Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc eſt domus illa, quæ expoliauit Ægyptum, quęque Principem tenebrarum foras eiectum è tyrannico Orbis dominio deturbauit. Quapropter nemini mirum videri debet, quòd infeſtiſsimus Satan varia præliorum genera quondam exercuerit, nec non & alia nunc temporis ad illam deſtruendam exerceat, ac præſertim quòd ad Religioſorum hominum Congregationes eneruandas, ac

euer-

euertendas omnem lapidem moueat, nihilque intentatum relinquat, quò illas extinguat, ac penitus tollat è Mundo, quia Religioſorum perfectiones Eccleſiaſticæ ſtructuræ primarij lapides exiſtunt, cum, Emin. Petro Damiano teſte, Fundatores, ac Rectores Eccleſia habuerit monaſtico viuentes more Apoſtolos Chriſti. *Cum* tom. 1. Epiſt. 19. ad Clericos. *conſtet*, inquit, *à Monachis vniuerſalem Eccleſiam fundatam, gubernatam, & à diuerſo errore cribratam; Apoſtoli nempè Fundatores, ac Rectores noſtro more viuebant*: & aurea quidem votorum catena diuino famulatui mancipati, vt ex multorum SS.PP. ſen- in dub. 118. re. 5. tentia comprobatur, vndè S. Thom. angelico calamo ſcripſit: *Omnis Religio ad* Opuſc. 19. contr. impug. Relig. cap. 4. *exemplar vitæ Apoſtolicæ formata eſt, hæc autem fuit vita Apoſtolica, vt, relictis omnibus, per Mundum diſcurrerent euangelizando, ac prædicando*. Sed quia, quod per temporis diuturnitatem mirabiliter floruit, per eandem demum miſerabiliter cadit; humana imbecillitas, quæ ſemper prona eſt ad malum ab ipſa hominis adoleſcentia, miſerrima, ac deploranda conditione Eccleſiaſtico ædificio ruinam minabatur, & lapſum; idcircò Franciſco à Domino terdi-

ctum

In chron. Minor. lib. 1. part. 1. cap. 3.

Teodor. ib Apol. lib. 2. vitæ S. Dom. c. 12.

ctū eſt: *Vade Franciſce repara domum meam, quæ labitur:* & ſic infelicisſimo illo tempore Innocentio III. ſub tantis malis ingemiſcenti per quietem viſum eſt Franciſcū, & Dominicum Dei Eccleſiam proprijs humeris ſuſtentantes videre. Quod & verum fuiſſe Emin. Bellarminus de Mendicantium inſtitutis diſſerens his verbis teſtatus eſt: *Hoc genus vitæ, hoc eſt Mendicantium, innumeris ſignis, ac prodigijs confirmatum eſt; deindè ab eo tempore conuerſio gentilium, confutatio hæreticorum, pietas populi chriſtiani, conſeruatio theologiæ, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium maxima ex parte referenda ſunt:* fuit quidem inſtructus Cardinalis à S. Thom. qui hæc habet: *Videmus enim talibus Religionibus inſtitutis in pluribus partibus hæreticam prauitatem eorum miniſterio extirpatam, infideles etiam nonnullos ad fidem conuerſos, multos per vniuerſum Mundum in lege Dei inſtructos, quamplurimos ad ſtatum pœnitentiæ conuerſos, ita quòd ſi quis inutilem talem Religionem mentiatur, manifeſtè conuinci poſſit, quaſi gratiæ inuidus, quæ in eis operatur, in Spiritum Sanctum peccare:* Vndè mirum non eſt, quòd multi Summi [a] Pontifices in ſuis diplomatibus tot, ac tanta de

tom. 3. lib. 2. de Monach. c. 44.

opuſc. 19. contr. impugn. Relig. c. 4.

a Clem. IV. in B. Par... 1265. Bened. XII. in B. Fulgēs 11. Iul. 1331. Bened. XII. in B. ... 20. Iun. 1336. Martin. V. in B. ... 24. Sept. 142... Sixt. IV. in B. Sacri 26. Iul. 1479. Alex. VI. in B. ... 23. Dec. 1497. Leo X. in B. ... 29 Maij 1517. Pius V. in B. Ad hoc 23. Sept. 1571. Pius V in B. Dum indefeſſæ 7. Iul. 1571. Greg. XIII. in B. Salvatoris 30. Octobr. 1576. Sixt. V. in B. Sacræ 1 Iul. 1588. Clem. VIII. in B. Religioſæ 9. Sept. 1594. Paul. V in B. ... 26. Febr. 1607. Vrban. VIII in B. In ſpeciali 19. Iun. 1630

ta de ſacris Ordinibus mirãda ſcripſerint, poſteriſque perlegenda reliquerint: cunĉti ſanè videntur in hanc conſpirare ſententiam, quam aureis verbis Pius V. exprimere non dubitauit, pacem ſcilicet Eccleſiæ, eiuſque dignitatem tam venerabilem filijs, quàm formidabilem inimicis Religioſorum Ordinum aſsiduo, & forti tutamento eſſe referendam. *Pius Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Et ſi Mendicantium Ordines, qui ſedulum in vinea Domini quotidiè exhibere non ceſſant famulatum, ſummo ſemper ſtudio, etiam dum in minoribus eſſemus, amplexi ſumus; ad ſummi tamen Apoſtolatus apicem, meritis licèt imparibus, diuina fauente clementia, aſſumpti, dum id mente recolimus, facere non poſſumus, quin eos propenſiori charitate, & paterno affectu amplectamur, ac exindè pro ſuis ſanctis ſtudijs, honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cuius continuè pacem, ac dignitatem Ordines ipſi fortiter tutati ſunt, tam ſpiritualia, quàm temporalia ſubſidia, ornamentaque ſuſceperint, & accipiant, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem faciliùs, atque expeditiùs exequi, & tranſigere poſſint; & cæteræ religioſæ perſonæ,*

17. Kalend. Iulij 1567.

** Ordi-

*Ordineſque alii exemplo ipſorum promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſoluenda reddantur, &c.* Quarè, vt de Religionibus vltionem ſumat Satan ob tantum ſibi malum illatum, zizania in medio tritici diſſeminare non deſiſtit, vt crebreſcentibus ſcãdalorum tribulis in Religioſorum agro bonum ſemen extinguat. Sed quia haud ignorat ſcandala ipſa, vt ait Veritas Chriſtus, neceſſariò euentura religioſam fraternitatem non modò non dirimere, dicente Auguſtino: *Veruntamen chariſſimi, ſunt qui, & Monachi falſi ſunt, & nos nouimus tales, ſed non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non ſunt*, verùm illam ad vltimum perfectionis apicem perducere, eodem Auguſtino authore: *Neceſſe eſt, ſi proficis, vt inter iniquos viuas, ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede:* nam Romualdus, qui ſumma puritate nitebat, de crimine peſsimo à falſis fratribus centenarius accuſatur; & Benedicto, qui mira ſanctitate fulgebat, ab iniquo Monachorum cœtu venenum propinatur; omnem calidus hoſtis impendit operam, vt regimen Regularium euertat; nam eo per diſcordiam diuulſo, ad ſe deuolui

Pſalm. 132.

Pſalm. 92.

B. Petr. Damian. in vita eiuſdem.

S. Gregor. Pap. in Dialog.

poſſe

poſſe deperditum Imperium arbitratur. Hæc ego reuoluens animo, altaque mente perpendens ad eludendos Dæmonum aſtus, ad corrigenda, ſi quæ fortè in Regularium regimine adeſſent, vitia, multa religioſæ Reipublicæ pro dicto regimine profutura ex SS. ac DD. placitis colligere, & in vnum redigere cogitaui; nec collecta alijs dicata volui, quàm vobis, quorum ſapientia gregem regularem dominicum regi, doctrina inſtrui, exemplo moueri, ac diſciplina corrigi ſumma cum lætitia totus experitur Orbis; vt veſtris precibus, ac paterna ſolicitudine à ſuperno Numine redonata pace, euangelicæ perfectionis murus, & antemurale, quibus Deus ſuam ita circummunitam Eccleſiam reddidit inexpugnabilem, in dies magis, ac magis conſeruentur; vt Apoſtolici operarij, quos ad metendos animarum fructus Euangelij falce in abditiſſimas, vel ipſius Americæ regiones quotidiè tranſmittit Dominus meſſis, ei nunquam deſint; vt fluuius ſanguinis è Paradiſo ſacrorum Ordinum erumpens, qui ſemper pro fidei dilatatione agrum dominicum fæcundauit, illum in poſterum irrigare non ceſ-

ſet ; vtque doctiſſimorum virorum agmina, quæ ſemper ad pacem Eccleſiæ contra hœreſes aperto Marte pugnarunt, ad defenſionem eiuſdem per ſucceſſiuas tem porum ætates haud arma deponant. Fauete interim, precor, ſcriptori humili, qui ardenti ſtudio commune Regularium bonum proſequitur, vt christianus Orbis in ſuccedentium Moderatorum ſpiritu primæuam Præpoſitorum noſtrorum virtutem cognoſcat adeſſe. Valete igitur, & perpendite veritatem, quam hac mea reuerenti oblatione veſtris oculis inſpiciendam ſubieci, quæ quidem inſpicienda eſt tanquam totius operis argumentum.

## Beneuolo, & religioſo Lectori.

PRODIT in lucem, amice, & religioſe Lector, hoc meum qualecumque ſit opus, in duas centurias diuiſum. Tu, ſi quandò præ manibus habuiſti librum inſcriptum, DVBIORVM CENTVRIA DE REGIMINE REGVLARIVM, ſub nomine IOANNIS FRANCISCI GIRAGI Lugduni in lucem editum, me ſub palliata veſte, & vt aiunt hiſtrionicè, Orbis literarij Theatrum primitùs ingreſſum fuiſſe recognoſces. Cuius conſilij cauſam tuæ prudentiæ facillimum eſt indagare: ſi verò nihilominus me expeteres ingenuè, vt ſoleo, tibi meum ſenſum aperire, & notum facere ſine hæſitatione dicerem me conſulto id feciſſe ad audiendum, quid de hac mea grauiſſima deliberatione aut latrarent Critici, aut Sapientes opinarentur. Materia ſiquidem, licèt vtiliſſima ex ſe, aliquibus tamen iudicantibus negotia ſolummodò ſecundum faciem nonniſi ſpinoſa, & mille difficultatibus obnoxia poterat videri; ſed iam D. O. M. agendæ ſunt gratiæ meliorum vota ſecundam editionem ſuſpirantium meos labores religioſis hominibus fuiſſe vtiliſſimos, & futuros eſſe certò certiùs demonſtrarunt. His obſequens libentiſſimè, vt de me benemeritis vicem aliquo modo rependam, primæ centuriæ auctæ, locupletatæ, & ad meliorem formam redactæ ſecundam addendam exiſtimaui. Vtraque ergo proprio meo expreſſo nomine, Deo fauente, lucis vſura iam fruitur. Nec, quod forſan tenuiſſet alios ab huiuſmodi manifeſtatione, eorum, quæ in libro continentur, contemplatio me potuit retardare, tum quia (licèt ego Magiſterij cathedram implere non præſumam)

per

per D. Thom. opuſc. 19. cap. 2. contra impugn. Relig. *Quantò Doctores magis multiplicantur, tantò vtilitas communis, quæ ex doctrina prouenit, magis creſcit, quia vni manifeſtatur, quod alteri nundum notum eſt, per quod dicitur Sap. 6. Multitudo Sapientium ſanitas eſt Orbis terrarum:* tum quia ſcit prudentia tua, quòd teſte D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 83. *Ad ſignificanda aliqua bona, nihil intereſt facta illa, quibus ea ſignificantur, ſeù bona, ſeù mala ſint; quid enim mea intereſt, cum volo aliquid legendo cognoſcere, vtrum ex minio reperiam ſcriptos nigros Ethiopes, & ex atramento candidos Gallos? veruntamen ſi non ſcripturam, ſed picturam talem viderem, ſine dubitatione reprehenderem; ita in factis hominum, quæ ad imitandum, vitandumue proponuntur, magni intereſt bona ne, an mala ſint, quæ autem ad ſignificandum ſcribuntur, ſiue dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quam laudem, reprehenſionemue mereantur, ſi modò habent aliquam rei, de qua agitur neceſſariam præfigurandi congruentiam.* Quarè & tu animadeuertens me non animi vitio, ſed reformationis deſiderio, mei calami penicillo maculas illas delineaſſe, quæ aut commaculant, aut commaculare poſſent candorem obſeruantiæ regularis, credo, quód meum ſtudium, meamque voluntatem pro viribus colloudabis. Cæterum non ignoro nonnullos aduerſus librum hunc fore inſerrecturos, quorum non benè compoſitus animus ſacris cohiberi poterit verbis D. Hieron. in epiſt. 2. ad Nepotianum: *Nullius nomen mea ſcriptura deſignatum eſt, neminem ſpecialiter meus ſermo pulſauit, generalis de vitijs diſputatio eſt, qui mihi iraſci voluerit, priùs de ſe, quòd talis eſt, confitebitur:* qui etiam in epiſt. 4. ad Ruſticum ait: *Scio me offenſurum eſſe quamplurimos, qui generalem de vitijs diſputationem in ſuam referunt contumeliam, & dum mihi iraſcuntur, ſuam indicant conſcientiam, multoque peiùs de ſe, quàm de me iudicant; ego enim neminem nominabo, nec veteris comediæ licentia certas perſonas eligam, atque perſtringam:* idemque repetit in apologia aduerſus Ruffinum. *Quandò ſine nomine contra vitia ſcribitur, qui iraſcitur, accuſator ſui eſt:* Accuſatores igitur ſui ipſorum erunt, quòd propriè æſtimationis deſiderio, proprijque lucri commodis ducti, omnibus incommodis, quæ in libro enarrantur, cauſam dederint; quarè, ne eiſdem ſpolientur, contra eundem rationes ſatagent inuenire, vt neglectum proſternant. Eos tamen obſecro, vt attentè legant ſequentia verba D. Hieron. ad Ruf-

fin.

fin. & Ruſticum vbi ſupr. ad illum ſic ait. *Prudentis hominis fuerat, etiam ſi dolebat diſsimulare conſcientiam, & cordis nubilum frontis ſerenitate diſcutere*: ad hunc ita loquitur. *Prudentis viri eſt, ac prudentium fœminarum diſsimulare, imò emendare, quod in ſe intelligant, & indignari ſibi magis, quàm mihi, nec in monitorem maledicta congerere, qui etſi iiſdem tenebatur criminibus, certè in eo melior eſt, quod ſua ei mala non placent*. Quòd ſi monitum D. Hieron. recipere nolentes in ſuo potiùs ſenſu voluerint abundare, ipſi viderint: de illis hactenus. Tu in hoc certaminis campo diuini Numinis zelando gloriam operare, vt in prauum meus animus non tranſportetur, & finis, quem in huius operis elaboratione in mente habui, non fruſtretur. Omne ſiquidem mei animi votum aliud album non aſpexit, quàm cum diuinæ Maieſtatis honore, Religioſorum omnium profectum, & in ſpirituali itinere deſiderabiliſſimum incrementum. Interim pro tua humanitate, æqui, bonique facito, quod factum eſt; opus ſiquidem meum, excellentium eſt virorum potiùs, quorum authoritate fulget, & doctrina refertum eſt. Nec mireris vnum tantummodò Adm. R. P. Ioannem à Montecalerio ex maiorum meorum decreto huius operis approbationi ſuum calculum appoſuiſſe, ipſe namque & Generalatus officio tam ſtrenuè, laudabiliterq; geſto, & quod maius eſt, ſuarum virtutum fulgore, præcipuè in pertractandis negotijs, Orbi vniuerſo conſpicuus præ cunctis valet.

# FACVLTAS
## ADMOD. R. P. MINISTRI
# GENERALIS.

OPVS compoſitum à R. P. Iacobo à Genua Capuccino Exdefinitore, & Sacr. Theologiæ Profeſſore, in duas Centurias diſtributum, cui titulus eſt: *De Regimine Regularium Prima Centuria in tres partes diſtributa*, cum ex impoſitione Adm. R. Patris Innocentij à Calatayerone Prædeceſſoris noſtri fuerit examinatum, nihilque in eo repertum vel ſanæ doctrinæ, vel bonis moribus, publicoue bono contrarium his noſtris concedimus, vt ſeruatis ſeruandis imprimi poſſit.

Datum Romæ in loco noſtro Sanctæ Conceptionis hac die ſecunda menſis Septembris M. DC. L.

*F. Fortunatus à Cadoro Miniſter Generalis.*

# APPROBATIONES.

DE mandato Adm. R. P. Innocentij à Calatayerone Miniſtri Generalis Ordinis Capuccinorum Ego Fr. Ioannes à Montecaletio eiuſdem Ordinis Theologus, ac Definitor Generalis, maiori qua potui diligentia, perlegi opus à R. P. Iacobo Genuenſi olim Definitore, & primo Cuſtode in præſenti Capitulo Generali compoſitum in duas Centurias diuiſum, cui titulus. *De Regimine Regularium Prima Centuria*; in quo non ſolùm quicquam reperi catholicæ fidei, aut bonis moribus diſſonum, ſed & non vulgari eruditione refertum, atque ideò non exiguam regularibus perſonis vtilitatem allaturum, & propterea typis mandari poſſe. In quorum fidem has manu propria ſcriptas dedi.

Romæ die prima Septembris anni 1650.

*Ego Fr. Ioannes à Montecalerio Theologus, ac Definitor Generalis.*

DE mandato admodum R. P. S. T. Magiſtri Ludouici Mariæ Calchi S. Officij Genuæ &c. Vicarij Generalis perlegi, & quanta potui diligentia conſideraui De Regimine Regularium opus inſigne, Auctore A R. P. Iacobo Raggio Genuenſi Seraphici Capuccinorum Ordinis Theologo, ac Definitore generis, ingenij, doctrinæ, pietatiſque claritate conſpicuo, duabus dubiorum Centurijs abſolutum. In quo nil veræ fidei, pro bis moribus, ſacriſue decretis abſonum offendi, ſed ſolidam, ſaluberrimamque doctrinam, felici ſtudio è purioribus eruditionis vtriuſque fontibus hauſtam. Qua lux vitæ, iuſtitia ab exilio redux affulget: ambitio malorum letha in Orcum truditur: Religioſum candorem fuſcantes difflantur nebulæ: factioſi nebulones ſtygiæ faces teterrimæ radianti piæ veritatis fulmine flagellantur: humanum regimen Regularium præſertim, ad diuinæ politicæ tribunal ſiſtitur: regulares Ordines ad primæui ſplendoris gloriam poſtliminio reuocantur. Opus proindè, quòd vt Sanctæ Dei Eccleſiæ apprimè profuturum, ita publica luce, & plauſu dignum ſentio.

Ex conuentu Santiſſimæ Annunciatæ Veteris Genuæ 4. Martij 1652.

Ita refero Ego

*Fr. Angelicus Ricobonus Auguſtinianus S. Officij Conſultor.*

*1652. die 4. Martij.*

Imprimatur.

Fr. Ludouicus Maria Calchus Magiſter, & Vic. Generalis S. Officij Genuæ.

*Videat, Expendat, & iudicet A. R. P. Dionyſius à Genua Reformatus S. Fran. Commiſs. Terræ Sanctæ, & noſter Conſultor.*

Fr. Auguſtinus Cermelli Generalis Inquiſit. Genuæ.

EXpenſis per me infraſcriptum duabus Centurijs R. A. P. Iacobi Raggij Inſtituti Capuccini Theologi, ſuæ Prouinciæ olim Definitoris, & noſtræ Ætatis Religioſiſſimi Lycurgi, in triplicem Geryonem diuiſa prima, & in tredecim Tractatus diſtincta ſecunda ex ſpeciali Commiſſione Reuerendiſs. Patris Magiſtri Auguſtini Cermelli in toto Genuenſium Sereniſſimo Dominatu Generalis Inquiſitoris, ſtatim in corde meo incredibili mentis meæ delicia dixi; de Rectitudine Iuſtitiæ, de Diſcretione Iudicium, de Sinceritate Æquitas en Triumphat; verè verba eius, ſpiritus, & vita ſunt; laudauiq; acre auitæ Nobilitatis ingenium a copia, & a diſpoſitione Iudicium, ex Iuriſperitorum, Theologorum, Sanctorumq; Patrum inexhauſto Pelago participatum: Cordis voluptate Animum libenter applicui ad operis validitatem, Sublimitatem, elegantiam, puritatem, perſpicuitatem, doctrinarum Soliditatem, quæſtionum grauitatem, Verborumue proprietatem, & certè omnia ſententijs ſcatent, & eximijs dictis abundant, videturq; in viſcera penetraſſe diligentiam, atq; ex percuſſa Petra aquas hauſiſſe de fontibus Saluatoris: Nouas, & præclaras Religioſorum Paſtoribus de Regimine Magiſtras demonſtrat Reſolutiones, veluti lampades in inſcitiæ latibulo, ſiue potius in antro Polyphemi hactenus incluſas, Iuſtitiæuè Dauidicam Turrim mille Clypeis circummunitam defendit; Ne dictum reprobetur, doctrina, & euidentia probant; Magnum quidem, ſed mirum certè, non quia certa, ſed quia noua, & quo altiùs hauries, ardentius ſities. Vos o Vos Regularium Rectores ab hoc Seraphici Patrum Capuccinorum Cæli Sole irreuerberatis oculis Regiminis radium accipite: *Diligite Iuſtitiam, qui Iudicatis terram Sap. primo. Et nebula cordis diſſoluatur, & fugetur à Radijs Solis, & à calore illius aggrauetur, Sap. 2. In conſpectu enim ardoris, quis poterit ſuſtinere? Eccleſiaſt. 43. Sit autem fortitudo veſtra lex Iuſtitiæ*, & ſinite Schiſmaticos Iudaizantes, odiumq; a veritate concipientes, contra Auctorem fremendo dicere: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Io. 6. & Circumueniamus iuſtum quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ Sap. 2.* Dignas ergo exiſtimo Centurias, quod Typis excuſſæ per omnium manus circumferantur; Doctrinam namq; ſine fuco conſpicuam, Sapientiæ Auro diuinam, ſinceritatis candore Regiam, fidei puritati conformem, Sac. Canon. conſonam, proponit, ad Prælatorum dictamen, ad ſubditorum ſolamen, omnibuſq; perutilem: Non Laudo Centurionē in opere, quē non cupio torqueri in corde. Exantlati præmium laboris non exiguum concedat ei Dominus in cælis, quem ex corde veneror in terris. Has noſtras teſtimoniales litteras manu propria firmatas damus ex Conuentu noſtro S. Mariæ Pacis Genuæ die 2. Februarij Purificationis Deiparæ Solemni, anno 1653.

*Ita &c. Ego Fr. Dionyſius à Genua Minorum S. Franciſci Reformatus, & Generalis Sanctiſs. Inquiſit. Conſultor, & Aſſiſtens. S.T.P.*

# INDEX DVBIORVM PRIMÆ CENTVRIÆ

## *PARS PRIMA.*

Dub. 1. AN omnium mortalium regimina ſint corruptioni ſubiecta, mortalitatique addicta.

2. Expenditur alia ratio, quarè Deus inter Chriſtianos, & Religioſos ſeditiones, ac factiones permittat.

3. An in conferendis honoribus, ac dignitatibus locum habeat iuſtitia diſtributiua.

4. In quo quærimus rationem formalem totalis diuiſionis huius miſeræ Prouinciæ.

5. An Prouincialis, ac Definitores eligentes inferiores Superiores ferè omnes ex ſuis, eiſque præbentes maiorem partem officiorum præſtantiorum, peccent mortaliter.

6. An electores, qui eligunt huiuſmodi Definitores, ac Prouinciales factioſos, & præuident inæqualitatem, ac multa inconmoda, quæ indè ſunt oritura, peccent mortaliter.

7. An Prælatus, qui vtitur regiminè actionibus, ac functionibus, quæ ex natura ſua ordinantur tantùm in ſubditorum vtilitatem, & boni communis commodum, adhoc, vt in Prælatura aſſumpta conſeruetur, reus ſit peccati mortalis.

8. An Prouincialis diſponens aliquas locorum familias, vt eos eligant in Diſcretos, qui poſtea in Capitulo ſua vota conferent ad eligendum Prouincialem, ac Definitores, ſeù Conſultores ex ſua factione, peccet mortaliter.

9. An tractatus, ſeù ſubornationes, quæ fiunt inter huiuſmodi factioſos ad conſeruandos, ſeù promouendos homines ex ſuis in Prouincialem, ac Definitores, dicendæ ſint malæ, itaut teneatur quis ſine præmiſſa admonitione, ſeù correptione Prælato, tanquam Iudici delinquentes deferre.

10. An Religioſus, qui munuſculis, ſalutationibus, gratijs, alijſque artificijs, curat, vt cumulet vota in propriam vtilitatem, vel, licèt non intendat vota cumulare, intendit tamen attrahere Religioſorum beneuolentiam, ex qua ſequitur ſuffragiorum fauor, peccet mortaliter, & dicendus ſit ſubornator malus.

11. An promiſſio inter homines factioſos ſequuta, ſcilicet da mihi ſuffragium in Definitorem, ſeù Prouincialem, & ego dabo tibi ſuffragium in Priorem, ſeùGuardianum, dicenda ſit ſimoniaca.

12. An Religioſus factioſus, qui leuibus murmurationibus intendit alienare Religioſorum animos, ne votis tali homini ſuffragentur, peccet mortaliter.

13. An iſtę duæ factiones, quæ ſemper ſtudent ſuis ſuffragari in dignitatibus, cenſendæ ſint in malo ſtatu.

14. An Prouincialis, ac Definitores huius Prouinciæ diuiſæ, quærentes ſemetipſos conſeruare artificijs in dignitatibus, ac officijs, teneantur ea contemnere, ac illis ſe abdicare.

15. An liceat factioſo homini Prælaturam appetere.

16. An electores ſint tuti in conſcientia dicentes noſtros eligimus, quia ex noſtra factione ſunt digniores: huiuſmodi ſermo ab vtraque factione auditur, ita dicebat ſenex ille.

17. An, ſi modò aliqua Prouincia laboraret factionibus modo præſcripto, taliter cenſenda ſit deformata, vt nouitios inducere, ac recipere ad Religionis habitum nequeant.

18. An profeſſio nouitiorum in huiuſmodi Prouincia poſtquam in factiones abijt, cenſenda ſit irrita, & inualida.

19. An ſaltem huiuſmodi homines in tali Prouincia per profeſſorum habitum, ſeù per actuum exercitium, qui ſpectant ad profeſſos, verè profeſſi cenſeantur.

20. An huiuſmodi profeſſiones inualidæ durante ignorantia, habeant vim obligandi tales homines ad omnia vota, ſeù præcepta Religionis.

21. An Religioſi huius Prouinciæ, cognita nullitate ſuarum profeſſionum eas ratificare teneantur.

22. An tales electiones Definitorum, ſeù Conſultorum, ac Prouincialium à iure ſint nullæ.

23. An licèt prædictæ electiones à iura non ſint nullæ, annullandæ tamen, & caſſandæ ſint, vel ſaltem Prouinciales confirmari non debeant.

24. An electiones Prouincialis, ac Definitorum factioſorum, qui antequam eſſent electi, electionibus de ſe factis conſenſerunt, ſint à iure nullæ, vel potiùs annullandæ, atque caſſandæ.

25. An, quandò Capitulum eſt nullum ipſo iure, vel annullandum ob aliquod delictum occultum, geſta per Prouincialem, Definitores, ac Guardianos cenſenda ſint nulla.

26. An electores teneantur pro bono pacis, ac quietis Prouinciæ duos Definitores ex qualibet parte eligere; Prouinciales vero modò ex vna, modò ex altera.

27. An electio celebrata iuxta doctrinam in ſuperiori dubio relatam ſit tuta in conſcientia.

28. An doctrina allata in duobus præcedentibus dubijs, ſeù aliqua alia proportionalis diſtributio honorum, ac dignitatum accommodari poſſit cuidam Prouinciæ, quæ in diuerſas factiones abire incipit, ducta vel à ſitu, in quo ſunt nati homines; vel à capite, quod ſequuntur; vel à conciuibus; vel ab alijs ſimilibus cauſis.

29. An Generalis mittere teneatur iuxta petitiones partis læſæ Viſitatorem pro eius ſubleuatione, quandò ipſe adire non poteſt.

30. An Viſitator teneatur partem oppreſſam ſubleuare, pœnas debitas infligere illis, qui iuſtitiam diſtributiuam læſerunt, & curare, vt in omnibus electionibus, ac officijs, quantùm fieri poteſt, æqualitas ſeruetur.

31. An Viſitator teneatur capita factionum, præſertim quæ Prælaturis fruuntur, à concurſu in electionibus remouere, & è Prouincia, ſi opus erit expellere.

32. Quomodò ſe debeat Religioſus timoratæ conſcientiæ, cui onus eligendi incumbit, gerere, dum omnes ſunt in malo ſtatu, & ad pacem, & concordiam accedere nolunt.

33. An huiuſmodi Religioſus timoratæ conſcientiæ ſuffragium ferre pro hominibus poſſit, qui onus vitij factionis ferre nolunt, qui tamen non ſunt de corpore Capituli.

# PARS SECVNDA.

34. AN Generalis, ſeù Capitulum generale huiuſmodi diuiſionē à Prouincia extirpare teneatur.
35. An Generalis tuta conſcientia huiuſmodi diuiſionem tolerare poſſit.
36. Quodnam remedium à Generali, ſeù à Capitulo generali diuiſionis morbo ſit apponendum.
37. Cui, vel quibus Priorum electio ſit committenda.
38. An ex neceſſitate regiminis, ac conſcientiæ Priorum electio à Prouinciali, ac Definitoribus eximenda ſit.
39. Aliud remedium, & congruum ex doctrinis S. Thom. Ariſtotel. aliorumque politicorum deſumptum deſignatur ad euertendas factiones in Prouincia, de qua ſupra.
40. An Viſitator tempore celebrationis Capituli parti ſuperanti in votis præcipere poſſit, vt pro Definitoribus, ſeù Conſultoribus, ac Prouinciali in partis debilioris fauorem ſuffragia ferat.

# PARS TERTIA.

41. AN conueniens fuerit Eccleſiam Dei militantem varijs decorari Religionibus: & an omnes homines, ex quibus formantur, ſint vitæ probitate clari.
42. An conueniens ſit Religonem à malis hominibus, qui ſuis vitijs eam labefactare videntur, expurgare.
43. An nouitij ante profeſſionem monendi ſint de malorum permixtione in Religione inuenienda, deque eorum ærumnis, ac moleſtijs ſuſtinendis.
44. An Religioſorum peccata ſint peccatis ſæcularium grauiora.
45. An ex qualibet Religioſorum familia multa ſint excitanda ſcandala.
46. Quæ doctrina ſit ſequenda in plectendis ſecundū iuta flagitijs prædictorum Religioſorum.
47. Sit praxis præcedentis doctrinę in ſubſequenti caſu. Fuit formatus legitimè proceſſus à Iudice competenti cuiuſdam Religionis contra quendam Sacerdotem nomine N. & fuit vocata in teſtem mulier nomine Coriſca copulata in matrimonium, quæ tempore noctis in quadam domo, in qua nullus morabatur commiſiſſe adulterium cum prædicto Sacerdote confeſſa eſt: quæritur, an dictum prædictæ mulieris ſit validum, itaut ea admitti poſſit in teſtem aduerſus Sacerdotem; ratio difficultatis, quia eſt ſocia criminis; & an faciat indicium ad torturam.
48. An delicta occulta huiuſmodi hominum ſint denuntianda Prælato tanquam Iudici abſque præuia infamia, & abſque præuia correctione fraterna.
49. An Religione iam fundata, ac benè radicata, liceat Prælatis noua monaſteria extruere, ac ædificare: & an ſummo Pontifici aliquandò conueniat aliquam ſupprimere Religionem.
50. An de delicto, de quo eſt denuntiatus Titius prætenſus Reus poſt teſtium examen, poſſit Iudex eum in ſpecie interrogare.
51. An ſolicitatio ad turpia interRegulares ſit peccatum contra bonum publicum: & an quis teneatur ſolicitantem denuntiare Prælato, vt Iudici: & an Prælatus debeat præcipere, vt ſibi tanquam Iudici fiat huiuſmodi denuntiatio.
52. An licitum ſit Prælatis ſubditos delinquentes arguere
53. An Prælati in ſuorum ſubditorum redargutione

gutione verbis cōtumelioſis vti poſſint.

54. An Prælatus verbis contumelioſis vti poſſit aduerſus ſubditum extraneum, qui obtentis literis obedientialibus à ſuo Generali in illam Prouinciam, ſeù locum ſe tranſtulit gratia negotium pertractandi, ad hoc, vt quamprimum deſerat Prouinciam, ſeù locum.

55. An Generalis, ſeù Prouincialis, aliuſue Prælatus in regiminis decurſu in nonnullis ad proprium ſtatum, officiumque ſpectantibus ignoranter errans, ſemper in lethalem culpam labatur.

56. An negare honores, ac dignitates dignis Religioſis, quibus habitis ab electoribus facillimè promouerentur in Definitores, ſeù Conſultores, ac Prouinciales cenſendum ſit tutum in conſcientia.

57. Quæ diuiſio bonorum communium inter ſubditum, & Superiorem ſeruanda ſit, quæ tuta in conſcientia iudicari poſſit.

58. An in Religionibus quodcunque delictum occultum ſine præuia correctione fraterna deferri poſſit Prælato tanquam Patri; & an delinquens emendatus de delicto poſſit etiam Prælato, tanquam Patri denuntiari, vt ſit ſecurior à recidiuo.

59. An Religioni vtilius ſit ferè ſemper in opinionibus DD. partem inclinantem ad mortale, vt à ſubditis præcaueatur, docere, quàm partem docentem nullum eſſe peccatum.

60. An Superior poſſit ſecretò, ſeù palàm Religioſum priuare voce actiua, ſeù paſſiua non citata, & inaudita parte.

61. Qua doctrina Iudex regularis vti debeat in imponendis priuationibus vocis actiuæ, & paſſiuæ Religioſis delinquentibus?

62. An Prælatus nimia facilitate in iudicando ſubditorum actiones eſſe grauiter peccaminoſas ſuam prudentiam denigret:

63. An vtilius ſit Prouinciæ, ſeù Religioni, Superiorum potius partē benignitatis, & clementiæ, quàm rigoris ſequi.

64. An in inquiſitione generali Iudex regularis monere teneatur ſubditos, ne occultū delinquentem propalent, maximè cum imponitur obedientiæ præceptum.

65. An Monachus regularis poſſit plures dignitates, ſeù officia poſſidere.

66. An de incommodis, quæ raro accidunt, pro remedio ferendæ ſint leges, ſeù ſtatuta.

67. An vtilius ſit Religioni Prælatorum defectus diſſimulare, quàm corrigere.

68. An quandò varietas opinionum verſatur inter Superiorem, & ſubditum, teneatur ſubditus Superiori præcipienti iuxta propriam ipſius opinionem obedire.

69. Quidam ſubditus bona fide fregit præceptum ieiunij credens habere iuſtam cauſam non ieiunandi; & etiam bona fide ex mala intelligentia doctrinę aliud præceptum ſuæ regulæ tranſgreſſus eſt: quæritur, an in vtroque caſu peccauerit mortaliter, & Prælatus eum poſſit punire.

70. An, quandò quis habet cōſuetudinē tranſgrediendi regulas, ſeù conſtitutiones, quæ non obligant ad mortale, cum propoſito etiam non ſeruandi eas, ſit culpæ lethalis reus.

71. An voluntas committendi omnia peccata venialia ſit culpa mortalis.

72. Mos eſt apud nonnullas Religiones reformatas tenere ſyndicatum de Superiorum regimine; & ita Prouincialis ſemel, aut bis omnia cœnobia viſitat, & de defectibus non grauiter famam lædentibus in publicis Capitulis eos arguit: idem fit de Prouinciali, ſeù Generali perfunctis ſuo officio: quæritur, an Superiores, quibus hoc onus incumbit, id negligendo, & per cæremonias, ac laudes exequendò, peccent mortaliter.

73. Ad quid teneantur ſupremus Superior, & ſubditi, quandò bonum commune relaxatur ob diſſimulationem incommodorum ſuperiùs deſcriptorum.

74. An Superiores Religionum, in ſuis ordinationibus, regulis, ſeù conſtitutionibus in conſcientia teneantur Religioſos ad nullam culpam, ſaltem mortalem, obligare.

75. An Prælati præſertim ſupremi bonum commune Religionis inuigens ex multis præſcriptis a regularum Inſtitutoribus, à tota Religione per communes leges, nec non & à Superioribus ad mortale non obligantibus ſub lethalis culpæ pœna tueri teneantur.

76. An

76. An intentio Prælati, quæ fertur ad ſe conſeruandum in Prælatura aſſumpta, ſit peccatum mortale: & an erit ei arduum tandem eandem Prælaturam deponere.

77. An, quandò peccatum occultum ſubditi eſt reuelatum Prælato, tanquam Patri, poſſit de illo loqui cum Conſultoribus, ſeù Definitoribus.

78. An Prouincialis, qui multitudinem hominum inter Religioſos admiſit, pro quorum ſuſtentatione inſurrexit neceſſitas paſſim recurrendi ad peccuniam pro pane, & vino, itaut regula in ſua puritate de viuendo in mendicitate nequeat obſeruari, peccauerit mortaliter: & an quoties, neceſſitate cogente, recurritur ad peccuniam, toties labatur in peccatum.

79. An qui ſæpiùs in leuibus rebus famam alicuius detrahit, etiam per frequentationem diuerſarum rerum, peruenire poſſit ad peccatum mortale cum onere eam reſtituendi.

80. An in Religionibus ſit licitum ſine præuia correctione fraterna peccatum fratris Prælato, tanquam Patri reuelare.

81. An Religioſus, qui apud Prælatum ſine præuia correctione vult deferre delictum occultum fratris, teneatur priùs examinare conditiones requiſitas in Superiore à D. Thom. aſſignatas; an potiùs illas præſupponere debeat.

82. An clauſura virorum Religioſorum, cuius ingreſſus feminis interdicitur, à Superiore declaranda ſit.

83. Quidam Religioſus ſimul cum duobus ſæcularibus ab ipſo in auxilium vocatis tentauit capere Apoſtatam fugientem è monaſterio, qui ſe armis defendebat, eumque percuſſit: quæritur, an inciderit in excommunicationem latam contra percutientes Clericos, & manus violentas in illos imponentes.

84. An Prælati Religionum teneantur Apoſtatas, & fugitiuos inquirere, & ad Ordinem reuocare, & reducere.

85. An Prælatus Franciſcanus, qui mediante recurſu ad pecuniam, ſeù quocunque alio modo, aliquem vſum ſtrictum, rigidum, & vilem introductum in rebus vtendis, in fabricis. ſcilicet, veſtibus, aliiſque rebus tollit, quamuis de nouo alium, qui licèt pretioſior ſit, ſtatui tamen Franciſcanæ paupertatis non ſit diſſentaneus, erigat, & introducat, lethali culpæ obnoxius cenſendus ſit.

86. Quæ cauſa ſit aſſignanda in exceſſibus minoricæ paupertatis.

87. Turba eligentium ſuis votis ad munus Prouincialatus ſolet inclinare in eum, qui ſolet eſſe primus Definitor in præcedenti, & immediata electione ante electionem Prouincialis, & morali certitudine non ignoratur debere eſſe hominem, qui, licèt ſit dignior pro munere Definitoratus, pro munere tamen Prouincialatus eſt tantùm dignus, quia alijs extant digniores: quæritur, an electores poſſint illi vota negare, ne ſit primus Definitor, ne poſtea aſſumatur in Prouincialem.

88. An, quandò maior pars eligentium inclinat in dignum, & Titius in digniorem, ex vi conſcientiæ tandem teneatur ferre ſuffragium pro digno, dum abſque ſuo voto nullatenus ſit celebranda electio.

89. An duo Religioſi, qui viciſſim ad Prouincialatus munus aſſumuntur, ſint tuti in conſcientia.

90. An in electore maius periculum incurrendi in lethalem culpam ſit in diſcernẽdo dignum ab indignis, quàm digniorem à dignis.

91. An Religioſus, qui relaxatè vixit in iuuentute, ſi factus ſenior reſipiſcat, in dignitatibus ſit ei præferendus, qui ſemper in vitæ probitate vitam tolerauit.

92. Quidam Reus à birruarijs captus, cum ab illis ſe eximere non potuerit, illos tamen ſecum traxit intra terminos loci ſacri Eccleſiæ regularis: quæritur, an gaudere debeat Eccleſiæ immunitate.

93. An Religioſum clericatui deſtinatum, vt tandem ad Sacerdotium promoueatur, poſſit Superior clerica ſpoliare, itavt iam ad Sacerdotium non promoueatur, ſed toto vitæ curſu in Ordine laicorum permanere debeat.

94. An Prouincialis, qui ſtudet tres vel quatuor Religioſos ad Religionis munera promouere, peccet mortaliter.

95. An prudens Prælatus magis inclinare debeat

beat ad concedendam facultatem, vt pœnitens abſoluatur à reſeruatis, quàm ad eam negendam.

96. Nonnullarum Religionum praxis videtur eſſe, vt facultas abſoluendi à reſeruatis committatur Confeſſarijs deputatis pro quocumque peccato non reſeruato, cum onere tamen, vt pœnitens à reſeruato abſolutus compareat coram Superiore, vel ſi videbitur expedire, onus comparendi ſuſcipiatur à Confeſſario abſoluente: quæritur, an iſte modus cenſeatur conueniens: an pœnitens teneatur ſub mortali ſe præſentare Superiori: & an Confeſſarius debeat eſſe facilis ad ſuſcipiendum onus comparendi pro pœnitente.

97. An Prælatus notitia comparata ex ſola cōfeſſione vti poſſit ad externam gubernationem, vt faciat, vel omittat aliqua, quæ aliàs non eſſet facturus, vel omiſſurus.

98. An Religio, quę ex plurimis Prouincijs cōflatur, ad eas regendas, ac conſeruandas frequentes viſitationes exactè à Patribus omni virtute præditis peragendas, habere debeat.

99. Incommoda ex varijs DD. collecta præcauenda deſcribuntur, quæ quamprimum ad occaſum ſummæ relaxationis Religiones impellunt.

100. An tuta conſcientia Capitulum prouinciale poſſit magnum reformationis negotium committere Prouinciali, ac Definitoribus.

# R· P· F· IACOBI RAGGII DE REGIMINE REGVLARIVM

## PRIMA CENTVRIA

### In tres partes diſtributa.

### *PARS PRIMA.*

*In qua reſoluuntur aliqua dubia, quæ in electionibus Prælatorum à factionarijs celebrandis exoriri poſſunt: & proponitur caſus, non noſtris annis viſus, ſed à Religioſis illius temporis lachrymatus, mihique à quodam Sene mille Religioſorum virtutibus præclaro delatus.*

QVÆDAM Prouincia illius Religionis (ſic loquebatur Senex ille) in duas partes, ſeù factiones abijt, quarum vtraque contendebat Prouincialem, ac Definitores, ſeù Conſultores, vel alio quocunque nomine nuncupentur, eligere ex numero ſuorum ſectatorum. Horum munus erat, vnà fortè cum alijs, inferiores Superiores pro ſingulis cœnobijs creare, cæteraque negotia Prouinciæ adminiſtrare; quarè in quolibet Capitulo Prouincialis, ac Conſultores ex ea demum ſeligebantur parte, quæ votorum numero contrariam excedebat partem, quamuis

vnus interdum ex aduerſa parte, ne prorſus neglecta videretur, in Definitorum numerum inſereretur. Multiplex hinc dubitandi locus: ſed priùs ſunt præmittenda tria dubia, quorum primum inſeruiet ad intelligendam corruptionem, ſeù obitum omnium regiminum, ita permittente diuina Prouidentia, quæ ſemper ex omni malo, ſicut ex hoc, elicit bonum, idque erit ſecundum, quæ duo omnem ab hominum mentibus expellent admirationem, ſi interdum mala inter Eccleſiaſticos, ac Religioſos dominari percipient: tertium verò pertractabitur tanquam totius operis fundamentum. Scio præſentem caſum poſſe in quacunque Religione noſtri temporis ob rationem in primo dubio deſcriptam tacita deplorari pietate: ſcio ſub præciſis verbis non poſſe omnibus Religionibus adaptari, quia in nonnullis Superiores locales à familijs locorũ (vt præcipit ius canonicum) creantur; ſicut in quadam alia diuerſo modo: ſcio tamen, paucis demptis, ſeù fortè adhibitis, poſſe: ſcio etiam, dum tractatur tanquam præteritus, vim doctrinæ infirmare, lectorum animum efficaciter non mouere, & fructum ab authore intentum non dare; proindè, vt omnia non deſiderentur, ac ſi noſtris temporibus adeſſet, agitatur.

Benigne Lector attende caſum, quia etiam attendes huiuſmodi materiam exactè, niſi ſub præſcripto caſu tractari non poſſe.

DVBIVM

## DVBIVM I.

*An omnium mortalium regimina ſint corruptioni ſubiecta, mortalitatique addicta.*

### SVMMARIVM.

1. *DEfinitur, ac explicatur factio vnà cum factioſo, & quàm maximum exitium ſit in omni Republica, & ad quod præcipuè, ac directè tendat.*

2. *Seditio quid: & an vnum, & idem ſit cũ factione, et in quo differant inter ſe; nã nõ omnis ſeditio eſt factio, licèt omnis factio ſit ſeditio.*

3. *Neceſſe eſt in omni multitudine habere aliquod regitiuum, à quo totum vniuerſitatis corpus regatur; impoſſibile enim videtur eſſe, ob diuerſas hominum mẽtes abſque illo multitudinem dirigere in finem, qui eſt pax, & vnitas, cui è directo opponitur factio, & ſeditio.*

4. *Probatur à ſimili, ab authoritate, & ratione omnia mortalium regimina ſubiacere corruptioni.*

5. *Ab hac cenſura non eximuntur religioſorum hominum ſacri Ordines.*

6. *Itidem ſpecialiter probatur religioſorum hominum regimina addicta eſſe corruptioni, ac mortalitati, quamuis optimis legibus, et ſalutaribus cõſtitutionibus ſint munita, eò quòd ex viris in peccato natis conſtituantur, & ſub ijs tam mali, quàm boni homines commorentur.*

7. *Ratio præmittendi tale quæſitum annuitur, & altiſſimum Dei regimen commendatur.*

1. Not prim. factionem ita poſſe definiri. *Factio eſt diuiſio ciuium in diuerſa ſtudia, cum aliqui ſe Principes Ciuitatis cõſtituere conantur, alijs repugnantibus.* Ita Decian. de crimin. læſ. maieſtat. lib. 7. c. 7. num. 10. quarè ex eodem Doct. habetur, *factioſos dici, qui primates Ciuitatis diſcordantes ſectantur.* Teſtatur Liuius citatus à Deciano vbi ſup. num. 10. quòd factionum certamina fuerunt, eruntque plurimis populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames, morbique; nam omnia in Deum iras velut vltima publicorum malorum vertunt: & Cato dicere ſolitus erat factiones venena eſſe Ciuitatum. Quamobrem ſpectare poſſunt ad crimen læſ. maieſt. vt probat text. in l. Quiſquis in principio. C. ad l Iul. maieſt. & tunc erit, inquiunt Petr. de Anchar. conſil. 289. Aug. de Arim. in addit. ad tract. Ang. de malef. in verb. *Che hai tradito la tua patria.* num. 8. cum ambæ factiones, vel altera earum tenderet in diminutionem ſtatus Reipubl. vel Principis: verùm tamen eſt, quòd, ſi vna pars regnat in Ciuitate moliens etiam quidpiam contra aliam, non dicitur lædere maieſtatem. Ita Soci. conſ. 22. num. 5. in 1. Decianus cum alijs DD. citatis, eſt tamen in deſtructionem Principatus, vt inquit Toloſan. de Republic. lib. 23. c. 2. n. 8. *Omnis factio, ſi fiat per ſubditos inter ſe, ad deſtructionem pertinet Principatus.*

2. Not. ſec. quòd factio eſt vnum, & idẽ, quòd ſeditio, diſtinguntur tamen propriè, eò quòd omnis factio eſt ſeditio, non verò omnis ſeditio eſt factio, quia ſeditio oboritur ex varijs capitibus, quàm ex capite dignitatum, vt videre eſt apud Ariſt. alioſque DD. Seditio autem duo importat, diſcordiã ſcilicet dominantem, ac vnitatem diſruptam, & ita definitur à D. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 2. S. Antonin. 2. p. tit. 4. c. 8. §. 1. Caiet. ſumm. tit. ſeditio. Angel. eod. tit. *Seditio eſt, qua vnitas multitudinis diſſoluitur, diſcordantibus contra ſe inuicem partibus*: quæ duo includit etiam factio; nam eo ipſo, quòd Ciuitas eſt diſtracta in factiones, quarũ ſtudia tendũt aliquos ad dignitates eleuare, regnat diſcordia, ac cõſequenter multitudinis vnitas diſſoluitur; & ita DD. nomen factionis, & nomen ſeditionis pro eodem ſæpè accipiunt; ideò S. Iſidor. lib. 10. ethymolog. lit. F. quærens ethymologiam factioſi, inquit. *Factioſus inter opprobria cum ſeditioſo accipi volumus, &c.* & Carerius in pract. crimin. in princip. caſ. 19. nu. 2. ex plurimis dicit, quòd, qui concitat ſeditioné in patriam, vel alios, appellatur Dux factionis; & Decian. vbi ſup. num. 10. ait: *Nomine factionis ſeditones, & conſpirationes appellantur*: idem elicitur ex Ariſt. & S. Th. lib. 5. polit. c. 8. & ex S. Antonin. vbi ſupr & tandem Toloſanus vbi ſupr. lib. 11. c. 13. num. 4. ait. *Subditorum interrupta pax inter ſe ſeditio dicitur, aut ciuile bellũ, factio, rixa: contra verò Principem populi diſcordia magna rebellio, crimen læſa maieſtatis.* Et nota, quòd diſcordia propriè conſi-

ſtit in diſſenſione animorum, vt volunt D. Thom. ar. 1. & S. Antonin. vbi ſup. Farinac. de crim. læſæ maieſtat. quæſt. 113. Decian. vbi ſup. num. 16. ex S. Iſidor. lib. ethym. vndè factio poteſt hoc modo clariùs definiri: Factio eſt, qua vnitas multitudinis diſſoluitur, diſcordantibus contra ſe inuicem partibus, quæ conantur aliquos eleuare ad dignitates; eſt enim de genere ſuo peccatū mortale, inquiunt Thomiſtæ, eò quòd deſtruit vnitatem multitudinis, ac Imperij.

3. Not. tert. quòd homo vocatur animal ſociabile, vt inquit Ariſtot. lib. 1. polit. c. 1. & 2. D. Thom. de regim. Princip ca 2. & in 4. ſententiarum art. 1. Victor. in relect. de poteſtate ciuili n. 4. & 5. & Gregor. de Republ. lib. 1. c. 2. ideò eſt ei naturale, quòd in multorum ſocietate viuat, vt tradit S. Thom. vbi ſup. c. 1. vndè idem Ariſtot. c. 2. vbi ſup. dixit. *Qui ſolitarius viuit, aut eſſe beſtiam, aut Deū*: quò fit, vt de hominibus, qui ſolitarij viuūt, vt S. Paulus primus Eremita, S. Maria Magdalena, & S. Maria Egyptiaca, rectè dici poteſt, habere aliquod maius bonum, non natura, ſed gratia, vt ad propoſitum aduertit Bellarm. lib. 3 de laicis c. 5. & cum eidem homini ſit etiam naturale, ait Bald. in l. ex hoc iure ff de iuſtit. & iur. n. 5. ob mentes diuerſas diuerſa appetere, & inter ſe diſcordare; ideò neceſſarium fuit erigi regimina, & Imperia, vt probant D. Chryſoſt. hom. 34. in 1. ad Corinth. D. Auguſt. in lib. propoſit. in epiſt. ad Roman. propoſit. 72. Gregor. vbi ſupr. lib. 6 c. 1. & Lipſius polit. lib. 2. c. 1. & 2. aliàs videretur verū illud Cicerō. 3. de legib. *Quòd ſine Imperio nec domus vlla, nec Ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec ipſe Mundus ſtare poteſt*: illud Caſſiod lib. 7. variarum c. 16. *Omnia ſine Priore præpoſito confuſa ſunt, & dum vnuſquiſque ſecundum voluntatem ſuam cogitat viuere, regulam cognoſcitur omittere diſciplinæ*: illud S. Thom. vbi ſup. c. 1. *Multitudo in diuerſa diſpergeretur, niſi eſſet aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet curam habens, ſicut corpus hominis, & cuiuslibet animalis deflueret, niſi eſſet aliqua vis regitiua communis in corpore, quod ad bonū commune omnium membrorum intenderet*: dignoſcitur ergo Imperia eſſe neceſſaria; & ideò concludit S. Th. vbi ſupr. *Oportet igitur eſſe in omni multitudine aliquod regitiuū: Et cum vnicuique hominum*, vt paulò antè refert idem Sanctus, *naturaliter ſit inſitum rationis lumen, quo in ſuis actionibus dirigatur in finem*: ideò regitiuum dirigere debet multitudinem in aliquem finem; qui finis nil aliud videtur eſſe, niſi quod opponitur diuiſioni hominū ſequuturæ ob mentes diuerſas, ſcilicet vnitas, & pax, vt inquiunt S. Th. vbi ſup. c. 2. & Ægid. Rom. de reg. Princ. 2. p. lib 3. c. 3. & Gregor. Toloſ. vbi ſup. nu. 1. imò cuncti Principatus Eccleſiæ, & gradus inſtituuntur ad huiuſmodi vnitatē conſeruādam, vt inſinuat B. Laur. Iuſtin. de triumph. Chriſti agon. c 26. *Ad vtilitatem, & decorē, vnitatemque cuſtodiendā in Eccleſia conſtituti ſunt gradus*: ita vt fideles inter mēbra Chriſti nequeant connumerari, niſi hac vnitate conſolidentur, vt dicit S. Aug. trat. 27. in Io. tom. 9 *Vt autem ſimus membra Chriſti, vnitas nos compaginet*: quandò ergo diſſoluentur, & corrumpentur Regnum, Reſpublica, & hominum multitudo? cum factiones, ſeù ſeditiones ſerpent per ea; hoc enim vitiū è directo opponitur fini, qui vnitate propagatur, vt dixi ſuperiùs, & inſinuat S. Th. 1. de reg. Princ. c. 5. *Diſſenſio enim contrariatur bono pacis, quod eſt præcipuum in multitudine ſotiali*: videatur idem ſanct. 2. 2. qu. 29. art. 1. ad 3. Quamobrem ſummoperè deplorãda erit illa multitudo, cum intus factionibus laborat, ſeditioneſque vigent in ea, quia propriam corruptionem amaro animo ſentiet, & cōſumptionem ſanguineis lachrymis planget: *Seditio & contentio*, inquit S. Chryſoſt. in epiſt. ad Galat. c. 5. *corruptionem, & conſumptionem affert tum ijs, qui recipiunt ea, tum ijs, qui inuehunt, ac magis intus corrumpit omnia, quàm tinea*: ideò optimè dicit Plato dialog. 5. de leg. *Seditio omnium bellorum grauiſſima eſt, & multò mitius eſt bellum, quo aduerſus alienigenas vtimur*: hinc nouiſſimè Raph. de Turri in opuſc. quod inſcribitur: *Diſſidentis deſciſcentis, receptaq; Neapolis libri ſex pag.* 1. cuius ſtylus ita in opere eſt elegans vt fuerit, quis dixerit, Liguriã noſtrã habere Liuium ſuū, cuius intellectus eminētia ita in Orbe emicat, vt ad inſtar Turris, & mirè proſpiciat, & mirè proſpiciatur: Nullum, inquit, Reipubl. præſentius malum, monſtrumue terrius, portento proximum, humano ſemper ſanguine expiandum, ſeditione: quæ dominandi impotentia, parendique impatien-

patiencia proles lōgè deterior nunquam ſeuior oritur, inque certiorem rerum perniciem debacchatur, quàm ſi, nullo obſtetricante, erumpat vltro: hæc vincula humanæ ſocietatis dirumpit, ius, faſque omne violat, pietatem calcat, pudorem proſtat, nihil ſanctum, nihil profanum habet, ſed cuncta contrectans inconcuſſa proſternit, ſtrata erigit, imaque ſummis miſcens riſus lachrymis iungit, crucibus ſceptra, dumque ſpargit pœnas ſine delectu, prodigit præmia ſine iudicio, ludat crudelius inter mortaliū miſerias, dubites, an illudat mortalitati.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. LIcèt in ſingulis indiuiduis naturę humanæ generentur morbi eorū ſanitatem corrūpentes, vt tandem mortem ſentiăt; ita in ſingulis regiminibus eiuſdē naturę generantur factionum, & ſeditionum plagę, & morbi, ea in ſuis regularis legibus infirmātes, vt tandem, ſicut omnia creata mortalia ſint. Suadetur ex doctrina Decian. de crim. læſ. maieſt. lib. 7. c. 19. de ſeditioſis: *Serpunt enim*, inquit, *ſenſim ſeditiones, & quod ſanū eſt in Republica, vitiant; æterna enim forent Reſpublicæ, æterna Regna benè inſtituta, & iuſtis legibus munita, ſi ſeditiones forent incognitæ, ſed Dij immortales id vnum venenum eam labem Ciuitatibus, & Regnis imminere voluerunt, & Imperijs, vt ſicut cætera omnia creata mortalia forent*: ideò dicebat Liuius lib. 2. politic. *Magna Imperia diù durant, niſi ſeditione inteſtina laborent, verùm poſt eam ſtatim diſſoluuntur*: huic quoquè probationi aſtipulatur Gregor. Toloſan. de Republ. lib. 22. c. 3. ita loquens. *Nemo ambigit hominem mortalem natura eſſe obnoxium mutationibus, & interitui: Ciuitatem etiam nemo negat ex hominum ſocietate colligi, parteſque corporis ciuilis eſſe homines, & proindè nemo negare poteſt Reſpublicas, ſeù ciuiles adminiſtrationes ex partibus, quibus componitur, obnoxias eſſe affectibus; & morbis hominum, & cum illis auctis florere, & augere: illis diminutis, mutare ſplendorē: illis afflictis, & laborare, & ſublatis interire: & hic eſt modus primus, qui eſt veluti naturalis, imò fatalis, quo Reſpublicæ etiam benè conſtitutæ, & Principatus benè conſtitutus corruere aliquandò poſſunt. Difficile quidem eſt*, inquit Plato c. 8. de Rep. *benè conſtitutam Ciuitatem è ſuo ſtatu moueri: verùm cum omne, quod genitum eſt, corruptioni ſit obnoxium, talis etiam cōſtitutio ſemper manere non poterit, ſed ſoluetur*: adhærent Petr. Andr. Canonherius in ſeptem Hippocratis Aphoriſm. libros Prolegom. pag. 231. verſ. ſicut nullū, & Ioach. Vagetus period. Regn. Turc. Primus ait: *Sicut nullum corpus humanum reperitur, quod nō ſit alicui infirmitati, ac violentiæ obnoxium, ſic nullum eſt Regnum, quod ruinis, & calamitatibus non ſubiaceat. Quod Regnum eſt*, inquit Senec. de tranquil. *cui non parata ſit ruina, & procalcatio, & Dominus, & carnifex? non magnis iſta interuallis diuiſa, ſed horæ momentum intereſt inter ſolium, & aliena genua*: & paulò antè. *Vt corpus humanam poſtquam ætatem ſuam tranſegerit, interit, ſic Imperia, Ciuitates, Prouinciæ, Reſpublicæ periodis ſuis circumactis delentur, & euertuntur, ſic euerſa ſunt Imperia Medorum, Aſſyriorum, Macedonum, et Perſarum, Hieroſolyma ſic, et Babylon, Troia, Numantia, Carthago, Tynes, Thebæ, Niniue, Athenæ, aliæq; ſexcēta, vel ſubuerſa, vel vaſtata, captæ, deleta, exciſæ, concuſſa interierunt*. Secundus Inquit. *Quemadmodum hominis vita pro educationis, alimoniæ, & temperamenti ratione varijs obnoxia eſt mutationibus, ita Imperijs quoquè magnis nō ab hoſtibus tantùm, ſed ab amicis, imò vtrinſque ſimul multùm eſt periculi: iam verò corpora noſtra alia externo caſu, alia violento ferri ictu, peruerti, & interimi; alia inteſtina humorum diſſolutione ſolui, & interire cernimus, quædam paucæ fatalium annorum ſenio emaciari, ita Imperia hoſtibus partim armis conquaſſari, partim domeſtico ſeditionis morbo tabefacta, & quaſi occulto quodam veneno infecta ante tempus, & ſenectæ maturitatem inopino ſæpè caſu concidere, totaque peſſum ire videmus: nimirum nobis quoque hominibus non externa tantùm, ſed interna etiam mala fatalem non rarò horam accelerant: quidni etiam Imperijs? felicem illam gētium, Regumque dominam, niſi quàm validæ vires ſuæ forent, quaſi nullum aliud ſe dignum certamen ſuperfuiſſet, in ſe ipſam experiri adorta in propria viſcera, cædeſque innocentum cruentos gladios ſtringere non dubitaſſet*.

5. Dices, doctrina relata ſemper cenſenda erit vera in regiminibus ex hominibus ſæcularibus inſtitutis, quia, experientia teſte, in hiſtorijs propè infinitis, vt teſtatur Toloſan.

ſan.

ſan. vbi ſupr. lib. 22. & alij leguntur infiniti tumultus, ac indicibiles ſeditiones, quæ ea ad corruptionem, mutationemque impulerunt, non verò in regiminibus religioſorum hominum; nã eorũ perfectio, quam vnuſquiſque Ordo ſecundum proprium inſtitutum profitetur, obſtat morbis prędictis. Pro reſponſione ſit, quæſo Religioſorum perfectio fortè dat, vt in ortu non contraxerint originalem culpam? minimè quidem: denuò, eorum perfectio concedit, vt ipſi eximantur ab illo decreto diuino: *Statutum eſt hominibus ſemel mori?* nequaquam: tandem eorum perfectio præſtat, vt in ſuis ſacris ſodalitijs non cognoſcantur mali homines, & ficti Religioſi? non certè: imò ad perfectam Religionem ſpectat, vt non ſolùm colligat optimos viros, qui de die in diem magis, ac magis perfectionem propagent, ſed etiam vt adunet fictos homines ob rationes recitandas in dub. 42. tert. part. Eorum igitur perfectio eximere nequit talia regimina, ne ſubiaceant æmulationibus, contentionibus, factionibus, ac ſeditionibus, vt tandem, ſicut cætera omnia creata mortalia ſint, quod magis explicabitur in ſubſequenti concluſione.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

6. Religioſorum hominum regimina ſicut conſtituuntur ex viris in peccato natis, mortique addictis, & ſub ijs tam boni, quàm mali morantur; ita, ſicut cætera omnia creata, tumultus, ac ſeditiones, vt mortalia ſint, experientur. Suadetur ex diſcurſu Emm. Rodriq. quæſt. Regular. tom. 2. qu. 1. art. 1. ita loquentis. In hoc Mundo omnia ſub contentione, & diſcordia verſantur; omnia enim ex partibus, & qualitatibus contrarijs ſunt formata, & homo, in quo omnia creata continentur, ex ijs qualitatibus contrarijs eſt compoſitus, & in eo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, cuius natura poſt peccatum originale ab adoleſcẽtia ſua prona eſt ad malum, quod non ſolùm ex ſacris literis patet, ſed videmus in iure edoceri: vndè Euripid. in Bellerophonte ait. Ingenita quidem eſt malitia cunctis mortalium, quod tradit Ioannes Srobæus, & in quadam ordinamentorum lege continetur, propter quam causã natura ita poſt peccatum corrupta, & ad malum inclinata, vnuſquiſque viam ſuam ſequitur, & inclinationem, & affectionem amplectitur, ita vt in ſua vnuſquiſque opinione perſiſtat, intelligens ſuo ſenſu abundare: ex quo fonte emanant inimicitiæ, inuidiæ, partialitates, contentiones, inſectationes, iurgia, bella, æmulationes, & alia huius generis mala: quæ omnia in dies magis, ac magis oriri, & augeri in hoc loco ſolitudinis, & horroris, proh dolor! aſpicimus: ex primo enim peccato, vt dictum eſt, & tradit Scriptura diuina Gen. 7. & explicat D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 22. tanquam ex quodam ſeminario hæc omnia effluxerunt; in eo enim ſicut omnes peccauerunt; ita præfacta genimina viperarum à charitate abberrantia in omnes homines pertranſierunt, & ſic factum eſt, vt nullus ſit in Mundo etiam minimus viuens, in quo huiuſmodi peſtis diſſenſionis, contentionis, æmulationis, & ambitionis non irrepſerit; vbique enim regnat ſuperbia, & omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, & ambitioni incumbunt, & primas cathedras, & ſedes inſequi non verentur, quod adeò effudit in omnes, vt etiam ad ſtatum Eccleſiaſticum, & Regularem peruenerit, & ita in eo ſuas immiſerit irradicatas radices, vt vulnus ab ipſis ortum in eo difficillimè poſſit mederi, cum in ſtatu Eccleſiaſtico, ac Regulari colore zeli, iuſtitiæ, & boni regiminis ſit obuolutũ: & paulò inferius: partialitates enim ſanguinolentæ Guelforum, & Gebellinorum, de quibus meminerunt Neuizan. Alciatus, & Tiberius Decianus, maximum malum in Italiam intulerunt: quæ diſcordiæ multorum malorum abundatiſſima ſunt ſeminaria, vt luculenter Baldus, Boerius, & alij tradunt, & maximè in Religionibus effeciſſe ſtragem, experientia docet: hæc Rodriquez. Pro ſecunda probatione audiamus verba zelantiſſimi viri Iulij Negroni è Societ. Ieſu in tract. de particularibus amicitijs tract. 3. cap. 2. ſpec. 3. qui poſtquam deſcripſit quaſdam conſpirationes ſeditioſorum excitatas in ſacris Ordinibus fratrum Minorum, Prædicatorum, Camaldulenſium, & Grãdimontenſium, inquit. Nullus ferè Ordo eſt, qui huiuſmodi ſeditiones, conſpirationes in ſe ſubnaſcentes non ſentiat, quãuis optimè ſit conſtitutus, & ſalutaribus legibus temperatus; nam ex S. Auguſt. in pſ. 54. probatiſſima ſententia: *In omni congregatio-*

*congregatione multitudinis neceſſe eſt , vt inueniantur mali* : quos alibi epiſt. 137. ad Cler. & pop. Hip. probat inductione, vel in ſanctis congregationibus inueniri: cõfirmat S. Bonauent. in ſex alis Seraph. c. 3. docens prætereà nõ eſſe laudabilem Religionem, in qua nullum malum ſuboriatur, quia nulla huiuſmodi eſſe poteſt in hoc ſęculo; ſed eã, in qua nullũ malũ impunitũ relinquatur, peccatis aditus diligenter pręcludatur, & vndè homines incorrigibiles, & pernicioſi expellantur: quorum Sanctorum doctrina mirificè ſolatur Ordinum benè conſtitutorum zelatas moderationes, & refellit calumnias ſęculariũ, ex hoc capite sãctiſſimos Ordines iniuria criminantium: hæc Negronus.

Audiamus etiam aliqua verba à D. Petro Damiano lib. 6. epiſt. 8. epiſt. tom. 1. ſcripta ad quendã Abbatem, qui Pręlaturę onus depoſuit, quæ veritatem concluſionis inſinuare videntur. *Chariſſime Pater*, inquit, *dignas authori bonorum Deo gratias refero, qui te per ſuũ ſpiritum docuit, periculoſo hoc tempore aridam virgam vana Prælationis abycere, & ad priuatam animæ tuæ cuſtodiam, expeditis greſſibus, feſtinare: nunc verè meus Abbas eſſe cæpiſti, cũ præeſſe alys deſiſti; ecce de iugo multigenæ ſeruitutis ereptus ingenuæ libertati es per miſericordiam reſtitutus; ſeruum enim te ſæcularium, ſeruum te eſſe neceſſe fuerat etiam Monachorum; illorum ſiquidem, ne monaſterium læderent; iſtorum verò, ne tibi conſpiratæ factionis ſcandalũ generarent; illos nempè verebaris, ne domus Dei bona diriperent; iſtos autem, ne domeſticæ ſeditionis aduerſus te machinas concinnarent.*

Addamus tandem lachrymas, ac gemitus S. Auguſt. in pſ. 99. loquentis de portu trãquillo Religionum, in quo Clauſtrales vitam quietam ſibi elegerũt, remoti à ſtrepitu populari, à turbis inquietis, atque à magnis fluctibus ſæculi, & demonſtrãtis, quod intendimus probare: *Iam ergo*, inquit, *ibi*, ideſt in Religionibus, *gaudium? iam ibi iubilatio? nondum, ſed adhuc gemitus, adhuc ſolicitudo tẽtationum; habet enim alundè & portus aditũ: oportet ergo, vt ex aliqua parte pateat, aliquandò autem per eam partem, qua patet, ventus irruit, & ſcopuli non ſunt, naues ſe inuicem colliſa confringunt.*

7. Placuit authori in ſecunda editione huius primę centurię huiuſmodi quęſitũ alijs pręmittere ad tantillum inſinuandum altiſſimũ regimen diuinæ Prouidentię, quod ſicut ab humano intellectu capi nequit; ita ſciat id admirari, & propria ignorantia faciẽ velare dicendo cũ D. Paulo ad Rom. 11. *O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incõprehenſibilia sũt iudicia eius, et inueſtigabiles viæ eius. Hoc eſt*, inquit Chriſoſt. in D. Paul. loc. cit. to. 4. *diſpenſationes; nã & ipſæ nõ ſolùm cognoſci nequeunt, ſed nec quæri*: quarè anxiè quęrendũ nõ eſt, cur mala permittat Deus, vt in Religionibus graſsẽtur aliquãdò, earumque regimina etiã ſanctis legibus munita corrumpantur? ſed, vt iã dixi, hoc eſt admirandũ, & pertimeſcendum.

## DVBIVM II.

*Expenditur alia ratio, quarè Deus inter Chriſtianos, & Religioſos ſeditiones, & factiones permittat.*

### SVMMARIVM.

1. *DEus nullo modo poteſt eſſe cauſa formalis peccati propriè, & poſitiuè, eò quòd manifeſtè repugnat ſuæ Bonitati, ac Iuſtitiæ poteſt tamẽ impedire peculiari ſuo beneficio quæcũq; peccata, & hoc illæſo hominis arbitrio.*

2. *Concedendum tamen eſt Deum permiſſiuè malum permittere; alioquin diſſolueret ordinem inſtitutum in creatura rationali: permittit autem aliquod ſcelus propter tria. Prim. ad hoc, vt indè bonum inſigne eliciat. Secund. vt cæteris peccantibus ignoſcamus. Tert. vt iuſti per eos exerceantur.*

3. *Deum ſua Sapientia infinita ordinatiſſimè permittere mala probatur, ex quibus poſtea infinita bona elicit.*

4. *Præſertim permittit factiones, & ſectas graſſari inter Chriſtianos, & etiam Religioſos vt comparatione factioſorum virtute præditi viri, meritiſque ornati magis eluceſcant; quæ permiſſio à Deo emanat ob malorum demerita, qui ſe indignos, ne regantur ab ipſo, reddiderunt: & ſoluuntur duæ obiectiones.*

1. Not. prim. quòd ſicut docet fides Deũ nõ eſſe propriè, & poſitiuè cauſam peccati formaliter, vt mortale malum eſt; prout ex multis locis Sacræ Scripturæ, necnon & teſtimonio multorum SS. PP. nempè Dioniſij, Baſilij, Origenis, Athanaſij, Chryſoſtomi,

Nazian-

Nazianzeni, Ambroſij, Hieronymi, & aliorũ elicitur, vt videre eſt apud Bellarmin. to. 3. de ſtatu peccati lib. 2. ca. 8. & 9. Ratio eſt, quia ipſemet peccaret; nam velle peccatum eſt peccatum: ſed ſi eſſet cauſa peccatorum hominum, vellet peccatum: ergo peccaret, quod diuinæ Bonitati, & Iuſtitiæ manifeſtè repugnat; ita admittendum eſt Deum eſſe cauſam permiſſiuam peccati, ſic docent cõmuniter DD. Theologi; peccata enim cadunt ſub ordinem diuinæ Prouidentiæ, cui ſanè prorſus ſubduntur, quatenus à Deo ipſo ſunt permiſſa; poteſt enim Deus ſua gratia impedire quęcunq; peccata, ne fiãt, ſalua inquã, & illæſa hominis libertate; ideoq; peculiare Dei beneficiũ eſt, quandò aliquis præſeruatur à peccato: idem autem eſt, nõ impedire peccatum, permittere peccatum, eſſe cauſam permiſſiuam peccati: quæ permiſſio dicit in Deo actum poſitiuum, & eſt volita à Deo per actum poſitiuum, vt optimè defendit Trigoſ. ſuper D. Bonau. q. 15. art. 3. dub. vnic. ex mente D. Bonau. S. Thom. & Alenſ.

2. Ex qua doctrina ſequitur, & eſt ſecũd. not. quòd decet diuinam voluntatem mala permittere, vt optimè tangit Alenſ. in prim. quæſt. 24. membr. 1. quia ſumma ratio dictat, ne Creator naturæ diſſoluat ordinem, ab eo inſtitutum in ipſamet natura; quarè ſi liberum arbitrium cogeretur ad bonum, vel prohiberetur à malo, diſſolueretur ordo inſtitutus in creatura rationali; videatur S. Th. lect. 23. in D. Dionyſium de diuin. nomin. c. 4. ex hac enim decentia duo admiratione digna dignoſcuntur. Prim. quòd in natura ſummus emicat decor, vt tangit Iſidorus de ſummo Bono: *Quamobrem non permitteret Deus mala oboriri, niſi ex contrarijs malis naturæ decor eniteret*: & S. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 11. c. 23. mala nigro colori comparat, qui tametſi ſibi ſordeſcat, tamẽ alijs picturę coloribus admixtus ijs ornamentum pręſtat: *Sicut pictura*, ait, *cũ colore nigro ſuo loco poſita; ita vniuerſitas rerũ; ſi quis poſſet intueri etiam cum peccatoribus, pulchra eſt, quamuis per ſe ipſos conſideratos ſua deformitas turpet*. videatur etiam cap. 18. eiuſdem Auguſt. Secund. quod multa bona eliciuntur, quæ commemorat S. Ioann. Damaſcen. lib. 2. de fide orthodox. cap. 29. ipſum conſulite: tantùm, tria hic extenduntur. Prim. eſt Deum aliquandò permittere aliquod magnum ſcelus, & flagitium, vt iodè aliquod magnum, & admirabile bonum operetur, & eliciat, vt videre eſt in Iudæis; permiſit enim, vt perfidi Iudæi turpiſſimam Crucis mortem Chriſto inferrẽt, vt indè operaretur per eius crucifixionẽ vniuerſalẽ generis humani ſalutem. Sec. permittere, vt Sacerdotes, populique Paſtores labantur in peccatũ, vt pręterita infirmitate ducti alijs faciliùs ignoſcant, vt accidit in Petri negatione; ſic loquitur S. Ioann. Damaſc. lib. 2. parall. c. 86. *Peccato Petrus porrò ſuccubuit, vt peccatum ſuum cogitans, ac Domini remiſſionem ipſe quoquè alijs peccantibus benignè ignoſceret*: *Imò in triplicatam negationem derelictus Petrus*, inquit Robertus lib. 1. de Sapientia c. 28. *pulchro, & ſpectabili ordine ſapientiæ, vt credamus expedire eis, qui præſunt tam propter ipſos, quàm propter alios, quibus præſunt, ad humilitatem, vel compaſſionem erudiri per magnum, & memorabile præterita infirmitatis experimentum*: Tert. tandè permittere, vt mali diù viuant in hoc Mundo, vt, mediantibus eorum prauis moribus, & ærũnis, boni, ac iuſti exerceantur. Ita S. Auguſt. in pſ. 54. ad 1. verſ. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc Mundo, & nihil boni de illis agere Deum*; *omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur; aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur*: & ita ante Dei conſpectum meritis cumulati glorioſiores, inquit S. Bonau. diſt. 47. q. 15. art. 3. exiſtant.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

3. DEus ſua diuina ſapientia ita ordinatiſſimè adminiſtrat vniuerſam totius Mundi machinam, vt rectè mala permittat, ex quibus poſtea infinita bona colligit, & elicit. Concluſio habet duas partes; quæ ſatis intelliguntur probatæ in notandis; proindè S. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 17. 18. *Quod nullũ faceret Deus, quem malũ præſciret, niſi pariter noſſet, quibus bonorũ vſibus accõmodaret*: & in Enchirid. c. 100. *Proptereà*, ait, *nãque magna opera Domini exquiſita in õnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo nõ fiat præter eius voluntatẽ, quia nõ fieret, ſi nõ fineret, nec vtique nolens finit, ſed volẽs, nec fineret bonus fieri mala, niſi omnipotẽs etiã de malo facere poſſet benè*: & S. Th. de regimin. Princ. c. 9. inquit. *Et ipſe Deus mala eſſe in Mũdo nõ fineret, niſi ex eis bona eliceret ad vtilitatem, & pulchritudinẽ Vniuerſi*:

SE-

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

4. PErmittendo Deus, vt ſectæ, & factiones dominentur inter Chriſtianos, & Religioſos, hoc vnum intendit elicere, vt viri virtute præditi, meritiſque ornati comparatione factioſorum manifeſtentur, ſimulque manifeſtetur, proh dolor! factiones, diſſenſioneſque graſſari ob malorum demerita, qui ſe indignos, ne regantur à diuino Numine, reddiderunt. Veritas concluſionis quoad primum membrum elicitur ex doctrina S. Paul. 1. ad Corint. c. 11. loquentis de hominibus Corinthiorum, qui erant in ſectas, & factiones diſtracti ab ambitione dominandi, deſiderioque Principatus ducti iuxta ſenſum Theodor. in eod. loc. Paul. ita eos acriter reprehendit: *Primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam audio ſciſſuras eſſe inter vos*: ideſt ſchiſmata, & ſectas explicant Chryſoſt. Theodoret. & Caiet. ibid. *Nam oportet*, addit Paulus, *hæreſes eſſe*; *ideſt ſectas in vobis*, inquit Caietan. *cognoſcebat enim Paulus eos pronos ad ſectas, vt geſta eorum teſtantur: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cepha, & ex neceſſitate pronitatis eorum dicit, quòd oportet in eis eſſe ſectas, & propterea non eſſe mirum, ſi dum conueniunt, diſſident; diuerſitas .n. ſectarum mater eſt diſcordia*: tandem ſubdit Apoſtolus: *Vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*: ecce bonum, quod elicit Deus ex permiſſione factionum, & ſectarum: gloria, & decor hominum Chriſtianorum coram tota Eccleſia, qui nõ laborant factionibus, & ſectis: laus, & honor hominum Religioſorum coram tota Religione, qui non declinant in factiones, & ſectas. Ita docet egregiè Caiet. vbi ſupr. *Quamuis diſſidia*, inquit, *& ſectæ in genere ſint malorum, Deus tamen hæc mala ordinat ad hoc bonũ, vt viri probi manifeſtentur in vobis comparatione malorum; probi .n. viri non declinant ad ſectas, conciliant, ſi poſſint, eas, & ſic relatiuè ad alios manifeſtentur*: idem dicunt S. Anſelm. & S. Chryſoſt. in loc. cit. Paul. Ille: *Vt per has ſciſſuras boni, & qui iam Deo probati, & noti ſunt; manifeſti fiant hominibus in vobis, ideſt inter vos*: Hic: *Propterea non dixit, vt fiant probati, ſed vt, cum ſint probati, fiant manifeſti, oſtendens, quòd etiam antea tales erant, ſed miſcebantur cum vulgo: nunc autem ipſa ſeditio, & contentio eos efficit manifeſtos, ſicut tempeſtas oſtendit gubernatorem, neque dixit, vt vos appareatis probati, ſed vt probati fiant manifeſti qui ſunt inter vos tales.* Veritas concluſionis quoad ſecundum membrum deducitur ex ratione, quia, cum regimina præſertim Eccleſiaſtica, eorumq. virtus ſint à Deo, vt patet infrà, & cũ Deus ſit vnitatis, & pacis vt tradit S. Th. infrà, & cũ ſectæ, & factiones ſint malorum, vt docet Caiet. ſuprà, ſequitur, quod, ſi homines diſtrahantur in ſectas, & factiones, permittitur à Deo; quare hoc Deus permittit? nonniſi quia illi ſe indignos malis operibus reddiderunt, ne regerentur à diuino Numine. Ita elicitur ex D. Baſil. de iud. Dei. *Separatim autem mutuam inter nos ipſos multorum diſſenſionem inde originem deducere, quòd noſmetipſos indignos reddiderimus, qui à Domino regeremur.*

Dices, hæc ſectarum, ſeù factionum permiſſio à diuina ſapientia ordinata, quæ inter clauſtra aliquando graſſari videntur, vt *viri probi efficiantur manifeſti*, non videtur congrua; nam licèt gloria illorum non declinantium in factiones Sole clarior ante omnes eluceſcat, nihilominus eſt tantum malum ex huiuſmodi putrido morbo emanans, quod obtenebrare videtur bonum gloriæ, quod elicitur; multi enim ſcandalizantur, præſertim ſuprema tribunalia, cum ad eorum aures malum peruenit, quod nequit euitari; nam eius natura eſt extollere clamores vſque ad Principum, ac Regum tribunalia non ſine maximo Religionis diſcrimine, ait Rodriq. tom. 2 quæſt. 1. art. 1. præter multorum ſubuerſionem; nam inquit Decianus de crimin. Læſ. Maieſt. lib. 7. c. 19. *Serpunt ſenſim ſeditiones, & quod ſanum eſt in Republica vitiant.* O cæca obiectio, ò cæca obiectio! ſupremum regimen ita ordinatur a diuina Sapientia, vt non ſit virtus, quæ non mittatur in probationis fornacem: *Sine qua nullus*, inquit S. Auguſt. de tempor. ſerm. 182. tom. 10. *eſt probatus in illis*; vnde Lactantius de inſtit. lib. 5. c. 7. *Virtutem*, ait, *cerni non poſſe, niſi habeat vitia contraria, aut non eſſe perfectam, niſi exerceatur aduerſis*: ideo Dominus dicebat Paulo 2. ad Cor. c. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*; & S. Auguſt. in pſ. 69. *Qui non tentatur, non probatur, & qui non probatur, non proficit*: eſto multi ſint ſcandalizandi, imò peruertendi; id ſanè non dicerem, niſi ducem haberem Tertullian. aduerſus hœreſes lib. 1. cap. 7. & loqui-

loquitur de fundamento Religionis Chriſtianæ, de virtute fidei dico: audiamus eius verba. *Conditio*, ait, *præſentium temporum etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas; ſiue quia ſunt; futuræ enim prænunciabantur, ſiue quia fidem quorumdam ſubuertunt; ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem: vanè ergo, & inconſideratè plerique hoc ipſo ſcandalizantur in illis*: quaſi dicere velit. Vos, qui in ſchola Religionis chriſtianæ pro primis rudimentis fidem didiciſtis, id ſit vobis ad perpetuum monitum, quod nulla debetis laborare admiratione, ſi modò dominantur hæreſes; quia hoc eſt ab Apoſtolo dictum: *Nam oportet hæreſes eſſe*: ſi modò illarum occaſione nonnulli ſubuertuntur; fides enim habere ſuam probationem debet, vt qui non abherrant ab ea, manifeſti fiant in vobis, ad ſummam Dei gloriam, propriamque vtilitatem; proindè qui ſcandalizantur; vanè, & inconſideratè ſcandalizantur. Religioſi, Religioſi inter vos tandem ſectas, & factiones oportet dominari, eſto ſint multi ſcandalizandi, multique ſupplantandi; veſtra enim vnitas, pax, ſocietas, atque concordia probari debet, teſte D. Paulo vbi ſupr. *Vndè*, D. Auguſt. pſ. 75. ait: *probantur iſti montes*, (ideſt iuſti) *ſi fortè contigerit aliquis tumultus aduerſus montes in Eccleſia, aut per populares ſeditiones carnalium, aut per aliquas falſas ſuſpitiones hominum, bonus mons repellit a ſe omnes, qui volunt propter ipſum ab vnitate recedere; ſic enim ipſe remanebit in vnitate, ſi propter ipſum non diuiſa fuerit ipſa vnitas*: vt, qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis, quòd ſunt viri probi omni virtute ornati, meritiſque inſignes, etiam Deo probati, ac noti, ab vnitate, ac pace non reſilientes, illorum comparatione, qui factionibus adhærent, vt Deo ſit ſumma gloria, vobiſque ſumma laus; vanè ergo, & inconſideratè plerique ſcandalizantur in illis, ignari enim videntur eſſe, quomodò ſe gerat diuina Sapientia in ſuo alto, & ſupremo regimine.

Vt autem non ignoretur radix, & cauſa multorum ſubuerſionis, ad omnium eruditionem, timorem, ac tremorem, eorum præſertim, qui in via Dei negligentiam affectant, audiamus nonnulla verba Chryſ. 1. ad Cor. c. 11. ex ſermon. in dictum Pauli: *Oportet hæreſes eſſe*: quæ optimè trahuntur ad rem noſtram *Simile eſt factum Regnum Cælorum homini ſeminanti ſemen bonum in agro ſuo, cumque dormirent homines venit inimicus homo, & ſuperſeminauit Zizaniam: vides hæreſum cauſam hanc eſſe; quòd homines dormierunt, quòd negligentes fuere, quod non diligenter his, quæ dicta ſunt, intendere: quapropter vt ne quis dicat, quarè hoc permiſerit Chriſtus, dicit Paulus: Nil tibi nocebit ea permiſſio, ſi probatus fueris; indè enim multò clarior, & manifeſtior euades; non enim idem fuerit nullo, vel aliquo ſubuertente, & à nullis, vel multis fluctibus pulſatum manere immotum, & non circumactum; nam, vt arbores benè, & diligenter radicatæ, ventorum vi, cum aguntur hinc, & indè ſolidiores fiunt; ſic & benè ſolidatas in fundamento veræ fidei animas quæcunque irruunt hæreſes, reddunt fortiores; tantùm abeſt, ne ſubuertant; quid autem de infirmis dicit; qui leui momento circumaguntur, & ſupplantantur, neque illi ob hæreſeos impetum, ſed ob ſuam imbecillitatem hoc patiuntur: imbecillitatem, inquam, non natiuam, ſed voluntariam, quæ digna repræhenſione, quæ ſupplicij rea eſt, quam & nos officiosè corrigimus, eum que emendamus; laudamur; ſi inemendatam relinquimus; punimur: tam, vt diſcas, quia ſobrij, atque prudentes nocere non poſſunt; quid eſt dic ſodes Diabolo peius, quid etiam iniquius? verumtamen ille tam malus, tamque importunus, tantaque poteſtate præditus, licèt omnes machinas in Iob conuerteret, omnemque pharetram in corpore iuſti expleret, ipſum tamen non ſolum non ſubuertit, ſed & clariorem fecit, & ille quidem nihil incommodi à Diabolo accepit; Iudas autem, quia negligens erat, ac deſes, neque Chriſti conſuetudo profuit; nam poſt tot conſilia, poſtque plurimas illas admonitiones manſit qualis erat proditor: cauſa autem eſt, quia Deus non adigit vi, neque cogit, ſi qui non vult: itaque nec nos ſicut neque Iob, modo prudentes ſimus, nocere poterit Diabolus: at ſi ſobrij prudentoſque non fuerimus, ſed ignaui, etiam illa, quæ prodeſſe poſſent, non proderunt, ſummamque interim faciemus iacturam, tantum malum eſt ignauia*: & paulò infra: *Tantùm mali eſt non attendere ſibi ipſi, neque quæ ſua ſunt, ſicut par eſt regere; id quod & in corporibus videre licet; nam, qui oculis laborat; etiam à Sole offendi conſueuit; qui autem ſanus eſt, nec à tenebris incom-*

*incommodatur: hæreo autem diutius in hoc ſermone; ſunt enim nonnulli, quibus, tametſi diſpliceat ignauia ſua, quique ſe à torpore vindicent, obambulant, tamen quærentes frigidas excuſatiunculas, & dicunt, niſi eſſet Diabolus non periremus, niſi lex eſſet, non peccaremus; niſi hæreſes eſſent, non ſupplantaremur: amice, hæ, quas prætexis, cauſæ neminem læſerunt vnquam, ſicut nihil quoque prodeſt ei, qui ſalutem ſuam ignauus, aut oſcitabundus negligit: proindè & tale quiddam Paulus inſinuans dicit, vt probati manifeſti fiant in vobis, quaſi diceret, ne turbemini, ne mœreatis, nihil enim vos nocere poterunt hæreſes: iam tametſi de hæreſibus ſermo ſit, non tamen hoc ipſum agitur, quod ſermo ſonat*: hæc Chryſoſtom.

Dices aduerſus ſecundam partem, Imperium non eſt à Domino, ſed ab homine; hic enim regit, & gubernat multitudinem, vt patet. Quid dicis amice? falleris, falleris: *Non eſt poteſtas*, inquit Paul. ad Roman. cap. 13. *niſi à Deo*: & Sap. c. 64. *Data eſt poteſtas à Domino vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, &c.* hinc Tertull. in Apologet. *Indè, ait, eſt Imperator, vndè & homo; antequam Imperator; indè poteſtas illi, vndè & Spiritus*. Sed, vt id clariùs intelligatur, aduertendum eſt duplici oculo inſpici poſſe regimen: actiuum, quatenus dignoſcitur poteſtas in regente, iubente, & præcipiente: paſſiuum, quatenus in ſubditis fulget obedientia parens præceptis impoſitis, ac legibus ordinatis; vtrumque enim emanat à Deo. De primo iam audiſti Paulum, qui paulò inferiùs appellat Rectores, ac Principes miniſtros Dei: *Miniſtri enim Dei ſunt*: vndè S. Thom. in cit. loc. Paul. lect. 1. *Sunt enim*, inquit, *ſub regimine Dei, quaſi ſupremi Principis, tanquam miniſtri ordinati: Reges, & Principes*, addit, 2. de regim. Princ. c. 15. *Vices Dei gerunt in terris, per quos Deus Mundum gubernat, ſicut per cauſas ſecundas: Propter quod*, ſubdit loc. cit. c. 16. *tota virtus dominij ex Deo dependet, ſicut eius miniſtri; vndè impoſſibile eſt Reges, & Principes non errare, niſi ad illum, qui omnia gubernat, & omnium eſt conditor ſe conuertant*: docet idem Sanctus vbi ſupr. cap. 15. Hac de cauſa Agapitus Diaconus piè monet Iuſtinianum Imperatorem, vt à Deo ſupplex poſtulet crebrò auxilium ad ſapienter, ac fœliciter regendum, ſic loquitur in admon. num. 62. *Recurrere ad ſupremum auxilium, cum homo, qui vix debet ſalutem, quam expectat, tum ante omnes Imperator, vtpotè qui pro omnibus ſolicitus eſt; cum enim à Deo cuſtoditur, tam hoſtes generoſa manu debellat, quàm ſuos ſedulo communit*. De ſecund. ita affatus eſt S. Chryſoſtom. in pſalm. 143. tom. 1. exponens illa verba elegantèr: *Protector meus, qui ſubdit populum meum ſub me: Hic quoque*, ait, *ſuperno auxilio opus eſt, vt qui ditioni ſubiecti ſunt, acquieſcant, nec ſeditionem agitent, nec inſurgant: non ſolùm ergo in ſubiugandis inimicis, ſed etiam in ſuis ſubiacendis, & in officio continendis ſupremo nobis auxilio opus eſt; nam hoc quoque magnum eſt ſuos benè regere, nec minus quàm ſuos inimicos vincere: multi quidem certè ſæpè numerò trophæa in bellis erexerunt, in pace autem cæſi ſunt, cum eorum, quibus præerant habenas non rectè poſſunt moderari: non ergo in Regni poteſtate ſitum eſt, vt caſtra ſubjciantur, ſed in Dei auxilio; quemadmodum autem ab eo procedunt victoriæ de hoſtibus; ita etiam ſuorum obedientia*: ſed clariùs id elicitur ex S. Anſelm. in cit. loc. Paul. *Nunquam enim*, inquit, *poſſe fieri, niſi operatione ſolius Dei, vt tot homines vni ſeruirent, quem conſiderant vnius ſecū eſſe fragilitatis, ac naturæ; ſed quia Deus ſubditis inſpirat timorem, & obediendi voluntatem, contingit ita*: hinc præclarè dicebat Ioannes Carnotenſis Epiſc. epiſt. lib. 4. c. 1. Policratic. *Princeps eſt poteſtas publica, & in terris quædam diuinæ Maieſtatis imago, procul dubio magnum quid diuinæ virtutis declaratur ineſſe Principibus, dum homines nutibus eorum colla ſubmittunt, & ſecuri plerunque feriendas præbent ceruices, & impulſu diuino quiſque timen, cui ipſe timori eſt*. De vtroque tandem regimine ita loquitur Theodoret. in loc. cit. Paul. *Porrò ſciendum eſt, quòd magiſtratum gerere, eique parere à diuina Prouidentia pendere ſtatuit diuinus Apoſtolus*: Finis verò diuini regiminis tanquam fundamentum aliarum virtutum eſt, vt homines in vnum colligati in ſumma pace, ac tranquillitate conuiuant, vt eleganter, ac ſatis diffusè probat S. Chryſoſtom. relatus in dub. 181. in tr. de conferend. ſuffrag. & ideò S. Petr. Chryſolog. ſerm. 53. de pace, & S. Auguſt. ſerm. 57. in append. tom. 10. *Pax fratrum*, aiunt, *voluntas Dei eſt, iucunditas Chriſti, &c.* hinc eſt, quòd ſummus

Deus ſuis miniſtris, ideſt Principibus, & Rectoribus, hoc impoſuit onus ſolicitè procurandi vnitatem ſubditorum, pacem ſectando in eorum commodum, ac vtilitatem, vt plurimis in locis dicam, & teſtatur Apoſtolus vbi ſupr. hiſce verbis: *Miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes*: videſt, inquit Chryſoſt. in loc. Apoſtol. tom. 4. *Hæc enim illis eſt vita, hoc ſtudium, vt tu quoquo modo pace fruaris: propterea in alia epiſtola non ſolum exigit, vt illis ſubdamur, ſed vt oremus pro illis, communem hanc quoque, & illie vtilitatem oſtendens, ac dicens, vt placidam, & quietam vitam degamus, neque enim parum nobis eſt ad præſentis vitæ ſtatum conducunt monimenta ponentes, hoſtes propellentes, ſeditioſos in Vrbibus cohibentes, quaſuis vbiquè calamitates diſſoluentes*: hinc eſt, quòd ſubditis, ne eorum natura vnitati adhærere, pacemque colere repugnet, præter timorem, ac obediendi voluntatem, quæ quotidiè eis inſpirat, inclinationem, ac propenſionem naturalem ad illas largitus eſt, reſte D. Thom. in c. 11. de diuin. nomin. lect. 1. *Eſt naturale cuiuslibet rei, vt vnitatem deſideret*: & priùs ipſo S. Aug. lib. 2. de ordin. tom. 1. Ex hac ergo doctrina deducitur: quotieſcunque videmus in ſede Imperij ſedere virum, quem ſubditi, vt ita dicam, adorant tanquam caput factionis, non eſt regimen à Deo; nam eius miniſtri ſupernas recipiunt illuminationes ad pacem accendendam, vnitatemque inferendam, in hoc ſe manifeſtantes eſſe Dei imitatores, teſte D. Th. 1. 2. qu. 69. art. 4. *Conſtituere verè pacem vel in ipſo, vel inter alios manifeſtat hominem eſſe Dei imitatorem, qui eſt Deus vnitatis, ac pacis*: & ad timorem incutiendum ſubditorum libertati, quandò peruerſitate ducta vellet abire in confuſionem: *Libertas enim illa*, inquit Chryſoſtom. loc. cit. Paul. hom. 23. *diſſoluta, ac moderamine carens vbique mala, confuſioniſque cauſa eſt*: quotieſcunque videmus ſubditos ambitiones ductos rapi in vnam, vel plures factiones, non reguntur à Deo; timor enim in ſubditos, qui gubernantur à ſummo Numine, immiſſus, & prompta voluntas eis conceſſa ad obediendum mouent ad concordiam, & ad pacem excitant; vt in eis tanquam in proprio loco habitet Deus ad eos protegendos, ſanctaſq; operationes incitandas; nam *Vbicunque pax*, inquit S. Bernard. ad Paſtor in ſynod. congreg. *ibi Deus, quia in pace factus eſt locus eius*: vndè ergo tot ſciſſuræ tam in capite, quàm in membris? Ratio in promptu eſt, quia ampliùs non reguntur à Deo, quia ampliùs non viuunt ſub recto regimine Dei; & quarè eos dereliquit Deus? quia malis operibus ſe indignos reddiderunt, ne à Domino regerentur, inquit S. Baſil. vbi ſupr.

## DVBIVM III.

### *An in conferendis honoribus, ac dignitatibus locum habeat iuſtitia diſtributiua.*

## SVMMARIVM.

1. *Iuſtitia diſtributiua maximè locum habet inter cœtus Religioſorum ſecundùm ferè omnium Doctorum opinionem, licèt nonnulli ſub prætextu perfectionis religioſæ conentur eam funditus è cœnobijs euellere, aſſerentes Prælaturas Regularium non poſſe donari tanquam præmium virtutum ex primaria, vel ſecundaria intentione, poſſe tamen, dato caſu, tuta conſcientia tribui dignis, poſthabitis dignioribus.*

2. *In quo poſita ſit iuſtitia diſtributiua demonſtratur, & vbi præcipuè reſideat, nempè in Superiore; & licèt ſubditi non habeant ius ſtrictum ad omnia commoda Religionis, poſſident tamen aliquod ius.*

3. *Adnotatur prolixiùs falſum eſſe Inſtitutores Religioſorum Ordinum non potuiſſe inſtituere Prælaturas, vt eſſent præmia meritorum, ſaltem ex ſecundaria intentione, & hoc propter multa incommoda, & illationes abſurdas, vt videre eſt: inſuper hic adnotatur lepidè, quid ſibi vult dicere reſponſio, ſeu argumentum patientiæ.*

4. *Subditus per votum obedientiæ non ſe reſignat in voluntate Superioris, vt mancipium pretio, aut bello acquiſitum; ideò charitatiuè, & rationabiliter tractandus eſt.*

5. *Ex D. Thom. & alijs definitur, quid ſit honor, quem haud renunciant Religioſi per votum profeſſionis; itidem enumerantur tituli, ob quos alicui debetur honor.*

6. *Probatur multis rationibus Prælaturas Regularium cadere in diſtributione ſub iuſtitia diſtributiuam, ita vt ſaltem ſecundariò ſint præmia virtutum, & meritorum; & cuidam obiectioni ſatisfit.*

1. Cum

1. Cum de iuſtitia diſtributiua ſæpè, ac ſæpius ſimus loquuturi tanquam de fundamento principali totius operis, imò omnium regiminum tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum, nec nõ & Regularium iuxta ſenſum DD. placuit ramẽ Vaſq.opuſc. de benef. cap. 2. §. 3. dub. 3. & fortè non ſine arte eam infirmare, & à cœnobijs alienare, quem poſtea ſequutus fuit Emin. Card. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. num. 56. tom. 2. dicens. Non enim mihi perſuadere poſſum, quòd Prælaturæ regulares inſtitutæ ſint ex primaria, vel ſecundaria intentione, vt præmia, ſed ſolùm ad bonum communitatis, & vt habeat bonos Prælatos, à quibus regatur; cum enim religioſus ſtatus ordinetur ad hoc, vt ſubditi perfecti ſint contemptores honoris temporalis, & procul ab omni ambitione, ac deſiderio imperandi, imò ex ſe abhorreant eiuſmodi officia, quomodò Inſtitutores potuerunt ex ſecundaria etiam intentione ab hoc inſtituere Prælaturas, vt eſſent præmia meritorum? & paulò inferiùs addit fieri poſſe, quòd ſit aliqua communitas religioſa adeò reformata, & ita ex interno feruore intenta ad perfectionem, vt ſinguli ſint propenſi ad regularem diſciplinam retinendam, vt Prælatus non dignor, ſed dignus poſſit ſine vllo periculo eis præfici; tunc non erit peccatum dignitatem conferre digno, quia nec periclitatur bonum commune, nec iuſtitia diſtributiua læditur, eò quòd inter Regulares non habet locum. Pro intelligentia quæſiti ſit.

2. Prim. notand. quòd iuſtitia diſtributiua, vt dicam in dub. 5. tota poſita eſt, atque verſatur in diſtribuendis commodis, & muneribus communitatis in partes communitatis, vt docet Lugo vbi ſupr. diſp. 1. ſect. 3. num. 43. dixi inter partes, quia communis, & verior opinio affirmat iuſtitiam diſtributiuam ſemper exigere plures, quos comparat inter ſe, vt optimè docent S.Tho. 2. 2. quæſt. 61. art. 1. Molin. tract. 1. diſp. 12. Vaſq. 1. 2. diſp vltim. c. 4. Turrian. in præſent. diſp. 1. dub. 1. multos alios referens; nam vox, diſtribuere, connotat multos: ille ergo propriè diſtribuit, cum plures occurrunt accepturi. Nec argumenta Suar. opuſc. de iuſt. ſect. 5. à num. 8. & Rebell. in præſenti c. 1. lib. 1. quæſt. 3. num. 16. tenentium contrariam ſententiam videntur eſſe magni momenti; nam, quandò vacat vnum beneficium, ſeù cathedra licèt vni tantùm conferatur, & ſit actus iuſtitiæ diſtributiuæ, attamen attenditur ad merita plurium concurrentium, & comparantur inter ſe, vt appareat, quis ſit dignor, per accidens verò eſt, quòd non diuidatur inter plures, quia res eſt in ſe indiuiſibilis; quòd ſi vni tantum conferatur, eò quòd ſolùs accedit ad concurſum, adhuc ſeruatur comparatio inter multos non accedentes ad huiuſmodi concurſum; nam ille, qui venit ad concurſum, habet maius meritum, & dignitatem, quàm alij recuſantes concurſum: hinc eſt iuſtitiam diſtributiuam propriè, & formaliter reſidere in Superiore; nam diſtribuere bona communitatis inter membra ipſius communitatis eſt actus publicæ poteſtatis, & Superioris; quòd, ſi aliquandò exerceatur per ſubditum, eſt de mãdato ipſius Superioris. Ita Lugo vbi ſupr. nu. 55. hinc eſt, quòd, licèt ſubditi non habeant ius ſtrictum ad omnia bona Religionis, vt docent multi DD. præſertim Lugo num. 51. & conſequenter nulla intercedat obligatio reſtitutionis, negari tamen non poteſt, reſidere in eis aliquod ius ad omnia commoda Religionis, vt dico ex mente Leſſij de iuſtit. c. 22. dub. 3. num. 15. lib. 2. cui addo Sanch. opuſc. 1. lib. 2. c. 1. dub. 1. nu. 2. & Arag. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. aliter profeſſio eſſet iniuſta, quia, cum ſit quidam contractus oneroſus vltrò, citròque obligatorius, vt docent Sanch. ſumm. lib. 6. c. 9. num. 7. & Bartolom. de Vecchis in prax. nouit. dub. 13. n. 4. quo profeſſus ſe obligat Religioni ad inſeruiendum ei ſecundùm regulam in quocunque loco, è contra, Religio ſe obligat ad eum retinendum, alendum, & tractandum tanquam filium iuxta ſuum inſtitutum, ſi omne ius eſſet in Religione circa ſubditum, & aliquod ius non reſideret in ſubdito circa Religionis bona.

3. Not. ſec. quòd non valet iſta conſequentia: ſtatus Religionis ordinatur ad hoc, vt ſubditi perfecti ſint contemptores honoris temporalis, & procul ab omni ambitione, ac deſiderio dominandi: ergo Inſtitutores non potuerunt ex ſecundaria etiam intentione ad hoc inſtituere Prælaturas, vt eſſent præmia meritorum, quia ſequerentur multa incommoda. Prim. nec valeret iſta conſequentia: perfectio omnium Chriſtianorum eſt non in-

infringere legem impoſitam: ergo lex non debet permittere aliqua peccata, quod videtur falſum, quia peccatorum aliquorum permiſſio eſt effectus legis, & conſequenter bona: nec etiam hæc: intereſt perfectioni Reipublicæ, quòd peccata commiſſa non remaneant impunita: ergo omnia peccata ſunt punienda: falſum eſt, quia, vt docent DD. ad bonum publicum non ſpectat, quòd omnia peccata puniantur, ſed aliqua remittantur diuinæ Iuſtitiæ vindicanda: neque etiam valeret hæc conſequentia: ad perfectionem Religioſorum pertinet omni conatu obſtare inclinationi, & propenſionibus naturæ, quia retardant ſpiritualem profectũ: ergo Deus non debebat inſtituere diuerſas Religiones: falſum eſt, quia debebant in Eccleſia Dei varij modi viuendi vigere, qui eſſent accommodati iuxta ingenia, complexiones, & propenſiones hominum, quorum aliqui diligunt ſolitudinem; alij verò frequentiam; vnus libenter orat; alius libenter legit, vel operatur, &c. vt naturæ hominum non repugnaret perfectior modus viuendi, & ita maiori cum facilitate per viam perfectionis currerent ad optatum finem conſequendum, vt optimè inſinuant Suar. 4. de Rel. tract. 9. lib. 1. c. 1. num. 12. & Bellarm. de Monach. lib. 2. c. 3. tom. 1. tandem dico neque etiam valere hanc: ad perfectionem Religioſorum ſpectat omnia peccata venialia cohibere: ergo ſunt omnia à Prælatis punienda: falſum eſſe videtur, quia multa ſunt diſſimulanda, ne regimen ſit nimis durum, & Prælatus reddatur ſubditis odioſus, vt aſſerunt DD. Quamobrem concludendum eſt illam conſequentiam in principio notandi deductam ex illo principio nullius roboris eſſe: & ideò dicendum, quòd Religioſi dupliciter poſſunt conſiderari; vel vt ſinguli; vel quatenus conſtituunt vnum corpus, cuius caput in ordine ad regimen ſpectat ad Prælatos: ſi conſiderentur vt ſinguli, perfectio eorum petit, vt ſint contemptores honoris temporalis, procul ab omni ambitione, & deſiderio dominandi, & ita Inſtitutores fortè non potuerunt inſtituere Prælaturas, ac dignitates, vt præmia Religioſorum: quatenus verò conſtituunt vnum corpus, perfectio eius poſtulat, vt ſint inſtitutæ præmia meritorum propter bona elicienda, & mala euitanda: propter bona dico, quia, cum in qualibet congregatione plures infirmi, ac debiles morentur, non viriliter luctantes cum prauis affectibus, vt docent Sotus, & Suarez pluries citandi in tractatu; ideò fuit neceſſarium non negligere eorum merita, ſed ea dignitatibus ac Prælaturis recognoſcere, vt ſuauiter allicerentur ad ſtrenuum certamen contra malas inclinationes, maximè quia multi ſunt, inquit S. Thom. 4. de regimin. Princip. c. 7. qui magis proficiunt in dignitatibus conſtituti, quàm ſine illis: quia etiam Religionis onus per multorum annorum ſeriem ab hominibus ferendum eos opprimeret, & à veloci curſu perfectionis retardaret; vndè Nauarr. comm. 4. de Regul. num. 24. dicit: Nimis durum eſt omni honore, ac officio in Religionibus priuari, & opus eſt maxima patientia, cuius rei æquanimis patientia non eſt omnium, ſed paucorum, quos Iupiter æquus amat, & ardens euexit ad æthera virtus: propter mala euitanda dico, quia facillimè reſtringi poſſent ſub prætextu boni communis Prælaturæ, ac dignitates in paucos; vndè non parua occaſio daretur, vt excluſi homines ab honoribus ſuſcitarent diſcordias, & ſeditiones, & peſtis ambitionis inciperet omnia bona Religionis inficere, vt benè notat S. Antonin. 2 p. tit. 4. c. 8. de diſcordia §. 1. hiſce verbis. *Quando enim nimis aliqui vexantur laboribus, alij nimis alleuantur, vel cum honores, & officia aliquibus copiosè conferuntur, alijs autem parum, aut nihil, indè generatur diſcordia, & inuidia inter eos*: imò addo, quòd potuerunt eſſe inſtitutæ in ordine ad ſingulos Religioſos ob rationem Caietani in obiectione recitandam. Nec obſtat dicere, quòd ex iſta diſtributione dignitatum ſecundum merita conferendarum oboriri poſſunt aliqua incommoda, maximè in materia ambitionis, quia ſicut Deus inſtituit diuerſas Religiones cum diuerſis modis viuendi, etiamſi præuiderit multa incommoda ſequutura, dum alij alijs præcedere contendunt vel honore, vel loco, &c. & æſtimauit ea eſſe parui momenti comparatione vtilitatis, quæ elicitur ex varijs modis viuendi; ita illa incommoda ambitionis putanda ſunt parui momenti comparatione vtilitatis, quæ ſequitur ex benè adminiſtrata iuſtitia diſtributiua, maximè in ordine ad perfectionem totius corporis Religionis: imò addo, quòd ambitio ſuſcitanda non

non erit illa, quæ eradicat totum bonum Religionis, quia hominum merita per iuſtitiam diſtributiuam mediantibus dignitaribus fuerunt compenſata: audite, quæſo, verba Suarez vbi ſupra pro inſtructione omnium regiminum: Res humanæ, ait, huiuſmodi ſunt, vt nunquam omnibus incommodis careant; & ideò quandò hæc ſequuntur, non ex re ipſa, vel actione, ſed ex infirmitate, vel malitia hominum, non ſunt propter illa omittenda bona maiora, ſed adhibenda remedia, ne illa ſequantur; potiſſimum eſt charitas. Ex hac ergo doctrina colligitur, quandò DD. pro reſponſione alicuius argumenti difficilis ſolutionis adducunt, obſtat perfectioni Religioſorum, &c. eſſe quoddam velamen ad tegendum aliquid durum, & rigidum præſertim in regimine, quod nequit ſaluari, niſi recurrendo ad patientiam ſubditorum ſub prætextu perfectionis religioſæ, ac proindè nuncupari debet argumentum patientiæ, ſeu reſponſio: hoc non dico ob doctrinam Em. Lugo, quia ex eius ſcriptis ſatis conſtat eum optimè intelligere naturam regiminis Regularium vnitam cum hominum imbecillitate, ſed propter alios, qui hac reſponſione nec ipſa intelligere prima principia regiminis videntur.

4. Not. ter. quòd, licèt ſubditi per votum obedientiæ dominium ſuæ voluntatis tranſmiſerint in Superioris voluntatem, & totos ſe reſignauerint in eam; non tamen hoc intelligendum eſt, vt ideò poſſint Superiores, tanquam ſeruos, aut mancipia pretio, vel bello acquiſita eos ad libitum peſſundare, & ſupercalcare, ſed vt tractentur rationabiliter, diſcretè, & charitatiuè. Ita Peirin. de ſubdito q. 1. c. 12. referens Tabien. Angel. Silueſtr. Roſell. aſſerentes in omni obedientia eſſe intelligendas aliquas conditiones; ſcilicet, ſi potero, vel ſi rationabiliter præceperit Prælatus.

5. Not. quart. honorem definiri ex S. Th. 2. 2. qu. 103. art. 1. ex D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 20. §. 3. ex Lugo vbi ſupr. diſp. 14. ſect. 1. num. 1. eſſe teſtificationem quandam excellentiæ, & videtur eſſe præmium cuiuslibet virtutis ſecundùm ſenſum D. Thomæ vbi ſupr. qu. 129. art. 4. in corp. huic autem honori, quatenus eſt præmium virtutis, non renuntiant Religioſi per votum profeſſionis, vt benè notat S. Thom. vbi ſupr. qu. 186. art. 7. ad 4. ibi Caietan. Nauarr. c. inter verba. concluſ. 5. num 64. & comm. 2. de Regul. nu. 2. Valent. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 10. p. 5. verſ. ex hoc igitur. Clauis regia lib. 11. c. 4. num. 15. Suar. 3. de Relig. lib. 4. c. 4. num. 3. Peirin. vbi ſupr. hinc idem S. Thom. opuſc. 19. c. 2. optimè dixit: *Religioſi enim per votum Religionis non hoc modo abrenunciant Mundo, vt rebus Mundi vti non poſſint, ſed mundanæ vitæ, vt ſcilicet Mundi actionibus non occupentur; vnde & ſunt in Mundo inquantum rebus Mundi vtuntur, & non ſunt de Mundo, inquantum à mundanis actionibus ſunt liberi, vndè non eſt contra votum eorum, ſi quandòque honoribus vtantur, & ſic illis non interdicitur honor, ſed ambitio honoris, ſicùt etiam omnibus: & dato, quòd honor ſimpliciter ad Mundum pertinere intelligatur, non tamen hoc poteſt intelligi de quolibet honore, ſed de honore, qui conſiſtit in rebus mundanis; non enim poteſt dici, quòd honor Sacerdotis pertineat ad Mundum, & ſimiliter nec honor Magiſterij, cum doctrina, quam conſequitur talis honor, ſit de ſpiritualibus bonis: ſicut ergo Religioſi non abrenuntiant per votum Sacerdotio, ita nec Magiſterio: dato etiam, quòd Religioſi cuilibet honori abrenuntiaſſent, non tamen abrenuntiauerunt eis, quibus debetur honor, aliàs renuntiaſſent operibus virtutum; honor enim ſecundum Philoſophum 1. Ethic. eſt præmium virtutis*: & pauló inferiùs ſubdit. *Falſum eſt, quòd Religioſi profiteantur perfectam humilitatem; non enim vouent humilitatem, ſed obedientiam; humilitas enim ſub voto non cadit; ſicut nec aliæ virtutes; cum actus virtutum ſit neceſſitatis, quia ſunt in præcepto; votum autem eſt de eo, quod eſt voluntarium; ſimiliter etiã nec perfectio humilitatis ſub voto cadere poteſt, ſicut nec perfectio charitatis; cum perfectio virtutis non ſit ex noſtro arbitrio, ſed ex Dei munere: dato autem, quod ad perfectam humilitatem tenerentur, non ſequitur, quòd non poſſent aliquibus honoribus potiri, ſicut non poſſunt poſſidere diuitias, propter hoc, quòd profitentur ſummam paupertatem; quia poſſidere diuitias paupertati opponitur; non autem potiri honoribus opponitur humilitati, ſed honoribus ſe inordinatè extollere, vt Bernard. dicit in lib. de conſiderat*; hæc D. Thom. Quot verò ſint tituli, ob quos honor alicui debetur, eos enumerat Leſſius de iuſtit. c. 32. dub. 2. num. 9. lib. 2. nimirum ſan-

ſanctitatem, ſapientiam, doctrinam, Principatum, dignitatem, potentiam, ætatem diuturniorem, Superioritatem, quæ omnia approbantur ab Emin. Lugo de iuſtit. diſput. 34. ſect. 1. num. 6. tom. 2. ſimul cum alijs ab ipſo aſſignatis; nam hominem reddunt magis perfectum, ad quæ etiam pertinent facultates naturales, vt excellentia in viſu, in voce, in curſu, in ſcribēdo, in legendo, & in alijs artibus, vires etiam corporeæ, & alia ſimilia poſſunt inter ea connumerari, quæ omnia ſicut perficiunt hominem in ordine ad humanas operationes, &c. ita reddunt ipſum ſecundùm proportionem dignum honore: an verò diuitiæ reddant hominem maiori honore dignum, videre Lugo vbi ſupra tenentem partem affirmatiuam.

*C O N C L V S I O.*

6. PRælaturæ Regularium cenſendæ ſunt in diſtributione cadere ſub iuſtitiam diſtributiuam, ita vt ſaltem ſecundariò ſint præmia virtutum, & meritorum. Quæ concluſio apertè ſtatuitur contra ſententiam DD. in principio quæſiti notatam. Probatur prim. omnes Religioſi ex vi profeſſionis acquirunt ius ad omnia commoda Religionis, nec non, & bona, vt dictum eſt ſuperiùs: ergo in ijs diſtribuendis neceſſariò locum habere debet iuſtitia diſtributiua: antecedens clarum, conſequentia probatur, quia illud ius acquiſitum dicit habitudinem crediti ad Prælaturas, quia ſunt commoda, & bona Religionis; vndè eidem habitudini pro iuſta diſtributione debet reſpondere iuſtitia diſtributiua. Secund. ſi in conferendis Prælaturis, ac dignitatibus regularibus iuſtitia diſtributiua non eſſet ſeruanda, maximè quia Inſtitutores eas non erexerunt tanquam præmia Religioſorum, eò quòd ſtatus Religionis ordinatur ad hoc, vt homines ſint perfecti, & contemptores honoris temporalis: ſed id obſtare non videtur, tum quia inter merita Religioſorum, & Prælaturas intrinſecè, & ex proprijs terminis, & natura oboritur, vt ſeruetur iuſtitia diſtributiua; nam inter ſe, vt dixi, habent habitudinem ex proprijs terminis exortam; tum quia, licèt iſta habitudo ex propria natura ex parte dignitatum non inſurgeret, ſed dependeret à voluntate Inſtitutorū, attamen hi talem intentionem tenebantur habere, vt eſſent præmia Religioſorum, quia ſpectant ad perfectionem, & ad maius bonum totius corporis Religionis, vt dixi euidenter in ſecund. not. Tert. admiſſo caſu Cardinal. vbi ſupra, ſequeretur, quòd Superiores, & electores eſſent Domini Prælaturarū, & non fideles adminiſtratores, quia ad libitum, & abſque ratione debiti eas conferrent, quod eſt proprium Domini, nec commune bonum periclitaretur, vt notat Lugo vbi ſuprà, maximè quia vnuſquiſque poſſet ſibi præfigere vnum bonum commune tantùm ab intellectu fabricatum; ergo Quart. votū obedientiæ, per quod Religioſi ſe conſecrant ſtatui religioſo tranſmittendo ſuam voluntatem in Superioris voluntatem, Mundo, ac pompis eius renuntiando, non ita vilipendit Religioſos, vt ad libitum Prælatorum, aliorumue peſſundentur, & ſupercalcentur, vt patet ex doctrina allata: ſed, ſi non eſſet debitum ſeruandi iuſtitiam diſtributiuam in Regularium Prælaturis, &c. peſſundarentur, ac vilipenderentur, eò quòd nullus eſt maior contemptus, quàm poſtponere merita magno ſudore acquiſita, & tot laboribus per annorum ſeriem toleratis pro Religionis bono, ac ſi non eſſent; ex hoc enim ſequuntur mille incommoda, vt experientia docet; ergo admittendo iuſtitiam diſtributiuam non eſſe ſeruandam, admittitur etiam id, quod per votum obedientiæ Religioſi non promiſerunt. Quint. homines per habitum Religionis aſſumptum non renuntiant honori, qui eſt teſtimonium excellentiæ in Religioſo eluceſcentis, & eſt præmiū eius virtutis, vt dictum eſt ſuperiùs: ergo honoribus inſurgentibus ex Prælaturis non cedunt: ergo vt præmia ſaltem ſecundariò fuerunt inſtitutæ ab Inſtitutoribus. Tandem vltimò probatur: vbi ſunt regulanda præſertim in materia iuſtitiæ, ibi regulatiuum eſt concedendum; aliàs eſſent regulanda ſine regula, ſeù regulatiuo, quod eſt abſurdum in quacunque materia; cum omnia per regulam regulentur, vt inquit Ægid. Roman. de regimin. Princip. lib. 1. p. 2. cap. 12. ergo in Religione concedi debent & iuſtitia commutatiua, & diſtributiua: antecedens clarum, conſequentia probatur: in Religione datur, quomodò ſe gerere debeant partes in ordine ad totum, illud fouendo: ergo datur iuſtitia commutatiua, tanquam ſuum regulatiuum;

latiuum: in Religione etiam concedendum eſt, quomodò ſe gerere debeat totum in ordine ad partes pro eius iuſta diſtributione: ergo etiam datur iuſtitia diſtributiua tanquam regulatiuum omnium bonorum; aliàs eſſet diſtributio ſine regulatiuo.

Dices, ſtatus Religionis ordinatur ad hoc, vt Religioſi ſint perfecti, & cõtemptores honoris temporalis: ergo Inſtitutores non potuerunt ordinare, nec etiam ex ſecũdaria intentione, vt Prælaturæ eſſent meritorũ prœmia. Reſpond. quòd iuſtitia diſtributiua in Prælaturis conferendis non aduerſatur contemptui honoris temporalis, qui eſt propriũ hominum ad perfectionem tendentium, quia in mente vnuſquiſque geſtare poteſt deſiderium abdicationis omnium bonorum temporalium, & adhuc vnuſquiſque geſtare poteſt, vt ipſorum, & aliorum merita, ſi Domino placuerit, ſint recognoſcenda iuxta meritorum menſuram dignitatibus, ac Prælaturis, cum id ſit ab omni malo alienum, imò bonũ, & virtute præditum. Secund reſp quia huic honori non renuntiant in profeſſione Religioſi, vt dictum eſt; vndè Caietan 2.2. quæſt. 136. art. 7. ait: aduertendum eſt, quòd, quia honor Eccleſiaſticus ſanctus honor eſt, quia Eccleſia ſancta eſt; ideò non ſpectat ad perfectionem Religioſorum renunciare Eccleſiaſticis honoribus; quocircà repræhenſione digni ſunt Religioſi abdicantes ſuos honores Magiſterij in Theologia; & ideò notant Nauarr. lib. 5. conſil. de ſentent. excomm. conſil. 12. 17. num. 7. & Layman. de benef. lib. 4. tract. 2. c. 15. num. 10. quòd homines appetere poſſunt Prælaturas abſque peccato, & abſque læſione proprij ſtatus imò cum merito. Pro tertia reſponſione adde illud, quod in ſecund. notand. Concludendum eſt doctrinam traditam eſſe veram, & ad mentem ſacrorum Canonum. c. Vtiliſſimus. 1. quęſt. 1. in quo habetur dublici titulo in Religione deberi Religioſis dignitates, vel bonitate vitæ, vel ſcientiæ laurea. Ita Peirin. de ſubdito quæſt. 1. c. 28. §. 3. nec alienam à mente D. Bonau. apud Peirin. ibid. qui inuehitur contra illos, qui ſe ingerunt his efficijs, inter verba Sancti hæc habentur: *Nam ſi digni fuerint, & idonei, nõ debent ſe ad hoc ingerere, ſed modeſtè expectare quouſque per inſpirationem Dei à Prælatis ſuis, & fratribus ad hoc ſuo tempore aſſumantur.*

## DVBIVM IV.

*In quo quærimus rationem formalem totalis diuiſionis huius miſeræ Prouinciæ.*

### SVMMARIVM.

1. *Patrum vnio vnionem gignit inter ſubditos, eorumque diuiſio diuiſionem inter ipſoſmet ſubditos, vt cæcus cæcum ſequatur, & ambo in foueam cadant.*

Iactis fundamentis totius operis pro primo dubio diſcutiendo in ordine ad caſum propoſitum, licèt ſit quartum in ordine ad dubiorum ſeriem, quæritur, vndenam cenſenda ſit origo diuiſionis totius Prouinciæ in duas factiones diſtractæ; nam id aperit viam ad alia dubia, vt intelligenti patebit: prætermiſſa illa ratione communis ambitionis, de qua Chryſoſtomus in ſubſequenti dubio; hic quærimus rationem ſpecialem, & præcipuam.

### CONCLVSIO.

1. Sicut, vnitis Patribus, Prouinciali ſcilicet, ac Definitoribus, ſeù Conſultoribus eadem tranſfunditur vnio in ſubditos; ita, eiſdem disiunctis, ac diuiſis, tota diſtrahitur Prouincia in factiones, ac ſeditiones. Hanc non firmarem concluſionem, niſi prius eſſet firmata à D. Bonauent. opuſc. in quæſt. ſuper regulam S. Franc. quadam regula vniuerſali: quærit ergo quæſt. 16. *Vnde eſt, quòd videmus aliquos Religioſos moribus ita diſtortos, & rudes, ſicut aliquos ſæculares ſuperbos, inuidos, detractores, &c. Reſpondet: Religio eſt ſchola virtutum, in qua ſicut in alijs diſciplinis, & artibus diſcendis incumbitur; videmus autem, quòd alius alio peritior eſt, alius rudior, alius diligentior, alius ſegnior; hæc autem differentia ex quinque cauſatur: vna cauſa eſt,* quæ facit ad rem noſtram, *quòd vbi informatores habentur, ibi eruditione boni diſcipuli erudiuntur, vbi non habentur; aut rudes in ſpiritualibus erunt diſcipuli, aut erroribus varijs ſub ſpecie boni per ſenſum proprium ſeducuntur,*

*habentes quidem Zelum iuſtitiæ, ſed non ſecundùm ſcientiam ; & ſic à perfectione virtutum plurimi retardantur, vt vel malum æſtiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut aliam viam, quam debeant ad perfectionem tenendam* : hæc S. Bonau. Ex hac ergo regula vniuerſali ſequitur tanquam in optima cõſequentia firmata concluſio : ergo, vnitis Patribus Prouinciali ſcilicet, ac Definitoribus, eadem transfunditur vnio in ſubditos : valet conſequentia ; quia ibi adſunt informatores, ſcilicet prædicti Patres, quibus incumbit onus vnionem illam, qua inter ſe gaudent, tranſmittendi in ſubditos, teſte B. Laurent. Iuſtinian. de triumph. Chriſti agone c. 26. *Ad vtilitatem, & decorem, vnitatemque cuſtodiendam in Eccleſia ſunt conſtituti gradus* : & ita exemplo, & ſcientia erudiunt ſubditos ad concordiam amandam, vnionemque colendam, cuius fructus maximo cum ſplendore non deſideratur ; ergo, eiſdem diſiunctis, ac diuiſis, tota diſtrahitur Prouincia in factiones, ac ſediriones : valet conſequentia, quia deſunt informatores ad ſubditos erudiendos, ac inſtruendos exemplo, ac ſcientia ad concordiæ vacandum, teſte eod. B. Laurent. de Prælator. reg. c. 3. *Vbi deeſt, qui regat, congregatio quoque confunditur, diuiditur, ac deperit* : & ita diſcipuli fiunt rudes, ideſt rerum ſpiritualium ignari, & ſe ipſos ſub ſpecie boni proprio ſenſui innitendo ſeducunt : quò fit, vt quælibet pars, dum vtraque eſt imbuta illa falſa doctrina, tanquam principio modi viuendi : *cæteris alijs eſt ſanior noſtra multitudo* : æſtimat ſe habere iuſtitiæ zelum ; imò putat, vt loquitur S. Greg. Nazianz. orat. 26. ſe obſequium præſtare Deo ; ſed huiuſmodi zelus non eſt ſecundum ſcientiam ; nam vera ſcientia regiminis erudit homines ad zelum iuſtitiæ fundandum ſupra pacem, ac concordiam tanquam ſupra baſem machinis totius regiminis tam temporalis, quàm ſpiritualis, dicente S. Gregor. in Ezechiel. lib. 1. hom. 8. *Quanta autem ſit concordiæ virtus oſtenditur, cum ſine illa virtutes reliquæ virtutes non eſſe monſtrantur* : Sed audiamus primam conſequentiam clarè explicatam à D. Baſil. in pſ. 132. *Quemadmodum*, inquit, *in capite vſque ad barbam, & ſummitatem indumenti ſacrum vnguentum decurrens Sacerdotem bona fragrantia replebat; ita & à Principe vſque ad ſubditos concordiæ vtilitas deſcendit* : ſecundam ab Ariſt. incluſam in illis principijs : *Contrariorum enim contrary affectus* : 5. polit. c. 8. & alibi : *Contrariorum eadem eſt diſciplina* : & apertam 5. polit. cap. 4. *Oriuntur autem ſeditiones non pro paruis rebus, ſed ex paruis magna proueniunt; maximè verò etiam parua corraborantur, quandò in principalibus fiunt* : *quamobrem ab iſtis principijs cauendum eſt diligenter, ac diſſoluenda ſunt ſtatim eorum diſcordiæ, qui multùm in Republica poſſunt* ; *in principio enim peccatur* ; *principium autem dicitur eſſe dimidium totius* ; *itaque paruum in principio erratum correſpondens eſt ad alias partes* ; *omninò enim excellentium virorum diſcordiæ totam poſt ſe trahunt Ciuitatem* : & S. Thom. ibid. lect. 3. explicans præcitatum textum inquit : *Parua diſſenſio inter Dominos multùm inualeſcit, oportet, quòd ſubditi talia timeant multùm, & quòd diſſenſiones inter diuites diſſoluant, & trahant ad concordiam, quia diſſenſio, quæ accidit inter maiores, & Principantes eſt peccatum in principio* ; *principium autem eſt dimidium totius, quia principium continet in ſe, & Principatum virtute* ; *& ideò reſiſtendum eſt peccato in principio* ; *nam peccatum in principio proportionabiliter ſe habet ad ea peccata, quæ fiunt in partibus principalibus animalium* : *videmus autem, quòd modica facta diuerſitate in parte principali in animali, ſcilicet in corde, magna fit diuerſitas in alijs partibus* : *ſimiliter, modica exiſtente diuerſitate in ſemine, fit magna diuerſitas in eo, quòd fit ex ſemine, quia ex modica differentia calidi, & frigidi cauſatur differentia maris, & fœminæ* : *ſimiliter, facta modica tranſpoſitione, in gubernacula nauis tota nauis tranſmutatur* ; *quarè ſic erit in Republica, quòd paruum peccatum in principio, & parua diſſenſio multùm inualeſcit* : hæc S. Thom. qui de regim. Princip. lib. 1. cap. 5. ſubdit : *Diſſentientibus Principibus, conſequens eſt, vt in multitudine ſequatur diſſenſio* : audiamus etiam Ægid. Roman. de reg. Princ. p. 2. lib. 3. cap. 15. *Qui vult*, inquit, *ſaluare politiam, caueat ſeditiones, & contentiones nobilium* ; *nam, Baronibus diſſentientibus, fiunt ſeditiones in Regno, & per conſequens fit præparamentum, vt diſſoluatur regius Principatus* : hinc S. Auguſt. in pſ. 103. hanc plorans miſeriam ita affatus eſt : *Diuiduntur Duces, diuiditur*

*& plebs,*

*& plebi, vt cæcus cæcum ſequatur, & ſimul in foueam cadant: ſpirituales non habent diuiſiones, non cogitant ſchiſmata, pax eſt in eis, cuſtodiunt eam in cæteris, quantum poſſunt, vbi in alijs deficiunt, in ſe tenent.* Et vt prima huius ſententiæ pars magis eluceſcat, inueſtigemus ſequentia dubia; ſecunda enim videtur in ſecundo dubio ſatis explicata.

## DVBIVM V.

*An Prouincialis, ac Definitores, ſeù Conſultores eligentes inferiores Superiores ferè omnes ex ſuis, eiſque præbentes maiorem partem officiorum præſtantiorum peccent mortaliter.*

### SVMMARIVM.

1. *Prælati in Religionibus dantur in commodum ſubditorum, quorum finis præcipuè eſt iuſtitia, ex qua oriuntur multa bona, ſicut multa mala ex iniuſtitia.*

2. *Prætermiſſa illa legali, definitur iuſtitia ſtrictè ſumpta, quæ diuiditur in commutatiuam, & diſtributiuam, & vtriuſque deſignatur munus.*

3. *Munus veræ iuſtitiæ diſtributiuæ propriè eſt ad euitandum vitium acceptionis perſonarum; & deſcribitur, quid ſit huiuſmodi vitium, & eſt ex genere ſuo peccatum mortale; ſit tamen veniale ratione paruitatis materiæ; Prælati verò violando in re graui huiuſmodi iuſtitiam, ad reſtitutionem non adſtringuntur.*

4. *Latiùs deſcribitur, in quonam offendi poteſt iuſtitia diſtributiua; & demonſtratur Prælatos eſſe diſpenſatores, & non Dominos bonorum omnium.*

5. *Deſignantur tres caſus inſeruientes pro concluſionibus.*

6. *Prouincialis, & Definitores ſe vinciunt peccato lethali, dum præbent maiorem partem officiorum præſtantiorum ſuis ſequacibus, ſeù factionarijs, cum merita omnium factioſorum ſint æqualia, vel quaſi æqualia: probatur varijs rationibus; & ſoluitur quædam obiectio.*

7. *Homines factionarij electi in Priores nequeunt inter omnes eſſe digniores; & licèt huiuſmodi dignioritas in eis eluceſceret, non ideò Prouincialis, ac Definitores poſſunt eximi à lethali culpa, & clarè probatur, quia præſertim vnitatem regiminis negligunt: & ſatisfit cuidam obiectioni.*

1. Pro cuius intelligentia not. prim. cum omne agens agat propter finem, à fine concedentium Prælatos exordium ſumendum eſt. Prælati verò dantur in Religionibus in commodum, ac vtilitatem non ipſorum, ſed ſubditorum. S. Thom. 1. de regimine Princ. cap. 1. S. Antonin. 3. part. tit. 19. cap. 11. Rodriq. quæſt. regular. quæſt. 34. art. 5. tom. 3. Mirand. man. Prælatot. quæſt. 5. art. 5. tom. 2. Riginald. in prax. lib. 20. n. 69. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. part. 1. titul. 2. Gloſ. 2. num. 6. Peirin. de Prælato qu. 1. c. 7. & alij: finis autem Prælatorum eſt ſemper habere præ oculis iuſtitiam. Ita Rodriq. vbi ſupr. art. 5. & Hieron. Rodriq. reſol. 104. nu. 4. ex iuſtitia enim, vt inquiunt ambo Rodriq. cum Baſſæo capuccin. in ſumm. verbo Prælatus num. 17. oriuntur pax Religionis, tutamentum obſeruantiæ, immunitas communitatis, nutrimentum ſpirituale, Monachorum gaudium, ſilentium, & ſecuritas in pulchritudine pacis: ex iniuſtitia verò, ait Emman. Rodriq. vbi ſupr. ſeditiones, inimicitiæ, contentiones pullulant.

2. Not. ſec. quòd hîc non loquimur de iuſtitia generali, ſeù legali, quæ, vel omnes in ſe continet virtutes, vel bonum pluribus cõmune conſiderat, vel leges condit, vel obſeruat, ſed de iuſtitia ſtrictè ſumpta, quæ definitur ab Vlpiano Iur. conſ. in l. iuſt. ff. de iuſtit. & iur. quòd ſit perpetua, & conſtans voluntas ius ſuum vnicuique tribuens, approbata à D. Thom. 2. 2. quæſt. 58. art. 5. Mirand. tom. 2. qu. 24. art. 1. & ab omnibus DD. Diuiditur enim in commutatiuam, & diſtributiuam, & vnaquæque ſemper reddit vnicuique, quòd ſuum eſt, ſeù inclinat, & mouet hominem, vt, quod ſuum eſt, vnicuique reddat: prima verò verſatur circa emptiones, venditiones, atque contractus, vt in iſtis commutationibus æqualitas ſeruetur, & circa communitatem, & Collegium, vt eius homines, dum Collegium eis ius eligendi conceſſit, ex officio teneantur in electionibus conſulere Collegio, & communitati, vt conſeruetur bonum commune; ad hunc enim finem Collegium tribuit eis ius eligendi: ſe-

cunda verſatur in diſtribuendis præmijs, honoribus, dignitatibus, alijſque bonis communibus ad æqualitatem, attenta meritorum, & non perſonarum ratione, dico, attenta meritorum ratione, quia bona communitatis non ſunt omnibus æqualiter diſpenſanda ſecundùm proportionem arithmeticam, ſed geometricam, ita vt detur magis, & minùs ſecundùm exigentiam debiti, & meriti, vt habetur ex Euſtach. 3. part. diſp. 2. q. 5. Em. Lugo de iuſtit. diſp. 1. ſect. 3. tom. 1. & Auerſa part. 2. q. 1 t 4. ſect. 12. vndè ſequitur, quòd, ſi Prælati merita reſpicere debent, ſubditi iuxta proportionem meritorum habent ius ad omnia bona Religionis. Ita Leſſius de iuſt. c. 22. dub. 3. num. 15. lib. 2. Aragon. 2. 2. qu. 63. art. 2. & Sanch. opuſc. 1. lib. 2. c. 1. dub. 1. numer. 2.

3. Not. tert. quòd munus iuſtitiæ diſtributiuæ totum in eo poſitum eſt, vt euitetur acceptio perſonarum; acceptio autem perſonarum eſt vitium, per quod Prælatus in bonorum communium diſtributione, quæ ex iuſtitia debentur, non conſiderat veram cauſam meritorum, ſed loco cauſæ conſiderat qualitatem, & cognationem, patriam, amicitiam, proprium commodum, & vtilitatem, vel aliquid huiuſmodi. Bellarmin. de Princ. chriſtian. lib. 1. c. 10. Lugo vbi ſupr. diſp. 34. ſect. 1. nu. 3. tom. 2. ex genere ſuo huiuſmodi acceptio eſt peccatum mortale, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 59. art. 4. & cum eo omnes eius diſcipuli, quia fit cum iniuria proximi; ex paruitate autem materiæ fit veniale, vt in loco accumbendi in menſa, quandò merita non reſpiciuntur. Ita Leſſius vbi ſupr. dub. 1. num. 4. Arag. 2. 2. qu. 63. art. 1. Salon. 2. 2. qu. 63. art. 1. ſed, vt hoc meliùs intelligamus, attendamus nonnulla verba Ioann. Capata in opuſc. de iuſtit. diſtrib. c. 5. num. 4. p. p. Poteſt tamen, ait, aliquandò excuſari à mortali, & eſſe veniale ob paruitatem materiæ, vt ait Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 32. de accept. perſ. dub. 1. nu. 4. & vel ob imperfectionem actus non ſatis deliberati, vel non ſatis volūtarij, vt ob ignorantiam culpabilem qualis ſolet eſſe plerunque ignorantia iuris, vt ait D. Thom. 2. 2. qu. 59. art. 2. ſi autem fiat iniuſtitia ex ignorantia inculpabili, qualis ſolet ſæpè eſſe ignorantia facti, nullum erit peccatum, de qua ignorātia interpretatur ibi D. Thom. quod Philoſ. ait. 5. Ethic. c. 8. Ignoſcenda eſſe, quæ ex ignorantia facimus; de quo etiā D. Thom. 1. 2. qu. 89. art. 6. & leuitatis materiæ duplicem eſſe modum in acceptione perſonarū aduertas, vt hoc ſemel dictum alijs difficultatibus inſeruiat; primus modus eſt, quādò dignitas vnius perſonæ notabiliter nō excedit dignitatem alterius; tunc enim non eſt magni momenti vnum alteri præferre: ſecundus modus eſt, quandò id, quod minùs digno confertur, parum excedit id, quod digniori elargitur; tunc enim non prætermittitur notabiliter proportio debita inter partes Reipublicæ; non enim debet quantitas conſiderari in iuſtitia diſtributiua, ſicut in commutatiua; nam ſi ex bonis alicuius hominis contra eius voluntatem quis decem nummos auferret v.g. peccaret mortaliter; at ſi inter partes æquales eiuſdem Reipublicæ, aut ferè æquales eſſet exceſſus decem, aut viginti aureorum in ſtipendio officij, vel beneficij cōmiſſi, quia non læditur grauiter ordo Reipublicæ, & proportio, ad quam iuſtitia diſtributiua ordinatur, non deberet iudicari mortale: hæc Capata. Non ideò Prælatus violando in re graui huiuſmodi præceptum tenetur ad reſtitutionem, vt aſſerunt Petr. Nauarr. Vaſq. Salon. & alij apud Bonacin. de reſt. dub. 1. q. 1. part. 1. num. 8. quia, licèt quis iniuſtè priuetur aliquo bono graui, ad quod habet ius; non tamen habet ius ſtrictum, & proximum neceſſarium pro reſtitutione facienda, vt oritur, quandò violatur iuſtitia commutatiua: Ita Bonacin. vbi ſupr. Sotus, Couarr. Molin. & alij, quos citatos ſequitur Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. c. 29.

4. Vt meliùs intelligatur in quonā offendi poteſt iuſtitia diſtributiua, ſit quart. not. quòd, quandò Superiores præponunt ad dignitates, & honores amicos, & conciues alijs idoneis, ſeù magis idoneis, fiunt acceptatores perſonarū, & rei culpæ grauis, quia nō merita, ſed amicitiā reſpiciunt, vt in ſpecie notant Bellarm. vbi ſupr. Peirin. tom. 2. qu. 2. 1. 3. §. 15. ſecus ſi amicum, & conciuem pro dignitatibus æquè dignum alijs, non vt amicitia ſit principaliter motiua, ſed impulſiua: item Prælatus poteſt peccare peccato acceptionis perſonarum in exhibendis honoribus ſuis ſubditis tam in publico, quàm in priuato, e.g. ſi in Capitulo omnibus debitum locum non aſſignet, ſed vnum alteri præferat; ſi titulum ſuum cuique non tribuat; ſimilitèr

in

in priuato, ſi non ſalutet, quem debet, & eo modo, quo debet; ſed in hoc reſpiciat non merita, ſed alias qualitates, quibus honor non debetur. Ita S. Thom. Aragon. Salon. 2. 2. qu. 63. art 3. verùm tamen eſt, quòd ſecundùm proportionem iniuriæ erit peccatum, ſi iniuria leuis, leue, ſi grauis, graue. Ita Salon. vbi ſupr. contr. 1. concl. 1. itē Prælatus offendere poteſt iuſtitiam diſtributiuam in his, quæ commiſſa ſunt ſuo arbitrio, vt ſi vni remittat pœnitentiam, & alteri neget, ſtantibus eiſdem prorſus conditionibus; ſi cum vno diſpenſet, alteri gratiam neget in pari cauſa; ſi in iudicijs vni tribuat copiam proceſſus, alteri neget. Ita Sotus de iuſtit. lib. 3. qu. 6. art. 5. Aragon. vbi ſupr. art. 4. Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 7 part. 4 col 3. verſ ad hanc dubitationem Salon. vbi ſupr. art. 4. contr. 1. Ratio videtur eſſe, quia vſus poteſtatis Prælati eſt bonum quoddam publicum ad commodum, & vtilitatem ſubditorum; quarè eſt regulandum à iuſtitia diſtributiua ſecundùm ſubditorum merita. Ex his, quæ dicta ſunt, ſequitur Prælatos eſſe diſpenſatores, & non Dominos bonorum omnium tam ſpiritualium, quàm temporalium. Ita S. Th. 2. 2. quæſt, 63. art. 2. Rodriq tom. 3. qu 34. art 8. cum ſuo compendio reſol. 103. num 8. Peirin. de ſubdito qu. 1. de obed. §. 5. fundatur in ſcriptura ex illo Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.*

5. Not. quint. quòd opus eſt diſtinguere tres caſus, quòd inſeruiet etiam pro ſecundo dub. Primus eſt, in quo electi à parte ſuperante alteram in votis, vt ſunt Definitores, ac Prouincialis, vel Priores electi à potentiori in Definitione ſunt ſine dubio digniores alijs alterius partis, ſeù factionis. Secundus caſus eſt, in quo electi à parte ſuperante clarè ſunt minùs digni Religioſis alterius partis, qui negliguntur. Tertius caſus eſt, in quo exceſſus meritorum in Religioſis electis, ex quibus plerunque fit electio, non eſt adeò magnus, ſed dubius: his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

6. PRouincialis, ac Definitores, ſeù Conſultores ſeligentes inferiores Superiores ferè omnes ex ſuis, eiſque præbentes maiorem partem officiorum præſtantiorum, cum merita vtriuſque factionis ſint æqualia, vel quaſi æqualia, eò quòd non ſit magnus exceſſus, ſed dubius, ſicuti eſt in caſu, qui inferiùs patebit, lethaliter peccant. Probatur, tum quia huiuſmodi munera ſunt in omnium ſubditorum vtilitatem, & non tantùm ſuorum amicorum; ideò dicebat Molin. tom. 1. de contract. tract. 1. diſp. 12. Reſpublica nihil aliud eſt, quàm collectio omnium ſuarum partium, ſanè eius bona partium ſunt, in commune tamen ab eis poſſeſſa; quarè per Reipublicæ partes ſunt diſtribuenda, & vnicuique ſua pars debetur, tum quia læditur iuſtitia commutatiua, ac diſtributiua: illa, quia non conſulunt bono communi, quod vnitate ſubditorum propagatur, teſte D. Cyprian. de Orat. domin. *Pacificos enim*, ait, *& concordes, atque vnanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit*: aliàs opera noſtra à Deo non recipiuntur. *Vnitatis vinculum*, ait Auguſtin. ſermon. de tempor. 168 tom. 10. *omnes debent Prælati, ſimul & ſubditi in fide, & dilectione per omnia ſeruare, quia ſine pace non ſuſcipitur Sacerdotis oratio, nec plebis oblatio*: hæc, quia multorum merita negliguntur, & poſtponuntur cum non parua eorum iniuria. *Non ſolùm*, inquit S. Thom. in c. 8. Dioniſ. Areopag. lect 4. *pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, quòd diſtribuat diuerſa diuerſis ſecundum eorum dignitatem, ſed etiam quod huiuſmodi diuerſitatem inconfuſam ſeruet, ne ſcilicet vnus id, quod eſt alterius, ſibi vſurpare præſumat*: tum quia ex tali iniuſtitia, experientia teſte, oboriuntur multa mala ab ipſis ex officio curanda, vt ſeditiones, inimicitiæ, atque contentiones: *Sic eſt diſponenda*, dicebat Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 3. part. 2. c. 13. *multitudo, vt conſeruetur in pace, & vt ibi ſeditiones non inſurgant*: tum quia quærunt proprium commodum, vt ſcilicet conſeruentur in honoribus, ac dignitatibus contra proprium munus cogens omnia ordinare in bonum, ac ſubditorum vtilitatem, proprio commodo neglecto; aliàs ab iniuſtitiæ labe nequit iuſtè regimen ſeparari, vt teſtatur D. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *Si verò*, ait, *non ad bonum commune multitudinis, ſed ad bonum priuatum Regentis regimen ordinetur, erit regimen iniuſtum, atque peruerſum*; tum quia non ſunt fideles diſpenſatores, ſed gerunt ſe, vt Dominos, & deſtructores deturpantes, imò deponentes Paſto-

ris,

ris, ac Regentis nomen, dicente Ægid. Roman. vbi ſupr. lib. 1. p. 2. c. 12. *Maximè ergo ſtudere debent, ne ſint iniuſti, & inæquales Reges, quia eorum iniuſtitia, & inæqualitas tollit ab eis regiam dignitatē*: tum quia offendunt finem aſſumptæ dignitatis, qui videtur eſſe, vt Prælati exemplo, & prudentia, ſic ait Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 1. num. 6. tom. 2. contineant ſubditos in diſciplina regulari, & hanc, ſi eſt relaxata, ad priſtinum, ac debitum rigorem reducant, hominesque ad perfectionem religioſam promoueant; qui etiam videtur eſſe ſecundùm D. Bonauent. de ſex alijs Seraph. c. 6. *Vt Prælati ſibi commiſſos ad vitam æternam dirigant, & ad virtutum merita fideliter promoueant*: quod certè ſuis partialitatibus non attendunt, imò totam diſciplinam regularem penitus enerttant, vt experientia docet, & inſinuat D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 4. hiſce verbis: *Ex ſeditione tota vita regularis deficit*: & ſibi cōmiſſos efficiunt tot filios gehennæ demeritis cumulatos, ſicut ſunt ipſi, vt teſtatur D. Bernardin. tom. 1. Dom. 3 quadr. ſerm 26. art. 1. cap. 1. *Habere partialium ſigna eſt continuè, & impænitenter ad inferos properare, & eſt continuè animas ſecum ad æternum interitum trahere*.

Dicet fortè quis, non ſunt munera, ac officia tribuenda noſtris æmulis, & inimicis: quod verbum audio? filij ſunt inimici; vndenam hoc verbum fabricatum? nonniſi ab ore Diaboli, & à factioſis, qui ſunt lingua eius, prolatum, & rectè, quia factionarij, vt inquit Gregor. Nazianz. in ſequentibus dubijs citandus, neque ad Deum, neque ad diuinas mentes per bonum pacis, & concordiæ accedunt, ſed ſunt aduerſæ partis: admittitur, ſed non conceditur nomen inimici: dubium mouetur à Bonacin. inferiùs referendo, qui loquitur in terminis de proprijs inimicis, & reſoluitur cum diſtinctione; vel bona, & beneficia ſunt propria, & conferuntur ex propria voluntate; vel ſunt communia, & conferuntur ex aliorum voluntate; ſi ſunt primi generis, non tenetur quis inimicis conferre, quia non tenebatur iiſdem cōferre, priuſquam eſſent inimici, & inimicus non eſt factus melioris conditionis ob inimicitiam, quamuis, ſi excluſio inimici ab honoribus ſcandalum pariat, excludi non poſſit, vt docent Valent. tom. 3. diſp. 4. punct. 5. Tolet. lib. 4. c. 10. Bann. 2. 2. qu. 25. dub. 4. Abulenſ. in c. 5. S. Matth. qu. 348. quem citat, & ſequitur Reginald. lib. 17. nu 12. & Bonac. ſi ſecundi generis ſunt, vt ſunt omnia munera Religionis, & ad illa ex vi contractus profeſſionis Religioſi ius habent ſecundùm meritorum proportionem, tenetur Prælatus diſtribuere inimico, ſicut amico; aliàs vitio acceptionis perſonarum damnandus eſt, & aliorum iuris, quod negligi nequit, violator habendus. Ita S. Th. 2. 2. qu. 25. art. 8. & ipſius cōmentatores ibid Nauarr. c. 14. num. 25. Bonac. in prim præcept. Decal. punct. 3. qu 4. num. 7. Trullench. in expoſit. Decal. c. 5. num. 15. lib. 1.

### SECVNDA CONCLVSIO.

7. Huiuſmodi homines factionarij electi, vt Priorum, ſeù Guardianorū munere fungantur, nequeunt inter omnes, qui ſeligi poſſunt, tanquam digniores connumerari, vt contendunt eorum electores, & quāuis hac dignoritate præditi eſsēt; nō ideò eorum electio eximit Prouincialem, ac Definitores, ſeù Conſultores à lethali culpa. Propoſitiones quidem aliquantulum rigidæ, ſed veræ, & prima pars tanquam certa traditur in dubio ſequenti, & certiſſima in dubio 26. Secunda ſuadetur: vel promouendo huiuſmodi homines intendunt eos promouere, vt factionarios; vel vt inter omnes digniores, & factionarios; vel tantùm digniores, quomodocunque reſpiciantur, nequeunt electores carere culpa lethali; nam ſi promouentur, vt in prima acceptione, conſpirant omnes DD. eſſe peccatum mortale, quia fiunt acceptatores perſonarum, attendentes non verā cauſam meritorum, ſed impertinentem, & ſibi vtilem in ordine ad propriam conſeruationem; vndè dignioritas in eis elucеſcit tanquam res accidentalis: ſi vt in ſecunda, adhuc obſtringuntur culpa graui; quia finis ille intentus, licèt ſecundarius, nempè, vt factionarios, eſt mortaliter peccaminoſus, quia obſtat fini regiminis, qui eſt vnitas, & pax, vt dicunt DD. & paſſim dicetur in præſenti tractatu; quarè dicebat Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 3. p. 2. c. 3. *Pax, & vnitas ciuium debent eſſe finaliter intenta à Legiſlatore*: cuius violationem concordant omnes DD. eſſe lethalem, & non cum paruo

fun-

fundamento, quia vnitas eſt finis tantæ virtutis, vt ſupra illud tota machina regiminis fundetur, erigatur, & conſeruetur, teſte D. Ambroſ. in principio pſal. 118. *Vnitas enim coercet omnia, & regit, cui ſubiecta ſunt*: ſine quo omnia euertuntur, & deſtruuntur, teſte Gregor. Nazianz. orat. 12. de pace tom. 1. *Atque vt populos, & Vrbes, & Imperia prætercam, vt cætus, exercitus, familias, naues vectoribus plenas, coniugia, ſodalitia quæ omnia, vt pace conſeruantur, ita ſeditione euertuntur, &c.* vndè optimè D. Antonin. vbi ſupr. dicit: *Ex ſeditione tota vita regularis deficit*, quia, ablata vnitate, & pace à Religioſorum familijs, neceſſe eſt corruere ædificium perfectionis; ac proindè finis ille ſecundarius deſtruit totam bonitatem, quæ inuenitur in fine primario electorum, nempè vt digniores: ſi vt in tertia acceptione, adhuc inuoluuntur peccato, quia, licèt per intellectum fieri poſſit talis præciſio, practicè tamen nequeunt ſeparare vnum ab altero; nam eo ipſo, quòd ſunt electi, inſurgunt factionarij, ac proindè tranſit eorum electio in naturam ſecundæ acceptionis,

Dicunt iſti graues PP. Religioſorum regimen non ordinari ad vnitatem própagandam, ſicut illud ſæcularium, ſed ſat eſt id dirigi ad perfectionem, ad quam quilibet Ordo eſt inſtitutus, vndè pro eius propagatione promouentur homines in Priores inter omnes digniores, ac de facto fit, & ita fideliter electoris muneri eſt ſatisfactum. O reſponſio verè grauis, imò cæca, quia ab ambitione ducta, quarè veriſſimum videtur illud pronuntiatum D. Chryſoſtom. in dub. ſequenti recitandum. *Nihil Eccleſiam aquè poteſt diuidere, vt ambitio, & amor Imperij, & gerendi magiſtratus*: Vos quidem, & quidem video in altum collocatos ad populum, ac multitudinem factam regendam, & ignoratis prima principia regiminis, nempè primum tam bonum promouendum, quo propagato, propagatur etiã perfectio religioſa, quàm malum præcauendum, quo introducto, introducitur etiam omne malum. Veſtrum enim eſt ſcire, quòd primum malum cuiuslibet communitatis, ex quo omnia ſequuntur, eſt ſeditio, factio, & diſſenſio, teſte D. Thom. ex D. Paul. 1. ad Cor. c. 11. lect. 4. *Primum malum communitatis eſt diſſenſio, vndè cætera oriuntur; vbi enim eſt diſſenſio, nihil rectum eſt*: Veſtrum eſt ſcire, quòd munus Regentis, & Legislatoris ad hoc tendit, vt multitudinem à factionibus, & ſeditionibus expurget, teſte eod. D. Thom. 2. pol. lect. 8. *Legislatores principaliter intendunt ſeditiones remouere*: Veſtrum eſt ſcire, quòd primum bonum, quod etiam ex munere tenetur in multitudine propagare Prælatus, eſt eius vnitas; ſi mihi non creditis, credamus omnes D. Laurent. Iuſtin de Prælat. regim. c. 3. qui finem miniſterij Præſidentium, quod in vobis eluceſcit, tangens ſic loquitur. *Cæterum quemadmodum in humano corpore cæteris caput ſupereminet membris, & ſenſuum fulget dignitate, eorum videlicet, quorum miniſterio totum corpus ornatur, cuſtoditur, & regitur; ita in corpore Chriſti myſtico, & in qualibet congregatione fidelium, qui præſidet præ cunctis ornatior eſſe debet moribus, virtutibuſque locupletior; ideò, vt quantùm caput diſtat à membris, tantùm Prælatus debeat ſubditos in perfectione præcellere; vndè oportet, vt non inſoleſcat de collatis ſibi gratijs, ne extollatur aduerſus inferiores, non dirimat vnitatem dominici gregis, ſed potiùs illam exhortationibus nutriat, prudentiaque conſeruet: equidem propter ſeruandam vnitatem Præſidentium miniſterium in Eccleſia neceſſarium eſſe cognoſcitur tanquam caput in corpore, ſine quo prorſus congregatio quæque confunditur, diuiditur, & deperit; nempè vbi deeſt, qui regat, vniuerſa confuſa ſunt, deeſt reuerentia mutua, procul eſt pax, legis negligitur cuſtodia, poſponitur ordo viuendi, morum diſciplina deſeritur, abijcitur norma virtutum, propria dominatur voluntas, atque vnuſquiſque ducitur ſenſu, quo nihil eſt deteſtabilius in conuerſatione religioſa, nihil ad compaginem charitatis cuſtodiendam damnoſius, dirimendamque reperitur habilius*: imò credamus omnes Chriſto Domino, qui de ſe ipſo loquens Luc. 11. inquit: *Qui nõ eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum*; ideſt ait S. Antonin. 2. p. tit. 4. cap. 8. §. 4. *in trahendo homines ad concordiam, vnitatem, & pacem, vt ego, diſpergit*: *Diſpergit*, inquit Caietan. in Luc. vbi ſupr. *non ſolum non adiuuat ad colligendum, ſed etiam contrariatur diſpergendo, ita vt non detur medium inter colligentem mecum, & diſpergentem*: Veſtrum tandem eſt ſcire, quòd vnitas, & pax ſunt illa baſis, ſuper quam perfectionis ædificium fundatur, teſte D. Th. contr. Gentil. lib. 3. c. 117.

c. 117. *Ad hoc, quod homo diuinis vacet, indiget tranquillitate, & pace*; & ideò S. Aug. in pſ. 18. dixit: *Iudicia Dei non ſunt ad rixas diuiſionis, ſed ad congregationem vnitatis.*

Videte, quæſo, PP. mei, quàm malè defenditis veſtrum viuendi modum in regimine, & quàm procul diſtat veſtra intentio á miniſterio, quod induiſtis, imò ab intentione Chriſti, cuius vicem in terra geritis: verùm negandum non eſt, quin Regularium regimen ordinetur ad propagandam perfectionem, ad quam quilìget Ordo eſt inſtitutus ſecundùm proprium inſtitutum, ſed hæc pro baſe fruitur vnitate regiminis, qua deſtructa, deſtruitur etiam omnis perfectio, teſte Trithemio Abb. in prolog. Reg. S. Bened. c. 2. pag. 175. *Tota Religio deperit, quandò hoc ſolum bonum pacis non cuſtoditur*: vndè nil rectum inuenitur iuxta dictum S. Ambroſ. 1. ad Cor. c. 11. *Vbi enim eſt diſſenſio nihil rectum*: hinc optimè S. Anton. vbi ſupr. affatus eſt: *Ex ſeditione tota vita regularis deficit.*

Aduertant Lectores, quòd tam præſens, quàm ſubſequens quæſitum facillimè ſibi ad inuicem præſtant modum probandi vtriuſq; intentum.

## DVBIVM VI.

*An electores, qui eligunt huiuſmodi Definitores, ac Prouinciales factioſos, & præuidentes inæqualitatem, ac multa incommoda, quæ indè ſunt oritura, peccent mortaliter.*

### SVMMARIVM.

1. *DEterminatur, relicta altera opinione, nempè dignum poſſe eligi ad Prælaturas, digniorem eſſe ſeligendum: Probatur varijs authoritatibus, varijſque rationibus, & admittitur quædam limitatio.*

2. *Confutatis nonnullis DD. admittitur digniorem eſſe promouendum ad Prælaturas, etiam inter Regulares; excipiuntur tamen multi caſus.*

3. *Habetur, quis propriè dicatur dignior ex multis authoritatibus, & deſignatur exceſſus meritorum, quo fulgere debet dignior.*

4. *Factionarij in paſſionibus fluctuantes, quæ ſatis apertè adnotantur, iudicio metiendi merita, & demerita carent.*

5. *Concluditur ſub mortali meliores fore eligendos ad munera habentia animarum curam, & non habentia; modò ſint magni momenti, & exceſſus meritorum in eis debet clarè eluceſcere, & non dubiè: probatur etiam, quòd factionarij carent fide, dum in hæc verba prorumpunt, apud nos eſt exceſſus meritorum.*

6. *Firmiter credendum eſt in vtraque factione eſſe merita æqualia, vel quaſi æqualia pro idoneitate regiminis tam in Prouincialium, ac Definitorum, quàm Priorum electionibus.*

7. *Multis rationibus probatur electores non eximi à lethali culpa, dum eligunt Definitores, ac Prouinciales ex propria factione, oſtenditur etiam ex Patrum authoritatibus bonum vnitatis, malumue factionis: & ſoluuntur duæ obiectiones.*

1. PRo quæſiti intelligentia in prim. not. mouetur illa quæſtio: an teneatur quis eligere digniorem in Prælatum ſub pœna peccati mortalis: duæ agitantur opiniones; altera negatiua, quæ videtur eſſe Gloſſę pluribus in locis, vt videre eſt apud Azorium, & Barboſam inferiùs citandos; adhærent Hugo, Peruſinus, Ioann. Andreas apud Sanch. inferiùs num. 15. Ratio eſt, quia maior probitas vnius alijs nocere non debet, quia etiam dignior electus non peccat nihilo maiorem adhibendo diligentiam, curam, ac laborem in adminiſtratione, quam adhiberetur à digno, quamuis maiorem adhibere poſſet: placet talis opinio pro probabilitate Filiuc. tom. 3. tract. 41. num. 181. Rocco de iure patron. tit. honorificum. qu. 15. Pedrazæ in ſumm. præcep. 7. §. 26. aſſerit tamen hic author ita ferre ſuffragium ſaltem eſſe peccatum veniale: placet etiam Alex. Alenſ. p. 2. qu. 136. §. 2. cum hac tamen limitatione, quòd, ſi præberetur Epiſcopatus digno, omiſſo digniori, non excuſaretur conferens à peccato mortali: ſecus in cæteris beneficijs etiam curam animarum habentibus: placet pro beneficijs non habentibus curam animarum, & rectè Gabr. 4. diſt. 25. quæſt. 7. art. 3. dub. 1. prop. 2. Angel. tit. electio num. 21. Petr. Nauar. de reſtit. lib. 2. n. 197. Barboſ.

de

de iure Eccleſ. lib. 1. cap. 19. num. 171. Ledeſm. in ſumm. part. 2. tract. 7. c. 2. concluſ. 7. Dian. p. 2. tract. 15. p. miſcell. reſol. 38. Gutrier. conſ. 99. lib. 2. c. 12. num. 10. Ratio huius Doctoris videtur eſſe, quia alias omnes Prælati eſſent in ſtatu damnationis; nam paſſim in ſimplicibus beneficijs eligunt dignos, dignioribus prætermiſſis. Ratio verò communis fundatur, quia, dum Conc. Trident. Epiſcopatus, cæteraque beneficia curam animarum habentia multis in locis decreuit eſſe conferenda dignioribus, videtur conceſſiſſe alia beneficia ad arbitrium Prelati diſtribui poſſe. Limita, modò huiuſmodi beneficia non conferantur per viam oppoſitionis, quia tunc eſſet peccatum lethale dare digno, prætermiſſo notabiliter digniori; nam magnam iacturam in honore, & exiſtimatione patitur dignior victus in oppoſitione. Ita Nauarr. ſumm. c. 28. addit. ad num. 140. c. 25. Aragon. 2. 2. quæſt. 63. altera eſt affirmatiua, quæ fortiter aſſerit non eſſe licitum eligere dignum, neglecto digniori, ſub pœna lethalis culpæ in omnibus electionibus non ſolùm curam animarum habentibus ſed etiam non habentibus, cuiuſmodi ſunt apud Minores Definitores, apud alios Conſultores. Ita S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. & quodlib. 6. art. 9. Sot. de iuſt. lib. 4. qu. 6. art. 2. Valent. tom. 3. diſp. 5. qu. 7. punct. 2. Vega in ſumm. tit. 1. c. 119. caſ. 1. Azor. p. 2. lib. 6. c. 15. q. 1. Mirand. tom. 2. q. 23. art. 12. Barboſ. vbi ſupr. nu. 134. S. Antonin. part. 2. tit. 1. c. 20. §. 2. Samuell. de elect. can. tract. 1. diſp. 6. conet. 4. & innumerabiles alij DD. quos citatos ſequitur Sanch. opuſc. 1. lib. 2. c. 3. dub. 11. nu. 16. quamuis non in beneficijs ſimplicibus nu. 20. Probatur ex cap. vnico. Vt Eccleſiaſtica beneficia. vbi ſic dicitur: *Debuiſti, Eccleſiaſticum beneficium in perſona magis idonea diſpenſare.* Probatur etiam ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. c. 1. & 18. vbi præcipitur, vt dignioribus, & magis idoneis ſub pœna æternæ damnationis dignitates conferantur. Rationi quoque naturali multùm eſt conſentaneum, quia videtur eligens reſpicere perſonam, & non rationem ſui officij, & muneris eligendo dignum, omiſſo digniori, tum quia etiam ſe gerere videtur tanquam dominum ſuffragij, & non tanquam adminiſtratorem fidelem, tum quia violat iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuam illam, quia damnificat bonum commune Eccleſiæ, à qua ius eligendi accepit: iſtā, quia non fauet maioribus meritis: hinc optimè S. Th. 1. 2. q. 94. art. 5. ad 3. ait. *Naturale eſt, vt minùs ſapiens regatur à magis ſapiente.*

Not. ſec. quòd ſicut doctrina de eligendo meliori ſub pœna lethalis culpæ eſt vera; ita cenſenda eſt vera in Regularium Prælaturis contra Ioann. Valer. in differentijs vtriuſque fori, tit. elect. diff. 1. nu. 1. & Caſtrum Palaum tract. 13. de benef. diſp. 2. part. 1. §. 2. n. 14. aſſerentes, ſecluſis ſpecialibus Religionibus, conſtitutionibus, & iuramento digniores eligendi, non eſſe obligationem ſub mortali inter Regulares deligendi digniorem; ſufficit enim, aiunt, electionem dirigi ad dignum: quorum ſententia eſt prorſus aliena à veritate; & ita Nauarr. Fernand. Rebell. Portell. quos refert Dian. p. 2. tract. 15. & 1. miſcell. reſol. 61. Vaſq. Sanch. quos refert, & ſequitur Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 5. n. 54. firmiter aſſerunt eandem obligationem militare in electionibus Regularium in conferendis Prælaturis dignioribus, quia, cùm electores conſulere debeant bono communi, & quantum fieri poteſt damna communitatis impedire, eadem damna quidem oriri poſſunt ſicut in alijs electionibus, ſi digniſſimi non eligerentur, quia etiam maiora merita negligerentur in maximum detrimentum iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ omninò ſeruari debet inter Regulares, vt dictum eſt in dub. 5. contra Em. Cardinal. Lugo. Excipe primò, niſi ille dignior occupetur in alijs miniſterijs Religionis v. g. in concionando, docendo, vel aſſiſtendo alicui Principi, à quo multùm tota Religio pendet; tunc enim eligi poteſt dignus. Excipe ſecundò, niſi digniores, ſeu digni Sacræ Reipublicæ ſint vtiliores, quia multùm expedit ad bonum commune, vt Prælaturæ regulares non remaneant ſolummodò apud paucos, ſed opus eſt, vt multi apti fiant ad regendum, & varientur perſonæ; alioquin, deficientibus illis Religio remaneret viduata, & tunc neceſſe eſſet, vt de nouo aliqui ad regimina eligerentur; quod ſolet maxima incommoda afferre. Excipe tert. niſi minùs dignum ob commune bonum amoueri expediat ab aliquo miniſterio, v. g. ab aula Principis, vel à docendo, quia alius talis ſubintrabit, & nō poteſt ſine magna moleſtia, aut dedecore

 amoueri

amoueri, niſi cum hoc prætextu. Ita Lugo vbi ſupr. Ratio eius videtur eſſe magni roboris, & iuxta noſtra principia, quia, cum in electionibus principaliter attendatur vtilitas communis boni, & totius communitatis, eoque conſulatur hiſce electionibus, vt per ſe clarè videtur; ideò digni poſſunt præferri dignioribus; imò addo ego eſſe digniores, quia maior, & minor dignitas attẽditur penes maiorem, ac minorem vtilitatem Reipublicæ, vt inferiùs dicetur, & cum maior vtilitas ex his dignis habeatur, conſequenter tanquam digniores ſunt promouendi.

3. Pro not. tert. ſit, quiſnam dignior cẽſendus ſit, ita vt elector ſit immunis à lethali culpa: Rodriq. tom. 2. q. 52. art. 5. ait: Debent electores aduertere, ſi tamen abſq; culpa eſſe velint, digniorem ſemper inter concurrentes in Prælatum eligere, qui ſcientia, moribus, vita, exemplo, ac merito valeat magis prodeſſe, quàm ambitiosè gregi obeſſe: quiſnã erit iſte? ſanctior fortaſsè, & doctior ſimpliciter, & abſolutè? minimè quidem ait S. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. quolib. 8. n. 6. ſed qui eſt melior ſecundùm quid, ideſt, qui eſt melior quoad regimen Eccleſiæ. Vaſq. opuſc. de benefic. c. 2. §. 3. dub. 1. nu. 19. Reginald. lib. 30. tract. 3. n. 119. Azor. p. 2. lib. 6. c. 15. q. 1. Mirand. tom. 2. quæſt. 3. art. 5. concl. 3. Sot. de iuſt. lib. 3. q. 6. art. 2. concl. 9. Peirin. de ſubdito q. 1. c. 3. 1. §. 10. Comitol. lib. 1. reſp. moral. q. 77. Portell. tit. electio nu. 2. & in addit. n. 10. Io. Capatã in opuſc. de iuſt. diſtrib. p. 2. c. 4. n. 35. & Lauor. de elect. tit. 4. c. 19. n. 63. referens multos; concludit Peirin. vbi ſupr. quòd ſãctior, & doctior eſt ille, qui eſt aptior ad tale regimẽ, licèt cõparatione alterius nõ tam aptus ſit, minùs ſanctus, & minùs doctus: meliùs, & clariùs Portella vbi ſupr. Arbitriũ boni viri debet penſare varias circũſtantias temporis, perſonæ, ex quibus inferat, quis pro tunc ſit dignior ſecundùm quid, ideſt in ordine ad hoc officium: ſed omnibus clariùs Caietan. in ſumm. tit. electio: Melior autem eſt non quantùm ad bonitatem vitæ, ſed quãtùm ad regimen illud nunc, & hîc reſpectu talium ouium, & reliquis particularibus occurrentibus penſatis. audite etiam, quæſo, quod dicit Baſſæus Capuccin. in ſumm. tit. electio num. 10. ex multis DD: Dignior cenſendus eſt, qui ad Prælaturam, vel munus, de quo agitur, gubernandum, & ſuſtinendum aptior, & conuenientior eſt, omnibus conſideratis, & perpenſis; non verò ſanctior, vel doctior, qui tamen in cæteris non eſt ita aptus illi miniſterio, ſicut primus non tanta ſanctitate, & doctrina excellens, quia ad maiores qualitates morum, & literarum abſolutè non eſt attendendum in hac materia, ſed ad illas ſolummodò, quæ muneri, de quo agitur, magis proficuæ, & vtiliores erunt, dummodò præficiendus, & eligendus ſit alias bonus, & idoneus vita, moribus, ac doctrina. Porrò adhuc non attingimus digniorem, niſi attingamus, quo meritorum exceſſu ſuperare debeat alios, ita vt mortaliter peccet, qui ipſum neglexerit. Silu. tit. electio quæſt. 16. Peirin. vbi ſupr. Mirand. vbi ſupr. concl. 1. inquiunt: Tales eligi debent in Prælatos, ac Paſtores, quoad maximè fieri poteſt, vt ipſorum comparatione cæteri ſint, & eſſe videantur veluti grex, & bruta pecora, ſiue animalia; quæ verba ſunt maximè notanda, quia fundantur in textu cap. 1. diſt. 25. vbi dicitur, quòd qui eligendus eſt ad dignitatem Eccleſiaſticam, talis eſſe debet, vt illius comparatione cæteri grex dicantur; vndè apparet magnum debere eſſe exceſſum. Ita Samuell. de elect. can. tract. 1. diſp. 6. tract. 5. concl. 4. attendamus etiam verba doctiſs. Ioann. Capata in opuſc. de iuſtit. diſtrib. part. 2. cap. 6. num. 3. In hoc enim non adeò anxiè, ac strictè procedendum eſt, vt ex quocunque meritorum exceſſu ſtatim dicendum ſit eligentem, prætermiſſo digniori, peccare mortaliter, ſed in hoc exceſſus notabilis, non autem minimus erit ſpectandus; non enim Deus cogit nos tam anxiè, & ſolicitè perſonarum conditiones explorare, ſed ſecundùm prudentiam pro rei qualitate, & conditione præcipuè ſi id bona fide, & abſque dolo factum fuerit. Ita Sotus lib. 3. de iuſtit. q. 6. art. 2. ad fin. & Molin. de Hiſpan. primog. lib. 2. cap. 5. num. 54. hæc Çapata, qui nu. 4. addit doctrinam Leſſij de iuſtit. lib. 2. c. 34. dub. 14. n. 62. dicentis: Digniorem voco, qui notabiliter dignior, & aptior videtur.

4. Pro vltim. notand. ſit: huiuſmodi exceſſus credẽdus eſt ne eſſe in iſtis duabus factionibus, vt dicunt ſectatores vtriuſq; partis: noſtros eligimus, quia ex noſtris ſũt meliores tam pro Definitoribus, ac Prouincialibus, quã pro Prioribus: ex ipſo verbo alternatiuo

conuincuntur, quòd errant toto Cœlo; ſed clariùs patebit id ex eorum morum conſideratione, ſi bonitate, rectitudine, ac ſanctitate præditi, nec non & in charitate, ac iuſtitia radicati ſunt, credendum eſt eorum iudicium non eſſe perturbatum, eiſque fides eſt præſtanda; ſi cupiditate regnandi, ac dominandi tenentur, iudicium ab ambitione, perturbatum, & obtenebratum eſſe proſus cenſendum eſt; quarè nullo modo eſt eis credendum, ſed dicendum eſt verba eſſe quoddam velamen ad tegendum peſſimum ambitionis vitium: liceat mihi afferre deſcriptionem eorum morum, quaſi de verbo ad verbum Laurentij Peirini de Prælato qu. 2. §. 3. c. 3. Odio enim, inquit, ſe inuicem habent factionarij, de ſe inuicem continuò murmurant, alter alteriùs notat actiones, inueſtigat, ſpeculatur, in calendario ſcribit, ne obliuiſcatur, & ſocijs nuntiet, vt ſuo tempore Superioribus propalet, interim diuulgat, curat adhibere teſtes, ſemper alter in alterum machinatur, irridet, ſubſannat actiones, & quidquid à quocunque factionis contrariæ factum fuit, culpat, maculat, & profitetur ſe aduerſarijs non credere, niſi cum dicunt: Domine non ſum dignus: conatur vnuſquiſque in ſuam factionem trahere nouitios, nondum habitum Religionis indutos, ſuos vnũquodque factionis caput defendit, eorum vitia occultat, protegit, ne puniantur, imò fouet ſecundùm inclinationem, ne ab eo reſiliant, & ad aduerſariorum factionem tranſeant; qui non ſunt in aperto malo, vtitur tanquam ſcuto inexpugnabili ad factionis ſanctitatem, ac idoneitatem defendendam, probando, quòd ea ſit aggregata ex melioribus, & dignioribus, & quòd ſolùm ſit aggregata in bonum commune, & ad reſiſtendum aduerſario illud deſtruere conanti; ſi Superiores maiores errantem ſubditum ſecundùm regulam, & Deum punire voluerint, illicò accurrit caput; vel errorem excuſat, ſi poteſt; vel ſi non poteſt, excuſat fragilitate, iuuentute, gratiam petit, fidem facit de futura emendatione; ſi verò ſubleuare voluerit alterius factionis caput, accurrit & alterum caput, & loquitur ſubleuandi plagas, mortuas exſuſcitat, ignotas aperit, falſas fingit, teſtes ad omnia adhibet: ſi Superiores reſiſtunt, proponit articulos, iuſtitiam petit: infinita prætereo, quæ præ cordis anguſtia enarrare non valeo, lugenda relinquo cogitationi, quæ nequeo exprimere calamo. Ita Peirin. Hæc ſunt, quæ diſperſa videntur in iſtis factionibus; hæc ſunt mala, quæ trahunt originem ex primo multitudinis malo, nempè ex factione, & diſſenſione, teſte D. Th. 1. ad Corinth. cap. 11. *Primum malum*, ait, *multitudinis eſt diſſenſio, vnde cætera oriuntur; vbi enim eſt diſſenſio, nihil rectum eſt*: iſti ſunt eorum mores, qui dicunt, noſtros eligimus, quia ex noſtris ſunt ſãctiores, & meliores: *Videte ergo*, optimè dicit S. Auguſt. de diuerſis ſerm. 28. tom. 10. *quam mali ſint homines, qui volunt eſſe diuiſi*. Si ergo tales ſunt mores, concludendumne eſt eorum iudicium eſſe ſanum in proferenda ſententia, noſtros eligimus, &c. an potius perturbatum ab affectione dominij? perturbatum, perturbatum, inquam, ab immoderatis animi affectibus; quarè nec ipſi, nec alij ſimilibus verbis credere debent; vndè dicebat S. Greg. hom. 26. in Euangel. antè medium: *Iudicare dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia, vel gratiam ſequuntur*: his ſuppoſitis.

### PRIMA CONCLVSIO.

5. IN omnibus electionibus ad munera habentia animarum curam, & non habentia, modò ſint magni momenti, ſub pœna lethalis culpæ meliores ſunt eligendi. Concluſio ſufficienter eſt probata in ſecund. notand.

### SECVNDA CONCLVSIO.

EXceſſus in idoneitate præ cæteris debet eſſe clarus, & valdè magnus, & non paruus, ſeù dubius, vt electores eligendo dignum, meliori neglecto, maculentur lethali culpa. Probatur ex doctrina Siluestr. Mirand. & Gloſſæ docentium, quòd exceſſus debet eſſe tam magnus, ac manifeſtus in electo, ita vt cæteri ſint æſtimandi vilis grex, & bruta animalia.

### TERTIA CONCLVSIO.

NVllo modo eſt credendum factionarijs dicentibus, in noſtra factione huiuſmodi exceſſus inuenitur. Probatur, quia non

eſt homo ſanæ mentis, qui ſibi perſuadere debeat in illa factione eſſe digniores, non ſolùm pro Prouinciali, ac Conſultoribus, ſed etiam pro Prioribus, ſeù Guardianis, ita vt altera pars, ſeù factio reputetur pro idoneitate regiminis Prouinciæ vilis grex, & bruta animalia. Secund. quia ex eorum moribus enarratis ſatis liquet eos habere pro fundamento cupiditatem regnandi, & dominandi, potiùs quam bonum commune; & merita eligendorum promouentia ipſum bonum; maximè quia ex vtraque parte hæc vox dulcis in ore, & maligna in corde auditur.

## *QVARTA CONCLVSIO.*

6. PRobabiliter, ac prudenter imò certè credendum eſt in vtraque factione eſſe merita æqualia, vel quaſi æqualia pro idoneitate regiminis Prouinciæ, tam in electionibus Prouincialium, ac Definitorum, quàm Priorum. Probatur, quia melior non eſt cenſendus ſanctior, & doctior, & aptior ſecundùm ſe, ſed pro hic, & nunc reſpectu talium ouium reliquis conſideratis, & penſatis ratione induſtriæ, pacis conſeruandæ, ac conſtruendæ, nec non & vnitatis firmandæ, &c. at quis ſanæ mentis iudicabit hanc aptitudinem ad omnes dignitates, ac officia ſolùm præcellere in vna factione? tum quia regimen Prouinciæ fuit alternatiuum (dicebat Senex ille) tum quia Superiores maiores modò adhibuerunt gubernationi vnam factionem, modò & alteram, tum quia huiuſmodi Superiores alteram proſternerent, ac debellarent pro factionum extirpatione, & non ſubleuarent, ſi tanquam vilis grex præ altera habenda eſſet: non nego tamen, quòd aliquandò huiuſmodi exceſſus in ſingulari homine eluceſcere non poſſit; nihilominus electores aduertere debent circa talem hominem monitum S. Thom. 5. polit. lect. 1. dicentis ex Ariſtot. *Si quis ſit dignor alijs ſecundùm virtutem, dignum eſt eum Regem eſſe, ſed non perpetuum, quia fortè non tantùm excedit dignitas eius in virtute dignitatem aliorum, quantum honor perpetuò regnandi excedit honorem aliorum; & ideò inæqualis eis contigit fieri inæquale ſecundùm proportionem.*

## *QVINTA CONCLVSIO.*

7. ELectores eligentes Conſultores, ac Prouinciales ex propria factione, ac præuidentes inæqualitatem, ac incommoda, quæ inſurgunt, mortali culpa obſtringuntur; nam offendunt iuſtitiam commutatiuam, diſtributiuam, nec non & violant charitatem; ſimulque ſcindunt vnitatem. Suadetur, quia non ſeligunt meliores pro ſtatu illius Prouinciæ, & reſpectu talium ouium, & ita non fauent Eccleſiæ; & eccè violatam commutatiuam; quarè dicebat S. Antonin. de iuſtit. diſtr. tit. 5. c. 3. tom. 4. *Non eſſe magis aptum hominem, qui eſt perturbatiuus boni communis*: quia reſtringunt vota ad merita ſuorum abſque exceſſu; & eccè violatam diſtributiuam; vndè præceptum S. Thom. de regim. Princip. lib. 4. c. 15. eſt: *Vt in omnibus actibus politia inter ciues æqua debeat eſſe ponderatio oneris, & honoris*: quia pax expellitur à Prouincia, notabilis perturbatio excitatur in congregatione, ſeditiones gliſcunt, inuidiæ, & alia enarrata, teſte experientia; & eccè laceratam charitatem; quarè Ariſt 5. ethic. lib. 5. c. 3. ait: *Sed hinc pugnæ naſcuntur, & incuſationes, atque querelæ, cum æqui non æqua, aut æqua non æqui habent, ac potiuntur*: quia tandem diſſoluitur vnitas, ſine qua quælibet multitudo ruit, & de qua tam grauiter loquitur S. Auguſtin. de verb. Domini in Matth. ſerm. 26. tom. 10. *Vnum cogitate fratres mei, & videte in ipſa multitudine, ſi delectat, niſi vnum, eccè Deo propitio, quàm multi eſtis, quis vos ferret, niſi vnum ſaperetis? vndè in multis iſta quies? da vnum, & populus eſt; tolle vnum, & turba eſt: quid eſt enim turba, niſi multitudo turbata? ſed audite Apoſtol. 1. Cor. 1. Obſecro autem vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, & alio loco: Vnanimes vnum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*: de qua etiam non minùs grauiter affatus eſt S. Bernard. de modo benè viuendi ſerm. 41. *Concordia verò*, inquit, *ad faciendum bonum, ad ſectandam iuſtitiam, ad ſeruiendum Deo, bona eſt propter quod ſumus congregati in vnum, vt in ſeruitio Dei omnes vnum ſpiritum, & vnum animum habeamus; omnibus habitantibus in domo Dei debet eſſe*

*anima*

*anima vna, & cor vnum in Deo*: & paulò infrà; *nihil eſt, quòd Diabolus tantùm timeat, quantùm concordiam, & charitatem; nam ſi totum, quod habemus, damus propter Deum, hoc Diabolus non timet, quia ipſe nihil habet; ſi ieiunamus, hoc Diabolus non timet, quia ipſe nunquam comedit; ſi vigilamus; hoc Diabolus non timet, quia ipſe nunquam dormit; ſed, ſi charitatem, & concordiam tenemus, hoc Diabolus vehementer timet*: quarè? Prima ratio eſt eiuſdem Bernardi ibid. *Quia hoc tenemus in terra, quod ipſe in Cœlo tenere noluit.* Secunda ratio deſignatur à D. Gregor. Nazianz. de pace orat. 12. *Omnes ij*, inquit, *qui pacis bonum amplectantur, eique contrariã diſcordiam, & ſeditionem infensè oderunt, ad Deum, qui vnus eſt, & eſſe creditur, non minùs propter concordiam, quam propter eandem eſſentiam, & ad diuinas mentes, quæ à ſancta, & laudanda Trinitate hoc acceperunt, vt vnum ſint, accedunt: contra, qui ij ſunt moribus, vt pugnis gaudeant, & nouitate famam captent, atque in ignominia ſua glorientur, aduerſæ partis ſunt.* Tertia habetur ex D. Chryſoſt. ad Epheſ. c. 4. hom. 11. *Si volumus ergo*, ait, *frui ſpiritu, qui procedit à capite*, id eſt Chriſto, *alter alteri adhæreamus; nam duæ ſunt diuiſiones à corpore Eccleſiaſtico; vna quidem, quandò refrixerimus in charitate; ſecunda autẽ qua auſi fuerimus ea facere, quæ ſunt indigna, vt ſimus in illo corpore; vtroque modo enim nos ſeparamus à pleno illo conuentu: quod ſi collocati, ac conſtituti ſumus, vt alios ad hoc ædificemus, qui priùs ſcindunt quid non patientur? nihil Eccleſiam æquè poteſt diuidere, vt ambitio, & amor Imperij, & gerendi magiſtratus: nihil Deum æquè irritat, atque diuiſam eſſe Eccleſiam; etiam ſi bona fecerimus innumerabilia, non minores, quàm qui eius corpus diſcindunt, pœnas dabimus, qui plenum Eccleſiaſticum conuentum conſcindimus; nam illud quidem factum eſt ad lucrum Orbis terrarum, & ſi non eo animo; hoc autem nullam vſquam habet vtilitatem, ſed ex eo damni eſt plurimùm: hæc dicta ſunt non ſolum ad eos, qui gerunt magiſtratus, ſed etiam ad eos, qui ab illis reguntur*: hæc Chryſoſt. Factionarij has PP. ſententias hic libenter adnotaui non tam ad firmandam concluſionis veritatem, quæ ſatis clara eſt, quàm potiùs ad demonſtrandum, quid ſentiant Eccleſiæ columnæ de factionũ capitibus, eorumque ſequacibus, quæ vnitatem multitudinis, ſacrorumque hominum concordiam ab ambitione ducta conſcindere audent, & proprijs oculis, quaſi in ſpeculo ſuum deplorandum ſtatum inſpiciant, in quo ſub ſpecie zeli, ſeù potiùs ſub prætextu zeli ſunt obuoluta. Heù, heù quàm longè diſtat à vobis ille ſpiritus capitis Chriſti, *qui eſt pax noſtra*, inquit Bernard. vbi ſupr. *qui fecit vtraq; vnum, videlicet, quia Angelos, & homines fecit eſſe concordes*: qui germinare facit in hominum mentibus verum zelum abſcindentem illud, quod abſcindere volebat Paulus à Corinthys, qui in factiones abierant, dum dicebant, *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.*

Dicet fortè factionarius, qui libros euoluit; non eſt lethale peccatum cæteris paribus conferre dignitatem, & honorem amico, conſanguineo, conciui, &c. ergo tam Superiores maiores, quàm ſubditi eligere poſſunt tutè ad dignitates, cæteraque officia eos, qui ſunt ex propria factione. Reſpond. ex Bellarmin. de Princ. Chriſt. lib. 1. c. 10. & Petrin. tom. 2. qu. 2. c. 1. ſ. 15. concedendo quandò non conturbatur pax, & quies, & fit ex cauſa impulſiua, & non motiua: docent Azor. p. 2. lib. 6. c. 15. qu. 4. & Alenſ. p. 2. qu. 119. membr. 2. diſt. 1. ſ. ablata tamen, nota, cauſa factionis, quæ ſub nomine amicorum tegitur, quia vnuſquiſq; ſub mortali tenetur ſe abdicare à nomine diabolico factionarij propter pacẽ, & concordiam introducendam, ac ſcandala extirpanda, ſeditioneſq; ſedandas; nam factioſi ſunt in malo ſtatu, vt aiunt Tabien. tit. ſeditio qu. 1. Caiet. eod. tit. ſimiliter Silu. quæſt. 1. negando, quandò tractatur de conferendis fere omnibus bonis in ſuos, quia grauiter læditur ius eorum, qui negliguntur, & opprimuntur, quia præſertim Prælati non dicerentur fideles diſpenſatores, nec eſſent in vtilitatem omnium ſubditorum, ſed acceptatorum perſonarum nomen ſibi vindicarent in multorum oppreſſionem, quia etiam tota Prouincia conturbatur, vt dictum eſt ſupr. Non dico tamen, quòd Prælatus non queat alicui ſuo amico concedere, eſto ſit minùs dignus altero aliquod bonum ſuo vſui conceſſum abſque eo, quòd dicatur acceptor perſonarũ, Ita Valent. p. 1. q. 7. col. 2. verſ. portò tom. 3.

Dicet iterum factionarius; ex noſtris videtur ſurgere aliquis exceſſus meritorum,

quan-

quantùm ſufficit, vt prætetiri non poſſit ſine culpa veniali: ergo iſti ſunt ſeligendi, & non alij ex contraria factione, quamuis Mundus totus eſſet conturbandus, & non ſolùm Prouincia. Reſpond. quòd in re morali parum pro nihilo reputatur; & ideò exiſtimandum eſt eos cedere ſuo paruo iuri propter bonum commune; imò addit Salonius 2.2. ex concl. D. Thom. qu.63. art. 2. controuerſ. 4. cum Sanch. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 4. in fine tertiæ concluſionis, quòd dignior debet illud pati pro bono communi, quòd ſequitur ex electione concordi, & pacatiori gubernatione; imò addo ego, quòd non ſunt digniores, vt euidenter in dub. 26. probabitur.

Poteſt etiam dici (præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt) iudicium huiuſmodi factionarij non eſſe aptum in ferenda ſententia de exceſſu meritorum, quia prouidere vnicuiq; ſecundùm merita tranſcendit, inquit S. Th. 2. de regim. Princ. c. 15. virtutem naturæ, & cum factionarij non ferantur à ſpiritu Dei, vt affirmant SS. PP. vbi ſupr. ſequitur, eorum iudicium non habere illam totalem rectitudinem ad hominum merita, & demerita metienda. Pro fine quæſiti ad indignitatem iſtorum electorum, qui tanto ſtudio contendunt eleuare homines tanquam capita factionis ad prædictas dignitates, faciunt verba S. Gregor. Nazianz. orat. 14. prolata contra nonnullos factioſos: *Ad quam*, ait, *indignitatem illud etiam accedit, quòd qui à Deo ſalute donati ſumus, hominum cauſa bellum gerimus, tantùmque in nobis contendendi ſtudium exuperat, vt ipſum quoque aliorum ambitionibus cõmodemus, ac pro alienis thronis proprias inimicitias ſuſcipiamus, in vna re duo grauiſſima peccata cõmittentes, nimirum & eorum ambitiones inflammantes, & ipſi vitioſæ noſtræ affectionis hoc adminiculum accipientes, quemadmodum qui in præceps feruntur, propinquas petras, aut firmiores frutices.*

O ſi in terra moraretur D. Laurent. Iuſtin. concluderet quidem tam præſens, quàm præteritum quæſitum ſuis verbis deſcriptis in lib. de obedient. c. 19. diceret, inquam: *Ad vos igitur nunc ò miniſtri Eccleſiæ, & clauſtrales viri meus ſermo dirigitur, qui ſolo habitu, ſoloque nomine Chriſto Domino militatis, qui facies veſtras oſtentatis hominibus, & terga vertitis omnium Conditori, & veſtro: ſatis vobis videtur, quòd delicta veſtra mortalibus lateant, non magnipendentes, quòd ſunt Deo notiſſima, qui ſingulorum iudicabit errata, dicente Apoſtolo 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo: de vobis Dominus Ieſus ſententiam promebat, cum hypocriſim Phariſæorum increparet dicens Matth. 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: cultum quidem Religionis in ceremonijs, per quas minùs illuminati irretiuntur, exhibetis foris, cum intùs vigeant deſſidia, æmulationes, iurgia, elationes, & ſectæ: quæ, oro, vobis conſolatio eſſe poteſt teſtimonium ab hominibus quærere, & habere, qui profectò iudicant ſecundùm faciem, & quæ foris ſunt, cum introrſus aliter conſcientia clamet: Gloria noſtra, ait Paul. 2. Cor. 1. non eſt hominum, ſed teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Fatuæ virgines, quæ ſecum oleum minimè detulerunt, nonne cum redargutione depulſæ ſunt? nihil illis conſcientiæ teſtimonium profuit aliena, ſua illis contra ſe vociferante; non alienum os, ſed veſtra Deo gratificent opera; abijcite, quaſo, tenebrarum opera, quandiù dies eſt.*

## DVBIVM VII.

*An Prælatus, qui vtitur regimine, actionibus, ac functionibus, quæ ex natura ſua ordinantur tantùm in ſubditorum vtilitatem, & boni communis commodum ad hoc, vt in Prælatura aſſumpta conſeruetur, reus ſit peccati mortalis.*

### SVMMARIVM.

1. *Explicantur varij modi tituli, id eſt quomodo poteſt intelligi.*

2. *Tribus generibus humanorum actuum, nempè bonorum, malorum, ac indifferentium deſcriptis, inſinuatur, vndenam bonitas, malitia, & indifferentia dignoſcantur.*

3. *Ex definitione Religioſorum profeſſionis elicitur Prælatos nullum poſſidere ius vtendi ſubditis, operibuſque eorum in proprium commodum; aliàs ſe haberent tanquam ſeruos,*

quod

*quod nequit eiſdem ſubditis conuenire.*

*4. Diffuſè tractatur, quomodò actus liberi interni ſumant bonitatem, & malitiam à fine extrinſeco.*

*5. Prælati, qui principaliter vtuntur ſubditis, eorumque actionibus pro ſui conſeruatione, eſto minus principaliter reſpiciant bonum commune, ſubditorumque vtilitatem, mortali culpa damnantur & id multis rationibus probatur.*

*6. Eſſe quendam prætextum intendere principaliter bonum commune demonſtratur, dum etiam ſecundariò propria intenditur conſeruatio; vnde nequeunt Prælati eximi à graui culpa.*

*7. Nequit ſaluari, quòd Prælati non adſtringantur mortali labe; quamuis eorum finis primarius ab omni expurgaretur prætextu, dum à fine ſecundario ſe conſeruandi in dignitatibus ducuntur: & eſto ſe tantùm vincirent veniali culpa, adhuc à mortali difficilè eximi poſſunt: & multa diluuntur obiectiones.*

1. Præſens quæſitum indagatur; quia cognitio ſequentis nequit haberi, niſi ex matura diſcuſſione proprij tituli: Pro cuius intelligentia ſit prim. notand. quòd quatuor modis poteſt Prælatus ordinare regiment, ac actiones officij aſſumpti pro ſui conſeruatione: Prim. intentione cæca negligendo vitia punire, ne homines ſibi aduerſarios reddat, merita præmijs ornare, ne tandem locus ſibi atripiatur, ſubleuando indignos, poſtponendo digniores dignis, & ſimilia faciendo. Secund. ſiſtendo tantùm intra peccatorum venialium terminos. Tertiò intendendo principaliter bonum commune, ſubditorumq; vtilitatem; & minùs principaliter propriam conſeruationem. Quart. inuertendo ordinem, primariò intendendo proprium commodum, ac conſeruationem; ſecundariò verò ſubditorum, ac boni communis vtilitatem. Poteſt addi quint. ordinando ea tantùm ad Prælaturæ finem, qui videtur eſſe boni communis conſeruatio, & augmentum; nec non & ſubditorum vtilitas: de duobus primis hîc non loquimur, quia alibi erit dubium peatractandum, ſed tantùm de alijs tribus in præſentibus eſt diſcutiendum.

2. Not. ſecund. quòd triplex genus humanorum actuum à DD. aſſignatur. Primi bonorum, quorum bonitas inſurgit ex eo, quòd eorum obiectum, à quo ſpeciem ſumunt, rationi eſt conſentaneum. Secund. malorum, quorum malitia videtur eſſe ex eo, quòd eorum obiectum aliquid rationi repugnans includit. Tert. indifferentium, quorum indifferentia inſpicitur, quandò eorum obiectum non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis: videantur S. Thom. 1. 2. qu. 18. art. 2. Clauis regia lib. 2. c. 2. num. 9. Azor. part. 1. lib. 2. c. 1. quæſt. 1. Cum ergo Prælatorum finis ſit boni communis promotio, nec non & ſubditorum vtilitas, quotieſcunquè eorum intentio fertur in ſuum finem, & obiectũ, profectò actus eſt rationi conſentaneus bonus, & rectus: ſi verò finis peruertitur, & à Prælatis quæritur propriũ cõmodũ, & vtilitas, inſurgit aliquod notabile non rationi conſentaneum; imò ei repugnans; & ideò eorũ actus malus eſt peccatũ; quare homo licèt dignus, qui appetit Prælaturas ratione bonorum temporalium, vel celſitudinis gradus, in illis ſiſtendo tanquam in fine primario, & principali, peccat omninò mortaliter. Ita Sotus de iuſtit. qu. 2. lib. 10. art. 1. Valent. tom. 3. diſp. 10. quæſt. 3. part. 2. Caietan. 2. 2. qu. 185. art. 2. S. Antonin. 2. part. tit. 3. c. 5. §. 4. verſ. Quæritur ergo; peruertit enim Prælaturæ finem, qui eſt principaliter proximi ſalutem procurare; & ideò grauis inordinatio in actu inſurgit rationi valdè repugnans.

3. Not. ter. quòd ſecundùm Panormitan. in cap. Porrectum de Regular. nu. 1. Sanch. lib. 6. ſumm. c. 9. num. 7. Suar. 3. de Relig. lib. 6. c. 11. num. 1. & quamplurimos alios apud Farinac. in conſ. tom. 2. deciſ. 346. num. 2. Religioſorum profeſſio eſt quidam contractus oneroſus vltrò, citròque obligatorius, quo profeſſus ſe obligat Religioni ad ſeruiendum ei ſecundùm regulam eius; & è contra, Religio ſe obligat ad retinendum eum, alendum, & tractandum iuxta ſuum inſtitutum; hinc ſequitur, quòd ſicut aliæ reciprocæ obligationes nequeunt in vnius conſenſu conſiſtere, ſed duabus perſonis indigent habentibus poteſtatem ſe ipſas, vel alias obligandi, vt patet per textum l. in omnibus ff. de act. & obligat. & l. ſicut. C. eodem; ita ad valorem profeſſionis requiritur, vt non ſolùm emittens profeſſionem obliget ſe, ſed etiam vt Religio per ſuum miniſtrum præſtet aſſenſum; quare Suar. vbi ſupr. &

præſer-

præſertim Leſſius de iuſtit. lib.2.c.41.dub.7. num.61. intimè id penetrans dicit: Ad validam profeſſionem duæ perſonæ concurrunt, quarum altera ſe obligat Religioni tradendo ſe in ius eius, & ſe obſtringendo ad manendum in ea; altera Religionem obligat illi recipiendo ipſum in filium, eique iura reliquorum communicando; continet enim profeſſio obligationem reciprocam inter eũ, qui recipit, & alium, qui recipitur iuxta cap. Ad Apoſtolicam de Regul. nota verba, tradendo ſe in ius, quæ inſinuant in Prælato reſidere quandam poteſtatem dominatiuam, vt ex Suar. 3. de Relig. lib.2. cap.18. & ſeq. docet Baſſæus in ſumm. tit. Prælatus num. 2. quæ hoc modo iuxta DD. explicari poteſt: Eſſe ius acquiſitum Religioni, atque eius Prælatis ad imperandum Religioſis, eorum operibus vtendum, prout conueniens iudicauerit: nota verba, quarum altera ſe obligat Religioni, non dicentia Prælato, ſed Religioni, ad oſtendendum, quòd nullum ius acquiſiuit Prælatus vtendi ſubditis, operibuſque eorum in proprium commodum, ſed in ſubditorum, totiuſque Religionis commodum, vt optimè demonſtrat Emin. Lugo de iuſtit. diſp.1. ſect.1. num.6. ex deſignata differentia inter ſeruum, & ſubditum: Seruus enim, inquit, eſt tuus; nam ſicut veſtis, vel panis eſt tuus, quia totum eſſe refertur ad tuam vtilitatem, ſicut ſeruus dicitur tuus, quia ferè eodem modo potes illum, & eius opera ad tuam vtilitatem referre, ſicut veſtem, & panem; ſubditus autem, licèt tibi debeat obedire, non tamen eſt tuus, quia eius obedientia, ſicut & ipſa præcepta non debent referri ad vtilitatem præcipientis, ſed ab bonum ſubditi, cum tota poteſtas gubernatiua tendat per ſe ad bonum communitatis: doctrina quippè certa, & prius tradita à Suar. vbi ſupr. lib.6. cit. num.15. ſic loquente: Nam qui ſe tradit alicui in ſeruum, & ſe tradit ei in ſeruitium, & vtilitatem eius; Religioſus autem licèt ſe tradat Prælato Religionis, non tamen in eius vtilitatem, ſed in cultum Dei: O verè aurea doctrina apud multos parum conſiderata, quæ ſi funditus intelligeretur, non tot incommoda, ac ſeditiones in Religionibus excitarentur. Nec obſtat, quòd ſubditi dicantur ſerui, quia falſum eſt, æquiparantur tantùm eis in multis, vt videre eſt apud Tuſcum lit. Monachus concl. 314. vndè text. in cap. Multos diſt. 54. dicit ſeruitutem ſpiritualem, quæ eſt in Monacho, eſſe ſtrictiorem ſeruitute humana: Abb. in cap. Ex reſcripto num. 1. Ex hac ergo doctrina iterum aurea clarè apparet, quòd, quandò Prælatus vtitur ſubdito, eiuſque operibus in propriam vtilitatem, & commodum, excedit limites propriæ poteſtatis, & ſic peccat vſurpando iuriſdictionem, eamque exercendo, vbi non habet dominium, & nomen Tyranni ſibi vindicare videtur, teſte D. Thom. 3. polit. lect. 6. *Tyrannis eſt quadam monarchia dominatiua politica communitatis, quia ſcilicet vtitur ciuibus, vt ſeruis.*

4. Not. quart, quòd duplex finis eſt aſſignandus in actione, ſeù actu voluntatis; vnus intrinſecus, & proximus, qui eſt idem cum obiecto, & vocari ſolet finis operis; alter extriſecus, & remotus, qui differt ab obiecto, & videtur ſpectare ad circunſtãtias, & appellatur finis operantis: exemplum primi ſit, ſi pauperi eleemoſynam des corporalis miſeriæ ſubleuandæ cauſa: exemplum ſecundi, ſi eam des cauſa captandi vanam gloriam, vel peccatis ſatisfaciendi. Ita Medin. 1. 2. qu. 18. art.4. ad 4. referens Victoriam, Becanus 1. 2. quæſt. 5. c.4. Layman. lib. 1. tract.2. cap.9. num.4. Fillluc. tom. 2. tract. 21. c.5. nu.95. Porrò multis modis contingere poteſt, vt actio ex operantis arbitratu ad finem extrinſecum, tanquam circunſtantiam moraliter afficientem, referri poſſit, quod optimè inſinuat Layman. & Becan. vbi ſupr. duæ tamen ſpectare ad rem noſtram videntur. Prim. cum actus ex obiecto bonus refertur ad finem malum, vt dare eleemoſynam propter vanam gloriam. Secund. cum actus ex obiecto bonus refertur ad finem extrinſecum bonum, vt dare elemoſynam gratia ſatisfaciendi peccatis: in hoc ſecundo caſu circunſtantia finis boni, dummodò ſit diuerſæ ſpeciei, addit nouam ſpeciem bonitatis bonitati finis intrinſeci. Ita Becan. & Layman. vbi ſupr. in primo caſu circunſtantia finis extrinſeci mali ex multorum doctrina omninò deſtruit, & officit actum, qui ex obiecto bonus eſſet, ſimpliciter malum: e. g. pergis ad templum gratia audiendi Miſſam, & gratia captandi vanam gloriam, iſte vltimus, & extrinſecus finis inficit totam bonitatem actionis. Ratio horum videtur eſſe, quia bonũ eſt ex integra cauſa, malum verò ex particulari quocunq;

vitio

vitio oritur. Ita ſentiunt Bonauent. in 2. diſt. 40. art. 7. quæſt. 1. Azor. tom. 1. lib. 2. c. 5. qu. 6. Filliuc. vbi ſupr. num. 109. Vaſq. 1. 2. diſp. 70. quæſt. 19. art. 7. refertur etiã S. Thom. 1. 2. quæſt. 18. art. 6. & quæſt. 19. art. 7. Fateor hanc doctrinam habere ſuam probabilitatem; non carere tamen aliquã rigiditate, præſertim pro Religioſis bonis operibus continuò deditis. Quamobrem dicendum arbitror, quòd vnus, & idem actus nequit eſſe bonus ſimpliciter, & malus ſimpliciter, id eſt lethaliter peccaminoſus; quatenus eſt imperatus à voluntate operantis à fine extrinſeco ducta mortaliter mala; vt dare eleemoſynam mulieri gratia ſubleuãdi eam à miſeria, ſimul eam ad inhoneſtos actus alliciendi, quia iſti duo fines inter ſe directè opponuntur; implicat enim eſſe ſimul in eodem actu conuerſionem ad Deum, & totalem auerſionem à Deo; ideò lethalis malitia finis extrinſeci deſtruit totam bonitatẽ actus à fine intrinſeco habitã, & in hoc ſine difficultate omnes DD. conſpirant; verùm tamen eſt, quòd bonitas actus inſurgens ex fine intrinſeco, ſeù operis non deſtruitur à malitia finis extrinſeci ab operante intenta, quæ tantùm ſit venialis, quia inter ſe non opponuntur directè. Moueor: ſi quis enim eliciat actum internum, obedientiæ, ſpei, & alterius virtutis, vt indè ſumat occaſionem vanè gloriandi: ille prior actus eſt intrinſecè bonus, vtpotè conformis rectę rationi, & aliquandò ordinis ſupernaturalis; quomodò ergo poteſt totaliter vitiari à malitia veniali vanæ gloriæ, dum intrinſecè per dependentiam ſemper reſpiciat ſuam cauſam bonam, cuius gratia à voluntate principaliter fuit productus? maximè quia non ſatis intelligitur, quomodò actus internus charitatis poſſit vitiari ex fine aliquo ſuperaddito operantis, cum ſit eſſentialiter bonus, nec malitia vanæ gloriæ directè opponatur illi. Addo, quòd circunſtantia violationis alicuius præcepti obligantis ſub veniali nequit affectum charitatis hominis vitiare, qui per vnum actum amare Deum ſuper omnia in obſeruatione alicuius præcepti intendit. Prætereà, malitia conſiſtit in priuatione bonitatis debitæ; poteſt autem fieri, vt vni actui interiori debita ſit duplex bonitas, vna temperantiæ, altera religionis, vt contingit in homine religioſo, qui non ſolùm ex virtute temperantiæ, ſed ex voto tenetur temperatè viuere: ergo talis actus poteſt priuari vna bonitate, & alteram retinere; quia vna cum altera non eſt neceſſariò connexa. Nec obſtat illud axioma à SS. PP. relatum, à D. Thom. alijſque DD. probatum: bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu, quia ad eius veritatem ſufficit, quòd bonitas intrinſeca actus ſit ex omni parte integra; licèt extrinſecè idem actus patiatur aliquam imperfectionem venialem; ſeù vt meliùs dicam, illud axioma intelligitur de ſumma perfectione, ac totali; implicat enim actum eſſe ſummè perfectum cum aliquo vitio veniali; non implicat tamen dari perfectionem cum aliqua culpa in eodem actu; aliàs mille incommoda ſequerentur; nam certè infinitæ confeſſiones hominum, ac mulierum forent inualidæ, ne dicam ſacrilegæ, quia ferè ſemper eorum actus ab omni culpa veniali non expurgantur: plurima etiam iuſtorum opera, quæ bona videntur, defraudarentur ſua bonitate, merito, & mercede, imò impetratione pro benefactoribus, quod eſt maximum inconueniens, quia rarò fiunt opera ab hominibus non valdè perfectis, quibus non aliqua imperfectio, & negligentia miſceatur, vt habetur ex Iob. 9. & Iſaia 64. Adde, quòd oratio debita benefactoribus, qui non parua bona largiti ſunt Religioſis, fruſtraretur ſuo effectu, non ſine periculo peccati mortalis ob negligentiam in expurganda oratione ab omni culpa, vt apud Deum non amittat vires impetrandi. Nec obſtat, quòd idem actus eſſet ſimul meritorius, & demeritus, quia nulla inſurgit implicantia, quandò actio emanat à duplici fine; intrinſeco ſcilicet, à quo ſumit eſſentialem bonitatem, & extrinſeco, à quo excitatur leuis imperfectio. Nec obſtat ſimul in eadem actione indiuidua poſſe hominem mereri pœnam purgatorij, & ſatisfacere prò illa, quia non videtur inconueniens eandem actionem, quatenus procedit à cauſa bona, poſſe ſatisfacere pro pœnis debitis alijs peccatis, (quæ etiam in hominibus iuſtis non deſunt, quia ſepties in die cadit iuſtus,) peccato ex. gr. vane gloriæ, quod cõmittitur in ipſamet actione bona, & poſſe mereri pœnam ob cul

pam, quæ actu contrahitur. Huic probabiliori opinioni adhærent Caietan. tom. 1. opuſc. tract. 31. Emin. Lugo de pœnitent. diſp. 15. ſect. 9. referens Caietan. 2. 2. qu. 5. art. 2. & 1. 2. qu. 55. art. 4. Antonin. Perez, & Iacob. Granad.

*PRIMA CONCLVSIO.*

5. PRælatus, quicunque ille ſit, ſeù Generalis, ſeù Prouincialis, ſeù Guardianus, qui vtitur ſubditorum perſonis, eorumque actionibus, ac toto regimine principaliter pro ſui conſeruatione, minùs principaliter pro boni communis augmento, & ſubditorum vtilitate, nequit excuſari à lethali culpa. Suadetur: tunc inſurgere videtur malitia mortaliter peccaminoſa in actione agẽtis, quandò eius obiectum aliquid notabile rectæ rationi repugnans includit, vt ſuperiùs adnotaui; ſed, dum Prælatus intendit vti ſubditis, eorumque actionibus, & ordinare regimen ad proprium commodum, & conſeruationem, ibi ſiſtendo tanquam in fine principali, & primario; ſecundariò tamen in officij fine inſurgit maxima inordinatio multùm rationi repugnans; nam primò ſi in Prælatia regulari daretur duplex finis, eſſet ſumma inuerſio, quia principaliter non ordinaretur ad promouendum bonum commune, ſubditorumque vtilitatem, ſicut de facto ad iſta ſolùm ordinatur. Secundò quia ibi præfigitur finis ab eius ambitione, quem nequit habere, vt dictum eſt in cert. not. ergo nequit à mortali culpa excuſari; quarè optimè dixerunt Sot. Valent. Caietan. vbi ſupr. quibus addo S. Antonin. 2. p. tit. 3. c. 5. §. 4. verſ. quærere ergo; hominem, licèt dignum, appetentem Prælaturam ratione bonorum temporalium, vel celſitudinis gradus, illa ſibi conſtituendo tanquam finem principalẽ, peccare omninò mortaliter. Prætereà, eſto ambitio conſiſtens in appetitu inordinato honorum, ac dignitatum ex genere ſuo ſit tantùm veniale, vt docent S. Thom. 2. 2. qu. 131. art. 1. ibi Caietan. & alij communiter; nihilominus, quandò, mediante aliquo peccato lethali, intendit quis dignitatem conſequi, concludunt Sylui in D. Thom. vbi ſupra. Tolet. lib. 8. cap. 23. Leſſius de iuſtit. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 22. & alij ſeipſum lethali culpa vincit: ſed huiuſmodi Prælatus, mediante culpa graui ſummæ inordinationis finis, propriam ambitionem fouet, quæ Prælaturæ conſeruationem intendit: ergo habendus eſt tanquam lethaliter ambitioſus.

Scio relatam doctrinam ſub illa ratione inuerſionis finium, dum tamen præſcinditur ab illo: An exercere iuriſdictionem non ſibi debitam ſit peccatum mortale, de quo inferiùs; apud aliquos eximi poſſe à mortali ob Riginald. doctrinam in praxi lib. 30. tract. 3. num. 188. quæ docet eum, qui ob tales fines beneficia ad Dei cultum inſtituta appetit, nempè vt viuat commodè, vel vt honorem, & gloriam habeat apud homines: peccare peccato auaritiæ, vel gulæ, vel ambitionis non tamen mortaliter, vt ſentit Nauarr. ob doctrinam Emm. Rodriq. & Homob. quos citatos ſequitur Dian. par. 4. tract. 4. Miſcel. reſol. 100. aſſerentium Epiſcopum, qui ob bona temporalia, vel ambitum aliam pinguiorem Epiſcopatum procurat, peccare tantùm venialiter ob doctrinam Soti, Vaſq. & aliorum, apud Dian. vbi ſupr. reſol. n. 212. quibus ipſe adhæret: quærunt ergo iſti DD. an confeſſio facta principaliter, & fine veniali, ſit inualida; & reſpondent, quòd non ſit inualidum ſacramentum quocunque fine ſuſcipiatur, dum in eo non peccatur mortaliter, quamuis ex eo principaliter, & tanquam ex motiuo ſuſcipiatur, dum etiam ſuſcipiatur ex fine remiſſionis peccatorum, quamuis minùs principaliter, & tantùm impulſiuè. Ratio eſt, quia ex eo, quod hoc modo ſuſcipitur, non deficit intentio ſuſcipiendi ſacramentum: quò fit, vt ſacramentum ex eo non inualidetur, quia valor ſacramenti pendet tantùm ex dicta intentione, & ex partibus eſſentialibus illius, quæ omnia habentur in caſu.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

6. ADhuc huiuſmodi Prælatus, eſto, principaliter intendat bonũ commune Prælaturæ, & minùs principaliter, ſeù ſecundariò propriã conſeruationem, nequit eximi à lethali culpa, quia eſt quidam prætextus, ſeù bonum commune ab inordinato intellectu inuentum, ad velandam lethalem ambitionem, ad obſtandum conſcientiæ ſtimu-

ſtimulis; vndè talis ordinatio finium tranſit in naturam primæ concluſionis: Percipe ambitioſe Prælate probationes Sole clariores: huiuſmodi fines inter ſe ſe repugnãt: ergo primus eſt tanquam quidam prætextus ab ambitione inuentus: antecedens ſuadetur: de ratione intrinſeca boni communis politiæ, ſeù Reipublicæ, ſub qua morantur omnes Regulares, quia ad omnia bona Religionis habent ius, eſt, vt homines ſibi inuicem pręſtent commoda, & incommoda, honores, & lucra, vt obſeruant Ariſt. 7. polit. cap. 14. & S. Thom. 4. de regimin. Princ. c. 8. Ille ait: *Manifeſtum eſt, quòd per multas cauſas neceſſarium eſt, vt omnes ſimiliter participes ſint viciſſim imperandi, & parendi; æquum enim idem ſimilibus*. Hic inquit: *Aſſumendi ſunt Rectores viciſſim in politia, ſiue Conſules, ſiue magiſtratus vocentur, ſiue quocunque alio nomine, dummodo idonei repariantur*: de ratione finis ſecundarij Prælati, nempè propriç conſeruationis eſt, quantùm in ſe eſt, obſtare naturæ huiuſmodi boni regiminis; nam intendit multos arcere à Prælatura, fruì ſemper eius commodis, ſubditorum incommoda non ſubire: ergo inter ſe ſe repugnant: ergo clarè apparet illum finem primarium eſſe quendam prætextum, ſed quo celatur ambitio dominij cum aliorum oppreſſione. Addo, quòd etiam ratio intrinſeca boni cõmunis poſtulat, vt multæ dignitates, & officia alijs conferantur, vt apti fiant ad regendas illas, quæ poſſidentur ab ipſo ambitioſo Prælato, vt optimè inſinuat Emin. Lugo de iuſtit. tom. 2. diſp. 35. ſect. 5. num. 58. Multùm, inquit, expedire ad bonum commune, vt multi apti fiant ad regendum: ſed huiuſmodi conſeruatio, etiam ſecundariò intenta, obſtat tali iuſtæ diſtributioni; nam eo ipſo, quòd talis Prælatus intendit ſe ipſum conſeruare, intendit etiam officia, ac honores, per quos tandem facillimè locus eſt arripiendus, alijs denegare; quarè mille rationes ambitio miniſtrabit pro officijs, dignitatibuſque denegandis, & maxima cum facilitate, quia non eſt homo mortalitate indutus, qui non habeat, in quo reprçhendi poſſit: ergo. Præterea, nil magis fouet bonum commune Reipublicæ, quàm eius conſeruatio, & nil ei magis aduerſatur, quàm eius deſtructio: ſed talis conſeruatio Prælati deſtruit boni communis conſeruationem; nam eo ipſo, quòd eã intendit, intendit etiam arcere iuſtitiam diſtributiuam, per quam conſeruatur Reſpublica, & Religio, vt optimè inſinuat S. Th. vbi ſupr. lib. 4. c. 3. *Iuſtitia*, ait, *eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens, quæ quidem ſiue legalis, quæ dominium iuſtum vocatur à Philoſopho, ſiue diſtributiua, ſiue commutatiua, quæ partes intrinſecæ omnes ſunt politiæ, in Ciuitatibus, & præcipuè neceſſariæ; imò ſine eis exerceri non poſſunt, vt Philoſophus tradit in 5. Ethic. nec etiam conſeruari*: & 5. polit. lect. 6. *Sola Reſpublica*, ait, *benè manſiua eſt in qua obſeruatur æquale ſecundùm dignitatem, & traditur vnicuique, quod ſuum eſt*: adhuc intendit excitare factiones, ac ſeditiones, quæ ſunt illud deſtructiuum è directo deſtruens, & annihilans bonum commune cuiuslibet Imperij, quod eſt vnitas, & pax, vt dicit Caietan. in ſumm. tit. Seditio: *Seditionem*, aiebat Ariſtot. 5. polit. c. 3. *autem concitant in paucorum quidem potentia, multitudo indignè ferentes, quòd cum ipſi ſint pares, non pariter honorantur*: ergo ille finis primarius intentus à Prælato nequit conſiderari, niſi vt quidam prætextus ad velandam ambitionem, ac ad obſtandum ſtimulis conſcientiæ; vndè clarè apparet talem ordinem finium pro lethali culpa tranſire in naturam primæ concluſionis.

Nec obſtat ſeditiones non videri, quia cũ *ſeditio ſit diſſenſio occulta*, teſte D. Thom. 5. polit. lect. 2. priùs in volũtatibus excitatur; nam huiuſmodi Prælatus ſuam conſeruationem intendens habet voluntatem alijs denegandi dignitatem poſſeſſam; excluſi poſſident voluntates ei contrarias, ſcilicet ea fruẽdi, & ita *diſſident volũtates*, inquit S. Th. vbi ſupr. & tandem tẽpore congruo diſſenſiones, ſeditioneſque fotas erumpunt; teſte Ægid. Roman. de reg. Princ. 1. p. lib. 3. c. 15. *Qui vident nullam dignitatem ſe poſſidere, ſi contingat eos eſſe viriles, & animoſos, ſeditiones mouent*: loquatur Prouincia, de qua agimus. Quamobrem Prælatus, qui huiuſmodi obiectionem mouet, expers eſſe videtur naturæ regiminis, quod non per quodlibet incommodum iniuſtitiæ corrumpitur, ac diſſoluitur, ſed ad corruptionem diſponitur, vt inquit idem Ægidius vbi ſupr. lib. 1. part. 2. c. 11. relata ſimilitudine humani corporis: *Non qualibet inæqualitas tollit vitam corporis naturalis; tamen qualibet inæqualitas ægrotat*,

*tat, & infirmat ipſam; ſic non qualibet iniuſtitia corrumpit totaliter Regnum, & politiam; tamen per quamlibet iniuſtitiam Regnum, & politia infirmatur, & diſponitur ad corruptionem:* quæ tandem debito tempore, & data opportuna occaſione excitatur. Heù, heù! quot mala, & diſſenſiones gliſcunt in communitatibus, quæ multò priùs erant natæ in voluntatibus.

### TERTIA CONCLVSIO.

7. QVamuis ille finis primarius Prælati quandam rationem prætextus non indueret, adhuc nequit mortali culpa vacare, dum per finem ſecundarium in ſuo regimine vtitur ſubditis, eorumque actionibus ad ſui conſeruationem: ſecus ſi alienat à ſe omnem propriam vtilitatem, inhærendo tantùm fini officij aſſumpti. Suadetur prim. vſurpare iuriſdictionem non ſibi debitam ex genere ſuo eſt peccatum mortale, vt inquiunt D.Thom. 2.2. q.60. art.6. Nauarr. conſ. de hær. num.5. Fernand. p.4. c.10. num.1. notatur 1. vltim. ff. de iuriſdict. omn. iud. Cunha tract. de confeſſ. qu.5. num.5. Leſſius de iuſt. lib.2. c.29. de Iudice dub.6. nu.51. & 53. Filliuc. tom.2. tract.40. c.10. nu.154. & 156. Salon. Aragon. Valent. 2.2. D.Thom. qu.67. art.1. Sotus de iuſtit. quæſt.4. art.2. & 6. Fagund. in 4. præcept. decal. lib.8. c.18. num.13. referens Caietan. ſed dum Prælatus in regimine vtitur ſubditis, eorumque actionibus ad propriam conſeruationem vſurpat iuriſdictionem non ſibi debitam, quia in ſubditos ſub illa ratione, ac fine extrinſeco nullum habet ius: ergo eximi à lethali culpa nequit. Reſpondet fortè quiſpiam, qui ſuam ambitionem velamine boni communis primariò intenti tegere conatur, veram eſſe doctrinam, quandò vſurpatio iuriſdictionis tantùm extenditur in ſubditos; non verò quandò eſt ſimul cum bono publico primariò intento. Sed contra: finis extrinſecus lethaliter malus ab operante intentus inficit totam bonitatem actionis inſurgentem ex obiecto, ſeù fine intrinſeco bono, vt ex communi DD. ſenſu ſupra firmatum eſt, & non è contra: at talis Prælatus vtendo in ſuo regimine ſubditis, eorumque actionibus, licèt ſecundariò ad ſui conſeruationem, verè vſurpat iuriſdictionem in ſubditos non ſibi debitam, quod ſub mortali ei prohibetur: ergo tota bonitas ex primario fine intenta deſtruitur: ergo totaliter, & lethaliter peccaminoſum videtur eſſe regimen, & quis non arguet Prælatum de lethali culpa? Rurſus reſpondebit ille ambitioſus, qui exoptat cõſeruationem officij habere; licèt ſit vera doctrina allata in argumento, nihilominus illa bonitas intrinſeca actionis emanata à primario fine boni publici, ſubditorum vtilitatis a Prælato intento refundit, vt ita dicam, aliquid bonitatis in finem extrinſecum, quod videtur temperare malignitatem vſurpationis iuriſdictionis, ita vt nequeat imputari, niſi ad veniale: doctrina, ſeù potius tergiuerſatio ad nutriendam ambitionem. Sed contra: in quacunque actione, in qua tota ratio peccati mortalis inuenitur, eſt tanta malignitas, vt nequeat tolli, manens in eodem genere moris per quamcunque bonitatem, vt optimè inſinuat D.Th. 1.2. q.88. art.4. Syluius ibi. Medin. 1.2. qu.19. art.1. & alij; ſed in ſecundario fine Prælati inuenitur tota ratio peccati mortalis, quia verè, & realiter vſurpat iuriſdictionem non ſibi debitam, & ſe habet tanquam Dominum erga ſubditos cum non parua iniuria eorum: ergo per quamcunque bonitatem ei extrinſecam nequit abſcindi eius malignitas, ita vt tranſeat de mortali in veniale. Et confirmatur: malignitas lethalis culpæ innenta in ſuſpenſione furis facta à Iudice ex affectu propriæ vindictæ, nequit temperari, ita vt tranſeat de mortali in veniale per bonitatem etiam primariò intentam ab ipſomet Iudice ratione vindictæ publicæ, vt omnes fatentur: malitia lethalis culpæ ratione dominij abſoluti, quam habet Prælatus regularis in diſtributione bonorum communium, quamuis intendat primariò regulas iuſtitiæ diſtributiuæ ſeruare, non aufert ab eo peccatum proprietarij, vt etiam omnes fatentur: ergo malitia vſurpationis iuriſdictionis talis Prælati nequit temperari per bonum publicum primariò intentum, quin mortifera culpa ſit. Suadetur ſecund. quia præfigit officio Prælaturæ finem talem, qui repugnat ei ineſſe; vndè, re funditus conſiderata, inſurgit maxima inordinatio, quæ nos cogit ipſam lethale crimen iudicare, & propter excellentiam officij, quod tantùm reſpicere vult animarum ſalutem, & propter fidelitatem, quam talis Prælatus Religioni non ſeruat; cuius vice

Præ-

Prælaturæ munus exercet, & propter iniuriam, quæ ſubditis irrogatur; nam inuiti hoc ſuſtinent, quia tantùm per obedientiæ votum ſe obligauerunt Religioni inſeruire: ergo huiuſmodi finis extrinſecus nequit à culpa lethali excuſari.

Addo, quòd, licèt ex hoc deprauato fine tantùm culpa venialis inſurgeret, difficilè poteſt eximi talis Prælatus a culpa mortali ob periculum proximum ruendi in mortale; nam ſe vincire culpis venialibus cum proximo periculo elabendi in mortale eſt mortale, vt omnes fatentur DD. ſanè proximum periculum in caſu ſatis dignoſcitur ob naturalem inclinationem, quam vnuſquiſque habet ad imperandum, ob actualem malitiam, quæ quamlibet actionem Prælati pro ſui conſeruatione inuoluit; vndè ambitio eſt tanti ponderis, vt flectat omnem voluntatem etiam ab omni malitia alienam, vt inſinuat Diuus Ambroſius de tent. cert. Chriſti in c.4. Luc. *Non Euam*, ait, *cibus flexerat, non mandatorum deſtituerat oblinio, ſed proximi honoris illecebra decepit*: ob propenſionem, quam vnuſquiſque ad ſeipſum habet, quarè dicebat Tiraquell. de pœnit. temp. caſu 51. à num. 82. *Tantus eſt amor ſui, vt quiſque etiam ſanctiſſimus caecutiat in proprijs*: ob cæcitatem etiam, quam ambitio ingerit intellectui notatam à D. Bernardo in ſerm. 6 in pſalm. *Qui habitat*: *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, excæcatrix cordium, &c.* quę omnia ſimul vnita cum infinitis actionibus, quibus animarum regimen quotidie eſt propagãdum, ſatis oſtenditur difficillimè poſſe Pręlatum ſuſtinere tantam molem actionum abſque inuerſione intentionum in multis caſibus grauibus, & ſic ſæpè non incidere in lethalem culpam. Et confirmatur ex Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 4. controu. 2. ex Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 41. num. 6. ex Sayro lib. 1. c. 11. n. 7. quibus adhærent multi viri graues, vt teſtatur Salon. aſſerentibus Iudicem, qui habet propoſitum cæteris paribus ſemper ferendi ſententiam pro amicis, eſſe regulariter in periculo peccandi mortaliter, ſicut etiam Epiſcopum, qui haberet animum conferendi ſemper beneficia cæteris paribus ſuis conſanguineis, quia, cum affectus facilè iudicium perturbet, ſæpè imparia iudicabit ob talem affectum paria: ergo multò magis in proximo periculo lethaliter peccandi verſabitur talis Prælatus, quia affectus propriæ conſeruationis ob circunſtantias ſuperiùs deſcriptas ſit magis cæcus, & potens; quarè magis perturbabit eius iudicium, & maiori cum facilitate fines intenti confundentur, & quandò iudicabit præ oculis ſe habere bonum cõmune, ſæpè feretur à deſiderio propriæ conſeruationis; maximè quia bonum commune ſemper poſtulat, vt expendantur ſubditorum merita, quorum rectitudinis cognitio ab affectu deprauato impeditur. Quamobrem Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 9. ſect. 7. num. 26. tom. 1. preſens periculum inſpiciens docuit: Maius, & quaſi radicale periculũ Prælati oriri ex defectu intentionis in ſuo regimine: & Cicero 1. offic. aiebat: *Facillimè ad res iniuſtas impellitur, vt quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupido*. Secunda pars non indiget probatione, quia Prælatus tantùm intendit officij finem, ad quod eſt electus.

Dices, ſi quis appetat beneficium, modò ſit dignus principaliter, vt proſit, & minùs principaliter ob vtilitatem, & honorem, non peccat, vt optimè inſinuant Nauarr. lib. 5. conſil. de ſent. excom. conſ. 17. nu. 7. Homobonus de bon. human. vitæ ſtatibus p. 1. c. 6. & alij albi citandi: ergo etiam huiuſmodi Prælatus, qui ſuis functionibus principaliter intendit prodeſſe, eſto ſecundariò intendat propriam conſeruationem, & honorem dignitatis, non erit lethalis culpæ reus. Reſpond. concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ratio diſparitatis oritur, quia licèt beneficia ex ſua primaria intentione ſint erecta ad cultum Dei, animarumque ſalutem, ſecundariò tamen ſunt inſtituta ad ſuſtentandum miniſtrum Eccleſiæ, & in cibum pauperum, vt dicunt DD. citati; non ita Prælaturæ Regularium, ſed tantùm ſunt erectæ ad conſeruandum, promouendumque bonum commune, ac ſubditorum vtilitatem; vndè nequeunt Prælati eis vti in ſui commodum niſi peccando in iuriſdictionis vſurpatione. Aduertant lectores, quòd non loquimur in concluſione de appetitu Prælati, ſed de propria conſeruatione in officio, quæ tanquam finis extrinſecus mouet eum ad producendas actiones, regimenque ordinandum.

Dices, nullum videtur inconueniens, quia bonum

bonum commune, animarumque ſalus ob finem primarium intentum non periclitatur. Reſp. quòd peccatum non exoritur ex bono publico læſo ſecundùm hanc concluſionem, ſed ex vſurpatione iuriſdictionis non ſibi debitę ob finem extrinſecum adiunctum fini intrinſeco; ſecundùm verò præcedentem ex bono publico læſo ob rationes ibi recitatas.

Dices, ſatis honeſtatur conſeruatio Prælaturæ ſecundatiò intenta à Prælato, quia ſub eius Imperio regimen pacatum extenditur; nam ſubditi magna pace fruuntur, iuſtitia diſtributiua in omnibus obſeruatur, & ob ſeruatio regularis propagatur. Reſp. eſſe falſum, quia non obſeruantur regulæ iuſtitiæ diſtributiuæ iuxta doctrinam in præcedenti concluſione relatam; quarè regimen rationabiliter nequit extendi pacatum; quòd ſi tale inſurgit, potiùs ex oppreſſione facta cũ timore pœnæ infligendæ, quam ex rectitudine regiminis. Sed addo aliam reſponſionē aſſerendo eſſe velamen ad tegendam ambitionem; nam regimen aliorum etiam florebit cum hac rectitudine, & forſitan meliùs; imò illa rectitudo non eſſet recognoſcenda ab oculis ipſiuſmet Prælati pro ſui conſeruatione, quia in proprijs vnuſquiſque cæcutit; vndè aiebat S. Thom. 3. polit. lect. 7. *Homo vt plurimùm peruerſum habet appetitum reſpectu ſui ipſius, quia vnuſquiſque nimis afficitur ad ſe ipſum; & ideò propter nimiam dilectionē, & affectionem, quam habet ad ſe ipſum, voluntas peruertitur à recto fine; & ideo indicantes de ſe ipſis praue indicant*: ſed ab electoribus eſt recognoſcenda, quorum munus eſt conſeruare, & auferre Prælaturam ſecundùm quòd eis videbitur magis expedire ob maius bonum commune promouendum; quarè cõcludendum eſt rationes adductas in ordine ad conſeruationem habere rationem velaminis ad nutriendam ambitionē, nec non & ad commodis Prælaturæ fruendum; vndè tali Prælato conuenit illud Ariſtot. lib. 3. polit. c. 4. *Nunc autem ratione commodorum ex Reipublicæ gubernatione prouenientium, volũt continuò in poteſtate eſſe*. Recordentur Prælati, quòd commune bonum eorum, qui viuunt ſub regimine diſtribuendo ſecundùm meritorum menſuram, poſtulat, vt homines ſibi inuicem præſtent honores, vt dicit Ariſt. vbi ſupr. *Quapropter ciuilia quoque Imperia, cum ſint ſecundum æqualitatem ciuium conſtituta, & ſecundùm paritatem, viciſſim exigunt ea gerere, primum qua natura fert, cenſentes inuicem munera ſubire, & conſiderare viciſſim quoddam illius bonum, quemadmodum ille priùs, dum præeſſet conſiderauit vtilitatem illius*: & S. Ambroſ. lib. 5. examer. c. 15. ait: *Quid hoc pulchriùs? & laborem omnibus, & honorē eſſe communem, nec paucis arrogari potentiam, ſed quadam in omnes voluntaria ſorte transſcribi*: aliàs aperitur via diſcordijs, ac ſeditionibus; nam excluſi ab honoribus, cum ſint pares illis, qui Imperium gerunt, moleſtè ferũt tam notabilem differentiam; quarè facillimè aggrediuntur ſeditionem: denuò lege ambitioſè Prælate aureum præceptum Ariſtot. vbi ſupr. *Seditionem autem concitant in paucorum quidem potentia, multitudo indignè ferentes, quòd cum ipſi ſint pares, non pariter honorantur*.

Libenter aggreſſus ſum præſens dubium, à nemine, quem viderim, tractatum; libenter veritatem tradam ad tollendam ulta incommoda, quæ in Religionibus ſuſcitantur, præſertim ad reſecandum illud bonum commune, quod multi Prælati tanquam primarium finem ſibi præfigunt, ſub quo videtur eis licitum vti regimine, ſubditis, eorumque actionibus in propriam vtilitatem, & conſeruationem, quòd potiùs eſt medium, ſeu velamen ad tegendam ambitionem, ad inuertendam naturam regiminis, ad opprimendos idoneos, ad cumulandos ſequaces, ad formandas factiones, & tandem ad perpetuandum Imperium in ipſis, & amicis. Sacri Prælati, Paſtores peculiaris gregis Chriſti, Vicedei in terra, Prælaturæ regulares ſunt tantùm inſtitutæ ad procurandam animarum ſalutem, & ad magis, magiſque propagandam perfectionem, ad quam vnuſquiſque Ordo intendit promouere ſuos filios, & non ad veſtram vtilitatem, & hoc non ſine diuini Numinis prouidentia, quia, experientia teſte, perfectio religioſa ſuſtentari nequit niſi Prælatorum regimen ab omni proprio commodo ſit expurgatum; ideò dicebat Rodriq. tom. 1. quæſt. 34. art. 5. Ex prætenſionibus enim officiorum Regularium æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, ſectationes, & id genus alia genimina viperarum emergunt, quæ cum in proprio intereſſe radices emittant, exinaninnt Religionem vſque ad fundamentum in ea.

## DVBIVM VIII.

*An Prouincialis diſponens aliquas locorum familias, vt eos eligant in Diſcretos; qui poſteà in Capitulo ſua vota conferent ad eligendum Prouincialem, ac Definitores, ſeù Conſultores ex ſua factione, peccet mortaliter.*

### SVMMARIVM.

1. *TRiplicitèr diſponi poſſunt locorum familia pro eligendis Diſcretis.*

2. *Prouincialis tam factionarius, quàm non factionarius diſponendo familias locorum, vt illi eligantur in Diſcretos, ſeù ſocios, qui tandem in Capitulo pro dignitatibus pro ſe, & amicis ferent vota, lethali labe vincitur: ſecus Generalis, ſi in hoc operatur ob pacem excitandam: vtraque pars varijs rationibus probatur.*

3. *Item Prouincialis non laborans factionis morbo, qui tamen vtitur huiuſmodi diſpoſitionibus ad principaliter promouendum bonum commune, & minùs principaliter ad ſui conſeruationem, non excuſatur à culpa mortali: & ſoluuntur duæ obiectiones.*

4. *Diſcreti creati à locorum familijs diſpoſitis à Prouinciali pro ſua, vel amicorum creatione ſunt nulli.*

1. Satis indagata veritate ſuperioris dubij, facillimè veritas præſentis quæſiti habetur, præſuppoſito vnico notando, quòd diſpoſitiones, quæ fiunt pro Diſcretis eligendis à locorum familijs, duobus modis poſſunt inſpici; vel factæ in bonum finem; vel artificiosè in malum. Prim. quando Generalis, ſeù Viſitator iuxtà proprium munus ingrediuntur aliquam Prouinciam pro eius viſitatione, & aliquas diſponunt familias, vt ſeligantur Diſcreti pro illa qualitate ſeruanda in dub. 26. notata: poſſunt adhuc fieri huiuſmodi diſpoſitiones pro aliquibus Religioſis inſignibus, quorum virtutes, & merita attrahunt vota electorum, & non amicitiæ, vt in Capitulis ſint homines inter omnes digniores, qui dignè, ac prudenter maiores celebrent electiones in fauorem boni communis, & non ſingularis perſonæ; ſanè id non videtur damnandum, quia extat obligatio Superioris fauendi bono communi inſignibus Religioſis, qui ſcientia, prudentia, ac ſanctitate poſſint ſuis votis promouere homines ad maiores dignitates Religionis, vt ipſi vnà cum alijs finem monaſticæ vitæ conſequantur. Secund. in malum finem, quandò videlicet Prouincialis tam factionarius, quàm non factionarius ita ordinat, ac diſponit familias, vt ſint Diſcreti, qui ſibi, & amicis pro ſui, & ſuorum conſeruatione, ſeù creatione in dignitates, & officia ſuffragia præſtaturi ſint.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. PRouincialis tam factionarius, quàm nō factionarius diſponens, ac ordinās artificijs aliquas locorum familias, vt eligātur Diſcreti, qui ſuffragia ſibi, & amicis pro Prælaturis, alijſque dignitatibus in Capitulo conferant, ſine vlla dubitatione mortaliter peccat: ſecus Generalis, ſeù Viſitator illas diſponens ſecundùm primam acceptionem. Hæc ſecunda pars ſuadetur, quia ad ipſos ſpectat, quantùm fieri poteſt, in Prouinciam pacem inducere, partialitates, ac diſcordias componere, iuſtitiam tam diſtributiuam, quàm commutatiuam ſeruare. Ità Rodriq. tom. 2. q. 1. art. 1. imò ad finem componē di diſcordias, iurgiaque reſecandi, ſunt præcipuè ab ipſa natura inſtituti, vt docet S. Th. 3. de regim. Princip. c. 5. ſæpè referendus: ſi verò pars dominans, ac imperans fremit, & vſque ad ſydera exclamat, exclamet vtique ſuo beneplacito, quia ſunt clamores rauci, imò muti non attingentes Cœlum, ſed infernum penetrantes pro maiori pœna, tanquam iniuſti, nec Iudex debet terreri, quia ſcriptum eſt Eccleſiaſt. c. 7. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates*: audite quæſo ea, quæ dicit Rodriq. vbi ſupr. de Viſitatoribus deſtinatis à Generalibus ad viſitandas Prouincias: Si enim, inquit, hi Patres ad grauia negotia decidenda partiales in aliquo ſe oſtenderint, omnium peccatorum rei profectò à fratribus iudicabuntur, & quidquid facere tentauerint, in malam partem ab eis accipient; nam cum Prouincias ſibi commiſſas, non vt oportet, paſtoraliter viſitauerint, non relinquent earum

rum Religioſos in loco paſcuæ collocatos, ſed in diſcordia antiqua magis irradicatos, ita vt de ijs Prouincijs dici poſſit eſſe ab apro de ſilua exterminatas, & à ſingulari fero eſſe depaſtas, quæ ſic exterminatæ, & depaſtæ in plateis clamitant, & clamor earum vſque ad Principum, & Regum tribunalia non ſine maximo Religionis diſcrimine aſcendit: hęc Rodriq. conſiderate ergo, quàm putandę ſint licitæ diſpoſitiones deſignatæ. Nec Generalis, ſeu Viſitator illas retardare debent à clamoribus partis dominantis, ſeù, vt meliùs dicam, opprimentis alteram territi, qui fortè audent in hoc prorumpere, quòd Prouincia fruitur ſumma pace, & quiete, quia eſt pax tyrannica ex debellatis aduerſarijs inſurgens, qui iniuſtè opprimuntur; vndè eis conuenire debet illud dictum Taciti Agric. apud Lipſium polit. lib. 6. c. 5. *Auferre, trucidare, rapere falſis nominibus Imperium, atque vbi ſolitudinem fecerint, pacem appellant*: & S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 246. ait: *Pax, ſi annexam iuſtitiam habet, diuina quædam res eſt; ſi autem altera ſine altera ſit, virtutis pulchritudinem labefactat; nam & prædonibus inter ſe, & lupis pax eſt, illis nimirum in hominum perniciem, his autem in ouium exitium: at pacem hanc minimè appellarim, quæ iuſtitia minimè ornata eſt*: & memor debet eſſe Prælatus ſe vicem gerere illius, de quo loquitur Auguſtin. pſalm. 124. *Quia Chriſtus filius Dei pax eſt; ideò venit colligere ſuos, & ſeternere à malis, à quibus malis? qui oderunt pacem, qui volunt conſcindere vnitatem, qui falſam pacem pronuntiant populo, & nec illam habent*: & paulò inferiùs: *Si enim in ſpiritu eorum eſſet pax, nonne vnitatem diligerent, & relinquerent diſſenſionem?* Prima pars (loquendo de factioſo) eſt ita manifeſta cumulatis ſuperiorum, ac ſequentium dubiorum doctrinis, vt nequeat negari, niſi etiam negetur, quod eſt luce clarius, quia illæ diſpoſitiones familiarum malitiam lethaliter peccaminoſam induunt ex fine mortaliter peccaminoſo, qui eſt imperare cum alterius oppreſſione; nam media etiam indifferentia malitiam, ſeù bonitatem deſumunt à fine intento, vt dicunt communiter DD. tū quia offendit iuſtitiam diſtributiuam, quia ſemper fit cum multorum iniuria, tum quia lædit charitatem perturbando pacem, vnionemque, quæ eſt finis proprij muneris, non conſeruando, ſeditionemque ſuſcitando: *Vbique enim*, inquit Ariſtot. lib. 5. polit. c. 1. *propter inæqualitatem oritur ſeditio*. cum omnibus malis ſæpè, ac ſępius enarratis: loquendo poſteà de vtroque tam factioſo, quàm nō factioſo, his duobus argumentis ſolidatur. Eſt doctrina DD. vt ſuperiùs dixi, imò regula generalis tradita ab Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 3. num. 17. docens quemcunq; exercentem iuriſdictionem in aliquem, quam legitimè non habet, peccare peccato vſurpationis iudicij, & iuriſdictionis: ſed Prouincialis diſponens familias, vt ſint Diſcreti, qui ſibi, & amicis vota præſtaturi ſint, limites ſuæ iuriſdictionis excedit; nam ſub illa ratione nequit vti ſubditorum perſonis, neque eorum operibus, vt dictum eſt: ergo. Prætereà, finis officij Prælati eſt promouere ſubditos ad perfectionem, ad quam Ordo intendit ſuos filios ſublimare, vt dixi in quinto dubio in illis verò diſpoſitionibus negligitur, imò funditus eneruatur perfectio, quia nutriuntur factiones, ex quibus ſequitur, inquit Peirin. tom. 2. qu. 2. c. 2. §. 3. eneruatio diſciplinæ regularis: & S. Gregor. 3. part. admon. 23. ait: *Penſemus, quanta ſint mala diſcordiæ, quæ niſi extincta funditus fuerint, bonum ſubſequi non permittunt*: ergo nequeunt iudicari huiuſmodi diſpoſitiones, niſi lethaliter peccaminoſæ.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. PRouincialis non factioſus, qui his diſpoſitionibus vtitur principaliter ad promouendum bonum commune, eas tamen intendit minùs principaliter ad ſui conſeruationem, à lethali culpa excuſari nequit. Concluſio ſatis remanet probata ex doctrinis traditis in præcedenti quæſito, explicatur etiam hoc argumento: quandò Prælatus vtitur ſubditis, tanquam ſeruis, quis neget, eis non irrogare grauem iniuriam? ideò S. Thom. 3. polit. lect. 5. ait: *Principari dominatiuè Ciuitati vtentes ciuibus, ſicut ſeruis, ſcilicet ad ſuam vtilitatem eſt contra iuſtitiam*: hoc autem inſurgit profectò ex illis diſpoſitionibus prædictis, vt patet ex tert. notand. ſuperioris dubij: ergo. Adde, quòd, qui abutitur poteſtate ſibi tradita in re graui, nōne eſt damnandus lethali labe? ſanè: huiuſmodi abuſio ſatis dignoſcitur prędictis diſpoſitio-

ſitionibus,quia nomẽ Prælati amittit,& illud Tyranni ſibi vẽdicat iuxta doctrinã S.Th.de regim.Princip.lib.3.c.7. *Quia ordinat regimẽ ad onus, & moleſtiam ſubditorum*, vndè ſubdit 3.polit. lect.6. *Tyrannis eſt quadã monarchia dominatiua politicæ communitatis, quia ſcilicet vtitur ciuibus, vt ſeruis*: ergo.

Dices, nulla videtur inordinatio, quia bonum commune nullam patitur iacturam; nã homines, ob quos fuerũt ordinatæ illæ diſpoſitiones,ſũt inter omnes digniores,& apti ad magis promouendũ bonũ cõmune. Reſponſio habetur ex præced. quæſt.

Dices,poteſt Prouincialis cõferre ſuffragiũ amico pro aliqua dignitate, altero neglecto, quãdò inter ipſos eſt meritorũ æqualitas: ergo etiã poteſt ordinare illas diſpoſitiones ad ſui ipſius commodũ,dum bonũ commune nõ negligitur,imò fouetur. Reſp.quòd, quandò Prouincialis confert amico votũ, nõ exercet aliquã iuriſdictionem ſpectãtem ad poteſtatẽ dominatiuã,ſed quatenus habet ius eligendi, ſicut omnes alij electores; ideò non vſurpat iuriſdictionẽ,nec alteri irrogatur iniuria,quia merita ſunt æqualia. Aduertant electores, quòd in conferendis votis amicis inſurgere poteſt grauis,& lethalis culpa, & erit,quãdò ex multiplicatis amicis inSuperiores,alijs neglectis,nõ parua occaſio eis datur ſeditioſè ſe habẽdi ob excluſionẽ ab honoribus;vndè coguntur ad fauorem aliorũ pro ſui exaltatione recurrere. Hæc,quæ dicta ſunt de Diſcretis, facillimè poſſunt applicari creationibus Superiorũ localiũ, quæ fiunt à locorũ familijs.

An poſtea huiuſmodi Diſcreti creati à familijs locorũ,erectis,ac formatis à Prouincia li in ſui vtilitatẽ,ſeù amicorũ ſint nulli ac inualidi. Reſpondendũ eſt affirmatiuè,quia priuati homines nequeũt regulariter cõſtituere Collegiũ,vt probat tex.c.Dilecta de exceſſib. Prælat. Aloyſ.Ricc.in collectã.deciſ.p.3.collect. 633. Guido Papa deciſ.258. Barboſ. in collect.DD.in c.Dilecta vbi ſup.niſi eis cõcedatur à Principe l.3.§.in ſumm.ff.de Colleg. illicit. & reſoluũt DD.cit.vnà cũ Decian.de crim.leſ.maieſt.lib.7.c.20.n.14.citãte Bart.& alios in l.omnes populi ff.de iuſt.& iure: quò fit, vt omnes actus emanati ab illo Collegio ſine authoritate congregato ſint inualidi, vt docent Bart.in l.obſeruare,& l.vniuerſa C.de prec.Imperat.offic.Soc.conſ.95.col.2.in fin. in 3.vol.ſequitur Crauet.conſ.4.n.20.& Decian.vbi ſup.n.26.nã actus facti cõtra diſpoſitionẽ legis ſunt nulli l.nõ dubiũ.C. de legib. Cum ergo locorũ familiæ ſint congregatæ ſine authoritate Superioris,earum actus, nẽpè electiones Diſcretorum, corruunt.

Nec obſtat prædictas familias eſſe formatas,ac erectas à Prouinciali,vt patet ex literis obedientialibus, quia Prouincialis in ordine ad ſe ipſum nullam habet iuriſdictionem in ſubditos,vt clarè probaui ſuperiùs,& ideò familiæ illæ putandæ ſunt,ac ſi eſſent formatæ ab ipſis Religioſis: an poſtea cõmunis error det iuriſdictionẽ familijs, ita vt earum actus cenſeantur validi,vide,quæ dico in dub.25.

## DVBIVM IX.

*An tractatus,ſeù ſubornationes,quæ fiunt inter huiuſmodi factioſos ad conſeruandos, ſeù promouendos homines ex ſuis in Prouincialem,ac Definitores,dicendæ ſint malæ, ita vt teneatur quis ſine præuia admonitione, ſeu correctione Prælato tanquam Iudici delinquentes deferre.*

## SVMMARIVM.

1. *Explicatur, quãdò quis inciderit in pœnas impoſitas malis ſubornatoribus, quia eſt maxima differentia inter petere, & ſuadere.*

2. *Subornationes, quæ ſub nomine tractatus fiunt inter factiones pro conferendis dignitatibus, ſemper ſunt iudicandæ malæ; & probatur varijs rationibus.*

3. *Huiuſmodi ſubornationes malæ, licèt eis non præmittatur correctio fraterna, poſſunt, ac debent Prælato tanquam Iudici deferri: adijcitur tamen quadam limitatio, quæ ad praxim difficilè reduci poteſt.*

1. In initio ſequentis dubij definitionem ſubornationis tam bonæ, quàm malæ, hanc damnando, illam admittendo tangam, cui mitto lectorem: hic tantùm pro notand. dicam, quòd ſi aliquis inciderit (quod auertat Deus) in ſubornationem malam, ſolùm petendo ab alio, vt det ſuffragium indigno, vel minùs digno, & hoc ſimpliciter non ſuadendo, neque minis, neque donis, neque precibus importunis, neque perſuadendo falſas illius qualitates, ſed ſolùm leuiter petendo, talis, licèt peccet mortaliter, quia agit pro indigno, vel minùs digno, non tamen videtur incurrere pœnas impoſitas ſubornatoribus, quia non ſuaſit, & ſubornare eſt ſuadere;

dere, aliud ſimpliciter petere, & plus dicit ſuadere quàm petere. Ita Portell. tit. ſubornatio nu. 3. quem ſequitur Baſſæus ſumm. tit. elect. nu. 14. in 2. edit.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. SVbornationes, quæ ſub nomine tractatus liciti in huiuſmodi factionibus fiunt pro conſeruandis, ſeù eleuandis ſuis ad munera Prouincialatus, ſeù Definitoratus abſque vlla difficultate putandæ ſunt malæ. Suadetur: illa ſuaſio, ſeù ſubornatio cenſenda eſt mala, quæ, quantùm ſpectat ad ſe, homines indignos; vel euehit ad dignitates; vel eos in illis conſeruat: ſed per huiuſmodi ſubornationes in vtraque factione ſecundũ ſubornantium vires indigni ſubleuantur, ſeù conſeruantur: ergo abſque dubio cenſendæ ſunt malæ; minor tãtùm indiget probatione, quæ ſic ſuadetur. Prim. quia huiuſmodi homines iuſtitiam commutatiuam violare videntur, per quam vnuſquiſque in congregatione degens bono communi conſulere tenetur, idque maximè incumbit Rectoribus, & Gubernatoribus, vt rectè inſinuat Azor. p. 2. lib. 11. c. 1. citans Ægid. Roman. tract. de regim. Princip. lib. 2. p. 3. c. 16. & S. Th. 1. de regim. Princip. c. 1. *Oportet*, inquit, *vt præter id, quod mouet ad proprium bonum vnum quemque, ſit etiam aliud, quod moueat ad bonũ commune multorum; propter quod & in omnibus, quæ in vnum ordinantur, aliquid inuenitur, quod alia regat*: & cum bonum commune, vt inquit S. Tho. 1. 2. qu. 96. art. 2. cũ Soto lib. 1. de iuſt. qu. 6 art. 1. & Mirand. tom. 2. q. 25. art. 11. concl. 2. ex multis conſtet; ideòque ex varijs, & multiplicibus actionibus procuratur, vt medium fini congruat: tunc autem procuratur, quandò ſocietas humana incolumis ſeruatur; quæ ab ipſis Patribus factionibus inhærendo deſtruitur, ac diſſoluitur, & intrinſecè charitatem inter homines factioſos extinguendo, & extrinſecè mutãdo ſuauem conuerſationẽ in rigidã, benignos vultus in duros, oculos attrahentes beneuolentiam, in mouentes ad iracundiam, & verba amicitias colentia, in murmurationes, quæ inimicitias tandẽ ſuſcitãt, ita vt in vna domo ſimul vitam trahere nequeãt; quarè dicebat Liuius: *Factiones fuerunt, eruntq; pluribus populis maiori exitiò, quàm bella, quàm fames, quã morbi*: tunc autem procuratur, quandò pax, & concordia conſeruantur, & augentũr, quæ ab ipſis Patribus diuiſis in cogitationibus, & actionibus vſq; ad totale excidiũ minuuntur, nã *Diſſenſio*, ait S. Th. de regim. Princip. lib. 1. c. 5. *contrariatur bono pacis, quod eſt præcipuũ in multitudine ſociali*: tũc autem procuratur, quandò expurgatur cõgregatio à vitijs, quòd ab ipſis Patribus nõ fit, quinimò ſuo priuato cõmodo inhærendo eã mille vitijs implent, vt rectè inſinuat Mirand. vbi ſup. qu. 5. art. 5. hiſce verbis: Nil eſſe credo Reipublicę, ac regularibus congregationibus cũctis adeò dãnoſum, atque nociuum (vt multo noſtro dãno, experientia ipſa docente, plus ſatis percipimus) quàm Prælatos, ſeù Iudices commodo ſuo priuato inhærere, ita vt de eis meritò dici poſſit, quòd, quæ ſua ſunt, quæruot, non quæ Ieſu Chriſti: hæc ſunt quæ Reſpublicas omnes in fruſta diuidunt, atque in diuiſiones magnas, ſchiſmataq; innumera conuertunt; hinc prodeunt etiam æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, inſectationes, & multa alia genimina viperarum, quæ ex radice proprij commodi ortum, atque originem ducunt; vndè ſicut hac ratione dixit Paulus olim, quòd radix omnium malorum eſt cupiditas; ita & nos dicere poſſumus, quòd omnium perturbationum, quæ reperiuntur in Religionibus radix eſt in Prælatis affectus proprij commodi, non verò communis: hæc Mirand. tunc procuratur bonum commune, quandò doctrina, exemploque Prælati oſtẽdunt ſubditis, quòd ſectatores factionum ſũt in manifeſto periculo luendi pœnas æternas, quòd non ſolùm ipſi Patres publicis ſermonibus non præſtant, ſed potiùs priuatis colloquijs ſuorum ſectatorum animos in diuiſione firmant (ita loquebatur Senex ille) eiſque annuunt, vt iuuenes ad profeſſionem admiſſos ad propriam factionem trahant, & quod peiùs videtur vocibus apparenti zelo plenis proprios ſectatores ad ſequenda veſtigia iam incœpta animant; nam, inquiunt, apud nos eſt perſonarum meritum, & apud alios diuerſæ factionis nil aliud videtur, quàm demeritum; quarè in hoc ſatis verum dignoſcitur illud dictum Tertulliani de præſcript. adu. hæret. lib. 1. c. 41. *Nuſquàm faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt*: & ſi aliquis aliorum hominũ eis appareat magna virtute indutus, laudant perſonam, ſed vituperant affectum, qui homines indignos ad Religionis munera porta

te

te nititur; tunc procuratur, quandò Superiores contendunt oppreſſos meritis fulgentes ad munera, officiaque congregationis ſublimare; ſicut eorũ munus poſtulat, quod ab iſtorũ Patrum mente prorſus videtur eſſe alienum ob periculum, ne ſibi arripiant locum, & Imperium, Regnumque ipſi amittant; & ſi quempiam aduerſariorum ſubliment, potiùs eſt ad celandum proprium cõmodum ſub nomine Patris communis, qui per vniuerſalem affectum omnes etiam aduerſarios amplecti conatur, quam ad ſubleuandos homines ſub iniuſtitiæ onere depreſſos: ergo iſti Patres ſuis moribus, ac ſermonibus iuſtitiam commutatiuam violare vidẽtur: ergo ſubornationes, quæ fiunt inter factioſos ad ſublimandos, ſeù conſeruandos huiuſmodi homines in dignitatibus nequeũt niſi malæ exiſtimari. Secund. ſuadetur, quia tales homines, quos ſubornatores conantur ad principaliora munera euehere, ſeù in eis conſeruare, nil aliud præſtant in muneribus aſſumptis, quàm iuſtitiam diſtributiuam negligere conferendo inferiores dignitates, ac ferè omnia officia præſtantiora ſuis, tanquã, vt ipſi dicunt, dignioribus; quod ſuperiùs probatum eſt non poſſe eſſe, quia menſura digniorum deſumenda èſt à maiori vtilitate Prouinciæ; ergo iſtæ ſubornationes cenſendæ ſunt malæ; tanquam ordinatæ ad homines eleuandos, ſeù conſeruandos indignos in talibus muneribus, ac honoribus. Tert. quia Prælati ſunt dati in vtilitatem omnium ſubditorum, & non tantùm aliquorum, vt dixi in dub. 5. & tamen ipſi ſuis partialitatibus non obſeruant, quia ſectatoribus proprijs contendunt munera Præfecturarum conferre, quod tuta conſcientia nequit fieri: ergo. Quart. quia Iudices, ac Prælati conſtituuntur, vt filios Religionis in diuerſas partes diſperſos, in vnum congregent per rectam ſtateram, vt inquit Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 1. & princ. 2. huiuſmodi autem homines non ſolùm filios Religionis in vnum nõ cõgregant, ſed ſuis priuatis cõmodis diuidũt, partialique ſtatera in diuiſione conſeruant: ergo ſubornationes in iſtorum fauorẽ per ſcellulas diſperſæ, tanquam malæ reputari debẽt.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. TAles ſubornatores abſq; præuia correctione fraterna Prælato tanquã Iudici ſunt denuntiandi, vt, bono publico læſo, punitione occurrat. Probatur. peccata, ſeù delicta etiam occulta, quæ in publicam perniciem vergunt abſq; præuia monitione tenetur quis denuntiare Prælato tãquam Iudici; vt docent infiniti DD. quos citatos ſequuntur Clauis Reg. in alio loco citando, & Bouerius in directorio Regularium c. 13. eò quòd alio modo nequit occurri bono cõmuni læſo, niſi delicta deferantur Iudici, eiſque punitione ſatisfiat; bonum enim commune bono particulari delinquẽtis præferri debet; ſed malæ ſubornationes vergunt in perniciẽ publicam Religionis, vt probant Sotus de ſecreto memb. 2. qu. 4. dub. 1. poſt tert. concluſion. & de iuſt. lib. 5. art. 2. verſ. Vt verò. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſtit. c. 2. num. 198. Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 3. dub. 2. num. 2. Clauis Reg. lib. 11. c. 4. num. 4. Rodriq. tom. 2. quæſt. 5. art. 6. & tom. 1. q. 24. art. 17. referens Sotum, qui hoc peccatum æquiparat crimini læſæ maieſtatis: ergo abſque præuia correctione fraterna tenetur vnuſquiſq; Prælato tanquã Iudici huiuſmodi ſubornationes denuntiare.

Limita, niſi denuntiator firmiter crederet per ſuàm ſecretam monitionem delinquentes fore reuocandos, tunc abſtinere debet à denuntiatione, vt apertè inſinuant D. Th. 2.2. quæſt. 31. artic. 7. Salon. 2.2. qu. 68. art. 1. controuerſ. 2. concl. 2. Aragon. ibid. Clauis Reg. vbi ſupr. Mirand. ord. iud. qu. 11. art. 1. Ratio eſt, quia, quandò cum communi bono fama proximi conſeruari poteſt maximè in occultis delictis, lege charitatis, imò iuſtitiæ tenemur eius delicta nõ detegere. Dixi firmiter; quia ſi eſt dubia fratris emendatio; tenemur nõ præmittere monitionẽ ſecretam, ſed delictũ Prælato tanquã Iudici deferre. Clauis Reg. vbi ſup. Nauarr. man. cap. 18. nu. 22. eò quòd dubia eſt emendatio proximi, dubium etiam damnum publicum, & cæteris paribus præferendum eſt bonum publicum.

Cum verò rariſſimè cõtingat, vt quiſpiam ſit certus de delinquentiũ emẽdatione; ideò docet Sotus de iuſtit. lib. 5. quæſt. 1. art. 1. & Aragon. 2.2. quæſt. 33. artic. 1. non eſſe huic dubitationi inſiſtendum, ſed ſtatim abſque vlla mentis hæſitatione eſſe denuntiãdos, & id maximè procedit in Religionibus iuxta ſententiam Sanchez ſumm. lib. 6. c. 18. nu. 50. aſſerentis in Religioſis vix præſumendam eſſe emendationem ex correctione

& pro ſe citat Caietan. in opuſc. 1. vltim. in reſponſ. 5. ad 5. dubium, quorum doctrina ſemper eſt intelligenda de delictis exceptis, vt dicam in dub. 80. tert. part. aliter non eſt ſequenda; nam eſſet alienare correctionem à cœnobijs, quod abhorrent aures; & ideò Nauarr. vbi ſupr. num. 32. inquir, quem ſequutus eſt Coriolanus de caſibus reſeruatis part. 2. caſ. 5. numer. 7. Rarò in his criminibus, nimirum exceptis, debet præcedere correctio fraterna ipſam denunriationem, quia vix quis poteſt, ita eſſe certus, vt traditor ſecretus Reipublicæ deponar malam voluntatem, quamuis ſecretò moneatur: quod dicimus de traditione, dicimus etiam de ſubornatione, & de omnibus criminibus, quæ communitatem perturbant. Ita Nauarr. Ex hac doctrina colligat denunriator, quàm ſit ſecurus in conſcientia, & quantùm bono communi occurrat, ſi ſtatim ſubornatores denuntiauerit Prælato tanquam Iudici.

Quæ pœna ſit imponenda huiuſmodi hominibus ſubornatoribus, ac ſeditioſis, videatur Menoch. de arbitr. Iudic. caſ. 437.

## DVBIVM X.

*An Religioſus, qui munuſculis, ſalutationibus, gratijs, alijſque artificijs curat, vt tumulet vota in propriam vtilitatem, vel, licèt non intendat vota cumulare, intendit tamen attrahere ad ſe Religioſorum beneuolentiam, ex qua ſequitur ſuffragiorum fauor, peccet mortaliter, & dicendus ſit ſubornator malus.*

### SVMMARIVM.

1. *Tam bona, quàm mala ſubornatio deſcribitur; hæc damnatur, quæ poteſt fieri voce, donis, minis precibus, & ſimilibus; illa verò admittitur.*

2. *Lethalis culpæ reus damnatur tam factionarius, quàm non factionarius, qui munuſculis, gratijs, alijſque artificijs cumulare vota in ſui vtilitatem, & commodum intendit.*

3. *Religioſus non factionarius, qui prædictis artificijs non intendit attrahere ad ſe vota, ſed tantùm ſibi conciliare animos, ex quo ſequitur ſuffragiorum fauor, graui culpa non eſt damnandus: ſecus factioſus: & confutatur quadam obiectio contra primam partem.*

4. *Non eſt ſubornator malus, qui veras alicuius virtutes publicat, vt ab electoribus ſeligatur: additur limitatio de factioſo, & cuidã obiectioni ſatisfit.*

1. Titulus quæſiti intelligitur tam de Religioſo factionario quàm de illo, qui non eſt tali vitio inuolutus. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd ſubornatio ex mente Cardinalis apud Rodriq. tom. 2. quæſt. 56. artic. 5. eſt ſuaſio, qua ſuadetur verum, vel falſum in bonum, vel malum finem: ſuadere itaque electoribus veras virtutes alterius, & vitia vera, quibus notatur indignus, ne eligatur, & dignior digno præferatur, non videtur malum, imò virtute præditum. Ita Samuellius de election. can. diſputation. 1. controuerſ. 12. concluſion. 1. tractar. 2. quarè, quandò in aliquibus Religionibus eſt decretum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne vllus tractatus fiat ante electionem ab electoribus, non excluduntur tractatus conſultorij, ſed ambitioſi, pactionales, conditionales &c. vt benè notarunt Petrus Baſilius in direct. elect. part. 3. c. 3. Guilielmus Mandagotus cap. de elect. num. 12. in Miſcellã. & Antoninus Diana part. 1. tractar. 2. miſcellan. reſolution. 36. huic noſtro ſęculo datus ad infirmitatis humanę mo lem velut nouus athlas ſuauium opinionum humeris ſuſtentandam: ſuadere verò virtutes falſas, ac diſſuadere viria vera, vt indignus eligatur, & dignus digniori præferatur, eſt malum; vndè quandò Pontifices prohibent ſubornationes, ſemper debent intelligi de malis, vt inſinuant Rodriq. vbi ſupr. Portel. titul. ſubornatio num. 2. Petrus Nauarr. lib. 5. conſil. titul. de conſtit. conſil. 7. fol. 139. numer. 7. Samuellius de elect. can. tractat. 2. controuerſ. 10. diſtinction. 1. referens Naldum, & Paſqualig. addit etiam Portell. vbi ſupr. malam poſſe fieri voce, donis, minis, precibus, & ſimilibus: addo ego, quòd ſub mala adhuc compręhendi debet bona, quandò ex illis ſequitur principium factionis iuxta ea, quæ dicã in dub. 28. in 2. concl. Concludit tandem Rodriq. vbi ſupr. qui talia

lia agunt, ab officijs eſſe remouendos, & in quadam lege dicitur officia debere conferri inuitis; quinimò poteſt quis extrahi à propria domo, vt ſit officialis, vt ex alia lege colligitur.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. Religioſus tam factionarius, quàm non factionarius intendens munuſculis, gratijs, ſalutationibus, alijſque artificijs attrahere ad ſe vota in propriam vtilitatem, & commodum, peccat mortaliter. Suadetur, quia vterque eſt ſimoniacus; nam dare aliquod temporale pro ſpirituali ſimoniacum eſt. Ita Suarez 1. de Religion. lib. 4. cap. 54. numer. 3. Peirin. tom. 1. quæſt. 1. cap. 31. §. 9. & Samuellius vbi ſupr. tractat. 2. diſputation. 2. controuerſ. 2. referens multos alios. Nec obſtat dicere tantùm ſimoniam eſſe, quandò datur aliquod temporale pro dignitatibus Eccleſiaſticis; verb. grat. Abbatia, Prioratu, Prouincialatu, Definitoratu, &c. non pro ſuffragio, quia votum, ſeù ſuffragium eſt ius quoddam ſpirituale, quod ſufficit ad contrahendam ſimoniam. Ita Peirin. vbi ſupr. Lezana ſumm. quæſtion. Regular. cap. 15. numer. 28. quia etiam, loquendo de factioſo; quærit dignitatem ad perpetrandum ſcelus, nempè tyrannidem, quæ conſiſtit, vt dicit Tabiena titul. ſeditio, quem ſequitur Caietan. titul. ambitio, in propria ſubleuatione ad alios opprimendos; nam factionarij ſemper ſtudent aduerſam partem opprimere. Addo, quòd eſt ſubornator malus ſuadens ſe eſſe bonum, cum ſit malus; ſubornatio enim poteſt fieri voce, manu, &c. vt dixi.

### SECVNDA CONCLVSIO.

3. Religioſus non factioſus, qui prædictis artificijs non intendit ad ſe attrahere vota, ſed tantùm Religioſorum animos, eorumque beneuolentiam ſibi conciliare, ex quibus ſequitur ſuffragiorum fauor, non eſt reus peccati mortalis: ſecus eſt dicẽdum de Religioſo factioſo. Hæc ſecunda pars ſuadetur, quia ad ſuccurrendum Reipublicæ, ſeù Religioni in graui neceſſitate cõſtitutæ vnuſquiſque tenetur periculum grauis incommodi, imò propriæ vitæ ſubire, vt docent Coninch. de charit. diſp. 25. dub. 7. numer. 99. 100. Bonacin. de charitat. part. 1. tract. 6. diſputation. 1. part. 9. num. 10. Caſtrus Palaus de charitat. part. 1. tract. 6. diſputation. 1. punct. 9. num. 10. & non improbatur à Suarez de charitat. diſputation. 6. ſect. 2. numer. 4. ergo tantò magis factionarius tenebitur ſe abſtinere ab artificijs prædictis, quamuis formaliter non intendat vota, quia, ſi eligitur maximè in Definitorẽ, Prouincialem, ſeù Generalem, conſtituitur bonum commune Prouinciæ, ſeù Religionis in maximo diſcrimine, quia per tot capita, vt videre eſt in hoc tractatu, indignus cẽſetur. Prima pars habetur, quia dare aliquod bonum, vel obſequium ſpe gratitudinis, & intuitu remunerationis per ſpirituale donum, non eſt ſimoniacum, nec eſt illicitum, quia non adeſt ratio pretij neceſſaria etiam ad conſtituendam ſimoniam mentalem, & illa obligatio gratitudinis non eſt voluntaria, ſed eſt neceſſaria inſurgens ex dono, vel obſequio, & qui intendit obligare alium pro beneficio habendo, non intendit imponere voluntati nouam obligationem, vel onus, ſed quod beneficium importat. Ita Suarez tom. 1. de Religion. lib. 4. de ſimonia cap. 45. numer. 4. ergo non peccabit lethaliter Religioſus, qui munuſculis, ſalutationibus, &c. intendit ad ſe attrahere beneuolentiam Religioſorum, quia per ſe eſt bonum; maximè quia non intendit ex beneficijs imponere onus gratitudinis, vt intendit, qui ſperat ſpirituale pro temporali. Secund. habetur: ſi id eſſet malum, præſertim quia intentio fertur in malum finem: ſed hoc non videtur verum, quia reddere ſibi beneuolos animos Religioſorum eſt bonum; ergo.

Dices, huiuſmodi intentio videtur eſſe inordinata, quia intendit indirectè id, quod debet eſſe conſequens, & quaſi reſultans ex beneficijs, & quod de facto reſultat, experientia teſte. Reſpond. quòd intentio mala, ſeù bona ſpecificatur à fine intento directè, & non ab illo, qui aliquo modo poteſt eſſe indirectè non ratione intentionis, ſed ratione beneficiorum, quæ ex propria natura id important; finis enim Religioſi eſt habere animos aliorum Religioſorum beneuolos, quod eſt bonum, & iſte eſt, qui ſpecificat intentionem, & non ille indirectus, qui inſur-

git ex natura beneficiorum: inuigilent tamen Prælati ſuper hos, tanquam inferentes aliquod damnum perfectioni, quæ ad Religioſos ſpectat; à longè enim iſti artificioſi cognoſcuntur.

### TERTIA CONCLVSIO.

4. Religioſus publicans virtutes alterius Religioſi intendens acquirere vota, non eſt ſubornator malus, dum verè emicant in homine virtutes, ac qualitates de eo publicatæ, & intendit fauere bono communi, quia eſt dignior. Probata remanet ſufficienter concluſio ex notando ſecundùm mentem Rodriquez, & aliorum, quibus ſunt addendi Caſtellin. de elect. cap. 2. num. 6. & Lauor. de election. can. titul. 4. cap. 21. numer. 21. Limita, modò Religioſus laudatus non ſit factionarius, quia, ſi eſt talis, & ſit ad nutriendam factionem, peccat mortaliter, quia fouet, & nutrit diſcordias, ac ſeditiones in magnum detrimentum Eccleſiæ, & eſt ſubornator malus, quia indignum ſubleuare intendit, de quo in dub. 187.

Dices in dub. 26. probatur, quòd eligere duos ex qualibet parte pro Definitoratu nõ eſt peccatum; imò facere in contrarium eſt culpa; & tamen partes fouentur, & nutriuntur, quomodò nunc erit peccatum publicare virtutes illius in fauorem factionis? Reſpond. duobus modis poſſe factionem conſiderari, vt ſic; ideſt quatenus eſt cauſa ſeditionum, diſcordiarum, &c. vel quatenus talis Prouincia eſt tam firmiter diuiſa, & indiget tali diſtributione pro pace, & vnione introducenda, iuxta ea, quę dicenda ſunt in dub. 26. primo modo fouere factionem eſt malum, ſecundo verò bonum.

Limita ſecund. ſi virtutum publicatio, &c. fit ex conſenſu, ſeù opere ipſius eligendi vitioſa eſt, & debet haberi tanquam tractatus ambitioſus, in cap. Per inquiſitionem de election.; & ideò prohibitus, vt pactionalis, & conuentionalis. Antonin. Diana part. 2. tractat. 16.2. miſcellan. reſolution. 35. Molfeſius ſumm. tractat. 6. numer. 47. tom. 2.

## DVBIVM XI.

*An promiſſio inter homines factioſos ſequuta, ſcilicet da mihi ſuffragium in Definitorem, ſeù Prouincialem, & ego dabo tibi ſuffragium in Priorem, ſeù Guardianum, dicenda ſit ſimoniaca.*

### SVMMARIVM.

1. *Materia conſenſus moralis præſertim interpretatiui abundè explicatur.*

2. *Simonia quid, eiuſque diuiſio deſignatur.*

3. *Rerum ſpiritualium permutatio ſimoniaca non videtur cenſenda.*

4. *Simonia tantùm iure Eccleſiaſtico prohibita non ſubiacet reſtitutioni, ac pœnis ſimoniæ; & additur quædam limitatio.*

5. *Simonia materia per varios caſus expenditur.*

6. *Habentur tanquam ſimoniacæ promiſſiones illorum Religioſorum dicentium, ſi dederis mihi tuum votum in Prouincialem, ſeù Definitorem, ego dabo tibi meum in Guardianũ, ſeù Priorem; imò Religioſus, qui ſe addit vni parti factioſorum, peccato ſimoniæ damnatur: habetur limitatio.*

7. *Non inuoluuntur tamen pœnis impoſitis ſimoniacis.*

1. Notand. prim. quòd conſenſus, vt à Theologis accipitur in materia morali, eſt actus voluntatis liber, quo ipſa ſibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicauerit. Ita S. Thom. prim. ſecund. quæſtion. 15. articul. 1. Syluius ibidem. Duplex autem diſtinguitur, ac definitur cõſenſus: alter formalis, & eſt, quandò quis formali, nec non & poſitiuo actu voluntatis ſibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicat: alter vero eſt virtualis, qui triplex videtur eſſe; alter, qui ex natura ſua includitur virtute in aliquo conſenſu formali, vt hoc ipſo, quod aliquis formaliter vult ordinẽ ſacrum, virtute vult etiam caſtitatem ei coniunctam ex Eccleſiæ conſtitutione: alter eſt ipſemet conſenſus

forma-

formalis præteritus, quatenus remanet virtute, & vis ipſios durat, quouſquè per contrarium conſenſum, ſeù diſſenſum tollatur: tertius interpretatiuus, & eſt, quandò circa illud, quod ei offertur, diſſenſum elicere tenetur, neque elicit, ſed cohibet ſe tam à diſſenſu, quàm à conſenſu, vt ſi quis aduertat plenè delectationem illicitam verſare in mēte, eam non reprimit, nec à ſe reijcit, ſed negatiuè circa ipſam ſe habet, tunc cenſetur interpretatiuè conſentire. Ita colligitur ex Valent. tom. 2. diſt. 2. qu. 10. p. 1. Bonacin. tom. 2. diſt. 2. quæſt. 2. p. 3. num. 16. Clauis Reg. lib. 8. cap. 7. num. 1. verùm in admittendo hoc conſenſu non omnes DD. concordant; aſſentiunt, etiam quandò abeſt periculum pollutionis (ſi delectatio eſt in materia venerea) vel alterius conſenſus mortalis: Azor. p. 1. lib. 4. c. 6. quæſt. 5. & c. 21. quæſt. 5. Leſſius de iuſt. lib. 4. c. 3. nu. 117. Valent. t. 2. qu. 4. diſp. 6. p. 3. verſ. nihilominus contraria. Sayr. vbi ſupr. nu 3. referunt pro ſe D. Thom. Bonauent. Alex. Richard. & alios, ſed immeritò, vt rectè expendit Salas 1. 2. tr. 13. diſp. 6. ſect. 3. in princip. num. 24. & 25. Rationes videntur eſſe, quia voluntas, cum ſit conſtituta domina, & regina potentiarum, tenetur regere appetitum ſenſitiuum, omneſque alias potentias, ne rationi pugnent, & delectationes illicitas comprimere, & repellere, tum etiam quia, ſi voluntas in huiuſmodi motus conſentiat, abſque dubio, vt omnes affirmant, peccat mortaliter: ergo etiam peccabit interpretatiuè conſentiendo, quia videtur adeſſe conſenſus; nam tacitus, & expreſſus conſenſus pro eodem reputantur, ex l. de quibus in fin. ff. de legib. & l. cum quid ff. ſi cert. petatur: diſſentiunt, dummodò ceſſet periculum conſenſus in eam delectationem illicitam. Caiet. 1. 2. quæſt. 74. art. 3. & in ſumm. tit. delectatio verſ. magna tamen. Nauarr. c. 11. num. 9. part. 4. Angel. tit. cogitatio. num. 2. Silu. & Tabien. tit. delectatio. Philiarch. tom. 1. p. 2. ſumm. lib. 4. c. 13. & alij quamplurimi, quos citatos ſequitur Ioann. Sancius in ſelectis diſp. 21. num. 3. Salas vbi ſupr. & licèt ipſe noluerit ſuam mentem declarare, ſatis inſinuat ſe adhærere huic ſententiæ, vt legenti patebit. Ratio eſt, quia, licèt voluntas regere appetitum teneatur, obligationi ſufficienter ſatisfacit gubernando, ne conſentiat, nec obſiſtere tenetur appetitus motui, ne perſeueret, niſi periculum adſit conſentiendi: adde, quòd, ſi homo eſſet obligatus ad reprimendos motus ſenſuales, cum poſſit, obligaretur ſanè media apponere non difficilia ad eos reprimendos; quarè, ſi videat hos motus inſurgere, eò quòd in lecto tali, vel tali modo decumbit, tenebitur à tali cubitu abſtinere, imò ſurgere, & ſe aliqualiter verberare, quod certè eſt duriſſimum, & pauci admittunt: pro hac ſententia videatur etiam Caſtr. Palaus p. 1. de eſſentia peccat. tract. 2. diſp. 2. p. 10. §. 5. adducens alias rationes, illaſque contrariorum confutans, ſimul cum Ioann. Sanc. vbi ſupr. Fateor vtramque opinionem eſſe probabilem, ſed probabilior videtur eſſe ſecunda, cum hac tamen limitatione, ſi motus ex. gr. ſenſualitatis ſunt in voluntate non aſſueta ad conſenſum, vt in hominibus timoratæ conſcientiæ, præſertim religioſis, videtur vera, quia licitè non poſſumus interpretari voluntates talium hominum velle per delectationem illos motus illicitos, & præſentes, quamuis ſint inefficaces ad illos reprimendos, ad cohibendum tamen liberū ipſorum conſenſum efficaces exiſtunt; verùm id nequit dici de illis voluntatibus, quæ ſunt aſſuetæ ad præſtandos conſenſus talibus motibus, quia nequit aſſignari ratio, quæ tollat conſenſum interpretatiuum in eis, ſicut deſignari poteſt in hominibus timoratæ conſcientiæ, ſcilicet eorum voluntas efficax ad non conſentiendum; & ideò in his hominibus minimæ reſiſtentiæ habet locum prima opinio, & id videtur inſinuare Caiet. vbi ſupra. Hoc facilè, inquit, poteſt accidere hominibus timoratæ conſcientiæ, qui, cum longè abſint à periculo conſentiendi, non repellendo tales delectationes, cum poſſint, peccant ſolùm venialiter: quod peccatum etiam non admittitur à Sancio vbi ſupr. quia præceptum poſitiuum ſub veniali ad reſiſtēdum totum ordinatur, ne homo conſentiat in delectationem: igitur non conſentiendo adimplet præceptum non annuendi, & etiā præceptum reſiſtendi, cum ſuperfluè præciperetur reſiſtentia, quando abſque illa non conſentiret homo delectationi.

2. Not. ſec. quòd ſimonia ſecundùm Gloſ. eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquod ſpirituale,

vel ſpirituali aliquod temporale, quæ pro præſenti diuiditur in mentalem, conuentionalem, & realem: mentalis eſt, quandò, nullo pacto præcedente, ſed affectu animi ſpirituale donatur, vt temporale acquiratur, vel è contra, v. g. ſi conferas alicui beneficium, & intendas eum obligare ad reddendum tẽporale, vel è contra, ſi conferas temporale, & intendas propter ipſum obligare alium ad reddendum ſpirituale; vocatur autem hæc ſimonia mentalis, non quia in actum exteriorem dandi, & recipiendi non exeat, ſed quia iniquus animus non declaratur, vt benè aduertit Valent. 2. 2. diſp. 6. quæſt. 16, p. 5. conuentionalis eſt, quæ non ſolùm ponit internum propoſitum obligandi pro pretio, ſed etiam exit ad externam conuentionem, ſine tamen exequutione, quæ poteſt fieri ver bis expreſſis, obliquis etiam, ac oſcuris, ſiue nutibus: diuiditur conuentionalis in puram, & mixtam; pura ex vtraque parte completa; mixta ex vna parte completa, ex altera verò minimè, & ſic partim eſt realis, & partim conuentionalis, vt eſt in pactione inita, dum confertur beneficium, nondum ſolutis fructibus aſſignatis pro Nepote, vel alio, appellatur etiam hæc ſimonia confidentiæ: realis eſt, quandò pactio ex vtraque parte completur, vt fit, quandò collatio benefitij eſt facta, & pretium eſt ſolutum: tandem additur, quòd ſimonia externa committitur, ſiue ſit explicitum pactum, ſiue implicitum dandi temporale pro ſpirituali: implicitum, vel tacitum dicitur, quandò non fit formaliter, & expreſsè, ſed nutibus, & ſignis, vel ex modo dicendi, vel factis ipſis, vel alio modo quis ſignificat ſuam deprauatam intentionẽ, ita vt mutuò ſe intelligant. Nauarr. ſumm. lat. c. 23. num. 105. ſignificans etiam id poſſe fieri in momento temporis. Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 3. dub. 106. nu. 1.

3. Not. tert. quòd permutatio rerum ſpiritualium e. g. orabo pro te Deum, ſi tu oraueris pro me; audiam tuam confeſſionem, modò audias meam, non cenſetur ſimoniaca. Ita Arag. 2. 2. quæſt. 110. art. 1. Sot. lib. 9. de iuſt. q. 5. art. 2. ad 3. Victoria relect. de ſimonia n. 17. Rodriq. tom. 2. ſumm. c. 66. num. 2. Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 3. dub. 44. num. 3. quia ea ſolùm, inquiunt, ſimonia prohibetur, qua aliquid ſpirituale temporali pretio emitur; quarè Sanch. vbi ſupr. dicit rationem, ob quam prohibetur iure Eccleſiaſtico permutatio beneficiorum, non autem permutatio aliarum rerum ſpiritualium, eam eſſe, quia vera ratio ſimoniæ eſt commutare ſpiritualia pro temporalibus, vndè cum in purè ſpiritualibus nil ſit temporale, nulla poteſt ſubeſſe ſimoniæ ſuſpicio, ſi ad inuicem commutentur, & ob id talis permutatio non prohibetur: ſcio hanc doctrinam non placere Richard. 4. diſt. 2. art. 3. quæſt. 1. ad 1. Silu. tit. ſimonia quæſt. 16. & ibi Tabien. quæſt. 45. num 46. & ibi Armill. num. 42. Nauarr. lib. 2. de reſtit. c. 2. num. 386. Ludouic. Lopez. 1. p. inſtruct. nou. c. 299. ſed nimis rigidè loquuntur.

4. Not. quart. multùm mihi placere opinionem illam Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 35. dub. 25. nu. 141. Reginald. rom. 2. lib. 23. c. 12. num. 184. Sanch. vbi ſupr. dub. 108. nu. 3. Arag. 2. 2. quæſt. 100. art. 6. Petr. Nauarr. de reſtit. lib. 2. c. 2. à num. 436. aſſerentiũ ſimoniam realem, & completam ſolo tantũ iure Eccleſiaſtico prohibitam non ſubiacere reſtitutioni, & pœnis ſimoniæ; vndè in permutatione beneficiorum inter duos beneficiatos facta propria authoritate, & in reſeruatione, penſionis ſine licentia Superioris, in promiſſione, ſeù donatione pecuniæ mediatori pro intercesſione beneficij, & in conuentione addit Dian. 4. p. tr. 4. Miſcell. reſol. 155. inter electores, elige me in Prouincialem, & ego eligam te in Guardianum, affirmant relati DD. ſic facientes peccare quidem mortaliter, non tamen incidere in excommunicationem, nec priuari beneficijs ſic acceptis ipſo iure, nec teneri fructus reſtituere, eò quòd iſta ſunt prohibita iure Eccleſiaſtico, fundantur in hoc, quia hæc non eſt ſimonia propriè dicta, cum non detur tẽporale pro ſpirituali, ſed generali modo ſimonia vocatur: ergo, quandò iura loquuntur de ſimoniacis non debent extendi ad hanc ſimoniam, ſed ad illam, quæ propriè, & ſtrictè eſt ſimonia; pœnæ enim ſunt reſtringendæ: addunt etiam, quòd ex proemio Extrauag. 2. de ſimon. id clarè deducitur, ſic enim incipit: Cum ſcelus ſimoniæ prauitatis tam diuinorum, quàm ſactorum Canonum authoritas abhorreat; vndè habetur iura tantùm loqui de ſimonia diuino ſimul, & iure canonico reprobata; nam præfatio legis dat intellectum toti legi, & ex ipſa regulatur,

latur, & cauſam finalem accipit, vt tradit ex multis Molin. de primogen. lib. 1. c. 5. nu. 3. & alij communiter. Excipe ab hac doctrina cum Sanch. vbi ſupr. nu. 4. ſimoniam confidentialem, quæ ſubdita eſt pœnis, licèt aliquandò ſit tantùm iure humano prohibita, vt quandò quis renuntiat beneficium, pacto inito, vt ſibi, vel alijs poſtea reddatur, vel cum reſeruatione penſionis, non ſibi, quia hæc non eſt confidentialis, vt probat Sanch. vbi ſup. dub. 34. ſed alijs ſoluenda. Excipe etiam, quandò datur aliquid Notarijs, vel officialibus Epiſcopi, licèt ſit iure humano ſimonia; nam in tali caſu incurruntur pœnę Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 1. de reformat.

5\. Not. quint. materiam ſimoniæ eſſe multùm amplam; pro noſtra concluſione ſit licentia confeſſionis audiendæ, prædicandi, ordines recipiendi, à caſibus reſeruatis abſoluendi; conſequutio etiam Abbatiæ, Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, Vicariatus, & Definitoratus. Suarez 1. de Relig. lib. 4. c. 54. num. 3. Leander de Murcia in reg. S. Franc. cap. 14. in c. 8. reg. nu. 11. item conſequutio beneficij, iuris Patronatus, iuris eligendi, &c. Leſſius de iuſtit. lib. 2. c. 23. dub. 2.

Pro maiori intelligentia ſit ſext. not. quòd, vt omnis canonica electio ſimoniaca nō ſit, neceſſariò requiritur, vt gratis, & amore ab electoribus fiat, vt habetur in c. Ordinationes 1. q. 1. 2. 3. 4. & 5. quòd, ſi celebraretur aliquo pretio interueniente, pacto, ſeù cōuentione, cenſenda eſt ſimoniaca, modò tale peccatū, ſeù conuentio illicita pretij electionem præcedat. c. Arnaldus 8. & q. 3. Mareſcottus lib. 2. var. reſol. c. 35. n. 24. Decius conſ. 118. nu. 4. Puteus deciſ. 71. n. 9. lib. 2. Sigiſm. de elect. dub. 57. hinc ſequitur electores, quandò ante electionē faciunt reciprocū pactum, vt vnus illorū in vna electione ſuffragetur vni, & alius alteri in alia, incidere in ſimoniæ labem. Ita D. Th. quodlib. 8. ar. 1. Silu. tit. ſimonia q. 13. §. 4. Tabien. eod. tit. n. 51. Sigiſmūd. de elect. dub. 57. Murcia n. 12. vbi ſup. alios referens implicari etiā tali vitio, quandò præbent ſuffragium alicui cum pacto, ſeù conditione tacita, ſeù expreſſa obligādi illum ad laudes, & cōmendationes, ſeù preces fundēdas pro ſe, pro amico, &c. apud fratres, ſeù Superiores. Suar. 1. de Relig. tr. 3. lib. 4. Garcias de benef. p. 8. c. 1. n. 120. alios referens. Sigiſmund. vbi ſupr. quandò ferunt vota ea conditione, vt poſtea electus ſibi in remunerationē, ſeù, vt dicunt, in cōpenſationem det, quandò quis diceret, nunquā, me viuente, fiet Prior P. Titius, niſi fiat P. Caius, pro quo ego rogaui. Ita Sigiſmund. vbi ſupr. Samuell. de elect. can. tr. 2. diſp. 2. contr. 3. referētes alios: ſimiliter quādò dicit, tu exauditus es in electione Titij, ego quoq; exaudiri debèo in electione Caij, dummodò preces ſint carnales, vel ex pacto quondā facto, aut nūc faciēdo. ſecus ſi eſſent ſpirituales. Ita Silu. vbi ſupr. qu. 13. verſ. 4. quō ſequuntur Sigiſmund. & Samuell. vbi ſupr. qui ſubdunt ex mente Silu. ſi eſſet conſuetudo, quòd, exaudito vno in vna electione, alter exaudiatur in alia, abſquę labe ſimonię poſſe illum ſeruari, licèt peteretur, vt conſuetudo ſeruaretur: verùm à labe ſimoniæ eximitur ſequens caſus: ſi eligendus electoribus diceret, ſe non fore ingratū, cū huiuſmodi verba generalia ſint, & nullū arguant pactum, conſequenter nequit damnari tanquā ſimoniacus. Ita Sotus de iuſt. lib. 9. qu. 5. art. 1. concl. 3. Sigiſmund. & Samuell. contr. 2 vbi ſupr. quamuis eligendus ſe obligatione antidorali, quæ oritur ex virtute gratitudinis, adſtrictū agnoſcat, & deindè aliquid electoribus præbeat, vt huic obligationi ſatisfaciat, quia dixit ſe non fore ingratum, non propterea ſimoniam committit, quia ſimonia requirit, vt ex pacto, ſeù obligatione iuſtitiæ detur. Ita Nauarr. in ſumm. c. 23. n. 106. Couarr. lib. 1. variar. reſolut. c. 20. n. 4. Leſſ. de iuſt. lib. 2. c. 35. nu. 115. Suar. de Relig. tr. 3. lib. 4. c. 40. & ſeqq. Sigiſmund. & Samuell. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

6\. PRomiſſiones, quas ad inuicem faciūt factioſi, ſcilicèt, ſi dederis mihi tuum votū in Prouincialē, ſeù Definitorē, ego dabo tibi meū in Guardianū, ſeù Priorē, ſunt ſimoniacæ; imò Religioſus, qui ſe addit vni parti factioſorū, peccato ſimonię inuoluitur. Prima pars ſuadetur ex cap. Quā pio. prima q. 2. & cap. Cum pridē, & c. Pactiones. de pactis, expreſsè habetur in c. De hoc autē, de ſimonia. Sec. quia talibus promiſſionibus cōuenit definitio ſimoniæ; nam huiuſmodi officia, ſi nòn ſunt purè ſpiritualia, vel dicūt ex æquo ſpiritualitatē, & temporalitatē, vel ſaltē vnū altero principaliùs. Peirin. in formul. Prælat. reg. lit. C. c. 7. n. 11. Adde, quia in iſtis conuentionibus datur ius ſpirituale cū onere, vt fiat ali-

quid quaſi pro pretio ſpiritualis rei, vel cauſa mediata cá habendi. Ita Nauarr. in ſumm. c. 25. n. 100. Angel. tit. ſimonia 3. n. 3. Silu. eod. tit. q. 13. n. 13. diſt. 4. Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. c. 19. n. 257. Rodriq. tom. 3. q. 65. art. 4. cum ſuo compend. reſol. 129. n. 2. Dian. 3. p. tra. 2. de dub. Regul. reſol. 120. Rebuffus §. 1. verb. ſimoniacis de elect. derogatione in cōcordia. Selua de benef. p. 1. q. 7. n. 64. Toloſan. tit. de election. c. 9. n. 7. Secūda pars ſuadetur, quia eo ipſo, quòd Religioſus adhæret vni parti factionū, & acceptatur, intendit illas promiſſiones, ſeù pactiones votorū ad inuicē ſibi præſtandorū in Guardianū, vel Definitorem, ſeù Prouincialē, &c. eſt enim pactū implicitū in illo facto externo incluſum, ſcilicet dū adhæret vni parti, & ad ipſam admittitur; nā finis iſtarū factionū eſt cōſeruatio regiminis, & Imperij cū alterius oppreſſione, qui conſequi nequit, niſi ad inuicem factionarij partis dominātis ſibi ſuffragentur; profectò qui vult finem, neceſſariò vult media pro eius cōſequutione. Quamobrem duplex conſenſus exprimitur in tali pacto implicito; interpretatiuus, quia ſicut cenſetur adeſſe conſenſus talis, quandò homo plenè aduertens motū illicitum in mente eſſe, & cū ratione pugnate, & cum nō reprimit, dummodò ſit huiuſmodi motibus aſſuetus, conſenſum præſtare videtur; ita Religioſus ille, cū non reſpuit, imò cum conſentit adhærere factioni, interpretatiuè vult illas tacitas promiſſiones, vt ſuſtentetur factio illa; nam illa adhærentia in futurum æquiualet pluribus cōſenſibus in motus illicitos ab homine præſtatis, per quos iuſtè dicitur voluntatem illam habere conſenſum interpretatiuum, dum in motu illicito ſe habet negatiuè; & virtualis, quia ſicut aſſumēs ſtatum ordinis ſacri, virtualiter etiā vult caſtitatem ei coniunctā ex Eccleſiæ inſtitutione; ita Religioſus ille formaliter conſentiens adhærere ſtatui factioſo, virtute vult illas promiſſiones votorum, &c. ſine quibus regimen in factione regi, & ſuſtentari nequit: ergo Religioſus adhærens factioni illicò labe ſimoniæ inuoluitur.

Limita, modò ſit capax ſuffragiorum, tam actiuorū, quàm paſſiuorum, nec nō & dignitatū; nā ſi eſt incapax ſimoniæ, peccato non obſtringitur, quia illud pactum implicitum in ſe nequit includere materiam ſpectantem ad ſimoniam, ſed alia commoda, per quę intendit ſe totum tradere factioni.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

7. Huiuſmodi Religioſi conuenientes inter ſe tali pacto, prout in præcedenti concluſione, licèt tanquam ſimoniaci lethaliter peccent; non ideò cenſendi ſunt ſubiacere pœnis impoſitis ſimoniacis. Cōcluſio intelligitur probata in quarto notand.

## DVBIVM XII.

*An Religioſus factioſus, qui leuibus murmurationibus intendit alienare Religioſorum animos, ne votis tali homini ſuffragentur, peccet mortaliter.*

### SVMMARIVM.

1. *Factioſorum murmurationes multipliciter ſe poſſunt habere.*

2. *Quamodò peccatum veniale poſſit tranſire in mortale, expenditur.*

3. *Factioſi proclamationes aduerſus hominem eiuſdē factionis, ne electores pro eo, quia indignus, præſtent ſuffragia; non ſunt cenſendæ lethaliter malæ: ſecus ſi id ſit propter odiū, & vindictam: idem etiam dic de leuibus murmurationibus prolatis contra hominem aduerſæ factionis.*

1. Not. prim. quòd poteſt factioſus huiuſmodi murmurationes proferre; vel contra hominem alterius factionis in ordine ad factionem iuxta principia factioſorū, quæ ſunt circa regimina ſemper opprimere alteram factionem; vel contra hominē propriæ factionis, & hoc dupliciter. Prim. intendens honorem Dei, ac vtilitatem Eccleſiæ, ne conſequatur talem dignitatem, & officium, eò quòd caret aptitudine neceſſaria ad rectè onus Prælaturæ ferendum, & ſic illa verba propriè nō ſunt dicenda murmurationes, ſed proclamationes iuxta doctrinam S. Th. 2. 2. qu. 33 art. 7. ad 4. vbi ait. *Proclamationes, quæ in Capitulo Religioſorum fiunt, eſſe de aliquibus leuibus culpis, quæ famæ non derogāt:* & ideò poſſunt ſanctè fieri ſine admonitione præmiſſa. Sec. intēdens eius nocumentū propter odiū, vel vindictā, aut aliquid huiuſmodi, quę diſtinctio fūdatur in doctrina S. Th. 2. 2.

quæſt.

quæſt. 62. art. 2. ad. 4. & Azor. p. 2. lib. 6. cap. 15. qu. 16.

2. Not. ſecund. quòd peccatum veniale ex ſuo genere tranſit in mortale in multis caſibus præſertim pro noſtro intentu ratione finis mortalis adiuncti, vt ſi quis leue mendacium proferat,vt fornicetur; affectus enim ad peccatum continet culpam illius ſpeciei, cuius eſt peccatum, ad quod eſt affectus: adde etiam, quòd omnis actus de ſe bonus ob finem mortalem eſt peccatum mortale; actus enim à fine iudicatur: idem dic de actu indifferenti: Ita DD. communiter: videantur S. Thom. 1. 2. quæſt. 88. art. 2. ad 4. Sylueſt. & Medin. ibid. Reginald. lib. 15. c. 13. Sanch. lib. 1. moral. cap. 5. nu.7. Caſtrus Palaus part. 1. de peccat. eſſent. tract. 2. diſp. 2. part. 11.

## C O N C L V S I O.

3. Religioſus factionarius, qui leuibus murmurationibus, ſeù,vt meliùs dicam, proclamationibus, quærit alienare electorum animos, ne ſuffragia præſtent in fauorem talis hominis eiuſdem factionis pro dignitatibus, ſeù pro tali dignitate, ac officio, quia non eſt aptus,mortaliter non videtur peccare: ſecus ſi id facit propter odium, & vindictam: idem eſt dicendum de leuibus murmurationibus, quæ proferuntur contra hominem aduerſæ factionis iuxta ſenſum primæ acceptionis prim. not. Suadetur prima pars, quia talis Religioſus eſt pars totius corporis Religionis; pars verò pro conſeruatione totius debet facere, quantùm poteſt, non ſolùm ad ipſius bonum promouendum, ſed etiam ad malum præcauendum, vt dicũt omnes DD. ergo poteſt abſque culpa publicare illius hominis defectus, & imperfectiones ad euitandum damnum ſequuturum ob ineptitudinem ad regendum. Confirmatur, quia,quandò agitur de aliquo eligendo in Prælatum, quem ego ſcio fore perniciosum communitati, quia malæ vitæ, & cõſcientiæ eſt, ſi nulla alia via nequeo eius electionem impedire, teneor eius delicta reuelare, etiamſi occulta ſint; nam ſtrictiùs obligat præceptum de conſulendo bono communi, quàm de ſecreto ſeruando. Ita Bonacin. de reſtit. diſp. 1. quæſt. 4. p. 8. n. 4. Rodriq. tom. 2. quæſt. 53. art. 3. Peirin. de ſubdito quæſt. 1. c. 3 n. §. 3. poſt 3. concl. Molin. tract. 4. de iuſt. tom. 5. diſp. 24. nu. 6. & 7. Caſtellin. de elect. cap. 5. nu. 84. Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſp. 6. contr. 16. ergo tantò magis Religioſus ille poterit manifeſtare defectus leues alterius religioſi ad impediendum damnum futurum ex eius electione in Prælatum. Sec. pars non indiget probatione, quia conuincitur ſufficienter peccare ex odio, & vindicta in corde regnantibus. Tertia pars ſuaderi ex multis rationibus in præcedentibus dub. notatis poteſt; ſed tantùm ſuadetur, quia illæ murmurationes deſumunt malitiam à fine intento, vt dixi in ſecund not. & cum illius Religioſi finis ſit conſeruare regimen in propria factione ſcindendo vnitatem, pacemque conturbando; vndè dicebat S. Cyprian. de orat. domin. *Diſcordans, & diſſidens, & pacem cum fratribus non habens, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimẽ diſſenſionis fraternæ poterit euadere*: opprimendo iniuſtè Religioſos alterius factionis, quod eſt peccatum mortale ex mente Caiet. tit. Ambitio in ſumm. & Baſſæi ſumm. eod. tit. alios referentis: ergo murmurationes illæ tanquam mortaliter peccaminoſæ ſunt iudicandæ. Ex hac doctrina colligitur, quòd, quandò Generalis accedit ad iſtam Prouinciam in factiones diſtractam pro eius viſitatione; & quælibet pars aduerſus alteram ante Generalem profert proclamationes de culpis, licèt leuibus, cum intentione conſequendi, ſeù conſeruandi regimen, negari nequit, quin peccet mortaliter.

## D V B I V M XIII.

*An iſtæ duæ factiones, quæ ſemper ſtudent ſuis ſuffragari in dignitatibus, ac officijs, cenſendæ ſint in malo ſtatu.*

## S V M M A R I V M.

1. *Declaratur proprium vitium factionis, quo inuoluuntur factionarij.*

2. *Exemplo etiam inſpicitur veritas concluſionis.*

*5: Quædam reijcitur obiectio, & oſtenditur, quòd ſeditioſè dominari eſt tyrannicum.*

1. Videbitur fortè alicui dubium hoc eſſe ſuperuacaneum, quia quot ſunt dubia, tot fortè ſunt tituli, per quos declarantur homines periculoſi, & eſſe in ſtatu æternæ damnationis, ſed mouetur ob ſpecialem titulum vitij, quod præſertim conuenit factionarijs, quod eſt ſeditio; quarè ad dubium reſpondetur affirmatiuè, & ſuadetur hoc modo: ſeditio, qua vnitas multitudinis diſſoluitur, diſcordantibus contra ſe inuicem partibus illius multitudinis; eſt peccatum mortale, vtpotè contra vnitatem, & pacem multitudinis. Ita Caietan. ſumm. Silu. Tabien. tit. ſeditio. vndè propriè ſecundum D. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 1. D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 1. de diſcord. Farinac. de crim. læſ. maieſt. quæſt. 113. inſp. 5. ſeditioſus dicitur, qui diſſenſiones animorum facit, & diſcordias gignit: ſed in huiuſmodi Prouincia ob partiales electiones vnitas multitudinis diſſoluitur, animorum diſſenſiones fiunt, pax amittitur, diſcordia regnat, mala ſuperiùs deſcripta gliſcunt: ergo non eſt hæſitãdum, quin ſint in malo ſtatu, non ſolùm authores, ſed etiam ſequaces, vt affirmãt DD. citati; quarè S. Auguſtin. in Ioann. tr. 12. c. 3. tom. 9. hanc inſpiciens veritatem in illa verba ſeueris minis plena prorupit: *Væ illis, qui oderunt vnitatem, & partes ſibi faciunt in hominibus*: & ſic nouus profeſſus vni parti adhærens illicò ſeditionis vitio inuoluitur. Suadetur etiam ex eo, quòd varijs modis in ſeditionis vitium inciditur: quid eſt ſeditiosè ſe habere? eſt, inquit Farinac. vbi ſupr. ex Capyc. deciſ. 130. num. 1. in fin. acclamare populum, eumque conuocare contra ſtatum Reipublicæ: quid eſt ſeditiosè ſe habere? eſt, ait Boſſius in tit. de crim. læſæ maieſt. num. 61. referens Bartol. turbare pacificum ſtatũ Reipublicæ: quid eſt turbare pacificum ſtatum Reipublicæ? eſt vt plurimùm affirmat Decian. de crim. læſ. maieſt. lib. 7. c. 19. cogere mutare leges, ordines, ac magiſtratus Ciuitatum, & propriè turbare nil aliud eſt, quàm confundere, & inquietare Reipublicæ quietem: ſed homines huius miſeræ Prouinciæ acclamant populum, cumq; conuocare videntur contra Prouinciæ ſtatũ, dum vnaquæque pars contendit ad ſe attrahere, & nouitios, & nouos profeſſos, vt dictum eſt in dub. 9. & licèt id non fiat tumultuosè, & expreſsè, fit tamen tacitè, quod idem eſt, ac expreſsè. Ita DD. in l. cum quid ff. ſi cert. pet. vbi dicitur: *Taciti, & expreſſi eadem virtus*: conturbant etiam pacificum ſtatum, dum cogunt mutare leges, ac ordinationes excitando lites ab ambitione ducti, vt ſibi arripiant ex lege alternante, quod indigni non conſequerentur, vt optimè inſinuat Bann. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. in opuſc. ergo varijs modis ſeditioſè ſe habent; ideò Ropert. lib. 13. c. 20. in Ioann. ait: *In ſciſſura mentium Deus non eſt*: & S. Auguſt. in pſalm. 132. *In diſcordia nemo benedicit Deum*.

2. Percipite, quæſo, ſeditioſi exemplum Monachi ſectis, ac diuiſionibus dediti relatum à Petro Damiano. lib. 6. epiſt. 30. *In Peruſino monaſterio ſancti videlicet Saluatoris, cui nuper, & ipſe præfuit, quidam Monachus paulò antè fuerat nomine Guinizo aſtutus nimis, & callidus ſæcularibus argumentis, ac litigioſis contentionibus vehementer intentus; hic itaque, dum in mutandis Abbatibus, & fratribus perturbandis æſtuans non quieſcerat, ad hoc vſque peruenit, vt Diaboli ad ſuperandos æmulos patrocinium quæreret, & eius ditioni ſe etiam corporaliter manciparet, cui tamen ſeductor ſpiritus exigenti antè promiſit, quòd tertio priuſquam moreretur die, ſuum ſibi exitum nunciaret; credidit infelix, & diù poſtmodum viuens ita ſub hac deceptoris ſecuritate permanſit: tandem in ægritudinem lapſo adeſt fideiuſſor iniquus, & perhendinanum, ſicut ſpoponderat, obitum innoteſcit: protinus, aduocatis ille fratribus, cuncta hæc, quæ cum nequiſſimo pepigerat, per ordinem narrat; cumque illi inſtarent dicentes, aſto confeſſus, age pœnitentiam, repentè ille obdormiebat, & ſine pulſantibus, ſine clamantibus euigilare non poterat; ſi non illi obticeſcerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent: mox ille expergefactus inuicem loquebatur, ſed rurſus audito nomine pœnitentiæ obrigeſcebat in ſenſibus ſopore corruptus, donec horrenda morti traditus ad eum, cui deditionem fecerat, eſt infeliciter deuolatus; poſtmodum verò per plures noctes nigra canum turba non ceſſabat ſepulturæ aſſiſtere, & quaſi depoſitum cuſtodire, ita vt non minimo videntes horrore concuterent.*

hæc

hæc Damianus, & concludit Origen. hom. 26. in num. 31. *Qui Deo militant, ſi diuiſiones, & diſcordias inter ſe habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur etiamſi multa bella conficiant, etiamſi ſpolia multa deferant, & multa munera offerant Deo.*

3. Dicent homines vnius factionis, nos ſumus ob commune bonum tuendum contra homines alterius factionis vniti, qui ſeditioſè ſe diuiſerunt ab vnitate multitudinis, & ita ſeditionis vitium arcetur à nobis, vt inquiunt præcitati DD. Reſp. quòd idem ſermo profertur ab hominibus alterius factionis; ideòque nullis credendum, vt dixi in dub. 6. ſec. id fortè fuit in principio ſeditionis, & adhuc ſub dubio eſt, quia fortè altera pars ratione offenſionis, ſeu oppreſſionis ob tyrannicum regimen in proprium commodum, & non omnium à multitudine ſe diuiſit, ſed quidquid ſit de hoc, tranſeant, iudicio Dei eſt remittendum. Modò quid eſt dicendum? cum vtraque pars ſit potens, firma, ac per diuturnam annorum ſeriem radicata, & quælibet tendat ad Imperij regimen, poſtpoſito bono communi, quærens alteram partem opprimere, nonniſi quòd iſtæ factiones ſunt ad inuicem Tyranni ſeditioſi, vt inquit Caietan. ſumm. tit. ſeditio, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias nutriunt, ſeditioneſque, ac partialitates ſeruant, vt tutiùs dominari poſſint; hoc enim tyrannicum eſt, cum ſit ordinatum ad bonum proprium Præſidentium cum multitudinis nocumento. Ita Tabien. ex D. Thom. tit. ſeditio in fin. vndè S. Thom. lib. 3. de regim. Princip. c. 11. ait. *Regnum non eſt propter Regem, ſed Rex propter Regnum, quia ad hoc Deus prouidit eis, vt Regnum regant, & gubernent, & vnumquemque in ſuo iure conſeruent, & hic eſt finis regiminis, quòd ſi ad aliud faciunt in ſeipſos commodum retorquendo, non Reges, ſed Tyranni ſunt*: idem affirmat Toſtat. cap. 20. Exod. quæſt. 19. Qui autem Princeps, vel Prælatus eſt magis vacans vtilitati ſuæ, quàm diſtributioni iuſti politici, non Prælatus, aut Princeps, ſed Tyrannus eſt, quæ ſatis dura definitio eſt noſtris Principibus, & Prelatis: conſentiunt Sot. de iuſt. lib. 1. queſt. 8. art. 3. & Decianus, quem citatum ſequitur Farinac. vbi ſupr. Primus ait: Inter Regem, & Tyrannum hęc ſola ratio intereſt, quod ille in commune bonum, hic autem in priuatum cuncta refert. Secundus inquit: Atrociſſimum eſt delictū ſeditio, malumque nil tirannide inferiùs, quod velut labes quædam paulatim totam inficit Ciuitatem, & demum in tyrannidem erumpit.

## DVBIVM XIV.

*An Prouincialis, ac Definitores huius Prouinciæ diuiſæ, quærentes ſemetipſos conſeruare artificijs in dignitatibus, ac officijs teneantur ea contemnere, ac illis ſe abdicare.*

### SVMMARIVM.

1. *Qvàm ſit malum adhærere proprio cōmodo, poſthabito bono communi, habetur.*

2. *Ex multorum ſententia Prælati ſub mortali ob Religionis obſeruantiā vitam iuxta occurrentem occaſionem in periculo conſtituere tenentur.*

3. *Prouincialis, ac Definitores factionarij tenētur Prælaturas contēnere, eiſque ſe priuare: additur quædam limitatio, & ſoluitur quædam obiectio.*

1. Not. prim. quòd Prælati, ac Iudices, poſtpoſito bono communi, ſuoque priuato inhærentes, ſunt cauſa, teſte experientia, multorum malorum; hæc ſunt, quæ Prouinciam in partes diuidunt, ac diuiſiones magnas, ſchiſmataque innumera gignunt; ex prætenſionibus enim dignitatum, ac officiorum æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, infeſtationes, & multa alia mala oriuntur; vndè dicere poſſumus, quòd omnium perturbationum, quæ reperiuntur in Religionibus, radix eſt in Prælatis affectus proprij commodi, & non communis. Ita Rodriq. tom. 3. quæſt. 34. art. 5.

2. Not. ſec. ex ſententia Cagnoli, Felini, Cini, Baldi, ac Decij, quos citatos ſequitur Rodriq. vbi ſupr. ſimul cum alijs modernis in tractatu de charitate, Prælatos teneri ſub mortali ob obſeruantiam ſuæ Religionis vitam iuxta occurrentem occaſionem in periculo conſtituere. Ratio videtur eſſe, quia, cum

cum obſeruantia regularis ſit bonũ cõmune, & ſpirituale ex iuſtitia obſtrictũ Prælato pro eius conſeruatione, & vita Prælati ſit aliquod temporale, & ſingulare, illud eſt iſti præponendum.

*CONCLVSIO.*

3. PRouinciales, ac Definitores quærentes in ſemetipſis perpetuare dignitates, ac officia modo ſuperiùs deſcripto, ſeù quacumque alia arte, ſub mortali tenentur ea contemnere, eiſque ſe priuare. Ratio eſt, quia ſi pro Religionis obſeruantia vitam in diſcrimine conſtituere tenentur: ergo, vt abſcindantur inuidiæ, ſeditiones, diuiſiones, factiones, murmurationes, &c. à Prouincia, quæ ex proprio commodo oboriuntur, profectò obligantur in Religionis lucrum contemnere dignitates, & officia: argumentum eſt Rodriq. vbi ſupr. Adde, quòd etiam eſt mortale quęrere magis vtilitatem propriam, quàm communem ſubditorum, quia ita agẽs contra finem Pręlaturę in re graui operatur, vt Topius de poteſt. Princip. §. 2. num. 20. & Peirin. de Prælato quæſt. 1. c. 7. nu. 14. inquiunt: & vnuſquiſque tenetur ſe abdicare illa re, per quam in malo ſtatu conſtituitur. Præterea, confirmatur ex doctrina Cordub. in reg. S. Franc. c. 10. quæſt. 7. punct. 2. aſſerentis eum, qui ingreditur ad officium, vbi communiter violatur lex diuina, aliaque præcepta, non intendens verè, & efficaciter eius modum immutare, ſemper peccare acceptando, & permanendo in officio, quia tenetur vitare peccatum præcipuè mortale, & officium, ſeù ſtatum, vbi communiter homines labuntur in peccatum, tum quia agit cõtra charitatem, quam vnuſquiſque erga ſe tenetur habere; nam aſſumit, & conſeruat ſtatum, vbi ſunt periculum probabile, & cauſæ proximæ mortaliter peccandi: addit etiam grauiùs peccare ſine vlla excuſatione illos, qui tales Prælationes ambiunt quomodocumque directè, vel indirectè ex communi ſenſu DD. non dico tamen, quòd, ſi Prælati in meliùs mutabunt mores, & finem in Religionis commodum, & vtile abſcindendo factiones, pacem, ac vnionem introducendo, adſtringi debeant ad huiuſmodi abdicationem, vt optimè dicit Cordub. vbi ſupr.

Dices, multi ſunt ſapientes, ac timentes Deum in dignitate conſtituti, qui tanquam capita nutriuot factiones; & tamen non ſe abdicant officio poſſeſſo; vndè ſignum eſt nullum eſſe peccatum. ô verè cæca obiectio! lege, quæſo, totum meum tractatum, & poſtea mihi reſponde: interim audi nonnulla verba D. Bernardin. Dom. 3. quadrag. ſerm. 24. art. 3. c. 1. tom. 1. *Nullus pro parte aſſumat officium, vel aliud opus, vnquam partialiter exerceat, quia tales partiales cæci nunquam faciunt de talibus conſcientiam; imò expertus ſum in quibuſdam, qui benè videntur ſapientes, & timentes Deum, ſaltem partialitatem cordis, & oris non poſſe intelligere eſſe mortale*: vndè habetur ſatis clarum illud dictum Abbatis Trithemij lib. de ruin. monaſt. Ordin. c. 9. *Iræ, rixæ, diſſenſiones, detractiones, & ſimilia non iudicantur apud illos eſſe peccata, quia cæpit eſſe licitum, quod publicum eſt.*

## DVBIVM XV.

*An liceat factioſo homini Prælaturam appetere.*

### SVMMARIVM.

1. *IN Prælatura tria poſſunt explicari, & ſatis deſcribuntur.*

2. *Deſcribũtur etiam quatuor modi, quibus poteſt appeti Prælatura.*

3. *Alienum cenſendum eſt à lethali culpa, quandò appetitur Prælatura ob honorem Dei, animarumque ſalutem, licèt ſecundariò appetatur ob honorem, & fructus eius: additur etiam quadam ampliatio, ſimulque limitatio.*

4. *Sicut appetere huiuſmodi modo Prælaturam nullum videtur eſſe peccatum, ita & procurare: & habetur limitatio.*

5. *Diluitur obiectio aduerſariorum ſatis clarè.*

6. *Factioſus appetens Prælaturam, ſeù procurans non eximitur à graui culpa.*

In dub. præcedent. ex mente Cordub. dixi, quòd ambire Prælaturas, in quibus cõmuniter violatur lex diuina, eſt peccatum mortale. Pro cuius intelligentia non video eſſe ſuperuacaneum pertractare præſens dubium

biũm mihi miniſtrans materiam agitandi: an liceat appetere Epiſcopatum, aliamue Prælaturam curam animarum annexam habentem, & libenter eam aggredior, quia durum ſemper mihi viſum fuit adhærere ſententiæ D. Thom. 2.2. quæſt. 185. art. 1. S. Antonin. 2. p. titul. 3. cap. 5. §. 3. Silu. tit. Epiſcop. quæſt. 3. & aliorum aſſerentium non vacare culpa, qui appetit Prælaturam habentem curam animarum; maximè quia, vt benè notat Reginald. in ſua prax. lib. 30. tract. 3. c. 13. num. 189. modò eſt in vſu, & more poſitum, vt beneficia non dentur, niſi petantur aliquo modo, nempè nutu, vel prece, vel verbo, alioue ſigno; nam damnare petentes tanquam grauiter peccaminoſos, & concedentes tanquam adhærentes eorum vitio, nimis rigidum videtur: vndè ſit.

1. Prim. not. tria poſſe conſiderari in Prælatura. Prim. eſt operatio, & functio, per quam vtilitati proximorum intenditur iuxta ſententiam Chriſti Ioann. vltim. *Paſce oues meas*. Secund. altitudo, ſeù eminentia gradus, ad quem homo aſſumitur ſecundùm illud Matth. 25. *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Tert. honor, reuerentia, & ſufficientia temporalium iuxta illud Apoſt. 1. ad Tim. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt*; nempè apud Deum, & apud homines. Ita S. Antonin. vbi ſupr. Sot. de iuſt. lib. 10. qu. 2. art. 1. Reginald. vbi ſupr. num. 186.

2. Not. sec. quòd quatuor modis appeti poteſt Prælatura. Prim. propter commoda temporalia, nimirum honores, & diuitias, ità vt principaliter propter illa optetur, & Prælatura ordinetur ad hunc finem, parato appetente deficere à ſua obligatione, quæ eſt ſalus animarum pro conſeruatione diuitiarum, & honoris, clarum eſt talem affectionem eſſe grauiter peccaminoſam. Ita Layman. lib. 4. tra. 2. cap. 15. num. 10. Secund. propter commoda temporalia, inquam, vt fiat homo ditior, & commodè viuat, & habeat honorem, & gloriam apud homines, ita tamen, vt non ſit finis Prælaturæ, ſed appetitus, cum propoſito tamen operandi iuxta ſuam obligationem, & adimplendi ea, quæ ſpectant ad ſuum officium, animarumque ſalutem tanquam finem proprium operis; talis affectus quidem vacare videtur culpa mortali, non tamen veniali ob ambitionem, & auaritiam. Ita Sot. vbi ſup. Caiet. 2. 2. quæſt. 185. art. 1. Nauarr. miſcell. 42. de orat. Layman vbi ſupr. quia pecunia, & honores non ſunt res de ſe malæ, ſed tantùm ineptæ; quod non ſufficit ad peccatum mortale, ſi non addatur aliqua circunſtantia ad talem rationem ſufficiens; vndè Caietan. inquit, ex hoc hominem non ſe reddere indignum Prælatura, quod etiam adnotauit Ledeſm. de ſtat. Epiſcop. c. 3. concl. 5. dub. 1. Tert. propter Dei gloriam, & ſalutem animarum promouendam; minùs principaliter verò propter temporalia, puta honores, & diuitias, vndè habeat, vt alatur, vel parentes, & ſorores, &c. Quart. propter Dei gloriam animarumque ſalutem, inquam; ita vt deſiderium ſolùm feratur in hoc.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. APpetere Epiſcopatum, aliamuè Prælaturam curam animarum annexam habentem propter honorem Dei, animarumque ſalutem, ita vt deſiderium feratur tantùm non in celſitudinem, & primatum, ac temporalem prouentum, ſed in obſequiũ Dei, gregiſque beneficium, alienum à quocumque peccato omninò cenſetur eſſe. Ita Sot. vbi ſup. Caiet. ſumm. tit. beneficium. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. p. 1. tit. 2. Gloſſ. 1. num. 9. Suadetur, quia huiuſmodi beneficium, ſeù Prælatura de ſe eſt indifferens, vt optimè notat Reginald. vbi ſupra 186. & per illam circunſtantiam annexam, idest propter laborem, qui eſt ordinatus ad honorem Dei, & proximi ſalutem, fit opus bonum, vt dicit Apoſtolus: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: iuxta interpretationem D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 1. Azor. p. 2. lib. 3. cap. 28. qu. 2. & Barboſ. vbi ſupr. nam appetere aliquid, quod ex ſe eſt indifferens, per annexam circunſtantiam bonam induit rationem boni, vndè ſequitur nullum ibi inueniri peccatum, quoniam huiuſmodi obiectum eſt intra ordinem appetibilium recta ratione: ergo appetere Epiſcopatum, aliamue Prælaturam nullo modo poteſt ad peccatum imputari. Præterea, quia Epiſcoporum ſtatus præſtantior eſt, quam Religionis ſtatus, hunc appetere,

tere, & optare laudabile eſt, ac Religionis officium, quarè ergo illum expetere, non erit laudabile, ac Religionis officium? Nec reſponſio videtur ſoluere argumentum, eò quòd ſtatus Epiſcoporum eſt ſtatus perfectus, cuius munus eſt inſtruere, & docere, in quo ſunt maxima pericula labendi in peccata; ſtatus verò Monachorum eſt via ad perfectionem, cuius officium eſt diſcere, & viam perfectionis aggredi, quoniam in vtroque ſtatu ſunt non parua pericula, eſto maiora in ſtatu Prælatorum: quæ pericula non verſantur in profitenda paupertate voluntaria? quæ pericula non ſunt in conſecrãda voluntate ad alterius nutum, & voluntatem per quodcumque inſtans intra totius vitæ ſpatium? heû heû tot, & tam magna sũt, vt ſine ſpeciali auxilio diuino ſuperari nequeant; ideò tot caſus videntur in Religionibus, tot ſcandala in omnium admirationē exoriuntur.: viuere ſemper in paupertate mendicando victum, & veſtitum, abnegare ſemper voluntatem ſupprimendo intellectũ, & frenando impetus ſenſuum, & ſe accommodando ad omnium ſubditorum mores, ò quã res ardua, & difficilis eſt! propterea SS. PP. inter Martyres connumerare Religioſos conantur.

Amplia, concluſionem, licèt appetatur beneficium, ſecundariò tamen ob honorem, & fructus eius. Ita Nauar. conſ. 17. n. 7. de ſentent. excomm. in nou. Reginald. vbi ſupr. n. 188. Barboſ. vbi ſupr. & ex Petr. Nauarr. Graff. Tolet. & alijs. Homobonus de bonis hum. vit. ſtatib p. 1. c. 6. verſ. Quandò autem. Ratio eſt, quia, licèt beneficia ex ſua primaria intentione ſint erecta ad cultum Dei, animarumque ſalutem, ſecundariò tamen ſunt inſtituta ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, & in cibum pauperum.

Amplia ſecundò, etiamſi appetatur ſimplici intentione non cogitãs appetens de dignioribus ſe, quia ſubintelligitur habere licitè, idest ſine offenſa Dei; & quamuis cogitaret de dignioribus ſe, habendo tamen animum præparatum ad non illos impediendos in eorum conſequutione, ſed tantùm pro ſeipſo procurare intendens, vt adipiſcatur exoptatum beneficium, culpa vacare videtur; nam contigere poteſt, vt Superior iuſtè, ac ſanctè tribuat ei beneficium, qui minùs dignus videtur propter alias circonſtantias ſingulariter occurrentes, quæ neceſſariò ſunt conſiderandæ in illo conferendo. Ita egregiè Caietan. ſumm. tit. beneficium, quem ſequitur Armill. eod. tit. n. 38.

Limita, modò appetens inter dignos cõnumeretur, quia indignus, qui cenſetur talis ob aliquem defectum vel naturalem, vel canonicum, vel moralem, nullo modo abſque lethali culpa Prælaturam appetere poteſt, tum ratione iuſtitiæ impediendo locum digno, cui talis Prælatura ex iuſtitia debetur, tum ratione charitatis nocendo omnibus potiùs, quam proficiendo Ita Valent. tom. 3. diſp. 10. quæſt. 3. part. 2. Ledeſm. vbi ſupr. concl. 5. Reginald. vbi ſupr. n. 182.

Limita hoc, niſi indignus nil cogitaret de ſua indignitate, ſed ſolùm deſiderium ſolummodo feratur in beneficium, id anhelando ad ſubleuandam paupertatem, propriæque indigentiæ ſuccurrendum, tunc cenſendum eſt minimè peccare. Ita Reginald. vbi ſupr. nu. 183. quia talis appetitus non eſt de obiecto malo, ſed bono, quatenus beneficium ſubleuare poteſt propriam miſeriam; ſicut nec qui triſtatur de malo, quod patitur ex obedientia, vel ex obligatione, non quatenus illud patitur ex debita obligatione, ſed ſolùm vt ſibi malum eſt durum, ac difficile.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Sicut appetere prout in prim. concluſ. nullum videtur eſſe peccatum; ita procul à culpa erit Epiſcopatum, aliamue Prælaturam procurare. Caietan. vbi ſupr. verſ. beneficium verò. Regin. vbi ſupr. n. 189. Ratio à Caiet. aſſignatur; nam beneficium pro ſe petere, aut procurare eiuſdem motis eſt, cuius eſt illud appetere: at appetere nullum eſt peccatum, vt dictum eſt: ergo nec etiam procurare. Limita, modò fiat cum debitis circunſtantijs, quia, cum procurare ſit actus exterior, indiget maxima circunſpectione, ne ſcandalum pariat. Ita DD. relati.

Amplia, id etiam habet locum iuxta mentem Reginaldi. vbi ſupr. quando dignus beneficium procurat, quamuis ſit alius dignior, qui id procuret, dummodò ſe ſubijciat examini, & obyciat in con-

cursu

curſu ſua merita, partes, ingenium, induſtriam, ac alia ſimilia oſtendat, tum quia Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. per edictum publicum iubet vocari volentes examinari ad beneficium vacans obtinendum, tum quia indè excitantur homines ad virtutes, ac literarum ſtudium.

5. Dices (& hæc obiectio videtur eſſe illa, quæ eſt fundamentum contrariæ ſententiæ, per quod contendunt noſtram ſententiam diruere) ſtatus Epiſcoporum, aliarumue dignitatum curam animarum habentium eſt tanti periculi propter curam animarum, & præcefert tantam obligationem, vt videatur quis de viribus ſuis præſumere, & temerè in periculum ſe conijcere abſque cauſa extremæ neceſſitatis, vt ſi ex. gr. nemo adſit, qui tantum onus ſuſcipere poſſit, ac velit: ergo tam appetere, quàm procurare non erit niſi mortale. Reſp. non eſſe præſumptionis peccatum, ſi quis innixus diuino auxilio opus tam arduum aggrediatur vacans conditionibus D. Paul. 1. Timoth. *vt ſit prudens, ſobrius, caſtus*, nec ſe exponit proximo periculo peccandi, cum ſit ſtatus bonus, perfectus, à Deo peculiariter inſtitutus, alioquin nunquam daretur caſus, per quem iuſſu Superioris quis neceſſitaretur ad tantùm onus ſuſcipiendum; quod omninò falſum videtur; pericula verò remota per accidens coniuncta vitari poſſunt ab eo, qui Dei auxilio confiſus vacare toto conatu ſuæ obligationi conatur. Ita Layman vbi ſupr. num. 10. Hic eſſet ſtatuenda concluſio: an Religioſi procurantes dignitates, ac Prælaturas grati culpa ſint damnandi, quæ conſultò prætermittitur; nihilominus monendi ſunt Superiores, ne permittant, vt relaxentur habenæ in his petitionibus; quia in magno diſcrimine ponitur diſciplina regularis, ne relaxetur, ne factiones formentur; ideò occurrant, quantùm moraliter fieri poteſt, talibus petitionibus, verbis, minis, iuſtitiaque diſtributiua: dico iuſtitia diſtributiua, quia nullum videtur eſſe maius obſtaculum, quàm procurare, vt omnes ſubditi meritis præditi habeant; vndè honoratè viuant, & liberentur ab oppreſſione aliquorum Prælatorum, qui ferè omnia bona, & commoda in propriam vtilitatem referunt; vndè Emin. Lugo de iuſt. diſp. 9. ſect. 2. inquit, Superiores permittentes, vt in Religione ambitio præualeat, peccare mortaliter, & rectè, quia D. Iſidor. 3. lib. ſent. cap. 19. cuius titulus eſt: De profeſſione Monachorum, non timet Monachum ambitioſum nuncupare ſectatorem prauitatis: *Qui ad hoc conuerſionem ſanctitatis prætendit, vt alijs quandoque præeſſe deſideret, iſte non diſcipulus Chriſti, ſed prauitatis ſectator exiſtit*: quarè meretur tam execrando nomine appellari? quia ambitio eſt ille acutus gladius diuidens homines in factiones, & ſchiſmata magna, vt optimè tangit D. Chryſoſtom. homil. 11. ad Epheſ. *Nil Eccleſiam æquè poteſt diuidere, vt ambitio, & amor imperij, & gerendi magiſtratus*: quæ mala ſequantur ex diuiſionibus, & factionibus conſulite totum meum tractatum, ex quo clarè intelligetis iuſtè ambitioſos fore acclamandos ſectatores prauitatis.

*TERTIA CONCLVSIO:*

6. Factioſus Religioſus appetens, ſeù procurans dignitates, ac Prælaturas in Prouincia, de qua loquimur, prorſus cenſetur eſſe lethalis culpæ reus. Concluſio clarè deducitur ex prædictis, vbi dixi, quòd indignus appetere, multò minùs procurare nequit Prælaturas ſub pœna peccati mortalis: factioſus autem ex multis titulis in hoc tractatu extenſis ſatis conuincitur eſſe indignus: vide dub. 187. igitur eius deſiderium, & procuratio dignitatum ſunt mortaliter peccaminoſa. Adde, quòd Graff. lib. 4. app. cap. 2. num. 24. Ledeſm. part. 2. tract. 7. cap. 2. concl. 5. dub. 2. dialog. 2. Peirin. de ſubdito cap. 31. §. 2. docent indignum acceptare Prælaturam non vacare culpa mortali: ergo tantò magis procurare erit mortale.

## DVBIVM XVI.

*An electores ſint tuti in conſcientia dicentes noſtros eligimus, quia ex noſtra factione ſunt digniores: huiuſmodi ſermo ab vtraque factione auditur, ita dicebat ſenex ille.*

## SVMMARIVM.

1. *Non ſunt Domini electores, ſed diſpenſatores; ideò tenentur ad inueſtiganda eligendorum merita reſpectu finis Eccleſiæ.*

2. *Licèt in multis rebus grauioribus dari poſſit diſcordia vtraque iuſta, non ita in diſcordia Prouinciæ, de qua loquimur: & ſoluitur quædam obiectio.*

3. *Electores vtriuſq; partis Prouinciæ dicẽtes noſtros eligimus, quia ex noſtra factione ſunt meliores, non excuſantur à peccato: probatur varijs rationibus.*

4. *Diluitur quædam obiectio de exceſſu meritorum apud vnam partem, & oſtenditur eſſe quendam prætextum.*

5. *Diluitur etiam alia obiectio de ignorantia inuincibili per regulas, ſeù principia regiminum, quæ tenentur ſcire Regentes.*

1. In ſuperioribus ſatis explicatum videtur punctum difficultatis, ſed quia factionarij radicantur in hoc, tanquam in fundamento, & radice, quòd exiſtimant ſe poſſe tuta conſcientia nutrire ſe ipſos inter factioſos; ideò indiget maiori explicatione. Pro cuius intelligentia ſit prim. not. cum Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. electores non eſſe Dominos votorum, ſed adminiſtratores, ac diſpenſatores; quarè fideles nequeunt eſſe in ſuffragio ferendo, niſi priùs diſcutiant eligendorum mores non reſpectu perſonæ, ſed Eccleſiæ, eiuſque neceſſitatis, ad quam eliguntur, & ad hoc tenentur ſub mortali. Ita Panorm. in cap. Bonæ de poſtul. Prælat. & in cap. Scriptum de elect. Abulenſ. cap. 32. Matth. quæſt. 118. Armill. tit. electio num. 22. Sigiſm. de elect. dub. 35. num. 1. p. 1. Quamobrem rectè dicit Salon. vbi ſupr. indagare mores, ac qualitates eligendorum reſpectu perſonarũ eſſe conſiderationem metaphyſicam; ſed debere illa conſiderari in ordine ad praxim, ideſt ſecundùm neceſſitatem Eccleſiæ: hinc eſt, quòd faciendo in contrarium peccant contra fidelitatem ſibi commiſſam ab Eccleſia, vt notat Azor. p. 2. lib. 6. cap. 15. quæſt. 1. hiſce verbis: Electorum fidei committitur, vt eligant, quem vtiliorem iudicauerint; alioquin fideles in eligendo adminiſtratores non ſunt.

2 Hoc ſec. negari non poſſe in multis grauioribus rebus dari diſcordias vtrinquè iuſtas, vt docent Leſſ. de iuſt. lib. 2. cap. 33. dub. 8. n. 67. & Sancius in ſelect. diſp. 44. n. 18. quia ex vtraque parte poſſunt eſſe rationes probabiles, & quilibet poteſt ſe conformare opinioni probabili; ignorantia enim veritatis operatur, vt vterque propter rationes ſpeciem veritatis habentes bona fide iuſtitiam pro ſe ſtare præſumere poſſit, priuſquam accedat determinatio à legitimo Superiore: in tali verò electione Prouinciæ nullo modo concedi poteſt diſſenſio de dignioribus pro eius ſupremo regimine; quia adeſt tertium determinans ſententiam, nempè neceſſitas, & vtilitas Prouinciæ, quæ vnione, pace, ac tranquillitate ſummoperè indiget: iſta ergo declarat digniores eſſe, &c prout in dub. 26. non dico tamen, quòd contrarietas opinionum non poſſit eſſe inter hominem, & hominem, maximè in dignoſcendis dignioribus, quia valdè varius eſt intellectus in iudicando; ſed in dignoſcendo digniores pro tranquillanda Prouincia non video poſſe concedi diſſenſionem, dum habemus neceſſitatem ipſiuſmet Prouinciæ, quæ nos inſtruit. Nec ratio illa poteſt eſſe alicuius momenti, in qua dicitur: *ex noſtra factione ſunt digniores, doctiores, & auſteriores; ex altera verò laxiores*. Prim. quia eadem verba à factione contraria proferuntur: Sec. quia, licèt eſſet verum, quæ res laxior inueniri poteſt, quàm tota Prouincia ob huiuſmodi electiones inimicitijs, odijs, diſcordijs, & omnibus malis ſuperiùs recenſitis plena? ò quàm rectè, ſi in terra moraretur S. Gregor. Nazianzen. aduerſùs hanc miſerabilem Prouinciã prorumperet in illa verba iã prolata contra plebẽ Cõſtantinopolitanam in partes diſtractam, ac diſcordiarũ

morbo

morbo laborantem ob mutuam quorundam Epiſcoporum contentionem: *atque ipſe quidem*, inquit orat. 14. de pace, *hae clamo, & conteſtor, nec quod ait Scriptura facere deſinã, propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalẽ non quieſcam, deficit enim anima mea propter eos, qui trucidantur, quos quidem non gladius, aut fames, ſed gloria, & Imperij amor ſauciauit, ita vt, qui cadunt, non miſerationem magis, quàm odium ſui excitent*: vndè pro veritate confirmanda præſentem concluſionem firmo.

*CONCLVSIO.*

3. Electores vtriuſque partis dicentes: *noſtros eligimus, quia ex noſtra factione ſunt meliores*: non ſunt tuti in conſcientia. Suadetur, tum quia exceſſus præ alijs alterius factionis non ita clarus, & manifeſtus eſt, vt ſecuritatem conſcientiæ concedere poſſit, vt euidenter probatum eſt in dub. 6. tum quia hi inter omnes homines nequeunt eſſe digniores, vt dicetur in dub. 26. nam diſcretio morum, & qualitatum ſecundùm vtilitatem, ac neceſſitatem Prouinciæ non eſt indagara, tum quia labuntur in talia verba ex mentis cæcitate ab ipſa factione in intellectu generata, ac radicata, vt notat S. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. de diſcordia §. 3. *Nam partiales*, inquit, *ae diſcordes ſunt pleni paſſionibus timoris, & amoris ad cõpartialem, & odij erga aduerſam partem, quæ peruertunt iudicium interius, vt reputent malum bonum aduerſæ partis hominem, & bonũ malum ſuum conſectatorem*: idem affirmat Nazianzen. Apologet. orat. 1. *Iam verò malos, & bonos non vita, ſed diſſenſio, vel amicitia tanquam notis quibuſdam inſigniunt, & quæ hodiè laudamus, eadem craſtino die vituperamus, & quæ apud alios infamia notantur eadem apud nos admirationi ſunt, omniaq; flagitia impietatem amplectentibus facilè condonãtur*: cui etiam congruit illud magni Gregor. in moral. lib. 9. c. 1. *Peruerſæ mentes, ſi ſemel ad ſtudium contrarietatis eruperint, ſiue prauum, ſiue rectum quid à contradicentibus audiant, aduerſus hoc reſponſionibus repugnant*: rationemq; eleganter ſubdit: *Quia cum perſona per contrarietatem diſplicet, nec recta, quæ protulerit, placent*: Quamobrem clarè conſtat illum zelum iuſtitiæ, & honoris Dei meliores eligendi in commodum, vtilitatemq; boni communis eſſe velamen ad tegendum proprij commodi zelum; nam verum zelum Dei, inquit Dionyſ. Carth. in moral. ſenſ. c. 25. nu. 4. adipiſci non poſſumus, niſi à priuato purgemur amore, affectum proprij commodi penitus excludentes, ita vt non ſimus ad nos ipſos inordinatè reflexi, ſed in Deum directè, linealiterque reducti, conſtabiliti, & transformati: tum quia ſeditiones excitantur, factioneſque formantur, ac nutriuntur ſub colore boni communis, & prætextu zeli, ac Religionis, vt docent Decianus de crimine læſ. maieſt. lib. 7. cap. 19. n. 14. tom. 2. hiſce verbis: *Qui quidem authores ſeditionis ſæpè prætexunt Religionem, vt ſcilicet eam conuocent, & acclament, vt de Syro illo nomine Euno legimus*: &c. & paulò inferiùs: *Nulla autem ex re magis tumultus, & ſeditiones excitantur, quàm ex religionis myſterijs etiam conturbatis, vt Tucidides, Plutarch. & Iſocrates referunt & ideò Mecœnas apud Dionem in Auguſto monet ipſum Auguſtum, ne patiatur nouam, aut peregrinam religionem inualeſcere; verendum enim eſſe, ait, ne eo prætextu cœtus, ſodalitia, coniurationes, ſeditiones, (quæ ſunt peſtes Monarchiarum) inualeſcant.* aſsẽtit Rodriq. tom. 2. q. 1. ar. 1. loquens de Eccleſiaſticis, & Regularibus: Vulnus, ait, diſſentionis, æmulationis, ac partialitatis defficillimè in eis poteſt mederi, cum in eorum ſtatu colore zeli iuſtitiæ, & boni regiminis ſit obuolutum: verùm quanti ponderis pro elucidatione concluſionis ſit hæc vltima ratio, legant Factionarij verba Greg. Nazianz. prolata aduerſus plebem illam conſtantinopolitanam in factiones diſtractam, prout in calce 2. not. *Nam*, inquit, *cum depræhendimur pij, atque orthodoxi ſumus, falsòque ad veritatem confugimus, tanquam pro fide contendentes, idque vnum, vt in malis, laude dignum, imò turpe in primis facimus, quod vitium erubeſcentes ad ſpecioſius, honeſtiuſque nomen, hoc eſt ad pietatem tranſimus.*

4. Dicet fortè quis ab aliqua ingenij perſpicacitate ductus, nolens rationibus acquieſcere: ſi ſingularium hominum vtriuſque factionis merita, ſcientiaque inter ſe comparentur, clarè apparet in omnium ſententia meritorum exceſſum tam in numero, quàm in ſcientia apud vnam tantùm factio-

nem eluceſcere; vndè ratio meritorum apud eam nequit inſpici, niſi vt ſolùm quidam prętextus. Reſpond. obiectionem eſſe nullius roboris, imò eiſdem rationibus notatis enodatur; nam ratio meritorum pro aptitudine ad regendum non deſumitur ex perſonarum qualitatibus in ſe conſideratis, ſed in ordine ad vtilitatem, & neceſſitatem Eccleſiæ: *Et dum omnia, quæ inter ſe diſcrepant*, inquit Boetius de Phil. conſ. lib. 3. *minimè bona ſunt, cum verum vnum eſſe cœperint, bona ſunt*: ſequitur, quòd rationes illæ meritorum, eſto in ordine ad perſonas inſurgere poſſint tanquam bonæ; in ordine verò ad regimen huius miſeræ Prouinciæ, cum pariãt, & nutriãt diſcordias, nequeunt nuncupari bonæ, ſed ſunt inſpiciendæ tanquan quidam prętextus ad celandam ambitionem, Imperiumque nutriendum; maximè quia nequeunt tales homines duci à ſpiritu Dei; *Nam ſi adeſſet*, inquit Bernard. in feſto omnium SS. ſerm. 1. *ſpiritus vitæ, per eum vtique charitas diffunderetur, & vnitas non ſcinderetur*: Quamobrem huiuſmodi factionarij, qui de meritis, ac ſapientia gloriantur, & in diuiſionibus nutriuntur, & putant obſequium ſe præſtare Deo, mittendi ſunt ad verba Gregor magn. in paſtor. p. 3. admon. 23. & Nazianz. orat. 26. tom. 1. loquentis de factioſis. Primus inquit: *Non eſt iſta ſapientia deſcendens de ſurſum, ſed terrena, animalis, diabolica, quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deindè pacifica, pudica videlicet, quia caſtè intelligit, pacifica autem, quia per elationem ſe minimè à proximorum ſocietate diſiungit*. Secundus ait: *Quaſi verò neceſſum eſſet nos exteris hoſtibus domitis mutuò alios ab alijs opprimi, & furentium ritu in proprias carnes ſæuire, ac ne id quidem ſentire, verùm maiorem ex hoc malo, quàm alij ex pace, & concordia voluptatem capere, calamitatemque lucrò ducere, atque exiſtimare per euerſionem noſtram obſequium Deo præſtari, ac diuidi, & incendi, nõ recta, ac laudabili diuiſione, ſed turpi, & vituperanda, nec incendio iſto, quo animæ labes expiantur, ſed funeſto, & exitiali*.

5. Dices, ſaltem per ignorantiam inuincibilem à peccato, præſertim ſub illo colore zeli excuſari poſſunt. Reſp. difficillimè poſſe ſaluari, quia ſicut Titius, qui aſſumit ſtatum Iudicis, ſeù Confeſſarij, non ideò eximitur per ignorantiam inuincibilem à peccato, ſi ignorat prima principia, & primas regulas, per quæ rectè adminiſtrare debet officiũ aſſumptum: e. g. Confeſſarius non liberatur à peccato, ſi inuincibiliter neſcit ea, quæ ſpectant ad rectè munus præſtandum, ideſt diſcernere inter leprã, & lepram; ad validitatem Sacramenti ex parte pœnitentis requiri ſaltem attritionem, ex parte abſoluentis intentionem abſoluendi cum debita forma ab ore prolata, &c. quia hæc ſunt primæ regulæ, ſine quibus Confeſſarij munus dignè, ac iuſtè nequit tractari. Ita DD. ſic tales factionarij attrahendo ad ſe munus regiminis per ignorantiam inuincibilem nequeunt à peccato excuſari, niſi ſaltem ſciant primas regulas, & principia, per quæ regimen eſt rectè gerendũ, & adminiſtrandũ. Tenentur ergo ſcire finem regiminis eſſe hominum multitudinem in vnitate conſeruare, vt docet S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 2. cuius violatio ſecundùm DD. imputatur ad culpam lethalem; & ideò dicebat S. Aug. de verb. Dom. ſerm. 18. *Qui deſeruerit vnitatem, charitatatem violat*: tenentur ſcire, quòd pax, & concordia ſunt etiam finis omnis Imperij, vt monet idem D. Thom. vbi ſupr. lib. 3. c. 5. cuius violatio, ſchola omniũ DD. teſte, eſt peccatum mortale; & ideò quælibet multitudo ab ea, debita concordia, & pace reciſſa, aliquid boni præſtare nequit; vndè S. Auguſt. in append. de diuerſ. ſerm. 57. inquit: *Meritum Chriſtianæ virtutis vileſcit in cunctis, ſi vnitatem non habet pacis, nec peruenit ad vocabulum filij, niſi per nomen pacifici*: tenentur ſcire, quòd iuſtitiam præſertim diſtributiuam regimen adminiſtrare debet, vt vult S. Thom. vbi ſupr. lib. 3. cap. 5. cuius violationem conſpirant omnes DD. eſſe mortale; quarè dicebat Ariſt. 5. pol. c. 7. loquendo de Republica: *Solùm enim ſtabile eſt ſecundùm dignitatem æquum, & habere ſua, quæ ſunt*: tenentur etiam ſcire, quòd dominium eſt conceſſum ad ſedandas diſcordias, iurgiaque extirpanda, vt habetur ex D. Thom. ibid. lib. 3. cap. 5. quòd, ſi nutriantur, nullum dubium eſt lethaliter peccari; nam diſſoluunt ſtatum Reipublicæ, vt probat S. Thom. vbi ſup. lib. 1. cap. 15. *Aliud*, inquit, *impedimentum boni publici conſeruandi ab interiori proueniens in peruerſitate volũtatum conſiſtit, dum ſunt paci multitudinis noxij, dum tranſgrediendo iuſtitiam aliorum pacẽ*

*per-*

*perturbant*; quæ omnia in aſſumpto regimine violantur à factionarijs; nam vnitatem diuidunt, pacem deturbant, iuſtitiam diſtributiuam lædunt, & tandem iurgia, & diſcordias nutriunt: quomodò ergo per ignorantiam inuincibilem communiter poſſunt excuſari à tot tranſgreſſionibus, cum iſta ſint prima principia, & primæ regulæ regiminis? pro concluſione ergo audiant factionarij, quid ſētiat Chryſoſtom. homil. 11. ad Epheſ. de ſeditioſis Eccleſiam diuidentibus, & ſibi applicent: *Hæc dicimus, hæc loquimur, ne illo die liceat cuipiam nobis dicere, nemo vobis dixit, nemo diſtinxit, ignorauimus; nullum exiſtimauimus peccatum eſſe; propterea dico, & proteſtor Eccleſiam ſcindere, non minus eſſe malum quàm incidere in hæreſim.*

Congregentur in vnum die electionis pro hac celebranda in Capitulo, ſuo nutu diuinū Spiritum more ſolito inuocent; nunquam voces eorum audientur, nec ſuper eos deſcēdet pro recta electione, ſed deſcendet ad iudicium, & non ad proemium: legant, quæſo, ſequentia verba D. Auguſt. ſerm. 185. de temp. fer. tert. Pentecoſt. ſerm. 1. *Ab hoc itaque, ait, dono Spiritus Sancti prorſus alieni ſunt, qui oderunt gratiam pacis, qui ſocietatem non retinent vnitatis; licèt enim etiam ipſi hodiè ſolemniter congregentur, licèt iſtas audiant lectiones, quibus Spiritus ſanctus promiſſus, & miſſus eſt; ad iudicium audiunt, & non ad proemium*: ad iudicium, inquam, etiam in hac vita, quia ſemper Prouincia agitabitur ſexcentis tumultibus.

## DVBIVM XVII.

*An, ſi modò aliqua Prouincia laboraret factionibus modo præſcripto, taliter cenſenda ſit deformata, vt nouitios inducere, ac recipere ad Religionis habitum nequeat.*

## SVMMARIVM.

1. *Omnibus eſt licitum quempiam inducere ad Religionem, cum ſit actus de genere ſuo bonus; ineſſe tamen poteſt triplex inordinatio.*

2. *Religionis deformatio vndenam habeatur.*

3. *Tranſit peccatum veniale in mortale ratione periculi proximi peccandi lethaliter: additur limitatio.*

4. *Nequit quis iuſſione, ſiue conſilio quempiam inducere ad actionem peccaminoſam.*

5. *Huiuſmodi Prouincia ob radicatas factiones in electionum materia cenſenda eſt deformata; imò à Deo derelicta.*

6. *Perſuadere nouitijs in eam ingreſſum, eoſque recipere non videtur tutum in conſcientia; habetur limitatio, duabus ſolutis obiectionibus.*

1. In tui gratiam, mi Senex, iam fuerunt varia explicata dubia, quibus ſatis dignoſcitur Prouinciam, de qua loquuti ſumus, factionis morbo laborantem laborare etiam fluctuatione conſcientiæ, ſequitur in mei gratiam iuxta titulum aliorum dubiorum explanatio, quorum primum eſt præſens, ſuppoſita veritate facti, quod Deus piè auertat; vt veritas doctrinæ magis elucēſcat. Pro cuius intelligentia ſit prim. not. licitum eſſe quempiam inducere ad Religionem, ingreſſumque perſuadere, cùm ſit actus ex genere ſuo bonus. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 189. art. 9. vbi Caietan. Cordub. in regul. Minor. cap. 2. quæſt. 2. Mirand. tom. 1. qu. 16. art. 2. Bartholom. de Vecchis in prax. nouit. dub. 1. diſp. 1. dicitur enim in epiſt. can. B. Iacob. cap. vlt. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*: & ex Daniel. c. 12. habetur: *Quòd, qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: triplex autem inordinatio contigere poteſt. Prim. ex parte perſonæ inducendæ, quæ violenter ad Religionem inducitur, quod prohibetur in decreto 20. quæſt. 3. c. Præſens: quæ mendacijs allicitur; vndè ei, inquit S. Thom. vbi ſupr. imminet periculum, ne, cum ſe deceptum inuenerit, retrocedat, & ſic fiant nouiſſima illius hominis peiora prioribus, vt dicitur Luc. 11. quæ etiam habet complexionem, & inclinationem nimis oppoſitam obſeruantijs Religionis, & videtur eſſe nimis leuis, & inconſtans; & cum communiter homo ſequatur inclinationes naturales, talis perſona niſi magno feruore ad Religionem moueatur, & probabiliter ſperetur fore perſeueraturam, nō induci debet ad illam Religio-

nem

nem proprijs inclinatinnibus oppnſitam, quia ex indiſcretione eius, fragilitate, & temeraria confidentia in Deo probabilitet imminet periculum damnationis, vt benè nntatunt Cordub. vbi ſupr. & Getſon. alphab. 73. lit. I. K. tr. de paſſion. anun. conſiderat. 18. 19. Secund. ex parte perſnnæ inducentis, quæ ſimoniacè munetibus datis, & acceptis inducit quempiam ad Religionem cnntra cap. Quàm pin 1. quæſt. 2. & cap. Nullus Abbas: quibus in lncis præcipitur, vt ab his, qui conuertuntur ad Religionem, nihil omninò ſit exigendum, neque pretin quis ad eam ſit inuitandus. Tert. ex parte Religinnis, quia in ea deformatè viuitur.

2. Quænam Religin dicetur diformata? hnc ſit ſec. not. illa, in qua parum exemplaritet viuitur, & inter mainres, & minores eſt multa, & communis relaxatin. Ita Caietan. 2. 2. quæſt. 189. art. 9. Cordub. vbi ſupr. dico 3. Mirand. vbi ſupr. Barthnlom. de Vecchis dub. 8. diſp. 1. quæ verba ſunt ſtrictè intelligenda, vt ait Cordub. paulò inferiùs, ſcilicet quandò Religin, ita eſt deformata, vt in ea viuatur in mnrtali tranſgreſſione Regulæ, aut legis diuinæ: aſſentit etiam Clauis Reg. lib. 6. c. 9. nu. 4. in fin.

3. Not. tert. opus veniale, aut indifferẽs tranſire in mnrtale nnn ſolùm ratione praui finis, vt iam dixi, ſed etiam ratione periculi incidendi in lethalem culpam; & fit, quandò operans occaſioni ita prnximæ exponitur, vt eum in morali, & prnximo peccandi mnrtaliter periculo conſtituat. Ita S. Bnnau. 4. diſt. 17. p. 3. art. 2. quæſt. 1. Armill. ſumm. tit. periculum. Nauart. ſumm. lat. c. 3. nu. 14. Cnrdub. in ſumm. quæſt. 4. fnl. 19. Suar. 4. tnm. in 3. p. diſp. 32. ſect. 2. ad fin. Sanch. in ſumm. lib. 1. c. 8. Baſſæus ſumm. tit. peccatum. 1. num. 12. conſtat ex illn Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Ratio eſt, quia propriam ſalutem cnntemnere videtur, dum proximn periculn ſe exponit: tunc continget proxima occaſio, quandò ex genere ſuo nccaſio eſt talis, vt frequenter homines talis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento habetur talem hnminem in culpam frequenter labi, & fragilitate in peccatum inflectere. Sic habetur ex Nauart. Cordub. Suarez. Baſſæn vbi ſup. dixi frequenter; nam, ſi quis ſemel, aut iterum peccat, pluries verò reſiſtit, non videtur nccaſio proxima, & mnralis peccati. Ita Ioannes Sanc. diſp. 1n. ſelect. n. 17. cũ Anton. Fernand. in inſtruct. cnnfeſſ. docum. 6. num. 1. fol. 29. & Caſtr. Palan de peccat. eſſent. p. 1. tr. 2. diſp. 2. p. 9. §. 3. Aduerte tamen primò, qund, ſi ceſſet periculum, ceſſare quoquè debet peccatum, quia, cum tota ratio peccati ex periculo conſurgat, qualitercumque ceſſet illud, ceſſabit etiam peccatum. Sic Nauarr. ſumm. lat. c. 3. nu. 15. Cnrdub. Sanch. vbi ſupt. Secund. ſi cauſa grauis hnminem vrgeat, vt ſe periculò exponat, non erit peccatum, quia tunc periculum illud non videtur eſſe mnraliter vnluntarium, cum moraliter loquendo ſine graui periculo vitari nequeat. Ita S. Th. 2. 2. quæſt. 10. art. 9. Sot. de iuſt. lib. 5. quæſt. 1. art. 6. concl. 2. Henriq. lib. 4. dé pœnit. c. 24. num. 4. Cnrdub. Suat. Sanch. vbi ſupt. verùm doctrina de vitando proximo periculo peccati non ſnlùm nbligat perſonam, ſed etiam proximum, ita vt eodem vinculo peccati abſtringatur, qui proximam occaſionem labendi frequenter in peccatum mnrtale ab homine non interdicit, eò quòd quilibet cauere tenetur abſque ſun graui detrimentn proximi peccatum, vt communiter docent DD. videatur Baſſæus ſumm. tit. ſcandal. num. 4.

4. Not. quart. quòd nulln modo quis inducere poteſt quempiam ſine peccatn iuſſione, ſiue conſilio expreſsè, vel tacitè ad agendum id, quod ab eo abſque tranſgreſſione diuinæ legis fieri nequit. Ita S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 9. §. 14. Nauat. c. 17. n. 29. Suar. 3 part. tom. 3. diſp. 18. ſect. 1 Layman. tr. 3. c. 12. nu. 3. de charit. Ratin eſt, quia repugnat præceptn negatiun iuris naturæ, ne prnximum inducas in peccatum: an ſemper ſit peccatum lethale cnncurrere, ſiue cooperari materialiter tantùm peccato proximi ex. gr. exhibendo nbiectum, vel miniſtrandn materiam, &c. videantur Layman. vbi ſupr. Maior. c. 4. diſt. 15. q. 35. Caietan. 2. 2. qu. 147. art. 4. Azor. p. 2. lib. 12. c. 18. qu. 4. & 8.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. HViuſmodi Prouincia nb firmas, & radicatas factinnes in electinnis materia deformata prorſus cenſenda eſt.

Pro-

Probatur: tunc Religio dicitur deformata, quandò in ea in re graui parum exēplariter viuitur, & inter maiores, & minores eſt multa relaxatio, & cōmunis, vt dictū eſt in 2. not. at in tali Prouincia in ijs, quæ ſpectant ad electionem, videtur eſſe non parua relaxatio: ergo: minor probatur reuocando huc dub. 5. in quo demonſtraui electores maiores, nempè Prouinciales cum Definitoribus eligentes inferiores Superiores ferè omnes ex ſuis, &c. lethali culpæ obnoxios eſſe: reuocando 6. in quo pro certo dedi minores electores ferendo vota pro maioribus in Prouincialem, ac Definitores præuidentes eorū inæqualitatem, ac multa incommoda oritura ob ſuorum conſeruationem, non excuſari poſſe à labe culpæ mortalis: reuocando 12. in quo clarè habetur iſtas duas factiones in vmbra mortis æternæ mali ſtatus vitam degere, & propter ſeditionem, & propter alias rationes prout ibi: tandem reuocando huc totum tractatum, in quo multa, ac multa ſunt diſperſa, per quæ patet inter maiores, & minores maximam relaxationem potiùs lacrymis lugendam, quàm ſcriptis notandā vigere: quis ergo in tali Prouincia deformationem negare audebit? imò addo, quòd eſt adeò deformata, vt dici poſſit eſſe in materia regiminis, per quod conſeruatur Religio, & ſupra quod ædificium perfectionis erigitur, à Deo derelicta; nam, cum vnio finis regiminis ſit illud pretioſum donum deſcendens à Patre luminum, vt dixi in dub. 6. ex mente Gregor. Nazianz. & dicam in dub. 94. 2. part. ex ſenſu Dion. Areopag. & modò dico ex ſentent. S. Aug. tr. 110. in Ioann. tit. 9. *Vt quòd*, inquit, *vnum efficimur fideliſſima charitate, gratia Dei ueuerimus tribuendum eſſe, non nobis.*: & cum factiones, ac ſeditiones ſint illud destructiuum directè deſtruens vnionem, quod æterna prouidentia regimini Ciuitatis, ac Regni imminere voluit, vt ſicut cætera creata foret mortale, vt optimè notat Decian. lib. 1. de ſeditioſis c. 19. *Serpunt enim.*, inquit, *ſenſim ſeditiones, & quod ſanum eſt in Republica vitiāt; æternæ enim forent Reſpublicæ, æterna Regna benè inſtituta, & iuſtis legibus munita, ſi ſeditiones forent incognita, ſed Dij immortales id vnum venenum labem Ciuitatibus, & Regnis imminere voluerunt, & Imperijs, vt ſicut cætera omnia, mortalia forent*: ſequitur huiuſmodi Prouinciam ſine vnione, ac pace, ſeditionibus, ac factionibus plenam eſſe à ſummo, ac diuino Numine derelictam: diuinum quippè dictum S. Hieron. in Pſalm. 75. firmat concluſionem: *Non eſt vmbraculum Domini, niſi vbi pax ſit, vbi Zelus, & diſcordia, non eſt protector Deus*: & Trithem. Abb. in prol. regul. S. Bened. c. 2. pag. 126. *Vbi* ait, *non eſt pax, nec Deus adeſſe poteſt*: & quid erit? *non niſi vt ex ſeditione*, inquit D. Antonin. in dub. 5. citatus. *tota vita regularis deficiat*: & rectè, quia S. Chryſoſt. in Pſalm. 132. 1. dicit: *Seditio, & contentio mortem parit, vbi autem eſt pax, & concordia vita eſt tutiſſima, & longè ſecuriſſima.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

6. NOuitijs perſuadere in huiuſmodi diuiſam Prouinciam ingreſſum, eoſque recipere, nequit, niſi ad mortale imputari. Suadetur prim. nullo modo videtur licitum inducere, ſeù perſuadere iuſſione, ſeù conſilio, &c. quempiam ad agendum id, quod ſine peccato mortali fieri nequit, vt dictum eſt in 4. not. perſuadere autem hominibus ſecularibus in talem Prouinciam ingreſſum, eoſque ad habitum recipere eſt perſuadere actionem, ſeù illi cooperari, quæ ſine lethali culpa fieri nequit; nam, vt rectè notant Caietan. Cordub. & Clauis reg. inducere aliquem ad Religionem deformatā, in qua viuitur in mortali regulæ, aut legis diuinæ tranſgreſſione, eſt actus de ſuo genere malus, quia inducitur quis ad vitam repræhenſibilem; omnis autem vita repræhenſibilis mala eſt; & Ludouic. Lopez 1. p. inſtruct. c. 44. inquit, inducere ad Religionem, vel ingredi eam, vbi malè contra diſciplinam regularem viuitur, peccatum eſt: ergo ſine culpa lethali huiuſmodi ſuaſio, ſeù receptio fieri nequit. Sec. exponere ſe, ſeù quempiā etiam per actionem bonam, ac indifferentē abſque vrgentiſſima cauſa proximo periculo lethaliter peccandi eſt mortale, vt patet ex tert. not. cum ergo inducuntur iuuenes, ſeù recipiuntur ad ſtatum huius Prouinciæ in factiones diſtractæ, eis quidem præbetur proximum periculum ruendi in peccatum; nam frequenter homines, imò ferè ſemper, & fortè ante profeſſionem inter factionarios enumerantur, vel à Superiore recipiente eos,

vel

vel à Magiſtro nouitiorum inſtruente, vel ab aliquo alio tale diabolicum officium tractante; vndè facillimè in factionum vitia labuntur, & propter exempla maiorum, & minorum, ac propter neceſſitatem, vt commoda Religionis commodè conſequi poſſint; vndè dicebat S. Bernardin. Dom. 3. Quadrag. ſerm. 24. art. 2. c. 2. *Sed in terra partiali non ſolùm ſunt verba, ſed etiam opera ex partialitate peruerſa; protereà quaſi impoſſibile eſt in terra partiali, & cum partialibus conuerſari, quin homo aliquo modo inficiatur*: ergo huiuſmodi inductio, ſeù receptio eſt mortaliter damnanda, tanquam præbens abſque vlla neceſſitate proximam peccandi occaſionem. Tert. decipere aliquem in re graui, præſertim in materia contractuum, eſt peccatum mortale, vt dicunt omnes DD. eò quòd cenſetur actio iniurioſa: at inducere, ſeù recipere nouitios ad habitum in tali ſtatu Prouinciæ eſt eos decipere in materia grauiſſima, qualis eſt ſalus animarum, & eſt in materia contractuum quia inter nouitios, & Religionem per profeſſionem initur contractus vltrò, citròque obligatorius, vt inquiunt DD. deceptio enim in hoc conſiſtit, vt aſſerunt Caietan. Cordub. Mirand. Clauis reg. & Barthol. de Vecchis vbi ſupr. quia iuuenes aſſumentes Religionis habitū credunt, & exiſtimant ad perfectionem, & perfectionis ſtatum ſe induci, poſt ingreſſū, & profeſſionem inueniunt tantam relaxationem, & pericula in peccata, & vitia labēdi, & tam paruam occaſionem proficiendi, vt iuſtè ſe deceptos fateri poſſint: ergo. Quart. ſcandalum actiuum ex genere ſuo eſt mortale peccatū, vt inquiunt Sanch. ſumm. lib. 1. c. 6. num. 9. Valent. 2. 2. diſp. 3. quæſt. 18. p. 2. in initio. Baſſæus ſumm. tit. ſcandalum num. 6. & id videtur eſſe quoties quis illud impedire tenetur abſtinendo ſe ab opere, ex quo alter ruinæ mortalis occaſionem accipit, & non abſtinet: recipere quidem homines, &c. eſt illis ad ſcandalum, vt dicit Cordub. vbi ſupr. recipientes enim cauſam eiuſdem ſcandali, quam vitare tenētur, præſtant: ergo. Quint. tenetur quis proximo ſub mortali pericula, per quæ magna incommoda, ac damna ei euenire poſſunt, reuelare, quæ doctrina duobus exemplis à Cordub. vbi ſupr. fulcitur, ſeù explicatur: Si quis, inquit, à me peteret cibum, quem ego ſciò eſſe venenatum, putans bono animo, mediante illo cibò, ſe ſanitatem cōſequi poſſe, nonne ego ſi tacerem, & porrigerem, eſſem reus mortis illius, vel damni indè prouenientis? ſi petenti ianuam domus aperirem, in qua ſcio Leonem eſſe ſæuum, ac deuorantem; vel inimicum illius abſconditum ad illum occidendum, ſi petitioni adhæreo non reuelans pericula ſibi imminentia, nonne ero in culpâ mortis, vel periculi indè probabiliter ſequuturi? ergo ſimiliter, ſi quis veniens ad Religionem deformatam, vbi ſunt innumera pericula incidendi in peccatum relaxationem ignorans, quomodò excuſabitur ianitor, ideſt Prælatus inducens illum, vel recipiens ad talem habitum à peccato? hæc Corduba.

Quamobrem doctrina tradita ad mentem Cordubæ, & Mitandæ vbi ſupr. videtur clarere in illo Matth. 22. *Væ vobis Phariſæi, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelitum, & cum feceritis, facitis illum filiū gehennæ*: nam communis regula DD. eſt, quandò in ſacra Scriptura habentur minæ ſub ly, Væ, ſignificare pœnam inferni, & peccatum mortale tranſgreſſoribus. Tādem concludit Cordub. paulò inferiùs: Nullo certè modo excuſatur talis Pręlatus recipiēs, & multò magis, qui tales inducit ad Religionem deformatam, neque illi, qui per ſuffragia ſuorum votorum huiuſmodi homines ad eam accedentes admittunt; ſed omnes inuoluuntur peccato maiori, vel minori, ſecundùm quod quiſque tenebatur ſcire, & prouidere tali periculò proximorum bono animò pro animarum ſuarum ſalute Religionis habitum aſſumentium; imò addunt Caietan. & Clauis reg. vbi ſupr. quòd ingredientes etiam obſtringuntur peccato: intellige, dummodò deformationem nouerint.

Limita, nam poſſunt excuſari à peccato iuxta Caiet. Cordub. Sayr. & Barthol. de Vecchis vbi ſupr. tam recipientes, quàm inducentes, quandò verè, & clarè nouitios diſpoſitos, & aptos ad talem Prouinciam, & ſpiritu feruentes informabunt de promittendis, nec non & de periculis, ac difficultate obſeruandi ſuas regulas, & obligationes, & de imperfectione conſortium, & quomodò illa, vt ſaluentur, cauere, & euitare debeāt: concludit tandem Cordub. hanc materiam hiſce verbis: Nam hoc modo inducere, & reci-

recipere licitum eſt, & bonum, etiam ad Religionem deformatam præſertim eos, de quibus ſperatur probabiliter, quòd, iuuante gratia Dei, ſaluabuntur, & proficient ad Religionis obſeruantiam; multos enim Deus ſuſcitat ad reformationem Eecleſiæ, & Religionum quotidiè labentium, per quos & vitam regularem Deus ſuſcitat, vel in toto, vel in parte, circa quæ omnia examinanda magna, & cauta diſcretio habenda eſt, & requiritur: an omnes ad habitum Religionis accedentes de difficultate, & deformatione Prouinciæ monere expediat, dubium mihi videtur: in partem negatiuam inclino ad euitanda multa incommoda ſequutura, ſed tantùm eos, de quibus Cordub. & qui certè habitum aſſument.

Dices, Eccleſia id ſcit, & tolerat: ergo nō erit peccatum. Reſp. ex Caietan. Cordub. Clau. reg. & Vecch. vbi ſupr. permittere, ſicut alia mala, vt lupanaria, &c.

Dices, ſi tutò nequeunt Patres ad habitū nouitios recipere, Prouincia in maximum Religionis damnum deſtruetur. Reſp. non eſſe perpetranda mala, vt eueniant bona, imò nec iocoſum verbum, ſeù mendacium eſt dicendum, eſto Mundus totus eſset deſtruendus. Nec obſtat dicere, quòd de duobus malis minus eſt eligendum, vt dicunt DD. minus enim malū eſt nouitios recipere, quā Prouinciam labi in ſui annihilationem in ſæcularium ſcandalum, præſertim quandò eis innoteſceret tot iuuenibus fuiſse Religionis ingreſsum denegatum, quia regula illa valet, quandò neceſſitas eligendi vnum ex duobus oritur ex parte malorum eligendorum; non verò quandò oritur ex malitia eligentis, vt eſt in caſu, & quia nolunt factionarij factionis vitio ſe abdicare; ideò neceſſitantur, vel ad recipiendos nouitios mortaliter peccādo, vel ad negandum ingreſſum in Prouinciæ deſtructionem eum ſæcularium ſcandalo: reſecate à vobis factioſorum nomen, & tuta cōſcientia iuuenibus habitum non denegabitis, & Prouinciā propagabitis: imò addo, quòd ſi neceſſitas oriretur ex parte malorum eligēdorum, non tamen cenſendum eſſet minus malū nouitios recipere, quia Prouincia deficit à fine, qui videtur eſſe, ad inſtar matris, portare, ac nutrire filios in perfectionis ventre, vt indè Cęlo naſcantur, dum facit tot filios gehennæ: deſtructo quidem fine nullum malum præponderans poteſt ei æquiparari; quòd ſit præcauendum.

## DVBIVM XVIII.

*An profeſsio nouitiorum in huiuſmodi Prouincia poſtquam in factiones abijt, cenſenda ſit irrita, & inualida.*

## SVMMARIVM.

1. *Votum quid: & explicātur quinque cōditiones pro validitate promiſſionis vnà cum diuiſione voti ſolemnis, & ſimplicis.*

2. *Inter metum, & dolum deſignatur differentia, ſimulque oſtenditur errorem aliquandò verſari circa Religionis ſubſtantiam, aliquandò circa res accidentales; ex hac autem diſtinctione validitas, & inualiditas profeſſionis elucidatur.*

3. *Dummodò tota Religio ſit diſtracta in factiones, nouitiorum profeſſiones ſemper erunt cenſendæ inualidæ, quia per errorem celebratæ: & probatur varijs rationibus.*

4. *Cuidam obiectioni non parui momenti ſatisfit.*

5. *Non ſunt iudicandæ tanquam inualidæ profeſſiones emiſſæ in Prouincia factionum morbo laborante, dum corpus Religionis ſanum exiſtit.*

Scio veritatem doctrinæ eſſe ſatis metaphyſicam, & difficillimè poſſe reduci ad praxim, quia ſupponit integram Religionem eſſe in factiones diſtractam, quod moraliter videtur impoſſibile; nihilominus ad malignitatem factionum oſtendendam quæritur: an profeſſio nouitiorum emiſſa, poſtquam in factiones abijt Prouincia, poſſit habere titulum nullitatis: reſpondent fortè Caiet. & Cordub. affirmatiuè, quia in locis ſuperiùs relatis habent iſta verba: Ex parte Religiogionis, ad quam quis inducitur, ſeù recipitur, debetur, & requiritur, vt in ea viuatur ita regulariter, & exemplariter, vt habeat inductus, ſeù receptus occaſionem in melius proficiendi; nam ſi maiores tepidè viuunt, & inter minores eſt multa relaxatio, cum certè immineat periculum ſcandali nouitijs, dum aliud vident, quàm putabant; & quamuis nō

mendacio inducentis, quia ſimpliciter inducit eos; ipſo tamen actu inductionis, ſeù receptionis videtur eſſe deceptio: examinatur ergo: an huiuſmodi deceptio habere vim poſſit annullandi profeſſiones.

1. Not. prim. votum, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 1. & 2. S. Bonau. 4. diſt. 28. art. 1. quæſt. 1. & 2. S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 2. Nauarr. cap. 12. n. 24. Layman tr. 4. c. 1. Leſſ. de iuſtit. lib. 2. c. 45. dub. 1. Sanch. ſumm. lib. 4. nu. 1. Bonacin. de leg. quæſt. 2. p. 1. de voto, eſſe promiſſionem Deo factam de meliori bono: vt autem promiſſio ſit valida, quinque conditiones iuxta mentem Leſſ. vbi ſupr. requirũtur. Prim. vt ſit deliberata, ideſt cum plena, ac perfecta animaduerſione eius, quod fit, quã non habent ij, qui repentino quodam motu, vel conſuetudine vouent, non aduertentes quod faciunt; cenſetur tamen plena, ac profecta animaduerſio illa, quæ ſufficit ad mortale in materia peccaminoſa. Sec. vt ſit ſpõtanea, ideſt, vt inquit Leſſ. non metu, vel dolo. Tert. vt fiat cum intentione ſe obligandi, quia, cum vouere ſit veluti quædam lex, vim habere debet iuxta intentionem promittentis. Quart. vt res promiſſa ſit grata Deo; promittere enim quidquam, quod diſplicet, potiùs eſt minari, quám promittere. Quint. eſt, vt promiſſor poſſit ſe obligare; nam multi ſunt, qui per leges ſe ligare nequeunt: multa poſſent hic cumulari pro ſoliditate iſtarum conditionum, ſed non ſunt ad rem noſtram; cõſulite DD. in materia voti, præſertim Leſſ. Laymã. Sanch. vbi ſup. Porrò votũ diuiditur in ſolẽne, & ſimplex: ad ſolemne, requiruntur duæ cõditiones, vt colligit Hieron. Rodriq. in copẽd. reſ. 140. ex Bonif. VIII. in ca. Vnico, de voto, & voti redempt. ex DD. ab ipſo relatis. Prim. quòd fiat profeſſio expreſſa; vel tacita in aliqua Religione á ſede Apoſtolica approbata, & in manibus Prælati acceptantis vota vice ipſius Dei poteſtatem habẽtis incorporandi Religioni. Sec. vt vouens voueat certam regulam, ſeù Religionẽ approbatam, nec ſufficit vouere Religionem in genere, vt innuit Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. de Reg. quarè Sanch. lib. 7. de matrimon. diſp. 25. art: Votum ſimplex, & ſolemne ſpecie non differre, ſed ſolùm per hanc ſolemnitatem, & traditionem externam in manu Prælati acceptantis vota in Religione approbata vice Dei, & quamuis in voto ſimplici tradatur Deo dominium, non tamen eſt ibi miniſter Dei acceptantis.

2. Not. ſec. maximam eſſe differentiã inter metum, & dolũ; nam metus non tollit voluntariũ conſenſum, ſed tantùm perfectam libertatem; dolus autem, vel error conſenſũ aufert. l. 5. per errorẽ ff. de iuriſdict. omn. iud. l. cum teſtamentum, & l. non idcircò. C. de iur. & fact ignorãt. quarè Sotus lib. 7. de iuſt. q. 1. ar. 2 circa med. Arag. 2. 2. q. 88. ar. 1. Rodriq. p. 2. ſumm c. 92. concl. 4. Clauis reg. lib. 6. c. 9. n 4. inquiunt deceptionem in voto tollere voluntarium requiſitum ad validitatem voti: & Maſcard. de probat. concl. 6to. nu. 2. affirmat dolum aduerſari conſenſui.

Not. tert. errorem, ſeù deceptionem aliquandò verſari circa Religionis ſubſtantiã, vel circa res tam graues, vt moraliter ad Religionis ſubſtantiã reuocentur; aliquandò circa res accidẽtales, quæ ſunt inferioris, & exigui momenti. Ita Leſſ. de iuſt. lib. 2. c. 40. du. 2. n. 5. Suar. de Relig. lib. 6. c. 5. n. 3. Sanch. de matrim. lib. 10. diſp. 9. nu. 20. 21. multos alios colligens. Sot. de iuſt. lib. 7 qu. 7. ar. 2. Bonac. de legib. diſp. 4. q 2. p. 3. §. 2. Layman. lib. 4. tr. 1. c. 1. nu 5. Barthol. de Vecch. in prax nouitiorum diſp. 13. dub. 13. Baſſæus ſumm. tit. votum 1. n. 9. ſi autem error, & dolus, ſeù deceptio contingant circa ſubſtantialia Religionis, &c. irritant votum, & profeſſionem. Ità DD. citati, tũ quia per huiuſmodi errorem, ſeù dolum irritatur contractus onerosus, vt docent Molin. to. 2. de iuſt. diſp. 272. §. deindè ſi mulieri. Nauarr. in ſumm. lat. c. 22. n. 27. Fagund. de iuſt. lib. 1. c. 3. n. 9. & communiter omnes DD. ergo multò magis votum, ſeù profeſſio, quæ cenſetur promiſſio gratuita, & liberalis, tum quia error, & deceptio, dum cadunt in ſubſtantiam rei, vel aliquo modo in ſubſtãtiam rei promiſſæ, redundare videntur in materiam notabilem rei promiſſæ; res verò promiſſa debet eſſe voluntaria, vt obliget; deceptio enim tollit omne voluntarium, vt dictum eſt in 2. not. & nihil eſt magis contrarium conſenſui, quam error, tum quia error perſonæ in matrimonio, quia ſubſtantialis eſt, inualidare cenſetur matrimonium; & idem eſt dicendum de quacumque alia re ſubſtantiali matrimonio, vt inquiunt Ledeſm. qu. 53. art. 5. Victor. relect. de matrim. p. 1. n. 10. Tolet. ſumm. lib. 7. c. 3. & multi

alij

alij, quos refert, & ſequitur Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 18. num. 18. & Suar. vbi ſup. num. 4. ergo etiam inualidate debet profeſſionem, quia in poſtulando conſenſum omninò exiſtimanda ſunt paria: quæ autem cenſeantur ſubſtantialia, vel quæ reuocentur ad ea, ita vt error, ſeù deceptio circa ipſam profeſſionem inualidet, conſulite DD. relatos; ad rem noſtram tamen eſt, quandò ingredientis, & vouentis variatur in re notabili propria exiſtimatio, qua variatione cognita, non vouiſſet nouitius, tunc error, ſeù dolus inualidat profeſſionem. Ita Em. Lugo de iuſt. diſp. 22. ſect. 7. nu. 94. referens Sanch. idem dicit Suar. vbi ſupr. Quandò, ait, error, vel deceptio contingit, vel in rebus ſubſtantialibus, vel adeò grauibus, vt moraliter ad ſubſtantiam reuocentur: & 4. de Relig. tr. 10. lib. 3. c. 6. nu. 7. addit: Ad validam profeſſionem requiritur conſenſus, qui non ſit præſtitus per dolum, vel per deceptionem in re graui exortus: conſentit Caſtr. Pal. part. 3. diſp. 2. p. 2. §. 2. num. 3. idem dicit Sanch. vbi ſupr. num. 21. Aut quandò, ait, eſſet notabilis deceptio circa inſtitutum, & ſubſtantialia regulæ, quam profitetur ille: quandonam verò inſtitutum erit collapſum? ſanè quandò aliqua res grauis obligans ad mortale non obſeruatur: conſentiunt etiam Barthol. de Vecchis vbi ſupr. & Clau. Reg. lib. 6. c. 9. nu. 4. imò ait iſte vltimus Doctor: Tanti ponderis, & momenti hæc res eſt, vt aliquandò deceptio votum de ingreſſu Religionis factum irritet, & annullet, v. g. ſi quis aliquem deciperet affirmans in tali Religione non ſeruari ciborum delectum, nec ieiunium, aut quidpiam aliud difficile, quod ſi prænoſſet, nunquam voueret, ſi ita ſeductus voueat, votum nullum, & irritum erit, eò quòd deceptio illa tollit voluntarium requiſitum ad votum: & tandem exemplum huius Doctoris admittit Lugo vbi ſupr. referẽs Sanch. & Sotum: ſi poſtea error, ſeù deceptio contingit circa accidentalia, quamuis ſine illo errore vouens non voueret; non ideò eximitur ab obligatione voti. Ita DD. ſuperiùs relati, tum quia, qui aſſumit ſtatũ aliquem perpetuum, cenſetur velle ea, quæ per dolum, & errorem inuenit in Religione, & ibi eſt conſenſus virtualis, vt notat Molin. de iuſtit. tom. 3. diſp. 222. tum quia ſequerentur multa incommoda in Republica Chriſtiana, ſi talis error, ac deceptio obligationem ſolemnis voti tolleret; nam multi coniugati non obligarentur ad coniugium, & multi profeſſi non tenerentur ad Religionem, quod cederet in graue damnum, & ſcandalũ Reipublicæ, vt benè notat Sanch. vbi ſupr. num. 2. quarè, qui ingreditur Religionem putans ſe magnam Prælaturam, ſeù beneficium tandem recepturum, licèt id ſit tanquam cauſa finalis; non ideò eximitur à voto, ſi beneficium, ſeù aliquid ſimile intentum è manibus fugiat, vt congruũ eſt. Nec obſtat dicere cum DD. relatis à Suar. & Sanch. vbi ſupr. vel deceptio, ſeù error cadant ſupra ſubſtantialia, vel ſupra accidentalia, validam eſſe profeſſionem, eò quòd conditio intrantis Religionem facta eſt melior, quia, licèt, inquit Suar. num. 8. eius conditio melior facta fuerit, non tamen iſta mellior conditio tribuit voluntarium neceſſarium ad validitatem profeſſionis. Nec obſtat, vt alij dicunt, dolum, ſeù ignorantiã ingredientis profeſſionem inualidare, quandò talia ſunt, vt cadant in virum ſapientiſſimum, ac prudentiſſimum, quia, vel cadant in ſapientiſſimum, vel non ſapientiſſimum, ſemper tollunt rationem voluntarij. Nec obſtat dicere contra vltimum membrum diſtinctionis, quòd votum non obligat vltra intentionem vouentis; proindè, ſi alias difficultates prænoſſet, votum non emiſiſſet, quia, vt rectè notat Sanch. in ſumm. lib. 4. c. 2. num. 8. ad inducendam obligationem voti, ſeù eximendam non eſt ſpectandum, quid faceret vouens, aut non faceret, ſi præuidiſſet; vndè Vaſq. 1. 2. quæſt. 7. art. 4. diſp. 30. cap. 4. num. 25. 26. inquit, non valere hanc conſequentiam: agens, ſi talem conditionem ſciret, actionem non feciſſet: ergo actio illa inuoluntaria; ac proindè non obligat; ideò dicitur vouentem circa accidentalia deceptum habere conſenſum virtualem, vt inquiunt Molin. & Leſſ. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. NOuitiorum profeſſio celebrata per deceptionem, & errorem, poſtquã in factiones abijt huiuſmodi Prouincia cenſenda eſt inualida, & irrita, ſi in tota Reli-

gione vitium factionis ſit diſperſum. Suadetur prim. error, ſeù deceptio contingens circa ſubſtantialia Religionis, vel quaſi ſubſtantialia irritat, & annullat votum ſolemne profeſſionis, eò quòd deſideratur ratio voluntarij neceſſaria ad eius validitatem: profiteri autem in huiuſmodi Prouincia in partes, ac factiones diſtracta, & profiteri per deceptionem, & errorem, vt ſupponitur, quia nouitij nullam habuerunt cognitionem taliũ morum; ergo eorum profeſſio tanquam inuoluntaria exiſtimanda eſt nullius roboris, & valoris: maior conſtat ex 3. not.: minor probatur ex doctrina Emin. Lugo aſſerentis ad errorem circa ſubſtantialia Religionis ſpectare, quandò notabiliter variatur res magni momenti non exiſtimata à profitentibus, qua cognita non vouiſſent; at in tali Prouincia diuiſa variantur electiones, quæ non ſunt ſecundùm iuſtitiam libratæ; ideò in animarum damnum pariunt, & nutriunt factiones, quibus cognitis, nouitij non vouiſſent: ergo eorum profeſſiones tanquam per errorem, ac deceptionem celebratæ cẽſendæ ſunt irritæ, atque inualidæ. Confirmatur ex doctrina Suar. & Sanch. Primus ait: Deceptio in rebus grauibus moraliter reuocatur ad ſubſtantialia. Secundus inquit: Deceptio notabilis circa inſtitutũ, & ſubſtãtialia regulæ pertinẽt ad ſubſtãtialia Religionis: quæ res magis grauis poteſt eſſe, quã decipi in ſtatu malo aſſumpto, & in maximo periculo damnationis, vt eſt ſtatus factionũ, ſicut in ſuperioribus dubijs probatum eſt: quæ maior deceptio poteſt eſſe, quam aſſumere inſtitutum vmbram Paradiſi putatum ob concordiam, & pacem, ob charitatem, & familiarem ſocietatem plenum vitijs, ac diſcordijs? in quo inuidiæ cruciant homines, inquit Peirin. prout in dub. 6. in quo rixæ, & ſeditiones paucis parcunt, in quo odia quaſi verſa in naturam in factioſorum corde nutriuntur, in quo maledictiones, ſeù murmurationes vltrò, citróque agitantur quaſi laudes, & honores, in quo oppreſſiones ita vigent, vt vnuſquiſque ad alterius partis factionis ſubmiſſionem tendat, in quo iuuenes ad augmentum propriæ factionis in maximum Religionis damnum, imò propriarum animarum trahuntur; quis non concludet nouitios aſſumentes per errorem huiuſmodi inſtitutum ita collapſum non eſſe grauiter deceptos? ergo eorum profeſſio cenſenda eſt nullius momenti, ac valoris. Sec. vouere in manifeſto periculo ruendi in peccatum eſt res grauis, cuius contrarium ad ſubſtantialia Religionis ſpectare videtur; nam homines è ſæculi periculis propter ſecuritatem Religionis ad ipſam confugiunt: at profiteri in huiuſmodi Prouincia nonne eſt trahere vitam in manifeſto periculo præcipitandi in peccatum? ita clare habetur in præcedent. dub. ergo nouitiorum profeſſiones tanquam deceptorum circa ſubſtantialia Religionis nequeunt inter validas connumerari. Et cõfirmatur, quia, ſi periculum præuidiſſent, nec habitum aſſumpſiſſent, neque profeſſionem emiſiſſent, neque tuta conſcientia potuiſſent. Tert. error, ſeù deceptio circa Religionis aſperitatem, & difficultatem, quando tanta eſt, vt moraliter ſuperet profitentis vires, per quas corpus periclitatur, inualidat profeſſiones, eò quòd iſtæ numerantur, ſeù reuocantur ad ſubſtantialia Religionis juxta mentem Sot. lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. art. 2. ad 1. arg. Sayr. lib. 6. c. 9. num. 4. Suar. 3. de Relig. lib. 6. c. 5. num. 3. Barthol. de Vecchis diſp. 13. dub. 3. num. 1. à fortiori, ergo error, & deceptio circa Religionem deformatam ob firmatas factiones in manifeſto periculo in mille vitia labendi ob electiones, in quibus nec commutatiua, nec diſtributiua iuſtitia ſeruatur, ob charitatem læſam rixis, ac ſeditionibus, per quas animarum ſalus, vt experientia docet, periclitatur, omnes nouitiorum profeſſiones inualidare debent, tanquam res ad ſubſtantialia Religionis ſpectantes.

4. Dices tantùm tria vota ſeù ſolemnia, ſeù ſimplicia poſt Extrauag. Gregor. XIII. quæ incipit: Aſcendente Domino &c. ſpectare videntur ad ſubſtantialia Religionis, vt DD. notarunt, præſertim Sanch. ſumm. lib. 5. cap. 1. à num. 22. ergo, ſi Religio eſt deformata in electionis materia, in hoc nouitiorum deceptio nequit inualidare profeſſiones, quia reuocanda videtur ad res accidentales. Reſp. duobus modis conſiderari poteſt Religionis ſtatus. Prim. meditando ſtatum vt ſic, & tunc tria vota tantùm connumerari debent inter ſubſtantialia. Sec. conſiderando ſtatum ſecundùm regulam, & inſtitutum, & tunc non ſolùm tria vota, ſed etiam multa alia, præſertim ea, quæ ſub

mortali

mortali tenentur obſeruare profeſſi reuocanda ſunt ad ſubſtantialia Religionis; vt benè loquuntur Lugo, Suar. Sanch. vbi ſupr. per hoc patet ſolutio ad obiectionem.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. SI factionum peſtis tantùm inficit huiuſmodi Prouinciam, & Religionis corpus ſanum exiſtit, nouitiorum profeſſiones inualidari nequeunt, tanquam inuoluntariæ ratione deceptionis, & erroris; quia contractus celebratus à nouitijs in profeſſione non initur cum tali Prouincia, vt ſic, ſed cum tota Religione: patet; nam vtrobiquè ſeruant, & ſeruare debent promiſſa; Religionis autem corpus à tali morbo extat ſanum: igitur nouitiorum deceptio in tali Prouincia voluntarium in profeſſionibus tollere nequit: debent tamen ſibi prouidere, & ſe à tanto periculo liberare.

Dices, nulla deceptio in profeſſionibus nouitiorum intercedit, quia recipientes neque Religionem eis laudarunt, neque de Religionis ſtatu verbum quidem protulerũt. Reſpond. ex Cordub. & Caiet. vbi ſupr. quòd deceptio non ſolùm poteſt fieri verbis, ſed etiam actu ipſo receptionis, quatenus iuuenibus non fuerunt expoſita pericula ſimul cum ſtatu Religionis.

## DVBIVM XIX.

*An ſaltem huiuſmodi homines in tali Prouincia per profeſſorum habitum, ſeù per actuum exercitium, qui ſpectant ad profeſſos, verè profeſsi cenſeantur.*

### SVMMARIVM.

1. *Modi, per quos inducitur tacita profeſſio, deſignantur.*

2. *Inualida profeſſio poteſt ratificari, non tamen tractu temporis; requiruntur tamen nõnulla conditiones.*

3. *Itidem aliqua conditiones deſiderantur, cum inducitur profeſſio tacita per habitum profeſſorum.*

4. *Profeſſi factionarij nullitatis profeſſionis ignari, quantocumque temporis ſpatio exerceant actus profeſſorum, eorumque habitum legitimè aſſumptum portent; nunquam cenſendi ſunt profeſſi: probatur rationibus.*

5. *Huiuſmodi profeſſi non ignorantes nullitatem profeſſionis, ſi per triduum portent habitum profeſſorum, ſeù abſque triduo ſtatim actibus ad profeſſos pertinentibus ſe ingerant, concurrentibus conditionibus deſignatis, ſunt profeſſi.*

1. Not. prim. quòd in titulo quæſiti duo ponuntur, ſcilicet per habitus profeſſorum delationem, ſeù per exercitium actuum ad profeſſos ſpectantium; nam per iſta duo, ſeù ſeparatim, ſeù coniunctim (vbi nouitiorum habitus ab illo profeſſorũ diſtinguitur) tacita profeſſio inducitur, vt communiter dicunt DD. loquentes de tacita profeſſione, vt videre eſt apud Barboſ. de iur. Eccleſ. cap. 42. num. 166. Barthol. de Vecchis in prax. nouitiorum diſp. 13. dub. 8. num. 2. Baſſæum ſumm. tit. Religio 4. num. 1. & Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. 16. de Regul. nil innouauit circa iſtas profeſſiones, & ita tanquam Canon omiſſus permanet in diſpoſitione iuris antiqui: porrò in hoc tantùm correxit ius antiquum, vt non inducantur profeſſiones, niſi expleto anno, & expletis ſexdecim ætatis profitentis annis. Nauarr. lib. 3. conſ. conſil. 78. num. 5. in 2. edit. de Regular. Sorbus tit. nouitius de nouitiorum profeſſione. Azor. p. 1. lib. 12. cap. 4. qu. 6. Stephan. Gratian. tom. 4. diſcept. cap. 640. num. 34. Barthol. de Vecchis, & Baſſæus vbi ſupr. titulus etiam ſupponit, quòd totum corpus Religionis, cuius membrum eſt Prouincia, de qua loquimur, ſit factionibus infectum.

2. Not. ſec. profeſſionem inualidam ratificari poſſe, quia, quod ab initio ex defectu conſenſus non valet, ſuperueniente eodem conſenſu, conſolidatur. Decius conſ. 364. num. 4. verſ. 1. quod dato; verùm eius ratificatio ſolo tractu temporis non habetur, etiamſi ablatus videatur defectus, ratione cuius illa profeſſio fuit inualida, & in hoc conſentiunt DD. inquit Suarez 3. de Relig. lib. 7. cap. 1. num. 3. & ſumitur ex l. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit:* quatuor autem conditiones ad inualidam profeſſionẽ

ratifi-

ratificandam requiruntur. Prim. vt profeſſus nullitatem profeſſionis ſciat. Ita Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 37. num. 59. & lib. 1. diſp. 16. num. 7. Suar. vbi ſupr. num. 4. Leſſius lib. 2. c. 41. num. 66. Layman. lib. 4. tr. 5. c 5. num. 9. Baſſæus vbi ſupr. & alij, quos citatos ſequitur Caſtr. Palaus tom. 3 tract. 16. diſp. 2. punct. 5. num. 3. quia, cum ignorantia cauſet inuoluntarium, vel ſaltem non voluntarium; idcò abſque notitia nullitatis nunquam erit conſenſus neceſſarius ad validitatem profeſſionis; quarè quantocunq; temporis ſpatio exerceat quis actus profeſſorum, profeſſionemque multoties ratificet, nunquam profeſſio validatur, nec vires aſſumit, vt rectè docent Sanch. vbi ſupr. lib. 7. Suar. vbi ſupr. num. 4. Caietan. 2. 2. quæſt. 189. art. 5. Nauarr. comment. de Regular. nu. 75. & in ſumm. c. 12. num. 75. Graff. p. 1. deciſ. lib. 3. c. 5. num. 22. Sorbus tit. nouitius de nouit. profeſſ. eò quòd, cum ratificatio proficiſcatur ex errore, cenſetur non voluntaria; ac proindè non inducit nouam obligationem. Limita, niſi expreſsè dicat, & apud ſe ſtatuat, volo eſſe validam, licèt ob aliquam cauſam ab initio valida non fuiſſet. Ita Leſſ. num. 63. Sanch. Barthol. de Vecchis vbi ſupr. Secund. vt intendat illam ratificare per formalem intentionem, & nouum actum. Ita Leſſ. Suar. Barthol. de Vecchis vbi ſupr. dicitur enim ratificare, quia loco illius alia noua rata, & valida efficitur; nec ſufficit ſe habere negatiuè, vt inquit Leſſius, quia vinculum obligationis contrahitur per voluntarẽ poſitiuam. Tert. requiritur annus nouitiatus, quandò fuit inualidus ſecũdùm Nauarr. lib. 3. de Regular. conſ. 5. num. 19. in 2. edit. Suar. vbi ſupr. num. 8. quorum doctrina confutatur à Sanch. vbi ſupr. num. 47. & à Leſſ. num. 66. vbi ſupr. & rectè, quia nouitiatus non requiritur, niſi vt ingreſſurus experiatur auſteritates Religionis, & Religio mores ipſius, quorum experimenta ex vtraque parte amplius non deſiderantur. Quart. ſecundùm Azor. lib. 14. c. 4. quæſt. 7. p. 1. poſtulatur noua acceptatio ex parte Religionis, cuius doctrina refellitur à Sanch. vbi ſupr. n. 60. ab Emm. Sà tit. Religio. n. 23. à Leſſ. vbi ſupr. n. 67. à Barthol. de Vecch. diſp. 14. n. 3. quandò ex defectu profitentis ſolummodo fuit irrita; nam conſenſus Religionis dicitur moraliter permanere, licet claudicaſſet ex parte Religioſi, modò non fuerit reuocatus expreſſè; quia tunc eius nouus conſenſus deſideratur; nam Pontifex non intendit admittere ratificationem, Superiorè poſitiuè repugnante: an verò, quandò defectus irritans profeſſionem eſt ex parte vtriuſq; népè Religionis, & Religioſi requiratur conſenſus Religionis, ſatis cõtrouersũ eſt, cõſulite DD. prælertim Suar. vbi ſupr. n. 10. Azor p. 1. lib. 12. c. 4. quęſt. 1. & Leſſ. vbi ſupr. quia non eſt ad rem noſtram: tandem dicitur huiuſmodi ratificationem poſſe fieri & expreſſè, & tacitè, vt docent Suar. vbi ſupr. n. 5. 6. 7. & Sanch. lib. 1. de matrimon. diſp. 16. n. 7.

3. Not. tert. quòd quatuor conditiones ad tacitam profeſſionem deſiderantur, quæ emittitur, cum nouitius elapſo tempore probationis ſcienter, & ſpontè ſe ingerit actibus, qui ſolis profeſſis conueniunt, aut portat habitum profeſſorum ſcienter. Prim. eſt, quòd nouitius deferens habitum ſuſceperit illum coram Prælato, ſeù Superiore, & omnibus alijs ſimul. Ita Menoch. de præſumption. lib. 6. præſumpt. 8. n. 9. Decian. conſil. 18. n. 11. lib. 3. Stephan. Gratian. diſcept. forens. c. 140. n. 37. 38 Barboſ. de iur. Eccleſ. c. 42. n. 57. quarè ſi quis ſumeret habitum profeſſorum per ſeipſum, nunquam induceretur tacita profeſſio. Calderin. conſ. 5. col. 2. de Regul. & Steph. Gratian. vbi ſupr. c. 640. num. 39. Barthol. de Vecch. vbi ſupr. diſp. 13. dub. 8 n. 8. Secund. iuxta Menoch. præſumpt. 75. n. 15. & Azor. p. 1. lib. 12. c. 5. quęſt. 3. Barboſ vbi ſupr. vt habitus deferatur in ipſo monaſterio; ſi quis enim ferret habitum extra monaſterium per quodcunque magnum temporis ſpatium, non emitteret tacitam profeſſionem. Innoc. Calderin. Felin. relati à Menoch. præſumpt. 83. num. 15. Tert. vt hi actus, per quos inducitur tacita profeſſio, fieri debeant non ſolùm ſpontè, ſed ſcienter, ita vt non ignoret nouitius eos ad ſolos profeſſos ſpectare. Ita DD. citati pro prim. condit. addunt ferè omnes exercẽtem hos actus non debere etiam ignorare per illos tacitam induei profeſſionem; vndè ratione huius ignorantiæ non cenſetur eſſe conſenſus tacitè profitendi. Quart. oportet exercẽtem hos actus habere animum emittendi profeſſionem; nam,

ſi ſe

ſi ſe negatiuè haberet non habendo talem animum, nec faciendo vllam determinationem emittendi profeſſionem, nunquam eſſet profeſſus, vt benè aduertit Nauarr. côm. 4. Regul. nu. 70. quem ſequitur Barboſ. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. Profeſſi, qui in huiuſmodi Prouincia diuiſa irritam emiſerunt profeſſionē, vt dictū eſt in ſuperiori dub. nullitatis ignari, quantocunque temporis ſpatio exerceāt actus quoſcunque profeſſorum, eorumque habitum etiam à legitimo Superiore coram alijs requiſitis conceſſum portent, nunquam iudicandi ſunt verè profeſſi. Probatur prim. ſi eorum profeſſio tanquam valida haberi debet, per actus quidem tacitam profeſſionem inducerent; nam de facto per multos annos habitum profeſſorum portarunt, ac in electionibus ſuffragia dederunt, alijſque actibus ſolis profeſſis conuenientibus ſe immiſcuerunt: at per hoc non validatur eorum profeſſio, quia, vt dictum eſt ſupr. ignorare non debent profeſsionis nullitatem, & habere ijs actibus animum emittendi profeſſionem, & neutrum in caſu verificatur: igitur tanquam inualidæ cenſendæ ſunt; vndè in regula iuris dicitur: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit*; Sec. tunc eorum profeſſio per nouos actus ratificari poteſt, quandò ad ipſorum notitiā nullitas profeſſionum peruenit, vt notatum eſt in 2. not. pro prim. condit. neceſſaria ad ratificationem: at cum huiuſmodi profeſſi nullam habeant cognitionem nullitatum earum: igitur ſuo nutu ſemper gaudeant volūtate permanendi in Religione, ſuo nutu ſēper vota ſolemnia reiterent, nunquam erit illa voluntas, quæ verè voueat, ac profiteatur; nam ignorantia illa cauſat inuoluntariū, vel ſaltem non voluntarium, ſed ſolùm erit voluntas implendi obligationem, quæ non ſatis eſt ad ratificationem. Tert. ſi quis dubio motus: an votum fuerit validum, & ob id denuò emittit votum; non ideò tenebitur ad obligationem voti, quia ratificatio procedit ex errore, nec cenſetur habere abſolutum vouendi animum, ſed ex ſuppoſitione falſa valoris prioris voti, vt docent Córdub. ſumm. quæſt. 146. 147. Rodriq. 2. tom. ſumm. c. 99. num. 7. Vega lib. 5. ſumm. caſu. qu. 97. & 105. ſi quis etiam ratificaret priora ſponſalia inualida ignorans nullitatē; non ideò per nouam ratificationem reſumūt vires; nam requiritur ſcientia nullitatis illorum, vt vult, & probat Sanch. lib. 1. de matrimon. diſp. 16. num. 7. ergo ad ratificandam profeſſionem horum hominum deſideratur nullitatis cognitio, quæ omninò ignoratur: ergo per centum, & mille actus ratificationis nunquam cenſendæ ſunt validæ huiuſmodi profeſſiones. Limita, niſi expreſsè dixerint, & in corde ſtatuerint, volumus habere validas profeſſiones, licèt fortè ob aliquam cauſam fuerint ab initio irritæ, & nullius valoris, tunc per iſtos actus nouos aſſumunt vires profeſſiones modo deſcripto ſuperiùs in 2. not.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. SI huiuſmodi profeſſi notitiam tandem de nullitate profeſſionis habuerint, habitum per triduum portauerint profeſſorum, ſeù abſque triduo ſtatim actibus ad profeſſos pertinentibus ſe ingeſſerint, concurrentibus alijs conditionibus, prout in 2. & 3. not. abſque dubio intelliguntur veri profeſſi, ſeù per tacitam profeſſionem, ſeù per ratificationem, dum nouos actus emittūt. Concluſio videtur clarè probata, quia datur tacita profeſſio; & ratificatio profeſſionis à DD. conceditur, vt ſuperiùs dictum eſt: ergo, accedente illa, ſeù concurrentibus actibus pro ratificatione, erunt veri profeſſi.

Aduertendum tamen eſt pro prim. concluſ. quòd durante nullitate profeſſionis, & eius cognitione, nequeunt tuta conſcientia Prælaturas accipere, in electionibus ſuffragia ferre, neque ordines ſuſcipere, quia, cum non ſint Religioſi, nequeunt abſque graui labo his actibus ſe immiſcere, niſi ob bonam famam tuendam, imò confiteri non poſſunt Confeſſario non admiſſo ab Epiſcopo: hæc omnia colliguntur ex Sanchez lib. 7. vbi ſupr. & Barthol. de Vecchis diſp. 14. dub. 2. num. 9. alios referente: videatur Caſtr. Pal. vbi ſup. punct. 4. nu. 3. in medio, quæ multa ſcitu digna dicit; omnia tamen geſta ratione publicæ profeſſionis, aut publici officij Prælati valida erunt, cum ſit titulus

præſum-

præſumptus, error communis, & vitium occultum iuxta ea, quæ dicit Sanch. vbi ſup. n. 38. & ego ipſe in dub. 25.

## DVBIVM XX.

*An huiuſmodi profeſſiones inualidæ, durante ignorantia, habeant vim obligandi tales homines ad omnia vota, ſeù præcepta Religionis.*

### SVMMARIVM.

1. *Profeſſionis nullitas poteſt dupliciter conſiderari, item duplex obligatio in effectu perpetrando.*

2. *Conſcientia quid: ſicut & conſcientia erronea, & contra hanc facere eſt intrinſecè malum.*

3. *Religioſorum profeſſiones emiſſæ in Prouincia, de qua loquimur, quia inualidæ, per ſe loquendo nullam inducunt obligationem; per accidens verò inducunt.*

1. Titulus nil aliud facit, quàm quærere: an profeſſio inualida habeat aliquos effectus. Pro intelligentia ſit prim. not. profeſſionẽ poſſe eſſe nullam dupliciter. Prim. ex natura rei, vt quia facta ſine intentione obligandi, ſeù vouendi; vel id inſurgat ex fictione profitentis, tunc enim formaliter abeſt conſenſus; vel id inſurgat ex ignorantia etiã vouentis, qui, niſi ignoraſſet aliquid ſubſtantiale Religionis malè in ea obſeruari, profeſſionem non emiſiſſet, tunc virtualiter ratione deceptionis voluntatis conſenſus deſideratur. Sec. ex ſtatuto Eccleſiæ, vt ob aliquas conditiones ab ea ordinatas, & non obſeruatas; de iſta verò nullitate hic non loquimur, quia, cum in caſu noſtro nullitas oriatur ex defectu conſenſus, non habet locum in præſenti, ſed ſolùm prima acceptio.

Not. ſec. obligationem in effectu perpetrando exoriri poſſe, vel per ſe, vel per accidens; per ſe exoritur illa, quæ directè, & quaſi proprio iure ſequitur ex tali actione; per accidens, quæ propter vitandum ſcandalum, vel alia incommoda ſequitur.

2. Not. tert. quòd ſicut conſcientia, vt inquit S. Thom. 1. p. quæſt. 79. art. 13. & 1. 2. quæſt. 9. art. 5. eſt dictamen quoddam rationis, ſeù quod idem eſt, ſcientia ipſa applicata ad actus noſtros in particulari; ita conſcientia erronea nihil aliud eſt, quàm dictamen falſum rationis, quod dictat eſſe bonum illud, quod eſt malum, & è cõtra quod dictat eſſe malum id, quod eſt bonum; vndè hæc exoriri poteſt; vel ex ignorantia vincibili, quæ ita imprudenter iudicat, vt poſſit falſum, & imprudens iudicium deponere, ſi debitam adhibeat diligentiam; vel ex ignorantia inuincibili, quæ ita eſſet, vt, poſitis talibus circunſtantijs, videatur prudenter iudicare, nec teneatur ſuum iudiciũ deponere. Ita Reginald. Bonacin. Sanch. Vaſq. quos citatos ſequitur Baſſæus ſumm. tit. conſcientia num. 33. & hæc videtur eſſe tantæ virtutis, vt agendo contra eandem conſcientiam erroneam ſiue culpabilem, ſiue inculpabilem, ſiue eſſet circa ea, quæ ſunt ſecundùm ſe bona, ſiue mala, ſiue indifferentia, ſit peccatum, ac intrinſecè malum. Ita Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſp. 59. cap. 2. num. 6. Sanch. ſumm. lib. 1. & 11. num. 2. Sayr. lib. 1. cap. 4. num. 3. referens multos alios; quarè Vaſq. quem ſequitur Sanch. putat eſſe de fide. Salas verò 1. 2. quæſt. 42. tr. 8. diſp. 5. ſect. 3. nu. 16. vult ſentire in contrarium, eſſe temerarium, & periculoſum; magis modeſtè loquitur Sayr. dicens eſſe opinionem veram. Ratio, quia eſt peccatum, & intrinſecè malum, quia ſicut conſcientia recta obligat voluntatem ad non contraueniendum ei; ſic & erronea non modò inculpabilis, ſed etiam culpabilis eodem iure obligat, quia non tantũ qui facit, ſed etiam, qui credit ſe facere id, in quo diſplicet Deo, contemnit voluntatẽ, & legem Dei; & ideò reus eſt culpæ in Deũ. Quamobrem qui contra conſcientiam agit eodem peccato peccat, quale conſcientia dictat, quia in tali actione agens, quatùm eſt in ipſo, vult, quale cõſcientia dictat peccatũ eſſe, ſi illud ſit mortale, mortale, ſi veniale, veniale; vndè concludit Sanch. vbi ſupr. obligationem fundari in lumine naturæ, quatenus dictat malum eſſe fugiendum, & iudicat voluntatem ſequi debere intellectum tanquam ducem, & proximam ſuam regulam, cum ipſa voluntas ſit cæca.

CON-

*CONCLVSIO.*

3. Religioſorum profeſſiones emiſſæ in huiuſmodi Prouincia, poſtquam in factiones abijt, cum ex natura rei, ideſt ex defectu conſenſus profitentium ſint inualidæ, vt dictum eſt ſupr. durante tamen inualiditatis ignorantia, eò quòd bona fide, & ſine culpa emiſſæ, per ſe loquendo nullum habent effectum, & ex ſe nullam inducunt obligationem; per accidens verò poſſunt aliquem habere, & inducere obligationem. Quæ concluſio tanquam clara habetur ex doctrina Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 76. verſ. Aduertendum quart. Sanch. lib. 4. de matrimon. diſp. 15. num. 5. verſ. quart. probatur. Suar. 3. de Relig. lib. 7. cap. 2. num. 3. Barthol. de Vecchis diſp. 14. dub. 1. num. 3. & aliorum apud ipſos. Prima pars ſuadetur: ſicut lex obligans habet ſuum effectum obligandi; ita lex irritans, ſeù annullans profeſſionem habere debet ſuum effectum irritandi; & cum huiuſmodi profeſſiones ex defectu conſenſuum ex natura rei dicantur nullæ: igitur inutilem pariter habere debent omnem effectum: ergo per ſe nullam inducunt obligationem, maximè quia lex naturalis annullans annullat omnem actum, quantùm poteſt. Præterea, effectus obligans per ſe nequit oboriri ex cauſa per ſe, & ex natura rei nulla, vt de ſe patet: at hæ cauſæ, videlicèt profeſſiones, ſunt nullæ, & intrinſecè nullæ, eò quòd nullus videtur eſſe conſenſus ob rationes allatas in ſuperioribus: ergo nullus effectus tanquam obligans per ſe poteſt conſiderari in talibus profeſſis. Sec. pars ſuadetur, quia ratione ignorantiæ exiſtimantur ab ijs, qui tales profeſſiones emiſerunt, ſuo valore non carere; ac proindè ac ſi eſſent validæ, inducunt obligationem: adde, quòd conſcientia erronea parit ſuam obligationem.

**DVBIVM XXI.**

*An Religioſi huius Prouinciæ cognita nullitate ſuarum profeſsionum eas ratificare teneantur.*

**SVMMARIVM.**

1. *Dubius de profeſſione tenetur ad ratificationem.*

2. *Religioſi factionarij profeſſionum ſuarũ nullitatem ſcientes, licèt ex vi voti non obligẽtur ad eas ratificandas, obligantur tamen ad eas ob magnum in Eccleſia Dei ſcandalum euitandum: & vtraque propoſitio clarè probatur.*

3. *Illis recuſantibus, per nouum actum eas ratificare, compelli poſſunt ad ratificationem à Religione.*

4. *Proponuntur duæ obiectiones, quæ clarè diluuntur.*

1. Notandum ſit non verti in dubium, an teneatur Religioſus ratam habere ſuam profeſſionem, de cuius nullitate eſt dubius, nec certitudo in quocumque foro haberi de illa poteſt, quia, quacumque ratione de ea dubius ſit, videtur obligari ad eam ratificandam, vt valeat conuenienter ſuas obligationes adimplere, actuſque proprios illius Religionis exercere, in qua neceſſariò viuere debet. Ita docent Nauarr. lib. 3. conſil. tit. de Regul. conſil. 13. num. 10. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 37. num. 12. & lib. 2. diſp. 41. num. 32. Leſſius lib. 2. de iuſtit. c. 41. dub. 7. num. 66. Suar. 3. de Relig. lib. 7. c. 2. num. 6. eò quòd in dubio ſtandum eſt pro validitate profeſſionis, nec priuari poteſt Religio iure acquiſito.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. Huiuſmodi Religioſi non ignari tandem nullitatis profeſſionum ſuarũ non tenentur eas ratificare ex vi voti, & profeſſionis, licèt inualidè emiſſæ, ſed ex vi euitandi magnum ſcandalum in Eccleſia. Primam partem communiter ſuadent DD. præſertim Nauarr. lib. 3. conſil. tit. de Regul. conſil. 89. n. 6. 7. & comm. 4. de Reg. nu.

penultimo. Henriq. lib. 1. de matrim. cap. 11. n. 3. in fin. Leſſius lib. 2. c. 41. dub. 7. nu. 65. de iuſtit. Sanch. de matrim. lib. 7. diſp. 37. nu. 11. & 37. Suar. vbi ſup. Ratio poteſt eſſe, quia, cum iugū Religionis ſit multùm onerosum, ſi ſponte ei colla non ſubmittunt, mille incommoda ſequerentur; & ideò nō tenentur profeſſiones ratificare; neque ex vi talis profeſſionis, ſeruatis ſeruandis, ad ratificationē cogi poſſunt, quia perindè eſſet, ac ſi eas non emiſiſſent. Secund. pars habetur ex Sanch. vbi ſup. lib. 4. diſp. 15. n. 5. aſſetente hæc verba ex ſenſu Angles, Henriq. Manuel. Arag. Cum ficta, inquit, profeſſio ſit contractus onerosus, quo Monachus ſe obligat monaſterio, & monaſterium Monacho, & monaſterium implet ex parte ſua acceptando verè Monachum, & tamen non eſt vera profeſſio, ſed nec etiam deinceps manet aliqua obligatione conſtrictus, niſi per accidens ratione ſcādali; quæ verba ſunt intelligenda de ratificatione, vt patet ex lib. 2. diſp. 36. n. 11. vbi referens eoſdem DD. dicit: Religioſus fictè profeſſus non tenetur verè profiteri ratione Eccleſiæ fundatæ in falſa præſumptione, ſed ratione ſcandali: idem ſentit Leſſ. de iuſtit. lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 60. Suadetur etiam ex doctrina Caietā, 2. 2. q. 88. art. 1. ad finem. Azor. p. 1. lib. 12. qu. 1. affirmantium fictè profeſſos non quidem ex vi voti, ſed ratione ſcandali teneri in publico regulares obſeruantias obſeruare: ergo tenentur profeſſiones ratificare; conſequentia probatur, quia à Religione nequeunt fugere, quia in caſu noſtro eſſet magnum ſcandalum in Republica christiana; vnde, licèt Sotus, Nauarr. Henriq. Rodriq. Sà, Sanch. Leſſius, Suar. & alij, quos citatos ſequitur Barthol. de Vecchis diſp. 14. n. 3. dicant Religioſo certo de ſuæ profeſſionis nullitate integrum eſſe fugam arripere; nihilominus ſemper limitant, ſcādalo ſecluſo; quarè ob id euitandum aliqua incommoda pari debent; & permanere in Religione abſque ratificatione moraliter videtur impoſſibile, vt notat Barthol. de Vecch. diſ. 14. du. 2. n. 12. ob plures actus exercendos, qui tuta conſcientia ſine validitate profeſſionis exerceri nequeunt: ergo ratificare tenentur profeſſiones: Ex his argumentis ſequitur tertiū à maiori ad minus: ſi fictè profeſſi ad præcauendum ſcandalum, ſi eſt ſequuturum, tenētur ratificare profeſſiones: ergo tantò magis huiuſmodi Religioſi, qui nec malitiosè, nec fictè profeſſiones emiſerunt, ſed, interueniente ignorantia, ad maiora vitanda incommoda, magnumque ſcandalum in Eccleſia Dei, & in Religionis damnum tenebuntur ſuas profeſſiones ratas habere. Tandem ſuadetur quarr. ſi ciues alicuius Ciuitatis pro defenſione honoris Principis, ac Ciuitatis ab inimicis oppreſſæ vitam exponere tenentur, vt communiter dicunt DD. in materia belli: ergo tales Religioſi ad tuendum Religionis honorem, eamque ſuſtinendam, quæ, his abdicatis, magnam pateretur iacturam, incommodum amiſſæ libertatis per ratificationem profeſſionum pati tenebuntur, maximè quia, cum primæ ſupponantur bona fide emiſſæ, & ſine dolo, & culpa; ſemper cenſendum erit parui momenti.

## SECVNDA CONCLVSIO.

3. SI huiuſmodi homines recuſarent per nouum actum ratam habere profeſſionem, à Religione compelli poſſent ad eā ratificandam. Suadetur, quia onus præcauēdi ſcandala incumbit Prælatis, in quibus pro regimine reſidet Religio: igitur, reluctātibus illis ad nouam emittendam profeſſionem, ad vitandum non paruum ſcandalum poterunt eos cogere ad pondus veræ profeſſionis ſuſtinendum. Confirmatur ex doctrina Suar. vbi ſup. n. 7. loquentis de vno tantùm Religioſo: Nec mirū, inquit, videri debet, quòd aliquis non Religioſus coram Deo, nec proprio voto obligatus ad Religionē per alicuius præceptū obligari poſſit ad profeſſionem emittendam, quia, licèt per ſe loquendo nullus poſſit ita obligari, per accidens autem, interueniente ignorantia, ad maiora vitanda incommoda, & propter commune bonum Religionis obligari poteſt; præſertim quia hæc obligatio non impletur ſine aliqua præuia actione voluntaria, qualis fuit prior profeſſio, quæ, cum ſupponatur facta bona fide, & ſine culpa, neceſſariò debuit fieri cum intentione profitendi, quamuis autem illa intentio propter defectum occultum fuerit inefficax ad valorem profeſſionis, & conſequēter ad obligandū abſolutè, & ſimpliciter, nihilominus eſt ſufficiēs, vt ratione illius debeat homo ſuſtinere incommoda, vel obligationes,

gationes, quæ per accidens ſequuntur, quia, licèt abſque culpa ſequuntur, non tamen ſine cauſa, hæc ille. Confirmatur ſecund. ex l. Barbarius, ff. de off. Præt. & in cap. fam. 3. quæſt. 7. verò, verùm tamen, quod ex Synodo Romana deſumptum eſt, in quibus verbis ſtatuitur geſta à Iudice ordinario pertinentia ad forum externum valida eſſe, ſi is Iudex titulum habeat communi errore exiſtimatum legitimum, & à Superiore legitimo collatum. Ratio vtriuſque iuris deciſionis ea videtur eſſe, inquit Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 22. num. 5. quia ſequerentur grauiſſima incommoda, inconueniencia, & ſcandala, ſi, detecto eo impedimento, omnia geſta per eum Iudicem putatiuum reſcindenda forent: ſi ergo ad præcauenda incommoda, ac reſecanda ſcandala, quæ orirentur, ſi geſta per illum Iudicem non eſſent valida, vtrumque ius determinauit ea omnia eſſe eiuſdem valoris, perinde ac ſi eſſent geſta à legitimo Superiore, quare & ius Eccleſiæ, imò totius Religionis ſtatuere non poterit profeſſiones in caſu, de quo agitur, non dico eſſe validas, quia, quod eſt inualidum iure naturæ, nequit validari per aliquod ius poſitiuum, ſed eſſe ratificandas ad reſecanda incommoda, & ad tollendum de medio maximum ſcandalum in Eccleſia ſequuturum, ſi detegeretur Religionem illam ob firmatas, ac diſperſas factiones eſſe in malo ſtatu? ſi profeſſiones infinitorum Religioſorum eſſent inualidæ? ſi Religioſi habitum deponerevellent, propriaſque domos habitare inter parentes, & amicos ſtatuerent? heù, heù, quot incommoda, quot ſcandala, quot lites eſſent ſuſcitandæ. Confirmatur tandem tertiò: potuit Eccleſia ſub voto imponere clauſuram Monialibus ob periculum, inquit Sanch. ſumm. lib. 6. c. 15. num. 3. caſtitatis in ſexu tam fragili, & ad euitanda ſcandala, quæ procul dubio de facili eſſent oritura, ſi ad libitum poſſent monaſteria relinquere, licèt eſſent reuerſuræ: ergo poterit etiam præceptis, ac pœnis ad euitandū ſcādalum in populis cogere tales homines ad ratificanda profeſſionis vota, ipſis reluctantibus, præſertim cum bona fide ab eis ſint emiſſa.

4. Dices, hæc doctrina præſertim fundatur in Religioſo ficte profeſſo; qui ob ſcandalum, ſi eſt ſequuturum, vt dicitur in prim. concl. obligatur ad ratam habendam profeſſionem: at, cum hoc ſcandalum facillimè ex hominum memoria cadat, non videtur eſſe tanti momenti, vt ſit illud euitandum cum tanto detrimento, quantùm eſt cogi ad vitam regularem per ratificationem profeſſionis, ad quam ille non tenetur ex natura rei: videatur Sanch. ſumm. 1. c. 6. num. 15. ſimul cum Nauarr. lib. 3. conſil. de Regul. conſil. 89. num. 78. Reſp. verum eſſe principaliter fundari in caſu propoſito, quatenus ſcandalum ſit ſequuturum, quod tale ſit, ac tam graue, vt neceſſariò cogatur profitens verè profiteri; & cum in noſtro caſu maximum eſſet inſurrecturum ſcandalum coram tota Eccleſia, & mille incommoda ſequutura, vt dictum eſt; ideò ad illa omnia præcauenda propriæ libertatis incommodum tanquam parui momenti in profeſſionis ratificatione erit neceſſariò ſuſtinendum, præſertim quia, licèt illa prima intentio non malitioſa fuerit ineffieax ad valorem profeſſionis, nihilominus eſt ſufficiens, vt ratione illius debeant homines ſuſtinere incommodum aliquod ad tot incommoda euitanda, vt benè notat Suar. vbi ſupr.

Dices, non eſſe cogendos homines ad reualidandam profeſſionem ex vi ſcandali ſequuturi; nam, cum Religionis negotium ſit arduum, omnimodam poſtulare videtur libertatem in vouentibus; aliàs periculum eſt incidendi in maiora ſcādala, quàm ſit illud, quod euitare intenditur, quia non omnibus datum eſt votum caſtitatis emittere, & inuiolabiliter eius obſeruantiæ intendere, ſub iugo obedientiæ viuere, in voluntaria paupertate perpetuò morari, ac poſſe ſe accommodare tot moribus Religioſorum diuerſarū nationum, & conditionum. Reſp. quòd vis argumenti aliquantulum vrget fortè eos, qui ficte profeſſi ſunt, & hi, ſi ob ſcandalum euitandum cogendi eſſent ad ratificandam profeſſionem, non eſſent ſine diuina Prouidentia, & forent de illis, de quibus Euangelium dicit: *Compelle intrare*: & ita eorum voluntates ſubmittendo ſuaui iugo Religionis, orationibuſque vacando, auxilium Dei pro votorum obſeruatione certè reciperent; ſed non vrget homines, qui bona fide, & ſine culpa, vt eſt in caſu, profeſſionem emiſerūt, quia, licèt voluntas non fuerit, ſemper tamen ignoranter, & non per ſe; & ideò tan-

quam vocati à Deo, & modò coacti ad talem profeſſionem habendam ob tot incommoda euitanda, auxilium diuinum ſanctæ vocationi orationibus, alijſque mortificationibus cooperando indubitanter habebunt ad ſcandala in ſe ipſis præcauenda.

Aduertant huiuſmodi profeſſi, quòd, ſi vtilitate ducti Prælati repugnarent euellere factiones à Religione, & in ſanctam vnionẽ homines colligere, tenentur pro remedio recurrere ad ſedem Apoſtolicam, vt liberentur à damnationis periculo, & in malam crucem factionum capita mandentur, quia inquit S. Bernardin. Domin. 3. Quadrag. ſerm. 25. art. 2. cap. 2. *Quaſi impoſſibile eſt in terra partiali, & cum partialibus conuerſari, quin homo aliquo modo inficiatur:* idem repetit paulò inferiùs.

## DVBIVM XXII.

*An tales electiones Definitorum, ſeu Conſultorum, ac Prouincialium à iure ſint nullæ.*

### SVMMARIVM.

1. *Multa deſignãtur capita, quibus de iure cõmuni quis prohibetur eligi in Prælatum.*

2. *Huiuſmodi electiones Definitorum, ac Prouincialium factioſorum non ſunt ipſo iure cenſendæ nullæ, & quamuis appareat quoddam motiuum annullationis, tamen eius nodus ſoluitur ſequenti dubio.*

1. Illis maturè pertractatis, quæ iniuſtè à factionarijs aguntur, eiſque demonſtratis, quæ ſpectant ad nouitiorum receptionem, & profeſſionem, ab eorum peruerſitate, ac ſeditione ductus præſens quæſitum aggredior, ſi fortè ſit aliquod ius huiuſmodi electiones annullans. Pro cuius intelligentia notandum ſit, quòd ſunt multa impedimenta, quibus de iure communi quis prohibetur eligi in Prælatum, vt videre eſt apud Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. c. 19. nu. 118. Silu. tit. Electio quæſt. 4. Mirand. tom. 2. quæſt. 23. verùm iuxta Silu. reducuntur ad octo capita. Prim. ſi electus ſit malus. Secund. ſi ligatus maiori excommunicatione. Tert. ſi minori. Quart. ſi fuerit ſuſpenſus, vel interdictus, vel non ſeruauerit interdictum. Quint. ſi non legitimè natus, aut debitæ ætatis, aut literaturæ ſufficientis, vel ſi habeat aliquod impedimentum circa ordinationem. Sext. ſi fuerit ſemel reprobatus vitio perſonæ. Sept. ſi Epiſcopus. Octau. ſi non ſit in eadem Religione profeſſus: non deſunt circa hæc capita nonnullæ ſoluendæ difficultates, quæ videri poſſunt apud Barboſ. vbi ſupr.

### CONCLVSIO.

1. Nullo modo huiuſmodi electiones Definitorum, ac Prouincialium ſunt ipſo iure nullæ, quia non inuenitur textus inualidans eas ex eo, quòd electi ſint vnius partis illius Prouinciæ in factiones diſtractæ.

Dices, primum caput inualidare videtur electiones; nam iuxta D. Thom. 8. quodlib. quæſt. 4. art. 1. exiſtens in peccato mortali indignus eſt ad exequendum quodlibet ſpirituale munus: in multis autem dubijs probatum fuit factioſos eſſe in malo ſtatu: ſequitur ergo, quòd eorum electiones ipſo iure ſint nullæ. Reſp. iuxta Barboſ. vbi ſupr. nu. 129. Silu. Mirand. Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 1. tom. 2, eſſe annullandas, & caſſandas per ſententiam, vt habetur in cap. Si celebr. de Cleric. excomm. miniſtr. addunt tamen Mirand. vbi ſupr. ex D. Thom. & Peirin. de ſubdito quæſt. 1. cap. 31. §. 3. quòd peccatum eſſe debet publicum, & notorium.

Dices, eorum peccatum eſt publicum, & notorium, quia publicè, & notoriè ſunt factionarij. Reſp. ſolutionem pendete à ſolutione ſequentis dubij.

DV-

## DVBIVM XXIII.

*An licet prædictæ electiones à iure non ſint nullæ, annullandæ tamen, & caſſandæ ſint, vel ſaltem Prouinciales confirmari non debeant.*

### SVMMARIVM.

*1. INdignus pro Prælatura deſcribitur, qui poteſt conſiderari dupliciter, & quocumque modo inſpiciatur, nequit eligi ab electoribus: additur tamen limitatio.*

*2. Itidem deſcribitur peccatum notorium, quod poteſt eſſe iuris, & facti, eorumque conditiones adnotantur.*

*3. In quacumque electione neceſſaria eſt cõfirmatio Superioris, de qua multa extenduntur, præſertim an ſit tuta in conſcientia quadã praxis, quòd, viſis literis teſtimonialibus, abſque examine à Generalibus concedatur cõfirmatio.*

*4. Definitorum, ac Prouincialium electiones Prouinciæ, de qua loquimur, non ſunt annullandæ, neque eſt deneganda Prouincialibus confirmatio.*

1. Not. prim. ſit indignum dici ineptum ad præſtandum munus ratione infamiæ, ignorantiæ, prauorum morum, morbi, vel quòd futurus ſit inutilis, nec officio ſatisfacturus. Leſſius lib. 2. de iuſtit. c. 34. dub. 12. n. 52. dupliciter enim accipitur; vel in foro contẽtioſo; vel in foro conſcientiæ. Primo modo, quandò per teſtes, ſententiam, ſeù confeſſionem, ſeù per aliquam aliam viam iudicialem eligendus declaratus eſt habere aliquem ex defectibus deſcriptis. Secund. quandò ſecundùm rectum dictamen conſcientiæ aliquis eligendorum videtur eſſe ineligendus; indignus enim in quocumque foro ſub lethalis culpæ pœna nunquam eſt eligendus, quia læditur vtraque iuſtitia, & fidelitas. Ita S. Thom. quodlib. 6. art. 9. Leſſ. vbi ſupr. Reginald. lib. 30. tr. 3. num. 195. Rodriq. in ſumm. to. 1. c. 106. concl. 10. num. 12. & alij DD. quos citatos ſequitur Ioann. Capata in opuſc. de iuſt. diſtrib. p. 2. c. 2. num. 2. & Philipp. de Bictis in prax. cauſ. iudic Regul. qu. 127. num. 24. & quamuis infinitæ malæ gubernationes ex eius electione oriantur; nihilominus elector, qui in eum conſenſit ſuo voto, vnum tantũ peccatum committit. Barboſ. de iur. Eccl. lib. 1. c. 19. num. 134. Nauarr. in ſumm. c. 11. num. 4. ſit tamen reus peccatum omnium peccatorum, quę committuntur ab indigno intligne electo. Ita Rodriq. vbi ſupr. & ex multis de Bictis vbi ſupr. num. 25. verùm eligendo peccatorem occultum, qui probabiliter creditur non eſſe in malo perſeueraturus, ſed quamprimum ſurrecturus, non peccatur: ſecus ſi eſt perſeueraturus: vacare etiam culpa videtur electus ſtatim à peccato ſurrecturus ſuæ electioni conſentiens. Azor. p. 2. lib. 6. c. 14. quæſt. 10. Aragon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. Peirin. de ſubdito c. 31. §. 3. quæſt. 1. porrò huiuſmodi doctrina non admittitur in peccatore publico electo, ſuæque electioni conſentiente. Ita docent Nauarr. & Azor. vbi ſupr. videatur hæc materia apud Capatam vbi ſup. p. 2. cap. 4.

2. Not. ſec. peccatum illud dici notoriũ, quod nulla prorſus poſſit tergiuerſatione celari. Silu. tit. notorium. Leſſius de iuſtit. lib. 2. c. 22. num. 135. Farinac. conſil. 160. to. 2. dupliciter autem accipitur iuris, & facti: iuris dicitur, quod reſultat ex actis, & ſententia, vel per confeſſionem, & ſimilia: facti, quod in præſentia multorum, vel in aliquo conuentu, loco publico, eo tempore, quo multis innoteſcere poteſt, perpetratum eſt. Leſſ. vbi ſupr. c. 11. dub. 13. num. 73. Farinac. conſil. 30. num. 9. tom. 2. addit Clarus lib. 5. quæſt. 9. num. 2. §. practic. crim. quòd non ſolùm rei permanentis vitium dicitur notorium, ſed etiam tranſeuntis, & non ſufficit ad probationem notorij, inquit Farinac. deciſ. 184. num. 4. tom. 3. fama publica, ſed debet cognoſci, & declarari, ait Clar. vbi ſupr. per Iudicem, citato reo, ad hoc, vt malefactor non habeat excuſationes; imò hortatur Iudices ad cautè ambulandum in declaratione vitij notorij, ne ſi nimis properent, ſeipſos inuoluant. Ex hac doctrina ad rem noſtram concludi poteſt, ſi delictum perpetratum extra animam etiam rei permanentis, quæ ſit in publico, tantam pariter difficultatem pro probatione notorij ad hoc, vt nulla prorſus poſſit tergiuerſatio-

ne

ne celari, nec ſufficit fama publica, ſed opus eſt deuenire ad acta per Notarium, & Iudicem, & adhuc dubitat Clarus, ne, ſi Iudices nimis properent, ſeipſos inuoluant, quæ difficultas non erit in probando factioſorum vitium eſſe notorium, eò quòd fortè non eſt rei permanentis, quia celatur in mente: heù, heù mille excuſationes, ac tergiuerſationes inueniri poſſunt ad illud velandum, maximè quia inquit Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 1. ſub ſpecie zeli committitur, vndè bonum apparens videtur eſſe illud velum, quod tegit notorietatem vitij, imò vitium ipſum: fabricent ſuo nutu Prælati proceſſum, examinent ſuo beneplacito teſtes, profectò depoſitiones erunt laudes eorum, qui fuerint electi, eligentium encomia, oppoſitiones contra aduerſarios, tanquam conturbatores pacis, ac ſeditioſos, & ſimilia: quænam ſententia ob eas depoſitiones erit à Iudice proferenda? nonniſi quòd huiuſmodi vitium eſt verum in ſua conſcientia, in foro autem contentioſo impoſſibilis probationis, & rectè, quia in moralibus, quod eſt difficillimæ probationis reputatur impoſſibile, vt inquiunt Silu. & Tabien. tit. impoſſibile: hinc eſt, quòd Prælati non formant proceſſus, nec vocant teſtes, nec proferunt ſententiam ab ipſa difficultate inſtructi, & experientia moniti.

3. Not. tert. quòd in quacumq; electione neceſſariò confirmatio Superioris requiritur, & hoc eſt à iure, vt teſtantur Silu. tit. confirmatio. Sigiſm. à Bonon. de elect. dub. 74. & iſta videtur eſſe tam neceſſaria, inquit Silu. vt, ſi electus ante confirmationem auſus fuerit aliquem actum excere tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, vel per ſe, vel per alium, ipſo facto priuetur omni iure, quod per electionem acquiſiuit, vt habetur in cap. Auaritiæ. de elect. in 6. & tradũt Tabien. Graff. Lauor. quos citatos ſequitur Barboſ. vbi ſupr. num. 247. dummodò dolus intercedat ex eod. c. Auaritiæ: ſanè vnus actus perfectus, & conſummatus ſufficit ad incurrendam pœnam taxatam. Ita Creſcent. de iur. patron. deciſ. 6. num. 17. 18. quamuis à Silu. quatuor exceptiones notentur, quæ apud ipſum videri poſſunt: Superior immediatus eſt legitimus confirmator electi. Hoſtienſ. in ſumm. lib. 1. de elect. num. 27. §. à quo confirmanda. S. Antonin. 3. p. tit. 19. ca. 4. & habetur expreſsè cap. Nihil. §. æternum. de elect. olim, Generales Religionum exemptarum erant à Summo Pontifice confirmati, cuius conceſſione omnes intelliguntur confirmati, ſtatim ac ſunt electi. Ita Barboſ. vbi ſupr. num. 250. Rodriq. tom. 2. quæſt. 51. art. 3. Mirand. man. quæſt. 23. art. 22. concl. 2. tempus autem petendæ confirmationis eſt per ſpatium triũ menſium, quibus elapſis, ſine legitimo impedimento irrita eſt electio cap. Quàm ſit. de elect. in 6. Azor. p. 2. lib. 3. cap. 19. qu. 10. Mirand. vbi ſupr. art. 4. concl. 4. verùm cõfirmatoris munus ante actũ cõfirmationis eſt examinare, ac inquerere iudicialiter, vel extra iudicium de forma canonica in electione ſeruata, ſicut etiam de moribus electi, etiamſi nihil obijciatur. Ita Nauarr. lib. 1. conſil. de elect. conſ. 2. n. 2. Barboſ. vbi ſupr. n. 251. Peirin. de ſubdito q. 1. c. 31. ∬. 11. ſufficit tamen confirmatori pro tuta conſcientia, quòd confirmandus ſit dignus. Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. contr. 3. Portell. tit. electio n. 7. quia electio digni eſt valida, aliàs litibus via aperiretur, & Reſpublica Chriſtiana confunderetur, in cap. Conſtitutus. 2. de appellat. Ita Gutier. canon. quæſt. lib. 2. cap. 11. num. 15. Vaſq. opuſc. de benefic. c. 2. ∬. 3. dub. 7. in fin. affirmans eſſe omnium DD. Caſtr. Palaus to. 2. tr. 13. diſp. 2. punct. 11. ∬. 3. quod adeò verum eſt, etiamſi electores iuraſſent de eligendo digniorem, quia iuramentum non immutat iuris diſpoſitionem. Ita, alijs relatis, Couarr. regula peccatũ 2. p. §. 7. n. 4. Gutier. vbi ſupr. num. 15. ſi verò per negligentiam inquiſitionis indignus fuerit confirmatus, amittit ius confirmandi ſucceſſorem, & ſuſpenditur ab officio, ſi per malitiam grauiùs eſt puniendus ad arbitrium Superioris. Tandem de huiuſmodi inquiſitione extat maxima cõtrouerſia inter Rodriq. tom. 2. quæſt. 52. art. 5. & Mirandam vbi ſupr. Primus ait, quòd praxis ſeruata à Generalibus, viſis literis teſtimonialibus, abſque examine concedendi confirmationem eſt tuta in conſciẽtia, idque variis rationibus probat. Secundus inquit huiuſmodi praxim, & conſuetudinem eſſe potiùs corruptelam: fateor me non poſſe tutò adhærere vni parti, altera neglecta, quia, ſi inclino in ſententiam Mirand. non audeo damnare praxim ſeruatam

in

in aliquibus Religionibus: ſi admitto opinionem Rodriq. præterquamquòd eius rationes facillimè ſoluuntur, video ſequi multa incommoda; maximè quia Mirand. ſcripſit poſt Rodriq. &. ideò fortè ab incommodis ortis inſtructus ab eius ſententia declinauit; quarè laudo denuò examinare vtramque ſententiam, eique adhærere, ex qua minora ſequuntur incommoda. Concludo ergo pro fratribus Minoribus confirmationem ſpectare de iure ad Generalem immediatum Superiorem; ad maiorem tamen abundantiam Clemens. V. in Clement. Exiui de Paradiſo idipſum ſtatuit. Ita Mirand. vbi ſup. art. 32. concl. 3. Confirmatores videant doctrinam traditam à Bann. de iuſt. quæſt. 63. art. 2. & à Barboſ. vbi ſup. nu. 251.

*CONCLVSIO.*

4. NVllo modo electiones Definitorum, ac Prouincialis huius diuiſæ Prouinciæ ſunt à Generali annullandæ, & infirmandæ, nec eſt deneganda Prouinciali confirmatio. Prima pars ſuadetur: ſi eſſent annullandæ, atque caſſandæ, maximè quia huiuſmodi homines ob vitium factionum, in quo ſunt inuoluti, cenſendi ſunt in malo ſtatu, & à iure electio mali, cuius delictum eſt notorium, eſt caſſanda, & annullanda: probare autem tale vitium eſſe notorium eſt moraliter impoſſibile, vt dictum eſt in ſec. not. propter infinitas tergiuerſationes, quæ pro eius velamine adduci poſſunt: igitur ex hoc ſolo capite non ſunt annullandæ, atque caſſandæ; quarè, ſi Generalis iudicialiter in hoc manus mitteret, inſeruiret potiùs ad totum conturbandum, quàm ad totum annullandum. Sec. pars habetur: ſi Generalis denegare debet confirmationem Prouinciali electo, præſertim quia in eius conſcientia indignus reputatur huiuſmodi homo pro Prouincialatus munere; indignus verò non eſt cõfirmandus, & cum confirmatio ſpectet ad forum contentioſum, & non ad illud conſcientiæ, maximè quia per electionem acquiſiuit ius, & ſine iudicio negari non poteſt confirmatio, imò, ipſa denegata, adhuc ſubſiſtit electio, quia actus prior non dependet à poſteriori, vt dicit Suar. 1. de Relig. tr. 3. lib. 4. c. 58. num. 7. quem ſequitur Sigiſm. de elect. p. 1. dub. 46. num. 19. ergo opus eſt concludere, quòd confirmatio à Generali nequit ei denegari. Libenter hanc amplexus ſum doctrinam, ne totum conſundatur regimen, dummodò habeatur factionum extinctio, quòd ſi in vnitate regiminis viuere recuſant huiuſmodi homines, legant Prælati ſupremi, quibus incumbit onus eas reſecandi, doctrinam Caſtellin. de elect. c. 4. num. 16. Bann. & Barboſ. cit. in calce 3. not. illius pro prima parte concluſionis; horum pro ſecunda; & intelligant etiam non eſſe rem tam difficilem probationem huiuſmodi peccati, vt inſinuaui ſuperiùs, quibus eſt etiam addendus Lauor. de elect. can. tit. 4. c. 25. num. 59.

## DVBIVM XXIV.

*An electiones Prouincialis, ac Definitorum factioſorum, qui antequam eſſent electi, electionibus de ſe factis conſenſerunt, ſint à iure nullæ, vel potiùs annullandæ, atque caſſandæ.*

SVMMARIVM.

1. *DVplicem conſenſum poteſt quis præſtare ſuæ electioni: alterum antequam vota redigantur in ſcriptis, & publicentur: alterum verò poſtquam in ſcriptis ſunt redacta, & iam publicata, ſed communis electio non eſt ſequuta.*

2. *Habetur forma electionis tam internæ, quàm externæ cum ſuis conſiderationibus.*

3. *Tam in prima, quàm in ſecunda concluſione demonſtratur, quandò electiones ſint annullandæ, vel ipſo iure nullæ iuxta conſenſus datos.*

1. Cum in duobus præcedentibus dubijs fuerit concluſum electiones factioſorum neque à iure eſſe nullas, neque haberi ſufficiẽs fundamentum ad eas annullandas, vtrumq; quæritur ex præſenti capite, prout in titulo. Pro cuius intelligentia ſit prim. not. quòd duobus modis poteſt quis præſtare conſenſum ſuæ electioni. Prim. antequam vota redigantur in ſcriptis, & publicentur. Sec. poſtquam vota ſunt in ſcriptis redacta, & iam

iam publicata, ſed communis electio non eſt ſequuta, quæ fieri debet, ait Mirand. to. 2. quæſt. 23. voce intelligibili, & dicitur: hæc eſt electio canonica N. facta in Capitulo, ſeù congregatione, &c. pronuntiator autem electionis poteſt eſſe vnus ex illis, qui electo, ſeù electis vota negauit; quarè pronuntiare hoc modo eam poteſt: Ego N. voce mea, & omnium electorum, qui mecum conſenſerunt, eligo N. &c.

2. Not. ſec. quòd duplex eſt forma electionis per ſcrutinium: altera interna, & naturalis, quæ conſiſtit in eligentium conſenſu iuxta mentem Innoc. in cap. Cum in iure. & cap. Quòd ſicut. de elect. Panorm. in ca. Cum poſt. num. 3. de elect. Dec. in cap. Canon. p. lect. num. 20. de conſtit. Sigiſm. de elect. dub. 3. num. 1. quæ videtur eſſe tanti roboris, ac virtutis, vt, licèt prætermittantur ea, quæ ſunt de iure humano introducta, etiam ſubſtantialia, nullo modo in foro conſcientiæ cenſenda ſit nulla. Innoc. vbi ſup. quem communiter ſequũtur DD. Bald. in cap. Nihil eſt. num. 9. de elect. Nauarr. lib. 1. conſil. conſil. 10. num. 1. de elect, in 2. editione, Rota in Treuer. Abbatiæ S. Maximi merc. 20. Nouemb. 1624. coram R. P. D. Coccino; ex quo ſequitur ſubditos turò obedire Superioribus ita electis, ſi electiones fuerunt liberæ; de iſta verò forma modò non eſt ſermo: altera eſt externa; ſeù de iure canonico, quæ præſcribitur in cap. Quiapropter de elect. & reducitur ad decẽ, & octo capita, vt videre eſt apud Mirand. vbi ſupr. iſtæ ergo ſolemnitates, ſi in parte, vel in toto prætermittantur, poteſt Summus Pontifex conſenſum eligentium inualidare, tanquam non ſolemniter datum. cap. vnic. de poſtul. Prælat. Panorm. in cap. Quiapropter de elect. & ita de facto eunctas electiones ab electoribus celebratas, non ſeruatis ijs, quæ ſpectant ad ſubſtantiam actuum, & quæ deſcribuntur in cap. Quiapropter. caſſat, & inualidat tanquam inualidas, & nullius roboris. Suar. 1. de Relig. tr. 3. lib. 2. c. 12. num. 9. Sanch. in ſumm. lib. 2. ca. 38. num. 83. Sigiſmund. vbi ſupr. num. 5. & communiter DD. vide Caſtellin. de elect. c. 4. num. 31. imò videtur eſſe tanti roboris clauſula illa in fine cap. Quiapropter. poſita (*aliter electio facta non valet*) vt, ſi vnum tantùm non fuerit ſeruatum ſpectans ad prædictam formam, ſufficiat, vt omnis electio dicatur nulla, & à iure inualida. Ita Vincent. quem refert, & approbat Bellam. in cap. Quiapropter. §. Niſi fortè. ver. 3. Quæro. & ſequitur Sigiſmund. vbi ſupr. num. 8. Ratio videtur eſſe, quia in parte relinquitur forma, quæ eſt indiuiſibilis. Garc. de benef. p. 5. c. 4. nu. 184. Surd. conſil. 282. n. 29. Steph. Gratian. diſcept. forenſ. tom. 5. cap. 853. num. 28.

### PRIMA CONCLVSIO.

3. ELectiones Prouincialis, ſeù Definitorum, qui conſenſum proprijs electionibus præſtiterunt ſecundùm primam acceptionem in prim. not. notatam ſunt annullandæ, atque caſſandæ. Ita habetur ex cap. Cum poſt petitam. extr. de elect. vbi Goffred. Innoc. Panorm. & Petr. Lambert. de iure patron. lib. 2. p. 1. quæſt. 9. art. 13. num. 2. Silu. tit. electio. 1. quæſt. 10. Mirand. vbi ſupr. art. 30. concl. 1. Sigiſmund. vbi ſupr. dub. 39. Caſtellin. vbi ſup. num. 6. Molfeſius in ſumm. tr. 6. de benefic. ca. 16. num. 147. Ratio cenſenda eſt, quia præſumuntur ambitioſi, eò quòd conſenſerint ſuis electionibus, antequam per electores, & per ſcrutinium votis electi fuerint; vndè cõcludit Molfeſius vbi ſupr. quòd hæc concluſio eſt valdè notanda contra eos, qui procurare ſolent, vt ab alijs eligantur.

### SECVNDA CONCLVSIO.

ELectiones Prouincialis, ſeù Definitorũ, qui conſenſu adhærent ſuis electionibus, prout in ſecunda acceptione, putandæ ſunt ipſo iure nullæ, ac inualidæ. Panorm. in c. Quiapropter num. 16. verſ. 18. Mirand. vbi ſupr. art. 29. §. 18. Sigiſm. vbi ſupr. nu. 3. Molfeſius vbi ſupr. num. 120. Ratio eſt, quia electi non ſeruauerunt ordinem præſcriptum in ca. Quiapropter; nam ordo rerum agendarum ibi præſcriptus tanquam ſubſtãtialis electionibus adſcribitur. Pro fine notandum ſit, quid reſpondere debeant electi, quandò eorum conſenſus, antequam eligantur, requiritur, ne poſtea corruant electiones tanquam nullæ, ſeù annullandæ: Nolumus, quòd nos eligatis, & ita rogamus, ſeù non intendimus Dei vocationi reſiſtere, & ſimi-

lia verba, quibus indirectè monſtrent ſuas voluntates, animoſque ab ambitione alienos. Ita Biax in direct.elect. p.3. c.42.col.penultim.ad fin.num.3.Cuch. inſtit.moral. lib. 4. de elect.n.315.Sigiſm. à Bonon.vbi ſupr. n.5.

## DVBIVM XXV.

*An, quandò Capitulum eſt nullum ipſo iure, vel annullandum ob aliquod delictum occultum, geſta per Prouincialem, Definitores, ac Guardianos cenſenda ſint nulla.*

### SVMMARIVM.

1. *Dat iuriſdictionem communis error, vnà cum titulo colorato, idque ſatis explicatur doctrinis, & exemplis.*

2. *Agitatur quæſtio illa: an titulus coloratus à legitimo Superiore collatus requiratur.*

3. *Semper cenſenda ſunt valida, etiam in vtroque foro geſta per Prouincialem, Definitores, ac Priores, etiam ſi eorum electiones eſſent à iure nulla vel annullāda propter eorum occultum vitium: additur limitatio.*

4. *Putanda ſunt inualida, ac irrita geſta per Prouincialem, &c. ſi non fuerit obſeruata in eorum electionibus forma: itidem additur limitatio.*

Not. prim. quòd vitium occultum, per quod Capitulum eſt ipſo iure nullum, vel annullandum, contingere poteſt, vel in perſonis electorum, vel eligentium.

1. Not. ſec. tantā enim eſſe vim cōmunis erroris, vt, ſi accedat titulus coloratus, ac à legitimo Superiore collatus, veritati ipſi præferatur, huicque veritas ſubiacere cogatur, adeò vt ius faciat, eique, vel eis, qui iuriſdictionem poſſidere nequeunt ob legitima impedimenta occulta, eam conferant; quarè eorum geſta erunt valida. Ita DD. communiter. Lopez p. 1. inſtruct. conſcient. cap. 26. Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 14. Rodriq. tom. 1. quæſt. 60. art. 2. Mirand. tom. 1. quæſt. 45. art. 13. Leſſ. de iuſt. lib. 2. cap. 29. dub. 8. Farinac. p. 1. deciſ. 574. & 602. Homobonus in exam. Confeſſ. tr. 5. quæſt. 19. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 8. quæſt. 2. Palud. 4. diſt. 17. quæſt. 6. art. 2. Lugo de iuſtit. diſp. 35. lect. 8. num. 20. Philipp. de Bictis in prax. cauſ. iudic. Regul. quæſt. 127. num. 38. Sanch. de matrimon. lib. 3. diſp. 22. num. 5. & 49. referens Tiraquel. Roſell. Armill. Silu. Caiet. & alios innumerabiles. Maſcard. tom. 1. concl. 649. nu. 1. & 88. citans longum catalogum DD. Probatur prim. ex cap. Nihil. de elect. & l. Barbarius. ff. de off. Prætoris; cum enim iſte Barbarius conditione ſeruus Romæ eſſet Prætor, eiuſque conditio lateret, ita vt tanquam liber haberetur, licèt ob illud impedimentum tale munus ſubire non poſſet; nihilominus fuerunt eius acta approbata. Secund. ſuadetur, quia ſequerentur grauiſſima incommoda, ac ſcandala, ſi, detecto vitio, geſta per Iudicem, ſeù Parochū putatiuum non haberentur rata, ac firma; quarè Reſpublica, & Princeps, ac Eccleſia ob communem plebis errorem iuriſdictionem dare videtur, ne communis pax, & tranquillitas ciuium perturbetur: animaduertendum tamen eſt, vt inquit Azor. vbi ſupr. errorem debere eſſe communem apud populum, ſeù apud maiorem partem eius; quarè non ſufficeret error vnius, vel alterius coram Iudice litigantis, quia lex non conſiderat ea, quæ rarò, ſed quæ frequenter contingunt, quia etiam ex reciſſione ſententiarum ob errorem vnius, vel alterius non ſequuntur ſcandala, nec inconuenientia, nec ſufficit error communis craſſus, & ſupinus, ſed oportet illum eſſe probabilem, quia error ille æquiparatur ſcientiæ. Ita, alijs relatis, Sanch. vbi ſupr. nu. 6. 7. nec etiam ſufficit, vt ex multis tradunt Sanch. & Maſcard. n. 64. vbi ſup. ſolius Principis error, licèt nōnulli in contrarium ſentiant: huiuſmodi etiā doctrina ampliatur ad forum conſcientiæ, ita vt geſta per Parochum communi errore talem putatum, habentem titulum putatiuū à legitimo Superiore collatum valida cenſeantur, quia eadem incommoda, imò maiora, ſi eius acta eſſent reſcindenda, vitio detecto, ſequerentur. Sanch. vbi ſup. ex multis, & in ſumm. lib. 1. c. 9. num. 35. Bonacin. de ſacrament. diſp. 5. quæſt. 1. p. 3. nu. 11. Homobonus vbi ſupr. Zerola in praxi c. 21. quæſt. 2. Suar. 3. p. diſp. 26. ſect. 6. nu. 4. Paludan. & alij quamplurimi: verùm ab iſta

iſta communi doctrina eſt reſecanda opinio Maſcard. vbi ſupr. nu. 14. aſſerentis, quòd, ſi quis confitetetur peccata ſua homini, qui communi errore, ac opinione putabatur Sacerdos, ſed re vera talis non erat, & ab eo fuerit abſolutus, valeret confeſſio, & abſolutio; nam ei deeſt titulus iuſtus, & poteſtas ordinis, in quo iuriſdictio fundatur. Ita Sanch. vbi ſup. nu. 27. Nec obſtat, quòd hic defectus à ſummo Sacerdote Deo ſuppleatur; nam ex vllo ſacræ paginę loco id elici nequit, ſicut habetur diuinam gratiam, eiuſque augmentum elici ex ſacramentis, vel contritione, &c. videantur Zerola in prax. pœnit. c. 16. quæſt. 13. & Sot. 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 4. confutans etiam quandam opinionem D. Thom. Addo tandem, quòd hæc doctrina ſuffragari poteſt ei, qui crimé,& pœnam Parochi, ſeu Iudicis nouit, ſcientiamq; de impedimento habuit, quia ſicut error vnius non ſufficit ad valorem, ita ſcientia vnius nō debet impedire, quin geſta etiam reſpectu ipſius valeant: idem eſt dicendum de Sacramento pœnitentiæ: verùm tamen eſt, quòd aliquandò confeſſio poteſt eſſe inualida non reſpectu iuriſdictionis, ſed ob obicem, qui opponitur validitati, quatenus inducitur Sacerdos ad peccatum. Ita Sanch. vbi ſupr. n. 47. Leſſ. vbi ſupr. n. 66. vide etiam, quæ dicit Bonacin. de Sacrament. diſp. 1. quæſt. 6. p. 5.

Not. tert. quòd ex his, quæ dicta ſunt, plurima notatu digna eliciuntur; ſi enim magiſtratus occulto vitio notatus communi errore pro rato habitus poſſidens titulum coloratum à legitimo Superiore collatum, valent eius ſententiæ prolatæ, ſicut etiam inſtrumenta à Tabellione, vel Notario confecta, & negotia geſta à Procuratore. Ita ex multis Azor. vbi ſupr. Valent. etiam geſta iuxta Leſſium, & Sanch. vbi ſupr. Prælati, qui Prælaturam in excommunicatione, irregularitate, vel alio impedimento occulto recepit, ratione cuius collatio fuit irrita: amplia, eſto Prælatus ſit publicè excommunicatus, modò non ſit denuntiatus, aut percuſſor Clerici notorius. Sanch. vbi ſupr. n. 32. adde, quòd videntur etiam valere geſta delegati non ſolùm ad vniuerſitatem cauſarum, ſed etiam ad vnam, quamuis de hac maior extet difficultas. Leſſ. vbi ſupr. nu. 66. qui ſubdit, Superiore conferente beneficium; vel iuriſdictionem alicui non ignorante impedimentum eius, aut collationem eſſe inualidam, modò ipſe conferat, quantùm in ſe eſt, ſi ſaltem in foro externo, & communi errore populi ea omnia eſſe valida putentur, nil obſtare, quin geſta beneficiati, ſeu habentis iuriſdictionem ſint valida: multa alia elici poſſunt apud Leſſium, Sanch. & Maſcard. Excipe tamen ea, quæ ſunt iuris diuini, & naturalis; nam vt benè notant Leſſ. & Sanch. nequeunt à poteſtate humana ſuppleri.

2. Pro quart. not. ſit illa quæſtio: an neceſſariò requiratur non ſolùm communis error, ſed ſimul titulus collatus à legitimo Superiore: duplex ſententia, & vtraque habet ſuos Patronos, vt videre eſt apud Sanch. vbi ſupr. num. 40. Prima dicit geſta eius valere, qui eſt in poſſeſſione, & in communi exiſtimatione alicuius officij, ex quo oritur communis error. Secunda negat, niſi etiam accedat titulus coloratus à Superiore legitimo collatus, quæ à Sanch. acriter defenditur. Miror, quomodò tam fortiter recedat à prima ſententiâ, cum in ſumm. lib. 1. cap. 9. num. 35. defendat Sacerdotem ſequendo opinionem probabilem de iuriſdictione circa abſolutionem ſacramentalem eam poſſidere, & validè abſoluere pœnitentem, licèt opinio probabilior neget eum carere iuriſdictione. Ratio Doctoris eſt, quia communis error ex ea probabili opinione ortus ſatis eſt ad geſtorum per eum Sacerdotem valorem: ergo ſequendo primam opinionem geſta eius valebunt, quia eſt opinio probabilis, & communis error ex probabilitate ortus dat iuriſdictionem; quarè non eſt ſpernenda, quæ modò defenditur à Baſil. Pontio de matrim. lib. 5. cap. 20. num. 2. quem ſequitur Sancius in ſelect. diſp. 44. num. 3. Dian. tract. de ſacram. reſol. 22. & nouiſſimè non diſplicet Caſpenſ. de pœnit. tract. 24. diſp. 5. ſect. 7. tom. 2. & Philipp. de Bictis in prax. cauſ. iudic. Regul. qu. 127. num. 40. videatur tamen Lugo vbi ſupr. num. 22.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. GEſta per Prouincialē, Definitores, ac Priores, licèt eorū electiones eſſent à iure nullę, vel ānullādę propter eorū occultū vitium

vitium in proprijs perſonis, cenſenda ſunt in vtroque foro valida, dummodò habeant recenſita in ſec. not. Concluſio ſatis intelligitur probata ex DD. rationibuſque notatis in eod. not. modò accedat confirmatio, quia titulus non confertur per electionem. Ita Innoc. c. Nihil. nu. 4. de elect. vbi Antin. nu. 55. Cuch. quæſt. 4. Henric. ibi §. Cæterùm. num. 3. Iaſon cum Angelo per eum relato. l. Barbarius. num. 66. ff. de offic. Prætor. Sanch. vbi ſupr. nu. 52. vide etiam Maſcard. de probat. concl. 1382. num. 4. & 5. ſecus eſt dicendũ de illis electionibus, collationibus, &c. quæ non indigent cõfirmatione, quorum electio, ſeu collatio, vel inſtitutio cum confirmatione obtinetur. Sic Innoc. Anchar. & Henric. ibid.

### SECVNDA CONCLVSIO.

GEſta per Prouincialem, Definitores, ac Priores, ſi in eorum electione fuerit peccatum in forma, ita vt ſolemnitates requiſitæ, & à iure præſcriptæ non fuerint obſeruatæ, putanda ſunt irrita, inania, & inualida. Ita Bartol. l. Actuarios. num. 2. C. de numerarijs. lib. 12. Albericus l. Barbatius. num. 12. ff. de off. Prætor. & alij quàmplurimi, quos citatos ſequitur Maſcard. num. 94. & Sanch. num. 52. vbi ſupr. Ratio videtur eſſe, quia peccatum eſt in forma, & in radice, ac proindè titulus deficit. Limita, niſi accedat legitimi Superioris confirmario, quoniam videtur eſſe tãti roboris, vt ipſa titulum coloratum conferat, dum electionis vitium communiter latet. Ioann. Andr. c. Nihil. num. 28. de elect. vbi Anchar. ad fin. quæſt. 4. Sanch. vbi ſup.

Pro fine quæſiti duo ſunt addenda. Prim. quòd in iure nulla aſſignatur confirmationis forma, ſed ſufficit aliquod ſiue dictum, ſiue factum, quo Superior declaret voluntatem ſuam confirmandi, vt ex. gr. inſtallatio, ſiue intronizatio, & huiuſmodi. Oldrad. conſ. 146. num. 6. Rota deciſ. 16. de conterſ. præbend. in nou. & deciſ. 261. num. 3. coram Emin. Cardin. Mantic. Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub. 44. num. 5. Secund. quòd geſta Capituli non legitimè congregati, quia congregans habebat impedimentũ, per quod illud congregare non poterat, cenſenda ſunt valida; nam congregatio Capituli eſt facta ab eo, cuius impedimentum latebat, nec ei titulus coloratus deerat, & communi errore à populo tenebatur poſſe Capitulum congregare, & ita geſta congregantis valere debent. Ita Vgolinus loquens de delegante, de cenſuris tabula 1. c. 2. §. 22. Sanch. vbi ſup. n. 51.

## DVBIVM XXVI.

*An electores teneantur pro bono pacis, ac quietis Prouinciæ duos Definitores ex qualibet parte eligere; Prouinciales verò modò ex vna, modò ex altera.*

### SVMMARIVM.

1. *Digni oribus poſthabitis, nonnulli deſignantur caſus, in quibus electores digno ſuffragari poſſunt, imò debent, idque multis authoritatibus demonſtratur.*

2. *Varijs rationibus deſignatis, concluditur electores adhærendo paci poſſe, ac debere duos Definitores ex vtraque factione ſeligere, ſicut etiam Prouinciales modò ex vna, & modò ex altera, eſto ex vna tantùm parte eſſent meliores.*

3. *Duabus obiectionibus, quæ doctrinæ traditæ videntur obſtare, ſatisfit, & tandem duobus propoſitis fundamentis ante factioſorum oculos confunditur eorum partialitas.*

Quoniam ob multa capita iam notata factioſorum ſtatus videtur malus, imò ob mẽtis cæcitatem, quaſi pro ſecuritate eorum ſtatus parum differre à damnatorum ſtatu; ideò præſens quæſitum mouetur: an ſit illud remedium reſpectu eorum ad illos coercendos à tam periculoſo ſtatu, & ad concedendam eis ſecuritatem conſcientiæ: dico, reſpectu eorum, quia ad Religionem ſpectat remedium reſecandi factiones, vt dicam in ſec. parte.

Not. prim. quòd in quint. & ſext. dub. fuit dictum, quòd abſolutè digniores ſunt eligendi, ſed quia, qui omnes excederent merito, non poterant eſſe ſolùm in vna parte, ideò concluſum fuit electores non care-

re culpa lethali eligendo ferè omnes ex vna factione, dictum fuit in gratiam alicuius docti moderni: vera reſolutio modò ſit, quòd licet exceſſus recenſitus ibi niteret; nullò modo eligi poſſunt ſub pœna lethalis culpæ, quia adhuc non ſunt digniores, vt ex præſenti concluſione demonſtratiuè ex ferè omnium DD. doctrina patebit.

1. Not. ſec. quòd à DD. multi caſus deſignantur, in quibus, omiſſo digniori, dari poteſt ſuffragium digno; duo videntur eſſe ad rem noſtram. Prim. quandò maior pars eligentium vult ſeligere minùs dignum, digniori neglecto, tunc poteſt quis ſe cōformare illis, eligendo dignum, quamuis iuraſſet de meliori eligendo. Ita Vega in ſumm. mor. 1. p. tit. elect. Portell. tit. Elect. num. 20. Samuell. de elect. canon. tr. 1. diſp. 6. contr. 5. Peirin. ex multis in form. lit. E. ca. 2. num. 10. Diana p. 3. tract. 5. miſcell. reſol. 110. Ratio eſt, quia nemo tenetur ad actum fruſtratorium; vndè nullus tenetur ad inutile, & vanum cap. 4. §. ex his omnibus 23. quæſt. 6. & ad actum vanum nulla lex obligare poteſt docet Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 38. num. 6. §. Tertiò: quarè Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. num. 35. inquit: Ad bonam enim gubernationem futuram multùm refert pax inter eligentes, & electos, & cæteris paribus, ille meliùs gubernabit, qui maiorem concordiam cum ſubditis habebit: cum ergo parui referat, quòd dignior habeat meum ſuffragium nihil ei profuturum, & è contra ad bonum commune, & ad meum multum referat auferre ſemina diſcordiæ inter me, & Prælatum futurum, potero ei dare meum ſuffragium, quandò certò ſcio ſine me ipſum eligēdum eſſe, nec id poſſe vllo modo impediri: hanc ob cauſam Cardinales non potentes eligere, quem iudicabunt meliorem, ac digniorem, nec impedire electionem minùs digni, ſed tamen digni in ſummum Pontificem, poſſunt pro illo etiam ſuffragium dare, quandò certe moraliter ſunt de eius electione futura; quia multùm refert ad pacificam gubernationem, quòd communi conſenſu eligatur: hæc Lugo. Extendamus etiam aliqua verba Ioann. Capata in op. de iuſt. diſtributiua p. 2. c. 8. num. 15. Quandò electores vidēt ſe non poſſe obtinere, vt digniſſimus eligatur, tunc poſſunt ſuum ſuffragium applicare minùs digno; qui tamen dignior eſt inter illos, de quorum electione ſperatur; non enim tenentur fruſtrà applicare ſuum ſuffragium magis digno, ſed digniori inter illos, qui moraliter loquendo eligi poſſunt. Sec. quandò minùs dignus eſt magis acceptus cō uentui, ſeù Prouinciæ: Sanch. opuſc. 1. lib. 2. c. 1. dub. 4. citans Silu. Caietan. & Salon. Ratio eſt, inquit Caietan. in ſumm. tit. Elect. fin. quia non placet omnibus; vndè dicitur in c. Si fortè. vbi Geminianus. & c. Nullus diſt. 61. non poſſe dari Prælatum omnibus inuitis eligentibus, vel vniuerſitate ſubditorum reluctante: videatur Dian. ex multis vbi ſupr. Addo aliquandò poſſe eligi indignum; quandò nullus alius dignus inuenitur ob maiora ſcandala, & damna impedienda. Ita Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 34. dub. 12. n. 55. Filliuc. in append. tr. 41. de benefic. c. 4. n. 143. Lugo vbi ſupr. ſect. 2. nu. 5.

Not. tert. non ſolùm poſſe eligi dignum, neglecto digniori, ſed etiam debere. Ita docet Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. affirmans omnes DD. in hoc conſpirare: Quòd ſi neceſſitas, inquit, & bonum commune Eccleſiæ poſtulat, vt dignus præponatur digniori, non modò tunc id licere, verùm etiam ita debere fieri. Ratio eſt manifeſta, quia, cū beneficia primò, & potiſſimum ſint inſtituta in vtilitatem Eccleſiæ, quandò vtilitas Eccleſiæ ita poſtulat, ſic neceſſariò eſt celebranda electio; quarè Caietan. 2. 2. quæſt. 185. art. 3. inquit: In diſtributione Eccleſiaſtici regiminis principaliter non debet attendi remuneratio, ſiue meritum ſeruitiorum, ſeù quorumcumque aliorum beneficiorum, ſed debet principaliter attendi vtilitas Eccleſiæ præcipuè ſpiritualis. Imò addo non ſolùm debere ob vtilitatem Eccleſiæ, ſed etiam, quia hic, & nunc, qui videntur minùs digni, re vera ſunt digniores. Salon. vbi ſupr. controu. 4. ait, quòd eo ipſo, quòd dignus eſt vtilior, eſt dignior: concordat Leſſ. de iuſt. lib. 2. c. 34. dub. 12. n. 50. Digniſſimus, inquit, cenſetur, non qui eſt ſanctiſſimus, & doctiſſimus, ſed qui, omnibus conſideratis, putatur optimè officio ſatisfacturus, Eccleſiæque futurus vtiliſſimus: non diſſentit Azor. p. 2. lib. 6. c. 15. qu. 1. Is verò doctior, & ſanctior habetur, qui ratione habitæ præfecturæ, ad quam aſſumitur, vtilior, & aptior eſt, quamuis

abſolutè

abſolutè alius & peritior, & melior inueniatur; affirmat Sanch. opuſc. 1. lib. 2. c. 1. n. 5. Ille miniſter ſimpliciter cenſendus eſt dignior, qui practicè, & moraliter iudicatur aptior, & Eccleſiæ vtilior: approbat Tabieh. tit. electio quæſt. 13. & Gutier. lib. 2. c. 11. n. 63. Primus dicit: In foro conſciétiæ tenetur quis eligere meliorem non ſimpliciter, ideſt ſecundùm quod eſt melior ſecundùm charitatem, ſed meliorem illi Prælaturæ, qui ſcilicet poſſit illam Eccleſiá & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare. Secundus ait: Dignior, & magis idoneus eſt ille, qui cæteris aptior, & magis vtilis eſt ad beneficium, cui præficitur: omneſque alij DD. ſuperiùs allegati hoc ipſum affirmant; quarè menſura digniorum deſumenda eſt à neceſſitate Eccleſiæ, ſeù Prouinciæ, ita vt ille ſit dignior, qui maiorem vtilitaté communi bono earum eſt allaturus: tandem in hanc doctrinam conſpirant omnes Canoniſtæ, teſte Rendina, quem citatum ſequitur Barboſ. in collect. DD. lib. 1. decretal. ca. officij. de elect. quam tribus exemplis illuſtrant. Prim. ſi nobilis fuerit potentior, aliàs tamen idoneus, & vtilior Eccleſiæ, præferendus eſt ſanctiori, & eruditiori. Sec. ſi diues fuerit vtilior, quia Eccleſia eſt ære alieno nimis grauata, præferendus eſt alteri, quamuis doctior foret. Tert. ſi doctior fuerit vtilior, &c. quia opus eſt expugnare hæreticos, præferendus eſt nobili, eſt diuiti.

### *CONCLVSIO.*

2. Electores pro bono pacis, & quietis poſſunt, ac debent ſeligere duos Definitores ex vtraque factione, ac Prouinciales modò ex vna, & modò ex altera, quãuis ex vna parte eſſent meliores. Prima pars ſuadetur: ratio formalis eſt, quarè eligẽs dare poteſt ſuffragiũ minùs digno, digniori omiſſo, videtur eſſe, quãdò maior vtilitas, quæ in fauorem boni communis ab inſignis qualitatibus dignioris eliceretur, fruſtratur, cum maior pars eligentium in dignum inclinet: ergo, quandò maior habetur vtilitas, & votum eligentis non fruſtratur, eò quòd erit futurum vtiliſſimum communitati, poteſt eligens ſuffragari minùs digno, digniori neglecto: ſed ſi in hac Prouincia duo Definitores ex vtraque parte, ac Prouinciales alternatim deligantur, non parua, imò maxima inſurgit vtilitas, quia tolluntur inuidiæ, ſecantur odia, ceſſant murmurationes, fugit diſcordia, vniuntur animi, ac maximum pacis bonum totam coronat Prouinciam, quæ vtilitas non haberetur, ſi ſuffragia irent in meliores, imò multa damna inſurgerent, vt intelligenti ſemper videbitur: ergo huiuſmodi electiones poſſunt fieri, eſto ex vna parte eſſent digniores. Prætereà, ſi indignus poteſt eligi, quandò nullus alius inueniatur ob maiora ſcandala euitanda, vt docent DD. ſuperiùs; quomodò eligi non poterit abſque labe peccati dignus, omiſſo digniori, ob tot ſcandala reſecanda, cum dignior non ſit, dũ damna ex eius electione oboriuntur? Adde, electio celebrata iuxta deſiderium ſubditorum, & libenter acceptata à ſubditis eſt præ cæteris electionibus Eccleſiæ vtilior, quia reddit, inquit Salon. vbi ſupr. regimen pacatum, & ſubditi ſunt promptiores ad obediendum electis: at cum tales electiones pariant iſtos effectus, vt clarum eſt: ergo. Tandem ad rectam gubernationem multùm refert pax inter eligentes, & electos, & cæteris paribus, ille meliùs gubernabit, qui maiorem concordiam habebit cum ſubditis: ſed celebrando electiones modo prædicto bonum commune fouetur, eò quòd in omnibus electis, & electoribus excitatur maxima pax, & electi meliùs gubernabunt ob maiorem concordiam cum ſubditis: ergo huiuſmodi electiones abſque peccati labe poſſunt fieri.

Addo non ſolùm poſſe fieri, ſed debere, & eſt ſecunda pars cõcluſionis, quæ his argumentis fulcitur: beneficia primò, & potiſſimum ſunt inſtituta in vtilitatem Eccleſiæ: ſed huiuſmodi Prouincia neceſſitatur ad habendas has electiones ob vtilitatem maximã ſequuturam; nam ſeditiones, & inuidiæ tollentur, & animi vnientur: ergo abſque labe lethalis culpæ nequeunt prætermitti; aliàs beneficia non eſſent inſtituta in Eccleſiæ vtilitatem, ſed in deſtructionem; vndè contrarium facientes peccant contra iuſtitiam commutatiuam non conſulendo bono ipſius Eccleſiæ, à qua ius eligendi acceperunt, & contra charitatem non inhærendo paci, ſed adhærendo diſcordiæ; imò deberent fieri, quia violatur iuſtitia diſtributiua, eò quòd omittuntur, & negliguntur meliores, & digniores;

gniores; nam menſura digniorum deſumenda eſt à neceſſitate, ac vtilitate Eccleſiæ: vtilior ergo dignior, dicunt Salon. & Sanch. vtiliſſimus ergo digniſſimus, inquit Leſſius; vtilior, atque aptior: ergo ſanctior, & doctior, ait Azor. qui ſcit inſtruere, defendere, & pacificè gubernare: ergo melior, affirmat Tabien. qui cæteris aptior, & magis vtilis eſt ad beneficium, cui præficitur: ergo dignior vult Gutier. & cum huiuſmodi Prouincia ſummoperè hiſce electionibus indigeat ad fugandas diſcordias, quæ ſecum trahunt omnia mala ſuperiùs recenſita, & ad introducendam pacem, & pacatum regimen, ex quibus non parua vtilitas eſt inſurrectura: ergo iſti homines erunt eligendi tanquam digniſſimi, & aptiſſimi pro regimine Prouinciæ; aliàs negari nequit, quin peccetur contra iuſtitiam diſtributiuam. Suadetur etiam ex doctrina Caietan. in ſumm. tit. elect. aſſerentis, quòd dignior dicitur ſecũdùm regimen illud nunc, & hic reſpectu talium ouium: quis negabit oues talis Prouinciæ pro ſui concordia, & vnione non indigere talibus electionibus? ergo hi homines cenſendi ſunt digniſſimi, & non alij. Demũ probatur ex doctrina Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 4. num. 6. quæ nos inſtruit electos communi conſenſu, ac deſiderio ſubditorũ multò ſuauiùs, & meliùs gubernare, eiſque promptiùs obediri: cum autem ſuauis, & pacata gubernatio ſit Eccleſiæ, vel Reipublicæ vtilior, quæ ſine dubio non deſiderabitur ex huiuſmodi electionibus: ergo in talibus hominibus dignioritas præ alijs negari nequit.

3. Dices, ex noſtra factione ſunt digniores, eò quòd ſunt ſanctiores, auſteriores, & doctiores, ac prudentiores. Reſp. in tua paſſione, & ambitione ſunt digniores, non in ordine ad vtilitatem Prouinciæ, ex qua elicitur maior, & minor dignitas; vndè Azor. vbi ſupr. affirmat ſanctiorem, & doctiorem eſſe hominem, qui eſt vtilior, & aptior Eccleſiæ, ad quam aſſumitur: vide obiectionẽ primam dub. 16. & conſidera egregium dictum D. Chryſoſt. 1. ad Corint. c. 7. hom. 9. *Oportet autem*, inquit, *omnibus præferre concordiam, quoniam hoc eſt, quod omnium maximam habet potentiam*: ac ſi dicat loquendo in caſu noſtro: factionarij, factionarij vera, & iuſta regula in ordine ad regimẽ pro dignoſcendo qualitates, & mores tanquam digniores, eſt vnitas, pax, & concordia, hæc ſunt illa maxima potentia obſtans factionibus, ac ſeditionibus, quæ è directo funditus vnitatem regiminis deſtruunt; aliæ verò regulæ ſunt obliquæ, & non rectæ, quæ pariunt, & nutriunt factiones, lites, & diſcordias; vndè, quæſo, in vobis tot lites, factiones, ac ſeditiones? non niſi quia declinaſtis à vera, & iuſta regula pro menſura digniorum: oportet ergo omnibus præferre concordiam; aliàs ſemper vos lites opprimẽt, & ſeditiones regnabunt cum manifeſto periculo æternæ damnationis.

Dices, æquitas huiuſmodi electionum ex vtraque parte potiùs inſeruiet ad firmandas, ac radicandas factiones, quàm ad deſtruendas. Reſp. eſſe velamen pro ambitione tuenda: vultis factionarij deſtruere factiones lingua, & non votis, ac moribus, meliùs eſt aliquo modo fouere factiones tuta conſcientia, quæ propriè non fouentur, vt dicam in ſequent. dub. ſed potius procurarut bonum cõmune, quàm eas nutrire veſtro, & iniuſto modo ſolito, & per tot annos maculando conſcientiam, & implendo infernum animabus ſanguine Chriſti redemptis: ſi vera ſunt verba amplectimini omnes, & tollite de medio factionum ſcandala, & conſecrate igni huiuſmodi ſcriptum.

Ad vos modò me conuerto, ô factionarij: deſtruite ſi poteſtis hæc duo fundamenta: alterùm, quòd exceſſus in altera factione nequit eſſe tantus ſupra aliam, vt tuta conſcientia electio ex vna tantùm celebrari poſſit: alterum, quòd, quamuis exceſſus videretur eſſe; nihilominus eius factionarij nequeunt reſpici tanquam digniores, quia mẽſura digniorum non deſumitur à perſonarũ qualitatibus, ſed à qualitatibus regulatis ab vtilitate, ac neceſſitate Prouinciæ: deſtruite, inquam, ſi poteſtis, vt ſine peccato celebrare poſſitis more ſolito electiones: vereor, ne fundamenta deſtruendo aliqua tergiuerſatione, quæ non deeſt ambitioni, ſimul animas deſtruatis, & in infernum demergatis.

Factioſi ante oculos ſemper habete pro dignoſcendo meliori abſque paſſionis velamine auream illam ſententiam Salon. & Sanch. dub. 2. num. 5. vbi ſupr. Dignitas non eſt attendenda metaphiſicè (quòd forte

vos

vos factis) ex ſolis qualitatibus eligendorũ, ſed moraliter, & practicè ex qualitatibus exequutioni mandatis, & redactis ad opus.

Pro fine eſt aduertendum, quòd concluſio non eſt intelligenda, quandò magnus eſſet exceſſus indiuiduorum in vna factione, vtpote ſecundùm tertiam partem, quia tunc ſeruari debet proportio, aliàs offenditur, & bonum commune, nec non & iuſtitia diſtributiua.

## DVBIVM XXVII.

*An electio celebrata iuxta doctrinam in ſuperiori dubio relatam ſit tuta in conſcientia.*

### SVMMARIVM.

1. *IN electione eligentium libertas requiritur, quæ, licèt poſſit reſtringi per ſtatutum ad certum Collegium, ſeu ad certum genus perſonarum; nihilominus coarctari nequit ad certum numerum perſonarum, & de vtroque dicto redduntur rationes.*

2. *Poteſt condi ſtatutum pro bono pacis, & quietis, vt electores tantum duos alicuius nationis ſeligant: & ſatisfit obiectionibus.*

3. *Bonum pacis, & quietis petit, vt in Prouincia, de qua loquimur, ſeligantur duo Definitores ex qualibet parte, alternatimque Prouinciales; & probatur rationibus, & dua diluuntur obiectiones.*

Dubium iſtud ſit in gratiam cuiuſdam viri meritis, zeloque inſignis, qui non adhæret (licèt fortè ſine fundamento) doctrinæ docenti duos eſſe Definitores ex vtraque parte, ſeu factione deligendos, alternatimq; Prouinciales, quoniam ei videtur in maximum Religionis detrimentum ambitionis vitium nutriri, factioneſque formari: ſit ergo.

Prim. not. quòd menſura digniorum deſumitur, vt dictum eſt, ex neceſſitate, ſeu indigentia Prouinciæ: porrò huiuſmodi neceſſitas exoriri poteſt ex hominibus diuerſarum nationum abſque labe vitij; vndè eis multa conceduntur ad incommoda præcauenda; vel quandò præter hoc, quòd ſunt diuerſarum nationum, ab ambitione regnandi ducti in partes, ſeu factiones ambiunt; quarè quælibet pars ad ſe regimen attrahere intendit: idem intelligo de Prouincia, quæ, licèt diuerſis non conſtet nationibus, in factiones tamen diſtracta eſt; quarè poſſunt etiam ei aliqua concedi ad maius malum euitandum.

1. Not. ſec. quòd libertas neceſſaria pro valida electione nō infringitur per ſtatutum reſtringens ad certum Collegium, vel ad certum genus perſonarum, ex. gr. ne Monachi in Priores monaſterij ſublimentur plu res, quàm tres de vna natione. Ita Silu. tit. elect. quæſt. 26. Barboſ. de iure Eccl. lib. 1. cap. 19. num. 232. Rodriq. tom. 2. quæſt. 51. art. 11. Nauarr. lib. 1. cōſ. de cōſtit. conſ. 7. Mirand. quæſt. 23. art. 22. tom. 2. Ratio videtur eſſe multiplex. Prim. ne detur alijs occaſio diſſidendi, vt eiſdem, quantùm fieri poteſt, reſecetur occaſio ſe ſubleuandi in ſuperbiam, alijs in murmurationes prorumpendi; aliiſque tandem nimis ſuæ genti, ſiue nationi tribuendi. Sec. quia idipſum habetur ex ſtatutis multorum Collegiorum, quibus cauetur, ne ex eadem Ciuitate erigantur in dignitates plures Collegæ, quàm vnus; ex eadem diœceſi plures quàm duo. Tert. quia non eſt abijcienda conſuetudo, vt Superior, ſeu Abbas certi monaſterij ad talem dignitatem non euehatur, niſi dè certo monaſterio. cap. Cum dilectus; vndè non cenſetur tolli libertas, eò quòd electio reſtringatur ad certum genus hominum. Ita Panormit. in cap. Cum terra. de elect. nam etiam Pontifex ad tantam dignitatem non aſſumitur, niſi de Collegio Cardinalium, neque in Hiſpania fiunt beneficiarij, niſi Hiſpani, in Gallia niſi Galli. videatur Nauarr. vbi ſupr.

Not. tert. quòd, licèt verum ſit electionē poſſe reſtringi ad certū genus perſonarū; nihilominus coarctari nequit ad certū numerum perſonarū, e. gr. ad tres, vel quatuor vocales ſine ſūmi Pōtificis licētia, & authoritate; aliàs eſſet ipſo iure nulla, & irrita. Ita Silu. Rodriq. Mirand. Barboſ. vbi ſupr. Portel. tit. elect. num. 4. Caſtellin. de electione. cap. 3. num. 7. Lauor. tit. 4. cap. 2. nu. 11. Ratio eſt, quia huiuſmodi coarctatio aduerſatur bono regimini, & rectæ gubernationi; imò bono publico poſtulanti libertatem eligentium, vt habetur ex cap. Cum terra. de elect.

elect. quarè, inquit Mirand. vbi ſupr. videtur ferè impoſſibile, quòd ſubditi ſic coarctati diligant, & ament Prælatos electos, & è contra, quos autem ſubditos amore non proſequantur Prælati, quonam pacto regere, & gubernare rectè poterunt, cum amor ſit, atque eſſe debeat totius boni regiminis, & rectæ gubernationis exordium? vice etiam verſa, quos ſubditi non amant, nullo pacto reuereri, debitamque obedientiam illis præſtare poterunt. Quamobrem, non obſtantibus reſtrictionibus, & coarctationibus poſſunt electores eligere, quem maluerint, modò ſit dignus, & electio erit valida, & confirmanda etiam ab ipſis Prælatis, ac Superioribus, qui coarctationem ſtatuerunt. Ita Rodriq. & Mirand. vbi ſupra.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

2. PRo bono pacis, ac quietis poteſt condi ſtatutum, ne electio extendatur ad plures, quàm ad duos alicuius nationis, ex. gr. ne Priores, ſeù Guardiani monaſteriorum eligantur plures, quam duo de vna natione: idem dic de Definitoribus. Concluſio habetur ſatis clara in ſecund. nor.

Dices, ſtatutum hoc videtur eſſe contra bonum commune, quia ſæpè meliores eſſent poſtponendi. Reſp. ex Nauarr. vbi ſupr. quòd rationes adductæ ſatis promouet illud; imò addo, quòd alij ex alia natione ſunt digniores, quia menſura dignioruin non habetur à qualitatibus perſonarum, ſed à neceſſitate Eccleſiæ, ad quam electi aſſumuntur.

Dices, in electionibus debet eſſe plena libertas deligendi ex Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 6. Reſp. adhuc remanere tantam libertatem, quanta eſt neceſſaria ad validè celebrandas electiones. Ita Nauarr. vbi ſupr.

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

3. PRo bono pacis, ac quietis huius diuiſę Prouincię poſsũt electores tuta cõſciẽtia ad munera Definitoratus duos ex quatuor Definitoribus ex qualibet parte eleuare, ac alternatim eligere Prouincialẽ. Suadetur, quia, ſi ad euitanda mala, quæ Prouinciam conturbare poſſunt, condi ſtatutũ poteſt, vt cor, & nõ plures de vna natione aſſumantur in dignitatem, vt ſuperiùs dictum eſt; quomodò electores non poterunt tuta conſcientia ſeligere duos Definitores ex vtraque parte, &c. ad fugandas diſcordias, murmurationes ſedandas, & reſecanda mala ſuperiùs enarrata, quæ totam Prouinciam conturbant? Adde, ſi vigent ſtatuta in aliquibus Religionibus etiam à ſede Apoſtolica confirmata, quæ prò bono pacis, & quietis tales electiones, ſeù ſimiles ordinant, quarum homines fortè ab ambitione ducti in factiones abierunt, quarè electores non poterunt deligere duos, &c. abſque ſtimulo conſcientiæ? vndè nefas eſt affirmare, quòd electores celebrando modo deſcripto electiones ſint in malo ſtatu, quia eſſet affirmare aliquod durum de ſancta Sede, quod impium eſſet.

Dices, conferre hoc pacto ſuffragia, videtur ambitionis virium fouere. Reſpond. quòd multa, ac infinita mala è Prouincia extirpantur, vt conſtat ex doctrina benè intellecta, imò ambitionis virium infirmatur, & fortè omninò euellitur, quia, vt notat Caietan. ſumm. ritul. ambitio, tunc ambitio videtur eſſe peccatum mortale, quandò quis vult honorari ob crimẽ aliquod; vel quando in illo honore ponit vltimum finem, ideſt ob conſequendum honorem non æſtimat Deũ mortaliter offendere; vel vult præferre ſe alijs, quibus nõ eſt præferẽdus in diſtributione communium dignitatum; vel tandẽ deſiderat honorem ad perpetrandum ſcelus, puta tyrannidem; cum enim celebrantur electiones modo deſcripto, vitium ambitionis cum oppreſſione alterius factionis è medio tollitur; habetur etiam, ne quis præferatur alteri, cui non eſt præferendus, quia, cum dictum ſit, quòd merita difficillimè poſſunt eſſe in tanto exceſſu, vt non ſint æqualia, vel quaſi æqualia, maxime quia menſura dignitorum deſumenda eſt à neceſſitate Prouinciæ, difficile poteſt dari peccatum mortale, pręſertim cum munera, & officia ad quandam æqualitatem ſint conferenda: adde, quòd illa ſitis naturalis ambitionis magna in parte gutta aquæ extinguitur, vt conſideranti ſemper videbitur.

Dices, potiùs eſt firmare diuiſionem, quam

quàm deſtruere. Reſpond. quòd paulatim, ac ſenſim ſine ſenſu reſoluitur. Prim. quia capita factionum ſunt euellenda, vt dicetur. Secund. ſi Superiores tuta conſcientia dignitates cupiunt poſſidere, tenentur ſe abdicare factionibus, aliàs ſe debent habere tãquam homines perditiſſimos, vt dixi ſuperiùs. Tert. ſi ſubditi volunt abſque labe peccati viuere, tenentur celebrare electiones ſine intentione formandi diuiſionem, ſed hic, & nunc indigentiæ Prouinciæ inſeruiendi. Quart. noui profeſſi coguntur ad indifferentiam ſub pœna lethalis culpæ. Quint. quia non duplicatur ſtatutum obligans ad electiones modo præſcripto celebrandas, ſed eſt mera inſtructio ad conſulendum proprijs animabus, paci, ac quieti Prouinciæ: quis enim non videt, cumulatis hiſce omnibus, deſtruendum tandem factionis nomen, coalituros in vnum animos, pacem introductum iri, ac demum in electionibus campum libertati ſe ſe aperiturum?

## DVBIVM XXVIII.

*An doctrina allata in duobus præcedentibus dubijs, ſeù aliqua alia proportionalis diſtributio honorum, ac dignitatum accommodari poſsit cuidam Prouinciæ, quæ in diuerſas factiones abire incipit, ducta vel à ſitu, in quo ſunt nati homines; vel à capite, quod ſequuntur; vel à conciuibus; vel ab alijs ſimilibus cauſis.*

### SVMMARIVM.

1. *Diuiſionum origine deſignata, definitur ſeditio, & oſtenditur eſſe peccatum mortale, & tandem deſcribuntur mala, quæ ex tali vitio oboriuntur.*

2. *Reprobantur tanquam lethaliter malæ vniones aliquorum Religioſorum ratione ſitus, amicitiarum, &c. ad præſtanda vota in electionibus: varijſque rationibus probatur.*

3. *Secundùm conſcientiam electores ſuis votis huiuſmodi vniones fouere nequeunt: & tandem tribus obiectionibus non parui momenti ſatisfit.*

1. Not. prim. quòd diuiſio originem trahere poteſt ex duplici capite inter Regulares. Prim. à cupiditate regnandi, ac dominandi; nam licèt homines non ſint diuerſæ nationis, nihilominus vel à ſitu, in quo ſunt geniti, vel à capite, quod ſequuntur, &c. incipiunt murmurationibus, querelis, votis in electionibus, nonnulliſque alijs artificijs maiores dignitates anhelare, minoreſque proportionabiliter prætendere, ita vt diuiſum Imperium, diſperſumque in Prouincia videre velint. Sec. ab aliquibus, qui tanquam oppreſſi ſe volunt defendere ab alijs, qui ferè rerũ regimen in proprium commodum, & ſuorum cumulare videntur; de iſta verò non loquimur, eò quòd non eſt ſeditio, ſed potiùs defenſio.

2. Not. ſec. quòd ſeditio, quæ ſic definitur, eſt, qua vnitas multitudinis diſſoluitur, diſcordantibus contra ſe inuicem partibus illius multitudinis, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, vt docent S. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 1. S. Antonin. 2. p. tit. 4. cap. 8. de diſcord. Tabien. & Caietan. ſumm. tit. ſeditio. Trullench. lib. 3. cap. 6. dub. 4. num. 7. Filliuc. tract. 28. cap. 9. quæſt. 6. num. 204. & videtur eſſe ſpeciale peccatum, quia habet ſpeciale bonum, cui opponitur, ſcilicèt vnitatem, & pacem multitudinis. Porrò huiuſmodi peccatum primò quidem, & principaliter pertinere videtur ad eos, qui pacem, & multitudinis vnitatem diſſoluere intendunt. Ita Tabien. & S. Antonin. vbi ſupr. Secund. ad eos, qui ſequuntur ſcindentes Ciuitatem, Regnum, Religionem, nec non & domum; illi verò, qui bonum commune defendunt eis reſiſtentes, non ſunt dicendi ſeditioſi, ſicut illi, qui ſe defendunt, non dicuntur rixoſi: ſimiliter qui multitudinem à poteſtate tyrannica liberant non ſunt ſeditioſi, quia tyrannicum regimen non eſt iuſtum, nec ordinatur ad bonum commune, ſed ad bonum priuatum Regentis, vt patet per Philoſ. 3. polit. & 8. ethic. Ita DD. relati. Quæ verò mala ex iſta peſſima radice ſeditionis naſcantur? varia quidem, & multa, inquit S. Antonin. vbi ſupr. §. 4. præſertim iniuſtiria, quia partiales, & diſcordes ita ſunt pleni paſſionibus timoris, & amoris

moris ad compartialem, & odij erga aduerſam partem, quæ peruertunt iudicium interius, vt reputent malum bonum aduerſæ partis, & bonum malum ſuum conſectatorem; vndè illum puniunt etiam innocentem, & iſtum conſocium abſoluunt malefacientem: oritur etiam perfidia, quia ſunt tam firmi, & ſtabiles in propria partialitate, vt dici poſſit eos potiùs fidem negaturos, quàm partem, & ſectam, quam ſequuntur: tandem oboritur maleuolentia, quæ continua eſt in mentibus talium hominum; vndè Chryſoſt. de compunct. cord. inquit: *Si inimicitia ſemel occupauerint homines, omnia, quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur, vt ad maiores, & longiores proficiant inimicitias*: radix quidem horum trium malorum eſt ſeditio; radix verò ſeditionis videtur eſſe, inquit D. Antonin. vbi ſupr. §. 3. procuratio inordinata proprij commodi, quandò quis nimis intendit ſuæ vtilitati, vndè alij grauantur, & modicam cum eo poſſunt habere concordiam; quarè dicebat Seneca. *Principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi ſuum facere*: alia radix etiam aſſignatur ab Anton. videlicèt honorum, & onerum diſtributio improportionata; quandò enim nimis aliqui vexantur laboribus, alij nimis alleuantur, vel cum honores, & officia aliquibus copiosè conferuntur, alij autem parum, vel nihil eis fruuntur, excitatur inter eos diſcordia, & generatur inuidia: tandem deſignari poteſt alia radix, nimirum tranſgreſſionum punitio relaxata; nam, cum delicta debita pœna non plectuntur, mali non paruam accipiunt audaciam alios lædendi, ex quo inimicitiæ, & diſcordiæ pullulant, & ſi puniuntur tantùm in debilibus, & in impotentibus, & non in maioribus, & potentibus; vndè non paruæ indignationes ſuſcitantur: videatur D. Antonin. vbi ſupr.

## *PRIMA CONCLVSIO.*

3. VNiones, ſeù potiùs diuiſiones nonnullorum Religioſorum, quæ fiunt in Prouincijs ratione ſitus, amicitiarum, ſeù conciuium, &c. vndè ſequitur ſuffragiorum fauor in electionibus, ex. gr. ad vnum ipſorum eleuandum, quantùm fieri poteſt, in Prouincialem, ac Definitorem, ſeù in locorum Diſcretum, vel tandem ad ſibi præſtanda vota pro Prioribus, ſeù Guardianis, nequeunt iudicari niſi lethaliter peccaminoſæ. Suadetur; quia præſtant vota ſub ratione amicitiæ, conciuium, aliarumue rationum impertinentium, quæ non ſpectant ad merita neceſſariò attendenda pro conferendis dignitatibus, ac honoribus; nam tali pacto præſtare vota, vt omnes DD. aſſerunt, eſt peccatum mortale, quia fiunt acceptatores perſonarum: ergo tales vniones nequeunt eſſe niſi lethaliter malæ. Præterea, peruertere finem officij, ad quem ordinatur officium pro bono communi, conſpirant etiam omnes DD. eſſe peccatum mortale: at cum finis regiminis, ac gubernationis ſit vnitas, & pax, vt rectè notat Medin. 1.2.qu.105.ar.2. & ab iis hominibus ſuis partialibus votis diſſoluatur vnitas, quæ bonum cōmune conſeruat, & pax inter alios eligentes conturbetur: ergo tanquā deſtructores finis rectæ gubernationis habendi ſunt. Addo, quòd tunc principaliter committitur peccatum ſeditionis, quandò homines curāt, vt vnitas diſſoluatur, & pax diruatur, vt inquiunt S. Thom. Tabien. & D. Antonin. vbi ſupr. ſed dum huiuſmodi homines conferunt vota modo deſcripto, quantùm in ſe eſt, intendunt diuiſionem ſeminare in Prouincia, vnitatem diſſipare, pacemque perturbare. ergo rei peccati ſeditionis habendi ſūt; vndè Caietan. tit. ſeditio. inſpiciens iſtas prauas, & illeitas vniones ait: Et ſi vtraque pars hoc malo gaudet, quia neutra ad commune bonum, ſed ad proprium tendit, vtraque ſeditioſa eſt. Nec obſtat, quòd abſque vnione nequeant fieri electiones, quia non loquimur de vnione ſuffragiorum; nam clarū eſt, quòd, illa reſecata, neque electiones celebrarentur, neque homines in Prælatos eleuarentur; ſed loquimur de vnionibus perſonarū ratione ſitus, amicitiarum, &c. ex quibus ſequitur ſuffragiorum fauor iuxta dicta in concluſione; nam iſtæ ſunt ſectæ, factiones, & diuiſiones, quæ in partes diuidunt corpus multitudinis à ſua vnitate in maximū perfectionis damnū, imò corpus Chriſti, teſte Ricard. de S. Victor. lib. de grad. charit. c.4. *Ipſa Religionis*, inquit, *electio noſtro miſerabili*

*tempore*

*tempore tanta diuiſione ſpargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, niſi fortè aduerſus Dominum, & aduersùs Chriſtum eius.* Nec obſtat, quòd, quandò merita ſunt æqualia, poteſt elector ſuffragari amico, ſeù conciui, non vt amicitia ſit principaliter motiua, ſed impulſiua, quia huiuſmodi doctrina admittitur vera à DD. quandò non ſequitur ſcandalum, & bonum commune in ſua integritate, & vnitate, per quam cõſeruatur, non periclitatur. Nec obſtat, quòd amici, & conciues ſint meliores, quia eo ipſo, quòd incipiunt ſeditiosè ſe habere, fiunt omnibus peiores; maximè quia dignioritas ſecundùm magis, & minus deſumitur ab vtilitate boni communis, quæ per iſtas vniones, ſeù diuiſiones non inſurgit, imò deſtruitur: percipite veritatem concluſionis à D. Auguſtin. in dub. 13. relato: *Væ illis, qui oderunt vnitatem, & partes ſibi faciunt in hominibus*: & perpendite verba D. Petri Damiani concludentia horrendum exitum illius Monachi ſectis, & ſeditionibus dediti, de quo in dub. 13. *Heù quàm pernicioſa*, inquit, *res ſpiritus contumax, & litigioſus in Monacho: hic enim, quia temporalem habere pacem cum ſuis fratribus noluit, æternæ pacis gaudium in tartarum demerſus amiſit; hoc autem & ſi præſenti ſtylo vſquequaque non cõgruat; idcircò tamen inter hæc apicibus mandare curauimus, vt rem memorabilem, ne oblinio tolleret, quaſi ad paxillum funiculo ſtringeremus, atque hic quiſquis inquietus ediſcat, ad quem finem lis animoſa perducat*: aduertant electores in ſuffragijs referendis modo prædicto ſimoniam inſurgere poſſe, vt videre eſt apud Samuell. de elect. can. tr. 2. diſp. 2. controu. 3. & periculum annullandæ electionis, ſicut idem Doctor clarè demonſtrat referens multos DD. in tract. 3. diſput. 1. contr. 2. concl. 3.

## SECVNDA CONCLVSIO.

3. Tota conſcientia nequeunt electores ſub quocumque titulo etiam pacis, & quietis fouere pro dignitatibus, ac honoribus iſtas paruas vniones, neque ſecundùm doctrinam relatam in duobus præcedentibus dubijs, neque ſecundùm aliam proportionem, ita vt ſuſcitentur diuiſiones, ac factiones in Prouincia. Suadetur prim. eos fouere, qui illicitis actionibus, alijſque medijs ab ambitione miniſtratis incipiunt ſeditiosè viuere, & in Republica diſcordiam ſeminare, eſt peccatum mortale, eò quòd ſic agens cooperetur eorum malitiæ grauiter peccaminoſæ: id quippè fieret, ſi electores ſua vota conferent talibus hominibus iuxta ſenſum in concluſione extenſum, vt de ſe patet: igitur tenentur ſe abſtinere à tali illicita diſtributione. Sec. vnuſquiſque tenetur ſub mortali bonum commune tueri, eiuſque malis præſertim grauibus, quæ probabili moralitate ei occurrere poſſunt, quantùm in ſe eſt, obuiare: ſed, ſi tales homines ſecundùm eorum deſideria eſſent ad dignitates promouendi ab electoribus, infinita dãna, quæ parturit ſeditio, ſuperiùs deſcripta, & paucis verbis cumulata à D. Antonin. vbi ſupr. §. 4. *Nulli autem magis commaculant communitatem diſcordijs, quàm ſeditioſi, & partiales*: breui tempore diſperſa viderentur: ergo, vt electores videantur bonum commune fouere, eiuſque damnis facillimè orituris obſtare, nequeunt illis ſecundùm deſideria ſuffragari. Tert. ambitioſus conſtituitur in ſtatu damnationis, quandò eius ambitio maximum damnum Reipublicæ, & Eccleſiæ infert: huiuſmodi autem homines ob cupiditatem regnandi, ac dominandi incipiunt Prouinciam grauiter damnificare in partes diuidendo multitudinem, pacem, ac vnitatem reſecando: ergo conſtituuntur in ſtatu damnationis: ergo electores præbendo vota eorum ambitioni adhærendo fiunt eorum mali ſtatus participes tanquam cauſa damnorum. Adde, quòd Religio nullo modo tolerare poteſt inter Religioſos diuiſionem, vt patet in dubio 35. ſec. part. igitur multò minùs poterunt electores ſuis ſuffragijs auxilium præbere ſeditione laborantibus.

Dices, multa ſunt concedenda paci, & quieti Prouinciæ, ac proindè ex vi conſciētiæ fuit firmatum, quòd electores in Prouincia, de qua loquimur, ſeligere poſſunt duos Definitores ex vtraque parte, alternatimque Prouincialem: ergo etiam in iſta, in qua vniones, ſeù diuiſiones aliquo modo inſurgunt, poterunt ſuffragatores aliqua proportione vota præſtare. Reſp. quòd non eſt par ratio, quia in illa ob firmatas, ac radicatas factiones minùs malum eligitur; & ideò

M 2 huiuſ-

huiuſmodi doctrina fuit tradita tanquam tuta in conſcientia, ſemper tamen in deſtructionem factionum, vt legenti patet, præſertim in vltima obiectione præcedentis dubij; in iſta verò quia factiones cœperunt pullulare, nec animos inter ſe totaliter diuiſerunt, nullo modo eſt admittenda, ſed ſunt abſcindendæ, & reſecandæ factiones, diſcordiæ, ſeditiones, atque æmulationes omnibus remedijs poſſibilibus, & violentis, vt benè notat Decian. de ſeditione lib. 7. cap. 19. dicens: *Principijs debent obſtare Principes; nam ſæpè vſu compertum eſt modicam ſcintillam magnum excitaſſe incendium*: & S. Thom. ex Ariſtot. 5. polit. lect. 7. aduertit, *Quòd aliquandò contingit ſubintrare ſeditionem, quæ fit ſecundùm modica, & latet propter eius paucitatem, vel non curatur, & ſi negliguntur huiuſmodi præuaricationes, facient vnam magnam præuaricationem, quæ corrumpet Rempublicam, ſicut enim parua expenſæ frequenter factæ corrumpunt totam ſubſtantiam alicuius; ſic paruæ, & modicæ præuaricationes frequenter factæ corrumpunt totam Rempublicam.* aliàs eſſet in manu omniũ ſubditorum ambitioſorum lites fingere, atque excitare, vt benè obſeruat Bann. 2. 2. quæſt 63. art. 2. vt electores lege conſcientiæ Regnum diuiderent, & Superiores publicis ſtatutis Imperium, & regimen reſecarent in damnum totius corporis Religionis, & ita de iniquitate arriperent commodum, & indigni promouerentur, quod nullo modo eſt tolerandum.

Dices, ex his hominibus ſeditioſis, & ambitioſis ſunt celebrandæ electiones: ergo inhærendo paci æqualitas eſt ſeruanda, & id videtur vtilius Prouinciæ. Reſp. quòd, ſi inuenirentur alij indifferentes, hi ſunt eligendi vſque ad concordiam hominum ſeditioſorum; quarè, ſi electiones nequeunt celebrari, niſi de iſtis nullo modo ad æqualitatem, & hoc ad reſecandam, ac extirpandã funditus diuiſionem, quæ incipit ſenſim ſine ſenſu venena per Prouinciam diſpergere, ſed tali modo, ac tali arte, vt omnes aliquo modo participent ſaltem diuerſis temporibus de commodis abſque eo, quòd generetur ſeditio, quia, vt benè dicit S. Antonin. vbi ſup. *Multos cumulare honoribus, ac dignitatibus, alijs verò parum, aut nihil diſpenſare, generat diſcordiam*: è contra, æqualiter diſpenſare honores, ac dignitates ſaluat Rempublicam, teſte D. Thom. 5. polit. lect. 6. *Reſpublica ſaluatur propter communicationem ſecundùm aliquam proportionem*: quarè illa vota, quæ ſub nomine pacis ad æqualitatem factionum poſſunt cõferri, ſub nomine belli præſtabuntur; vndè damna paulatim, ac ſenſim ſine ſenſu ſuſcitabuntur, teſte Prouincia, de qua loquimur.

Dicet tandem quis aliqua ſagacitate ſciẽtiæ ductus, ne dicam deſiderio dominandi, ac regnandi, videntur diuerſa ſtatuta nonnullarum Religionum, etiam à ſede Apoſtolica confirmata, quæ ordinant huiuſmodi electiones. Reſp. quòd, cum nos loquamur de diuiſione, quæ incipit ſerpere in communitate ob deſiderium dominandi, ac regnãdi, nullo modo tutè dici poteſt ſtatuta eſſe ordinata pro talibus electionibus, quia eſſet incidere in illud, quòd fouetur ambitio firmando, ac formando ſeditionem in boni publici detrimentum; ideò ſtatuta illa videntur ſancita in fauorem vnionis omninò diſruptæ; vndè fuerunt illa putata neceſſaria ad euitanda maiora mala ob malum diuiſionis tam inueteratum, vt nequeat temperari illud, niſi erigendo quandam pacem habentem pro baſe diuiſionem: aduertit tandem Bann. vbi ſupr. quòd huiuſmodi leges non debent condi frequenter, aliàs communiter beneficia quaſi ad ius hæreditarium reducerentur, & diſſidioſi eligendi eſſent, eò quòd iam eſſet lege firmatum, qui deberent eligi.

## DVBIVM XXIX.

*An Generalis mittere teneantur iuxta petitionem partis læſæ Viſitatorem pro eius ſubleuatione, quandò ipſe eam adire non poteſt.*

### SVMMARIVM.

1. *Prælati maiores tenetur reddere rationem de grauamine ab inferioribus Superioribus illato ſubditis; ideò frequenter debent deſtinare Viſitatores ad viſitandas Prouincias.*

2. *Duplici motiuo pars oppreſſa exponere poteſt*

*poteſt petitionem Viſitatoris apud Generalem; quorum primum damnatur.*

*3. Profeſſio Religioſorum eſt quidam contractus; ex hac enim ſoluuntur multi caſus.*

*4. Generalis annuere tenetur tempore congruo petitioni partis oppreſſæ, dum iuſte apud eum poſtulat Viſitatorem: & euidam obiectioni ſatisfit.*

1. Dubium mouetur, hoc præſuppoſito, quòd homines factioſi oolint modo deſcripto vnitati, ac paci adhærere. Prò intelligentia ergo ſit prim. not. quòd Emm. Rodriq. tom. 2. quæſt. 4. art. 1. quærit: an Generales ſint obligati mittere Viſitatores ad Prouincias viſitandas: affirmatiuè ex multis cōcludit. Ratio videtur eſſe, & fundatur in multis legibus, quia, cum Princeps reddere teneatur rationem de grauamine illato ſubditis à ſuis officialibus; ideò eorum ſyndicatus fuit adinuentus; vndè in Euangelio Luc. 16. habetur, vt vnuſquiſque reddat rationē villicationis ſuæ: hinc colligit art. 2. iuxta decreta Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c. 1. & tradita à Nauarr. c. Nullum. n. 24. & 34. quòd opus eſt in Religionibus adeſſe frequēter Viſitatores ex eodem Ordine, qui intentiones fratrum diligenter inquirant, quibus denuntietur, quæ in capite, & in membris corrigenda videantur: quaſi dicere vilit; ad Viſitatoris munus non ſolùm ſpectat grauia delicta punire, eaque in futurum præcauere, ſed Religioſorum animos indagare, ne artificijs, alijſque medijs ab ambitione inuentis regimen diuidant, & homines in factiones, & ſchiſmata diſpergant.

2. Not. ſec. quòd duobus modis à parte oppreſſa requiri poteſt Viſitator apud Generalem. Prim. noo ſolùm pro eius ſubleuatione, ſed ſimul cum oppreſſione alterius partis, ita vt Viſitator tollat regimen è manibus partis opprimētis, & perenti tribuat; id nullo modo tuta conſcientia poteſt fieri, quia intendi lædere alteram in bonis, ad quæ habet ius, & pacem conturbare, nec non & vnionem dirimere in maximum Religionis damnum, imò hoc videtur tyrannicum ex mēte Tabien. tit. ſeditio in ſio. Sec. ad tollendam oppreſſiooem, quam patitur à parte regnante ad ſeruandam æqualitatem in bonis Religionis, & ad pacem introducendam, hoc noo videtur illicitum; nec conuentio, quæ fit contra Superiores regnantes, poteſt dici conſpiratio à lege prohibita, vt ex multis Canoniſtis notat Emman. Rodriq. vide etiam Decianum de ſeditioſis. lib. 7. cap. 19. o. 18. tom. 2.

3. Not. tert. quòd, quandò Religioſus emittit profeſſionem in Religione approbata, initur quidam contractus tacitus inter Religionem, & Religioſum, ita vt iſte ſe transferat in poteſtatem, & ius Religionis ad obſequium Ordinis, faciens ſe membrum illius, & teneatur omnia opera ſua in Religionis fauorem impendere, & obedire Superioribus intra promiſſæ obedientiæ terminum: & pariter Religio ſe obligat ad illum tractandum tanquam filium, eique prouidēdum de neceſſarijs tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, tribuens quoquè omne ius tam paſſiuum, quàm actiuum in omnibus electionibus, ac officijs. Ita Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 41. dub. 8. n. 67. Llamas 3. p. met. ca. 13. §. 14. Peirin. de Prælato quæſt. 1. c. 5. §. 1. num. 88. Ex qua doctrina obiter poſſunt reſolui multi caſus facillimē occurrentes, ſcilicet quandò Superior neceſſaria ſubdito negat quoad victum, & veſtitum iuxta Religionis paupertatem, peccat mortaliter, & poteſt tunc ſubditus aliundè ſibi prouidere abſque labe peccati contra paupertatis votum, quia ſuum recipit, & non alienum, nec actum dominij exercet, quia tali pacto votum emiſit. Petr. Nauarr. lib. 3. de reſtit. c. 1. nu. 196. Rodriq. tom. 3. quæſt. 29. art. 10. Sanch. ſumm. lib. 7. cap. 19. num. 54. videatur etiam Caſtr. Palaus p. 3. de obedient. diſp. 3. punct. 23. num. 10. ſcilicèt quandò Prælati negant ſtudium Religioſo benemerito, peccant etiam lethaliter, quia eius ius in re graui læditur, niſi aliter poſtuler bonum commuoe: quandò Prælati ſubditis negant Lectoratum, alioſque gradus præſeferentes diſpoſitiones pro maioribus dignitatibus, timentes, ne ſibi locum arripiant, vel per paſſionem, ſeù indignationem, ne aſcendant, caputque extollant, peccant mortaliter, & propter rationem relatam, & propter damnum, quod infertur Religioni, & propter ambitiooem cum alterius oppreſſione.

CON-

*CONCLVSIO.*

4. POteſt pars oppreſſa contra factionẽ imperantem Viſitatorem à Generali petere iuxta ſecundam acceptionem in ſec. not. deſignatam; Generalis verò annuere poſtulationi tenetur, ac tempore congruo Viſitatorem pro eius ſubleuatione mittere. Prima pars ſuadetur: quicumq; grauatur, & aliquod incommodum patitur, pro ſua ſubleuatione poteſt recurrere ad Superiorem, cuius munus eſt vnicuique reddere, quod ſuum eſt: ſed pars oppreſſa magnum patitur incommodum in rebus, quæ de iuſtitia ei debentur: ergo recurrere poteſt ad Prælatos, vt damnum tollant, ac grauamen abſcindant; vndè dicit Mirand. tom. 2. qu. 24. art. 1. concl. 2. quòd vnuſquiſque poteſt confugere ad Superiores, cum aliquod patitur damnum, & incommodum, veluti ad quandam animatam iuſtitiam, quorum iudicium debet procedere ex habitu, & inclinatione iuſtitiæ, qua quis propendet, & inclinat ad hoc, vt, quod ſuum eſt, reddat vnicuique: doctrina quippè deſumpta à D. Thom. 2.2. quæſt. 61. art. 1. qui refert auream ſententiam Ariſt. 5. ethic. 4. aſſerentis, quòd *homines ad Iudicem confugiunt ſicut ad quamdam iuſtitiam animatam*: & 5. polit. lect. 8. ait idem Sanctus: *Officium Regis eſt eſſe cuſtodem iuſtitiæ; & ideò recurrere ad Regem eſt recurrere ad iuſtum animatum, & hoc apparet, quia Rex intendit bonum commune cuſtodire, & ſeruare; hoc autem non poteſt niſi ſit cuſtos iuſti; & ideo officium ſuum eſt, vt ſit cuſtos iuſti*. Prætereà, qui opprimitur ab Imperio tyrannico iuſtè curare poteſt, vt è collo oppreſſionis iugum excutiat: ſed pars reclamãs opprimitur ab huiuſmodi Imperio, dicente S. Thom. 2. 2. quæſt. 40. art. 2. ad 3. *Magis autem ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias, & ſeditiones nutrit, vt tutiùs dominari poſſit; hoc enim tyrannicum eſt, cum ſit ordinatum ad bonum Præſidentis cum multitudinis nocumento*: igitur contra factionem imperantem poteſt recurrere ad Generalem pro Viſitatore, vt liberetur ab Imperio tyrãnico. Sec. pars quoquè ſuadetur, quia ſi de qualibet iniuſtitia, quam ex malo regimine Superiorum inferiorum patiuntur ſubditi, tenetur ſupremus Prælatus rationem ante Deum reddere: ergo, ne iſtud onus ante tribunal ſummi Iudicis ferat, tenebitur petitioni partis læſæ annuere Viſitatorem deſtinando. Addo, quòd Generalis munus eſt præcauere clamores, ac tumultus, qui morali probabilitate ſunt orituri: ſed ſi negàret Viſitatorem ad petitionem partis læſæ, non ſatisfaceret ſuo muneri, cum certè ſint oritura prędicta incommoda, quia inquit S. Thom. 1. de regim. Princp. c. 10. *Tyrannorum verò dominium diuturnum eſſe non poteſt, cum ſit multitudini odioſum; non poteſt enim diu conſeruari, quod votis multorum repugnat*: vndè quaſi ab ipſa natura coacta, quæ longo tempore pondus repugnantiæ ferre nequit, ipſa pars oppreſſa tandè in murmurationes, clamores, ac tumultus proſiliet vſque ad ſuprema tribunalia: vt notat Rodriq. tom. 2. qu. 1. art. 1. igitur, vt muneri Prælaturæ ſatisfaciat, tenebitur etiam ſatisfacere petitioni tempore congruo Viſitatorem deſtinando. Tandem tertia pars probatur ex vi contractus initi per profeſſionem inter Superiorem, & ſubditum; vterque tenetur ad ea, quæ fuerunt contracta; aliàs tanquam iniuſtus habendus eſt contractus: at Superiores illius Prouinciæ negant ea, quæ fuerunt tacitè promiſſa parti oppreſſæ: ergo Superior maior, in quo pro bonorum diſtributione ſpecialiter Religio reſidet, ea, quæ ad iuſtitiam contractus ſpectant, concedere debet: ergo Viſitator ſecundùm æqualitatem deſignatã vſque ad remedium adhibendum à tota Religione pro factionum extinctione obſtringitur ad ſubleuandam partem opreſſam: percipe, quæſo, Generalis ea, quæ egregiè dicit Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 1. pro tuo munere rectè gerendo: Quandò Generalis deputat Viſitatorem pro viſitatione alicuius Prouinciæ, tenetur non ſolùm deputare virum ſcientia, & experientia ornatum, ſed etiam ſegregatum ab omni affectione humana, vt poſſit malos coercere, & diuiſos in vnum congregare, geſtando in manu ſtaterã, quæ non declinet neque ad dexteram, neque ad ſiniſtrã, ſed vnicuique det, quod ſuum eſt; contrarium facientes non ſunt appellandi Iudices, cum ſint partiales, & fautores factionum, & ſeditionum, prout in iure ſolent appellari, iuxta Baldum, ſpeculatorem, & Auendanũ.

Dices.

Dices, hujuſmodi poſtulatio aduerſatur perfectioni Religioſorum, quæ contemptũ omnium honorum docet; & cum ad Generalem ſpectet homines ad illam promouere, conſequenter non debet partis læſæ poſtulationi annuere Viſitatorem deſtinãdo. Reſp. prim. eſſe argumentum patientiæ, vt dixi in 3. dub. & ideò nullius roboris: vide ea, quæ ibi dixi. Sec. cum de duobus malis minus ſemper ſit eligendum, minus quippè malum eſt petitionem admittere (ſi eſſet) cõtra perfectionem, quàm permittere dominium in parte regnante in malo ſtatu ob adminiſtratum regimen cum aliorum oppreſſione, & propter ſeditionem, quæ conſeruatur, & propter mala, quæ continuò ſuſcitantur.

## DVBIVM XXX.

*An Viſitator teneatur partem oppreſſam ſubleuare, pœnas debitas infligere illis, qui iuſtitiam diſtributiuam læſerunt, & curare, vt in omnibus electionibus, ac officijs, quantùm fieri poteſt, æqualitas ſeruetur.*

### SVMMARIVM.

1. *Deſignatæ definitione iuſtitiæ, eiuſq; diuiſione oſtenſa, oſtenditur Prælatũ obligari ad punienda delicta.*

2. *Deſignatis etiam tribus gradibus ſciẽtiæ, demonſtratur, quibus perſonis ſinguli conueniant: & ſoluuntur multi caſus.*

3. *Habetur Viſitatorem teneri pœna debita punire eos, qui læſerunt iuſtitiam diſtributiuã, ac obligari ad oppreſſos ſubleuandos, nec non ad diſpenſandum, quantùm in ſe eſt, æqualiter omnia bona Religionis.*

1. Not. prim. quòd Iuſtitia, vt optimè notat D. Ambroſ. lib. off. cap. 23. eſt virtus quædam moralis, quæ, quod ſuum eſt, reddit vnicuique: idem dicit S. Auguſtin. de libr. arbitr. lib. 1. ca. 13. & lib. de quantitate animæ. cap. 9. & Bellarm. de Princip. Chriſt. lib. 1. cap. 1. vndè dicitur Sap. 1. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram:* hinc idem S. Auguſtin. 2. de Ciuit. c. 21. ait: *Rempublicam regi, aut ſtare non poſſe ſine iuſtitia:* prætermiſſo membro commutatiuæ diuiditur aliud membrum diſtributiuæ in remuneratiuam, quæ prœmia diſtribuit ſecundùm merita, & in punitiuam, quæ delicta ſine debita pœna non relinquit: tenetur ergo Prælatus delicta punire, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 4. Mirand. tom. 2. quæſt. 5. art. 5. concl. 3. & omnes alij DD. quia ad bonum publicum ſpectat, vt mali homines ſint puniti, & leges obſeruentur, quia etiam inquit Gellius lib. 6. ca. 14. vt malefactor attentior, correctiorque fiat, vndè Suarez 3. de Relig. lib. 2. cap 18. num. 9. ex Vaſquez dicit, quòd in Prælatis debet eſſe aliqua iuriſdictio coactiua, quia ſine illa nequit hominum congregatio ſufficienter gubernari; quarè non lethali culpa vacabit diſſimulans delicta ob pigritiam, vel verecundiam, vel ob metum in inimicitias incurrendi, ne impediatur à conſequutione alicuius boni, vel amiſſione alicuius rei. Ita Peirin. de Prælat. quæſt. 1. cap. 7. num. 15.

2. Not. ſec. quòd ad rectè iudicandum, & puniendum eſt neceſſaria ſcientia; ideò Prælatus regularis debet eſſe vir literatus, vt habetur ex pſalm. 2. *Erudimini qui iudicatis terram:* & Exod. 18. *Prouide ex omni tribu viros ſapientes, & conſtitue ex eis tribunos:* & ex Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reform. c. 3. tres autem gradus ſcientiæ communiter enumerant DD. Primus eſt, quo quis ſcit definere, explicare difficillimas quæſtiones pertinentes ad ſuum munus, & hæc appellatur ſcientia eminens. Sec. quo quis ſcit enodare eas, quæ communiter occurrunt, quamuis non obſcuriſſimas, & difficillimas, & nuncupatur mediocris. Tertius, quo quis poteſt ſatisfacere ſuo muneri authores legendo, Doctores conſulendo, & de eis, quæ neſcit, vel de dubijs interrogando, & appellatur ſcientia idonea, & ſufficiens. Innoc. cap. Cum in cunctis. de elect. num. 2. Azot. p. 2. lib. 6. cap. 7. quæſt. 3. & alij. Prima conuenit Generali, vt ait S. Thom. in addit. 3. p. quæſt. 36. art. 2. *ad Superiores Sacerdotes, ſcilicet Epiſcopos pertinet, vt etiam ea, quæ difficultatem in lege facere poſſunt, ſciant, & tantò magis, quantò in maiori gradu collocantur.* Sec. ſpectat ad Prouincialem, quia, licèt debeat exercere omnia officia in ſua Prouincia, quæ Generalis in tota Religione; nihilominus

nùs non tam ardua, & paſſim ei occurrunt, vt Generali. Tert. pertinet ad Priorem, ſeù Guardianum, quia pauca negotia ei occurrunt, quæ facillimè, enodare non poſſit: verùm defectus huius ſcientiæ in Prælato minori poteſt ſuppleri diuturno vſu, & longa experientia, etiamſi grammaticam, & linguam latinam penitus ignoret. Azot. vbi ſupr. quæſt. 6. Reginald. in prax. lib. 1. tr. 3. n. 123. Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub. 60. n. 3. ardens quoquè charitas, vitæ morumque probitas poſſunt ſupplere ſcientiæ defectum. Angel. titul. Clericus. 2. n. 4. fin. Silu. eod. tit. n. 1. dict. 1. Peirin. de Prælato. quæſt. 2. c. 2. n. 33. addo, vbi deſunt literati, illiterati poſſunt eligi in Guardianos, & Priores. Maiolus lib. 1. de irreg. c. 30. n. 9. Menoch. de arb. lib. 2. caſu 425. n. 44. vbi verò nulla ex dictis cauſis intercedit, nequit cum illiteratis diſpenſari, vt ad dignitates aſſumantur. Maiol. loc. cit. n. 13. Diaz in prax. c. 21. n. 5. Concludo, quòd in conuentibus paruis poteſt eligi iuuenis non probatus ad faciendum de eo experimentum, probato poſtpoſito, quia niſi quis probetur, nũquam dici poteſt probatus. Peirin. de Prę-lato quæſt. 2. c. 3. §. 15. n. 133.

*C O N C L V S I O.*

3 VIſitator tenetur punire eos, qui non ſeruauerunt iuſtitiam diſtributiuam, oppreſſos ſubleuare, & curare, vt in omnibus, quantùm moraliter fieri poteſt, officijs, cæteriſque bonis æqualitas ſeruetur. Prima pars ſuadetur, quia ſuperiùs dictum eſt, quòd Prælatus tenetur punire delicta, tum quia ad bonum commune Religionis ſpectat, vt mali homines ſint puniti, tum quia vt malus fiat attentior, & correctior, quantò magis delictum iſtorum partialium eſt puniendum, quod appellari poteſt vitium vitiorum, ex quo omnia mala enarrata exoriuntur; quarè aiebat S. Thom. 1. ad Corint c. 11. *Primum malum communitatis eſt diſſenſio, vndè cætera oriũtur, vbi enim eſt diſſenſio, nihil rectum eſt*: nam huiuſmodi punitio propriè ſpectat ad bonum Prouinciç, & multùm ſpectat ad pacem introducendam, vt iſti fiant attentiores, & correctiores, & ſint in exemplum aliorum. Recordentur Prælati, quòd in hoc multùm eſt inſiſtendum, quia aduertit Decian. lib. 7. de ſeditioſis. c. 19. *Quòd ſerpunt ſenſim ſeditiones, & quod ſanum eſt, in Republica vitiant*: Sec. pars probatur: Prim. ex Iſai. 1. *Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, &c.* Sec. quia, vt dicit Mirand. tom. 2. quæſt. 5. art. 5. propriiſſimum Iudicum, & Prælatorum munus eſt puſillos à potentibus protegere, eripere, atque defendere. Tert. quia nihil ſui, vel alienum eis præſtabit, ſed concedet ea, quæ profeſſionis contractu acquiſierunt cum Religione, ad quæ tenetur Superior. Tertia pars habetur ex præcedentibus dubijs, ſed præſertim quia pax, & tranquillitas Reipublicæ, per quæ conſeruatur, oriuntur ex æqualitate, quæ reperitur inter ciues; ſicut enim humanum corpus, cum humores ſunt in æquali proportione nec vnus alteri, niſi ſecundùm quod par eſt, præponderat, vel dominatur, conſeruatur in pace, & ſanitate; ita Religionis ſalus, & pax, atque conſeruatio in iſta Prouincia orientur, quandò honores, ac onera iuſtitia Prælati æqualiter, quantùm fieri poteſt, diſpenſabit: percipe Prælate doctrinam D. Thom. de regim. Princ. lib. 4. cap. 3. alibi relatam: *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens, quæ quidem ſiue legalis, quæ dominatum iuſtum vocatur à Philoſopho, ſiue diſtributiua, ſiue commutatiua, quæ partes iuſtitiæ omnes ſunt politicæ in Ciuitatibus; & præcipuè neceſſariæ, imò ſine eis exerceri non poſſunt, vt Philoſophus tradit in 5. ethic. nec Ciuitates conſeruari*: & 5. polit. lect. 6. ait: *Sola Reſpublica eſt benè manſiua, in qua obſeruatur æquale ſecundùm dignitatem, & traditur vnicuique, quod ſuum eſt*: audiamus S. Ambroſ. lib. 2. de off. cap. 19. tom. 4. *Claret ergo, quoniam & æquitas Imperia confirmet, & iniuſtitia diſſoluat; nam quomodò poteſt malitia Regnum poſſidere, quæ ne vnam quidem priuatam poteſt regere familiam? ſumma igitur benignitate opus eſt, vt non ſolùm publica gubernacula, ſed etiam priuata iura tueantur*: Adde: *Qui autem*, inquit Cicer. 1. de offic. *parti ciuium conſulunt, & partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in Ciuitatem inducunt, ſeditionem, & diſcordiam*: ergo à contrarijs, qui omnibus partibus conſulit æqualiter diſpenſando honores, & onera, rem optimam extendit in Rempublicam, pacem ſcilicet, ac vnitatem; quarè Prælati omnes

atten-

attendere, & meditari debent illam auream ſententiam Chriſoſt. homil. 32. ad Corint. 1. *Quomodo magna non omnibus Deus donauit omnia, ſed illis quidem hoc, his verò illud, ita etiam fecit in minoribus, ne his quidem omnibus propoſitis, hoc autem fecit magnum ex eo ædificans conſenſum, & charitatem, vt vnuſquiſque opus habens proximo ad fratrem congregetur, hoc & Deus adminiſtrauit in artibus, hoc eſt in elementis, hoc & in plantis, & in membris noſtris, & vt ſemel dicã in omnibus:* nota (*in omnibus*) quaſi dicere velit, in regiminibus etiam hoc eluceſcit; nam Deus ſingulis diſpenſauit aliquod talentum, vt adminiſtratores à meritis coacti iuxta eorum proportionem honores, dignitates, officia, atque onera diſtribuerent, vt ex his vnitas, ac concordia tanquam fundamenta boni communis, & regiminis ædificarentur. Aduertant Viſitatores, quòd poſſunt per cenſuras, aliaſque pœnas coercere partes diuiſas ad concordiam, & vnionem: videre ea, quæ notantur à Marc. Anton. Genuenſ. man. Paſt. cap. 43. num. 1. Bellet. diſquiſit. Cleric. tit. de diſcord. Cler. §. 11. num. 96. Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 79. num. 1.

## DVBIVM XXXI.

*An Viſitator teneatur capita factionum, præſertim quæ Prælaturis fruuntur, à concurſu in electionibus remouere, & è Prouincia, ſi opus erit, expellere.*

### SVMMARIVM.

1. *Sicut naturale eſt homini viuere inter multos, ita etiã naturale eſt ſocietati, vt regatur, & Regentis finis eſt curare hominum ſalutem, quæ per vnitatem, & pace conſequitur.*

2. *A ſummo Deo elabitur omnis poteſtas; & ſatisfit cuidam obiectioni.*

3. *Varijs rationibus oſtenditur factionum capita à cõcurſu in electionibus remouẽda, nec nõ è Prouincia, in qua morantur, expellenda eſſe.*

4. *Cuiuſdam Authoris proclamatio pro extinctione factionum capitum extenditur: & duæ obiectiones diluuntur.*

Not. prim. non ignorari huiuſmodi ignẽ diuiſionum, ac ſeditionum difficillimè poſſe à Viſitatore extingui, quia, vt benè notant Decianus, & Rodriq. imò Gregor. Nazianz. in dub. 16. relati colore zeli iuſtitiæ, & boni regiminis, nec nõ & Religionis eſt accenſus, & radicatus, ita vt in omnibus ardeat quædã flamma zeli, quæ illicò ad interrogationem Superioris in omnium ore efferueſcit, & vibrat ad eam extinguendam; non ideò tamẽ, eximitur à cõgruis medijs pro eius extinctione, à monitionibus ſcilicet demonſtrando factionarijs ſtatum damnationis, in quo ſub ſpecie zeli ſunt inuoluti, à cohortationibus ad pacem, vt vult Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 3. de reform. ſed nec ab illo potentiſſimo remedio, nimirum abſciſſione capitum à concurſu in electionibus, vt rectè inſinuat Gratian. 2. qu. 7. Præſumunt. c. Si quid. c. Metropol. & c. Inquit. vbi. *Sicut laudabile, diſcretumque eſt reuerentiam, & honorem debitum exhibere Prælato; ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi quæ inter eos correctione indigent nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum, quod abſit, corpus incipiat morbus inuadere, ſi languor non fuerit curatus in capite.*

1. Not. ſec. quòd propter multas, variaſque rationes, ita ordinante diuina Prouidentia, neceſſarium fuit hominem naturaliter in multorum ſocietate vitam degere, vt inſinuat D. Thom. 1. de regim. Princ. cap. 1. vndè etiam opus fuit multitudinem regi, atque gubernari, vt idem Sanctus teſtatur: *Si ergo*, inquit, *naturale eſt homini, quòd in ſocietate multorum viuat, neceſſe eſt in hominibus eſſe, per quod multitudo regatur*: & id videtur eſſe ei naturale, vt oſtendit idem Sanctus vbi ſupr. lib. 3. cap. 9. hiſce verbis: *Sed vtrùm dominium hominis ſuper hominem ſit naturale, vel à Deo permiſſum, vel prouiſum, ex iam dictis veritas haberi poteſt, quia ſi loquamur de dominio per modum ſeruilis ſubiectionis, introductum eſt per peccatum, ſed ſi loquamur de dominio, prout importat officium conſulendi, & dirigendi, iſto modo quaſi naturale poteſt dici, quia etiam in ſtatu innocentiæ*

*centia fuiſſet, &c.* Intentio ergo eius, qui præeſt, dirigi debet ad ſalutem hominum procurandam, vt idem Doctor affirmat vbi ſupr. lib. 1. c. 1. & tunc id conſequetur, quãdò finis regiminis, quod eſt bonum vnitatis, & concordiæ, conſeruabitur, & ſi deperditum fuerit, ſolicitè excitabitur: bonũ dico vnitatis ſummæ excellentiæ, ac eximię virtutis; *Meritum*, iniquit Aguſt. in Append. de diuerſis. ſerm. 57. tom. 10. *Chriſtianæ virtutis vileſcit in cunctis, ſi vnitatem non habet pacis*: quarè cogor dicere cum Lactant. Firmian. lib. de ira. cap. 12. illam eſſe donum Dei è Cœlo pro hominum vtilitate elapſum: *Timor Dei*, inquit Lactantius, *ſolus eſt, qui hominum ſocietatem inter ſe cuſtodit*: & cum omnis poteſtas ſit à Deo, vt ad Roman. 13. dicit Paul. ſequitur, quòd, qui gerunt Regentis poteſtatem, ſint Vicedei in terra, vt ſcribit S. Thom. vbi ſupr. lib. 2. cap. 16. & miniſtri ſupremi Imperatoris, ſubdit Paul. Quamobrem fideles miniſtri Imperantis non erũt, niſi toto conatu curent, vt hominum vnitas ſeruetur, vt monet S. Thom. vbi ſupr. lib. 1. c. 2. ex illo Paul. ad Epheſ. 4. *Solicitiſitis ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.*

2. Dixi, & hoc ſit tert. not. cum Paulo, omnem poteſtatem, qua fruuntur homines in terra, à Deo elabi; nihilominus huic ſacro textui alius textus obſtare videtur, & eſt Oſeæ 8. dicentis. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, Principes extiternt, & non cognoui*: quorum loca ſubtili explicatione enodat, & concordat S. Thom. ad Roman. cap. 13. lect. 1. *Ad hoc dicendum eſt*, inquit, *quòd regia poteſtas, vel cuiuſcumque alterius dignitatis poteſt conſiderari quantum ad tria: vno quidem modo quantum ad ipſam poteſtatem; & ſic eſt à Deo, per quam Reges regnant, vt dicitur Prouerb. 8. alio modo poteſt conſiderari, quantùm ad modũ adipiſcendi poteſtatem, & ſic quandoquè eſt à Deo, quando ſcilicet aliquis ordinatè poteſtatem adipiſcitur ſecundùm illud ad Hebr. 5. Nemo ſibi honorem aſſumat, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; quandoquè non eſt à Deo, ſed ex peruerſo hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumque alio illicito modo poteſtatem adipiſcitur. Amos 6. Numquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua? Tertio modo poteſt conſiderari quantum ad vnum ipſius, & ſic quandoquè eſt à Deo, puta cum aliquis ſecundum præcepta diuina Iuſtitiæ vtitur conceſſa ſibi poteſtate ſecundum illud Prouerb. 8. Per me Reges regnant, &c. quandoquè autem eſt à Deo, puta cum aliqui poteſtate ſibi data vtuntur contra diuinam Iuſtitiam ſecundùm illud pſalm. 2. Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenetur in vnum aduerſus Dominum, &c.* hæc D. Thom.

*CONCLVSIO.*

3. FActionum capita à concurſu in electionibus remouere, & è Prouincia, ſi opus erit, expellere debet Viſitator. Suadetur prim. de ratione intrinſeca muneris miniſtrorum Dei in aſſumpta poteſtate pro animarũ regimine eſt, vt ſoliciti ſint inter homines ſibi ſubiectos cõcordiã, vnitatémq; ſeruare; vt vult D. Paul. vbi ſupr. quæ, ſi ſunt deperditæ, per Regentis induſtriam ſunt procurandæ, vt dicit S. Thom. de regim. Princip. lib. 1. cap. 15. ſed huiuſmodi capita factionum in aſſumpto regimine, induunt perſonam miniſtrorum Dei; ergò ad ea ſpectat ſolicitè vnitatem ſeruare, ac induſtriosè, ſi eſt deperdita, eam procurare: ſed ſic eſt, quòd ab ipſis vtrumque munus negligitur, imò ſolicitè diſcordias ſeminant, & exortas induſtriosè nutriunt; igitur Viſitator ſolicitus debet eſſe ea expellere in electionibus à concurſu, & ſi opus erit, à Prouincia tanquam miniſtros non rectè, ac fideliter ſui Domini negotium tractantes. Sec. non ſolùm ratio miniſtrorum Dei petit, vt vnitas in populis procuretur, & ſeruetur, ſed vt in eos extendatur, vt ſint inter ſe concordes in tradenda doctrina pro ſubditorum inſtructione, & in vnitate ſpiritus vnanimiter viuant, vt habetur ex verbis Dei Moyſi traditis, poſtquam congregari iuſſit ſeptuaginta ſeniores: *Auferam*, inquit, *de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non ſolus graueris.*

Num.

Num: 11. cur de ſpiritu Moyſis partitus eſt, qui immenſis cœleſtium gratiarum theſauris abundabat? optimè ad rem noſtram D. Petr. Damianus in libello gratiſſimo. cap. 14. *De ſpiritu Moyſi vires dediſſe Dominus dicitur, vt & ordinatores, & ordinatos vnum debere ſpiritum habere perſpicuum doceatur, quatenus Rectores Eccleſiæ nequaquam inter ſe diuerſa ſentiant, vndè ſchiſmata, aut hæreſes peſtilenter emergant, ſed vnum omnes concorditer doceant, atque in vnitate ſpiritus vnanimiter viuant*: ſed huiuſmodi capita factionum diuerſis dogmatibus ſubditos imbuunt docentibus ſub ſpecie zeli diſſidia nutrire, factioneſque conſeruare, & longè viuunt ab vnitate ſpiritus inter ſe, ſed in medio ſunt tanquam capita iurgiorum, diſcordiarum: igitur quis non concludet eſſe à concurſu remouenda à Viſitatore? Tert. qui poteſtate vtitur non conceſſa à ſummo Datore, non eſt dignus fungi officio, cui eſt annexa huiuſmodi poteſtas: ſed tales homines circa animarum regimen ftuuntur poteſtate, prout in ſecunda acceptione tertij modi à D. Th. vbi ſupr. in tert. not. deſignati, quæ elapſa è Cœlo non videtur eſſe; nam ſuis functionibus non fauent iuſtitiæ commutatiuæ, neque fouent iuſtitiam diſtributiuam, quæ incolumen ſeruant Rempublicam, vt dixi in præcedent. dub. ex mente S. Thom. igitur tali officio merentur priuari, ne inſurgat talis inordinatio, quòd poteſtas ſit à Deo, & eius vſus ab authore diſcordiarum. Quart. ſuadetur ex Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de Regul. vbi dicitur, quòd à Prælatis Regularium ea, quæ ſpectant ad ſubſtantiam vitæ regularis relaxari non poſſunt; ſi enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamentum totius regularis diſciplinæ, diligenter non fuerint conſeruata, totum corruat ædificium neceſſe eſt: ſed factionum capita ſuis doctrinis, & malis exemplis à corpore Prouinciæ vnitatem reſecant, pacemque euellunt, quæ ſunt baſes, & fundamentum, ſuper quæ firmatur, & erigitur tota perfectionis machina, vt inſinuat D. Bernard. lib. 2. de conſiderat. ad Eugen. ex illo Chriſti Domini Ioann. 21. quandò vniuerſas oues ſuas vni Petro commiſit: *Committens*, inquit, *vni vnitatem omnibus cõmendauit, vbi vnitas ibi perfectio*: ergo, ne quamprimum totum perfectionis ædificium corruat, remouenda ſunt à concurſu in electionibus, & ſi opus erit, etiam è Prouincia expellenda. Quint. ſuadetur ex D. Hieron. ſup. Ezech. à Gratiano lib. 4. reſecando 24. quæſt. 3. relatus, & ex Vlpiano Iuriſc. l. Congruit. ff. de off. Præſid. Primus, inquit, *reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, & intereant*. Secundus ait: *Congruit bono communi, & graui Præſidi curare, vt pacata, atque quieta Reſpublica ſit, quam regit, quod non difficilè obtinebit, ſi ſolicitè agat, vt malis hominibus Prouincia careat, eoſque conquirat*. Et ratio ſatis manifeſta videtur, quia Prælatus tenetur Prouinciam vitijs expurgare; nequit in membris ob multitudinem: ergo ſaltem in capite, vt mos eſt apud omnes: vide ea, quæ dicit Decianus vbi ſupr. & percipe exemplũ ex ſacra Scriptura Num. 25. Omnes Iſraelitæ grauiſſimè peccarunt, dum à fœminis Moabitis prouocati in luxuriam, & idololatriam corruerunt; & nihilominus eorum tantùm Principes puniuntur: *Tolle*, inquit Deus ad Moyſen, *cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael*: ſupra quem locum inquit Oleaſter: Non eſt credibile viros ad regimen populi electos tale facinus perpetraſſe; quarè ergo Deus abſque culpa iubet eos ſuſpendi? attende reſponſionem Petr. Damiani lib. 4. epiſt. 15. *Quid eſt*, inquit, *quòd populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpoſitos vindicatur? ſubditi delinquunt, & Principes in patibulis ſuſpenduntur? alius eſt, qui peccat, alius, qui vapulat; vndè hoc? niſi quia culpa ſubditorũ in Præpoſitorum redũdat opprobrium, & quod ab omnibus erratur, negligentiæ Paſtoris adſcribitur*: ſi ergo iſti Principes temporales ob negligentiam, quæ permiſit in luxuriam corruere populum, ſuſpenduntur; tantò magis capita factionum Principes regiminis ſpiritualis non ob negligentiam, ſed ob facinus factionum, in quo tanquam capita ſunt inuoluta, debent ſuſpendi, ideſt interdici ſuffragio tam actiuo, quàm paſſiuo in electionibus, atque expelli è Prouincia ad omnium terrorem: nonnulli verò volunt, quòd iſti Principes ſimul cum populo peccaſſent; & ideò iubentur ſuſpendi contra Solem, vt pęna ſit publica, ſicut & peccatum, & ad

terrorem aliorum. Ita Lytanus num. 25.

4. Ad vos, ò Superiores maiores, ſe conuertit Hieron. Peirin. de Prælato quæſt. 2. cap. 3. num. 20. hiſce grauibus verbis: Obſecro vos Religionum capita per ſanguinem Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri, vt capita taliũ factionum euellere non tardetis, eaque in malam crucem amandetis; veſtrum ipſorum eſt ſubditis pacem facere; vndè Philo lib. de leg. ad Cai. col. 8. aiebat: *Quid autem optari poteſt pace melius? pacem verò prouenire ex benè adminiſtrato Imperio, id verò non poſſe verè adminiſtrari, niſi abſque contentionibus Principum, quia ceſſantibus omnia manere in officio*: nec vos moueat perſonarum grauitas, nec cani debita reuerentia; nam ignobiliſſimi, & viliſſimi ſunt, qui legem Dei cum proximi ſcandalo peſſundant, vt iſti, & cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata, & ſola virtus, & non clementa æſtimanda: nec frangimini potentum precibus, ad quos tanquam ad aſylum, vt ſe in iſta tyrannide conſeruent, ſemper confugiunt iſta factionum capita; nam ſcriptum eſt Eccl. 7. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*: nihil non facite, vt has in malo congregatas ſocietates diſſipetis, diſpergatis, annihiletis, vt pacem veram, concordiam ſanctam, charitatem perfectã veſtris Religionibus reſtituatis: hæc Peirinus. A fratribus Eremitarũ S. Auguſt. fortè hoc remediũ hauſit; nam p. 6. c. 11. habentur hæc verba: *Vt autem paci, & vnitati Ordinis conſulatur, præcipimus, & inuiolabiliter obſeruari mandamus, vt illi, qui inuenti fuerint eſſe tanquam duces, & capita factionum, diuiſionum, ſeù partialitatum in conuentu, vel Prouincia aliqua, ſeù in ipſo Ordine, ſi de hoc conuicti fuerint, vel ſi probabiliter fuerint ſuſpecti, & ſe canonicè purgare nequierint, à conuentu illo, vel Prouincia, vel à ſuo Ordine omninò cum effectu expellantur, nec vlteriùs admittantur*: imò hoc remedium eſt omnium politicorum teſte Caonherio in 7. Aphor. Hippocr. t. aphor. pag. 184. qui ex Iacobo Comes habet hæc verba: *Illud eſt certiſſimum, optimumque remedium in omnibus ciuilibus ſeditionibus, vt factioſi homines, qui ſe Principes, & Duces cæterorum eſſe profitentur, deleantur omninò, atque exterminentur, cum per eorum ſupplicia reliqui vel deterreantur ab improbitate, & audacia prorſus, vel certè plurimùm refrenentur*: & pro comperto habete ò Superiores maiores, quòd nunquam aliqua reformatio introducetur in Religionibus, niſi priùs reformentur Prælati: audite, quæſo, Abb. Trithem. lib. de ruin. monaſt. Ordin. cap. 9. *Reformatio ab Abbatibus incipienda eſt, & in Monacho deinceps continuanda, niſi enim Paſtor ad ſinceritatem reductus fuerit, ouium ſanitas diu non durabit: à capite igitur omnis ornatus corporis eſt incoandus*: percipite etiam ea, quæ dicit Cordub. in introduct. Reg. S. Franc. quæſt. 3. Cognitis igitur, inquit, principijs malorum, & deformationis Religionis cognoſcitur etiam, quòd ab eis eſt incipienda reformatio, non à quibuſdam ceremoniarum folijs, ſed à radice; nã ad radicem arboris explantandæ, vel exſcindendæ ſecutis diſciplinæ ponẽda eſt; per eaſdem etiam cauſas res decidit, per quas naſcitur, oppoſito modo illis ſe habentibus; vt Gerſon. alphab. 35. lit. X. dicit, & indè homo incipit ſurgere, vbi lapſus eſt; ideò niſi ab ijs omnibus ſimul incipiatur, ita tamen, vt ſimul adſit potens authoritas, & rigoroſa diſciplina, atque punitio delictorum deſcendens à capite ſummo, ſicut vnguentum, quod deſcendit à capite, ſcilicet Summo Pontifice in barbam, ſcilicet Miniſtri Generalis, deindè in brachia aliorum Prælatorum inferiorum, certè nunquam deflueret in veſtimenta corporis Aaron, ſcilicet communitatis Religionis; nam Deus infima per media, & media per ſuperiora miro artificio hierarchico gubernat, & in Cœlo, & in terra, vt eſt communis doctrina Sanctorum. hæc Corduba: & ſciant Prælati, quòd vnitas, & concordia non deſcendunt in ſubditos, niſi per ſuperiores, vt iam dixi ex mente D. Petr. Damiani, & modo repeto ex ſenſu Baſil. Magni in pſalm. 132. *Quemadmodum à capite vſque ad barbam, & ſummitatem indumenti ſacrum vnguentum decurrẽs Sacerdotem bona fragrantia replebat; ita & à Principe vſque ad ſubditos concordia vtilitas deſcendit*: & ſciant Prælati, quòd diſcordiæ, & factiones non diuidunt Prouinciam, niſi priùs diuidantur Superiores, vt tangit Ariſtot. 5. pol. cap. 4. *Omninò autem excellentium virorum diſcordiæ totam poſt ſe trahunt*

Ciui-

*Ciuitatem*: Et ratio habetur ex cap. Magnæ. de vot. *Quod agitur à Prælatis facile trahitur à ſubditis in exemplum*: vndè iſta facilitas acutè traditur à D. Gregor. moral. 21. cap. 21. *Quia rationales noſtri ſpiritus, dum in Prælatorum intentione defixi ſunt, ſingulis quibuſque actionibus permiſcentur, vt tales fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident.*

Dices, iſti homines, licèt ſint factionum capita, nihilominus feruntur à bono zelo; nam ſemper intendunt bono communi conſulere, vndè quaſi per accidens factiones formantur; ideò non tam acriter eſt contra ipſos ſæuiendum. Reſp. quòd ille zelus, ſeù bonum commune prætenſum nequit inſpici niſi ſecundùm quẽdam prætextum ab ambitione fabricatum, ac deſiderio imperandi nutritum, ac à Prælaturæ commodis acriter defenſum; nam certè nemo ducitur à zelo boni communis, dum ab vnitate recedit, vt optimè inſinuat S. Bernard. ſerm. 1. de S. Michaele: *Omnis*, inquit, *qui ab vnitate diuiditur, ne dubites, quia ab eo receſſerit ſpiritus vitæ*: nec eſt mirandum, quia vnitas eſt tam pretioſus theſaurus, qui datur à Deo tanquam res ſuis proprijs manibus fabricata, imò inter omnes primogenita ad quamlibet multitudinem felicem reddendam, vt habetur ex D. Gregor. Nazianz. orat. 12. attentè meditãte, quid reportarunt Michael, & Angeli eius ex illa victoria contra draconem non ſibi arrogata, ſed Deo humiliter tributa. *Nunc facta eſt ſalus, etc. Perſtiterunt*, inquit, *in ſua dignitate, cuius primum illud eſt, quod pacati ſint, & diſſidij expertes, quippè qui à Sancta Trinitate acceperunt, vt vnum ſint.*

Dicet fortè Viſitator, ad quid iſta abſciſſio capitum, ſi, vno obtruncato, ſeptem ſuſcitantur? Reſp. conuertendo ad eum eundem ſermonem, ad quid ſuſpenſio furis, ſi ſexcenta furta denuò ſunt committenda? vndè Gellius lib. 6. cap. 14. afferens cauſas puniendi peccata: Altera harum, inquit, eſt propter exemplum, vt cæteri à ſimilibus peccatis, quæ prohiberi publicitus intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur; & ideò iuſſu Dei illi Principes, vt dixi ſuperiùs, fuerunt ſuſpenſi ad aliorum terrorem: fallitur, quòd ſemper capita ſint pullulatura; quia, vno emendato, cæteri emendantur; ſi certi erunt de continuata pœna; & ſi inſurgent, facillimè proſternentur, cum ſcriptum ſit: *Diuide, & impera*: tandem vis factionis non conſiſtit in multitudine gentium, ſed in multitudine ſub vno capite vnita, à quo eius bonum dependet; obtruncato capite, cætera membra langueſcunt; quarè Decianus vbi ſup. lib. 7. cap. 19. num. 4. docet in authores ſeditionis grauiter eſſe ſæuiendum: pro praxi vide dub. 61. tert. partis.

## DVBIVM XXXII.

### *Quomodò ſe debeat Religioſus timoratæ conſcientiæ, cui onus eligendi incumbit, gerere, dum omnes ſunt in malo ſtatu, & ad pacem, & concordiam accedere nolunt.*

SVMMARIVM.

1. *Aliquandò poteſt eligi indignus, & quandò.*

*CONCLVSIO.*

1. Dico, quòd poteſt eligere duos Definitores ex vtraque parte, quia licèt ſint indigni, poſſunt tamen deligi, quia deſunt alij, à quibus dignè Definitorum munus præſtari poſſit, ſi de neceſſitate ſit, vt aſſumantur de corpore Capituli (nota, loquor conditionaliter) & tunc non deliguntur vt indigni, ſed vt digni, quia reſpectu aliorum, qui non poſſunt haberi, reputantur digni, maximè ex intentione cõſulendi bono communi, quæ alio modo illud fouere nequit: doctina elicita à Leſſio lib. 2. c. 34. dub. 12. n. 55. à Rodriq. 2. part. ſumm. tr. 7. c. 2. dub. 2. à Ledeſm. ſumm. c. 106. concl. 1. n. 3. ab Arag. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. à Peirin. de ſubdit. qu. 1. c. 31. ſ. 3. ab Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 2. n. 6. addit verò Leſſius, quòd electi tenentur ſe præſtare dignos, quia lege iuſtitiæ obligantur ad præſtandum munus ſui officij, & conſequenter dignos, officioque idoneos ſe præſtare, quòd, ſi id facere nolunt, renuntiare tenentur. Ledeſm.

ob iſtum amorem ſunt vtiliores, & conſequetur digniores, cum hæc dignitas ab vtilitate Eccleſiæ petenda ſit: quæ ratio innititur doctrinæ S. Thom. vbi ſup. dicentis: *Ille quidem è gremio Eccleſiæ aſſumitur, vt in pluribus conſueuit eſſe vtilior, quantùm ad bonum commune, quia magis diligit Eccleſiam; in qua eſt nutritus, & propter hoc etiam mandatur Deuter. 17. Non poteris alterius gentis facere Regem, qui non ſit frater tuus.* Secunda, quia naturales magis reſident, quàm exteri; imò hi facillimè quærunt modos ſe eximendi à reſidentia, vel quærunt vias permutationum, & reſignationum in non paruum damnum Eccleſiæ, quod, experientia teſte, in naturalibus non ita facilè videtur. Addo pro tertia ratione cum Abulenſ. vbi ſupr. quòd, qui eſt de Eccleſia, clariorem notitiam de motibus reformandis habet; proindè faciliorem modum inueniet ad ſuauiter introducendam reformationem, vndè concludit Bann. vbi ſup. quòd hoc eſt adeò verum, vt oppoſitum non ſine temeritate dicatur, & ita iſtæ leges conſuetudine à tempore naſcentis Eccleſiæ, & decretis Pontificum approbatæ ſunt, vt colligitur ex Deuter. 17. *Non poteris eligere alterius gentis hominem in Regem, & qui non ſit frater tuus.* Rationes pro Regularibus referuntur à Nauarr. vbi ſupr. alibi relato. Prim. ne detur alijs cauſa, ſeù occaſio ſuperbiendi, alijs verò murmurandi, alijs autem tribuendi nimium ſuæ genti, ſiue nationi. Sec. quia id eluceſcit in ſtatutis multorum Collegiorum, quibus cauetur, ne ex eadem Ciuitate ſeligantur plures Collegæ, quàm vnus, aut ex eadem diœceſi plures, quàm duo. Tert. quia firma, & valida eſt conſuetudo, vt Abbas certi monaſterij deligatur solùm de certo quodam monaſterio. cap. Cum dilectus. de conſuetud. Barboſ. in collect. DD. eod. cap. Gonzal. ad reg. 8. cancell. Gloſſ. 8. num. 109. hoc etiam concludit Bann. vbi ſupr. dicens, quòd iſtæ leges poſſunt honeſtari ex fine ſuperuenienti maximè propter bonum pacis; verumtamen raró concedendæ ſunt, quia bonum pacis, & virtutis commodiùs ſeruatur, & conſequitur eligēdo digniores quoſcunq; & in quocunq; loco exiſtāt: & quidem multi ambitioſi lites fingunt, aut excitant, vt in eas leges inducāt Superiores, & ſibi arripiant ex lege alternante; quòd alioquin indigni, & minùs digni non conſequerentur, quòd maximè aduertant Legiſlatores præſertim in officijs ſupremis, ad quæ dignè ſuſcipienda vix poteſt vnus, aut alter inueniri. Sec. pars habetur ex Caſtellin. de elect. cap. 4. num. 36. qui ita loquitur: Electio eſt facienda de digno, & certo gremio, ſiue natione introducta ex priuilegio, ſiue ex conſuetudine approbata, ſi aliter fiat eſt inualida. cap. Cum dilectus. de conſuetud. & ex Petr. de Baiſio in direct. de elect. p. 1. cap. 4. num. 1. qui ſic effatus eſt: Secund. requiritur, quòd ſi conſuetudo, vel ſtatutum, aut priuilegium habeat, quòd illi de Collegio teneantur eligere de certo gremio, oportet, vt de tali gremio eligant, aliàs electio eſſet inualida, refert etiam textum, multaque alia.

Dices, ſi huiuſmodi leges eſſent firmæ, & validæ electores cogerentur ad eligendos indignos; poteſt enim dari caſus, quòd digni non inueniantur ex gremio Eccleſiæ, vel ex natione firmata pro regularibus. Reſp. cum Nauarr. Abulenſ. Mirand. Rodriqu. Caſtellin. vbi ſupr. quòd in tali caſu licitum eſt; imò neceſſarium ſeligere dignum extra Eccleſiam. Et probatur ratione, quia huiuſmodi leges ſemper intelliguntur, dummodò idoneus, & dignus ſit, & inueniatur: Eligere enim indignum inquit Salon. vbi ſupr. contr. 3. in quæſtiuncula: an liceat in aliquo caſu eligere dignum: eſt contra ius naturale, Diuinum, & Pontificium: ex hac concluſione firmata ſequitur ſecunda.

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

2. STatutum, ſeù priuilegium, aut conſuetudo, quæ in aliqua Religione vigent, vt tantùm illi homines è corpore Capituli aſſumantur in Definitores, ſunt valida, & firma. Concluſionis veritas ſequitur ex præcedentibus, vt patet, & in particulari firmatur à Rodriq. vbi ſupr. qui poſtquam approbauit doctrinam ſuperiùs traditam pro exemplo addit hæc verba: Sicut aſſumuntur Definitores tantùm ex vocalibus corporis Capituli, tum quia experien-

perientia ſunt regulariter loquendo dotati, tum quia etiamſi extra corpus Capituli eſſent, licèt eligerentur, propter eorum abſentiam non poſſent expedire in Capitulo ea, quæ ab ipſis neceſſariò ſunt definienda, quod in maximum Religionis nocumentum redundaret.

*TERTIA CONCLVSIO.*

4. Religionis timoratæ conſcientiæ, prout in titulo, poteſt, ac debet ferre ſuffragium in Definitores pro hominibus dignis, qui neque per vmbram volunt portare nomen, ne dicam vitium factionis, etiamſi ſint extra corpus Capituli, dummodò eorum præſentia commodè pro negotiorum expeditione poſſit haberi. Ratio eſt manifeſta, quia homines ex corpore Capituli factioſorum vitio ſunt inuoluti, & conſequenter indigni omni honore, & Prælatura; ideò lex, ſeù conſuetudo, quæ præcipit huiuſmodi electiones hominum ex corpore Capituli in tali caſu nequit obligare, quia eſſet iniqua præcipiens aliquid contra ius diuinum, naturale, & pontificium, nempè eligere indignum.

# PARS SECVNDA IN QVA REMEDIA ASSIGNANTVR.

QVONIAM remedia ad diuiſiones, factioneſque diſſoluendas difficilè inueniuntur, vt adnotauit Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 1. quia, inquit, in ſtatu Eccleſiaſtico, & Regulari colore zeli iuſtitiæ, & boni regiminis ſunt obuolutæ: idem dicit Caſſian. in diſciplina ſpirituali coll. 4. c. 20. licèt loquatur de quocumque vitio, quod quis ſub ſpecie boni amplectitur: *Perniciosiora, & à remedijs longinquiora ſunt vitia, quæ ſub ſpecie virtutum, & imagine rerum ſpiritualium videntur emergere, quàm illa, quæ ex aperto pro carnali voluptate gignuntur; hæc enim velut palam expoſiti, ac manifeſti languores & arguuntur cominus, & ſanantur; illa verò, dum ſub prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, & deceptos quoſque periculoſiùs faciunt, ac deſperatiùs ægrotare:* idem affirmat S. Gregor. homil. 5. in Ezech. *Grauiores*, ait, *culpæ ſunt, quæ ſuperducta ſpecie virtutes imitantur, quia illæ in aperto cognitæ animum in confuſionem deijciunt, atque ad pœnitentiam trahunt; iſtæ verò non ſolùm in pœnitentiam non humiliant, ſed etiam mentem operantis èleuant, dum virtutes putantur:* ideò nonnulla dubia in prima parte fuerunt examinata, firmata, & tanquam tuta in conſcientia tradita, ſed quia aliqua cura pro morbo extirpando non videtur impoſſibilis, nonnullis etiam aſſignatis remedijs, examinantur, & firmantur ſequentia dubia.

## DVBIVM XXXIV.

*An Generalis, ſeu Capitulum generale huiuſmodi diuiſionem à Prouincia extirpare teneatur.*

### SVMMARIVM.

1. *DAntur Prælati in ſubditorum vtilitatem; ideò à communitate factionis vitium præſertim expellere tenentur.*

2. *Bona, quæ oboriuntur ex vnitate, adnotantur, itidem mala, quæ fluunt ex diſcordia, deſcribuntur.*

3. *Reipublicæ Gubernatores peccata venialia, quæ pacem deturbant, à populis euellere tenentur.*

4. *Generalis, ſeu Capituli generalis munus eſt ſub mortali è Prouincia diuiſionem expellere, eique vnionem reſtituere: probatur varijs rationibus, quadam obiectione ſoluta.*

1. Not. prim. homines ab electoribus eleuari ad dignitates, ac Prælaturas, vt ſint in vtilitatem boni communis, nec non & ſubditorum, vti dixi in dub. quint. quarè Gregor. Nazianz. 1. apol. n. 91. intimè ſpeculans totius regiminis præſertim ſpiritualis finem, ita affatus eſt: *Hic ſpiritualis omnis Imperij finis eſt, vbiquè, priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum conſulere*: nota verbum, vbiquè, quaſi dicere velit: Paſtoris eſt quærere in quacumque re, ſeu magna, ſeu parua, non quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI, vt vtilitas præſertim ſpiritualis in ſubditis pro æternæ gloriæ conſequutione eluceſcat: quò fit, vt nulla maior accedere poſſit vtilitas ad bono communi ſubditorum conſulendum, quàm ſi expurgetur vitijs congregatio, eaque repullulatura prohibeantur; vndè in Ezech. 3. habetur: *Speculatorem dedi te hodiè domui Iſrael*: & c. 33. *Quòd ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, &c. ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram*: quæ loca explicans Gregor. Magn. hom. 11. in Ezech. ait: *Cui aliena cura committitur, ſpeculator vocatur, vt in mentis altitudine ſedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat; non eſt enim ſpeculator, qui in imo eſt, ſpeculator quippè ſemper in altitudine ſtat, vt, quidquid venturum eſt, longè proſpiciat*: & ideò Mirand. tom. 2. quæſt. 5. art. 5. Rodriq. tom. 3. quæſt. 34. art. 9. & alij affirmant Prælatos ad hoc munus exequendum fideliter teneri, quia verè ſunt ſuarum Religionum, inquit Rodriq. tom. 3. q. 34. art. 8. reformatores, & ita concludit. Silu. tit. Prælat. q. 4. Prælatum omittendo ea, quę ſunt neceſſaria ad proprium munus, non vacare culpa lethali: ſi vnquam aliquod vitium à Religionis congregatione eſt euellendum, maximè diſcordia, factiones, ac ſeditiones, quæ nuncupari poſſunt vitia vitiorum, ex quibus Imperia, Vrbes, populique euertuntur, teſte D. Gregor. Nazianz. orat. 12. de pace: *Atque vt populos, & Vrbes, & Imperia prætercam, vt cœtus, exercitus, familias, naues vectoribus plenas, coniugia, ſodalitia, quæ omnia, vt pace conſeruantur, ita ſeditione euertuntur*, &c. vndè S. Thom. 3. de regim. Princip. c. 5. ait: *Dominium eſſe conceſſum pro pace, & iuſtitia ſeruanda, & iurgijs, ac diſcordijs reſecandis*: & id maximo cum fundamento, vt dicit Plato lib. 5. de Republ. *Nihil pernicioſius Ciuitati, quàm diuiſio, & nihil meliùs quam vnio; & ideò natura voluit, quòd præeſſet quis, qui arte, induſtria, ac Imperio bono communi occurreret reſecando diuiſionem, vnionemque amando.*

2. Pro intelligentia doctrinæ S. Tho. nec non & ſententiæ Platonis ſit ſec. not. quòd vnitas inter homines eſt tam pretioſum bonum, vt videatur iuxta ſententiam D. Dionyſ. de diuin. nomin. cap. 11. à Patre luminum deſcendere: *Agè igitur*, inquit, *diuinam, & principem congregationis pacem hymnis pacificis laudemus; ipſa enim eſt omnium vnitiua, & inter omnia concordiam, connexionemque & gignit, & abſoluit*: vndè à diuino Numine donatur tãquam forma eſſentialis multitudinis, ſeu Ciuitatis, vt optimè inſinuat S. Auguſtinus epiſt. 5. quæ eſt ad Marcell. tom. 2. *Quid eſt Ciuitas, niſi multitudo hominũ in vno vinculo redacta concordiæ*:

quarè

duplicitet conſiderari debet Religio. Prim. tanquam materiale, per quod conſtituitur in eſſe Religionis, vt ſunt tria vota eſſentialia, ſub quibus viuit hominum multitudo: Sec. tanquam formale, quod eſt ipſa multitudo in vno vinculo redacta concordiæ; ideò D. Paul. ad Col. c. 3. ait: *In pace, vt vocati eſtis in vno corpore*: & ſicut forma corporis membra non niſi vnita viuificat; ita vnio, & concordia videntur eſſe illæ, quæ omnibus operibus ſpiritualibus præbent ſpiritum, vt viuificata ſint Deo grata: *Spiritus humanus*, inquit Auguſt. ſerm. 2. ad fratr. in erem. *ſicut nunquã viuificabit membra niſi fuerint vnita; ſic Spiritus Sanctus nunquam nos viuificabit niſi pace vniti fuerimus*: vndè S. Hieron. in reg. Monach. ad Paulam, & Euſtoch. exclamat: *Omne ſecundùm Philoſophos tantùm habet bonitatis, quantùm habet vnitatis*: quarè populus Dei ab aliis non ſegregatur, niſi per pacem, vt per Iſai. 32. loquutus eſt ipſemet Deus: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*: hinc eſt, quòd inſtituit pro fine regiminis cõſeruationem vnitatis, inquit S. Thom. vbi ſupr. lib. 1. c. 2. *Bonum autem, & ſalus conſociatæ multitudinis eſt, vt eius vnitas conſeruetur, quæ dicitur pax, qua remota, ſocialis vitæ perit vtilitas, quinimò multitudo diſſentiens ſibi ipſi fit oneroſa; hoc igitur eſt, ad quod maximè Rector multitudinis intendere debet, vt pacis vnitatem procuret*: imò voluit ipſum diuinum Numẽ, ne huiuſmodi vnitas difficilis redderetur, quòd vnaquæq; res ab intimo naturalẽ propenſionem, & inclinationem ad eam haberet, vt idem S. Thom. in c. 11. de diuin. nomin. lect. 1. inſinuat hiſce verbis: *Eſt naturale cuilibet rei, vt vnitatem deſideret, quia per diuiſionem res deficit, & corrumpitur, & bonitas rei minoratur*: quò fit, vt quantò magis homo participat de iſta inclinatione, tantò libentiùs eligitur à Deo ad populum regendum; ideò ſelegit Moyſen in Ducem ſui populi dilecti tardioris linguę, neglecto Aarone primogenito, eò quòd, inquit Oleaſt. in c. 2. Leuit. *Cognouerat Dominus in Moyſe Zelum ad bonum commune, & ad pacificandum inter fratres.*

Not. tert. quòd ſicut iam dixi ex ſenſu D. Dionyſ. multitudinis vnionem, ac pacem à ſummo Deo elabi; ita ex mente D. Bernard. ſerm. de multiplic. vtilitate verbi Dei, dico eiuſdem multitudinis diſcordiam, ac diuiſionem excitari à Dæmone; ideò S. Auguſtin. ſerm. 169. de tempor. dominic. in rogat. de pace, ita affatus eſt: *Plantare pacem radicitus, Dei eſt, euellere penitus inimici*: & ſicut illa donatur tanquam forma, ex qua hominum operationes viuificantur, vt omnipotenti Deo ſint gratæ, vt iam dictum eſt ex D. Auguſt. ita hæc aſturè ſeminatur tanquam forma, ex qua virtutes marceſcunt, cætera que bona multitudinis euaneſcunt, vt docet S. Thom. 1. de regim. Princ. cap. 15. *Hominum multitudo pacis vnitate carens, dum impugnat ſe ipſam, impeditur à bene agendo*: & tradit S. Ambroſ. 1. ad Cor. cap. 11. *Vbi eſt diſſenſio nihil rectum*: & confirmat S. Cyprian. epiſt. 25. *Nihil prodeſt aliquos proximos, & iunctos ſibi eſſe corporibus, ſi animo, & mente diſſideant*: & quid erit? nonniſi vt ab ipſa diuiſione, ac ſeditione multitudo illa tandem deſtruatur, teſte Nazianz. vbi ſupr. imò Chriſto Domino Matth. 10. *Omne Regnum diuiſum contra ſe deſolabitur, & omnis Ciuitas, vel domus contra ſe non ſtabit*: ſuper quæ verba, inquit Abulenſ. quæſt. 55. Chriſtus inducit exemplum de omni communitate, quia in omni communitate multi ſunt, per quorum concordiam manet communitas, cum autẽ cœperit diſcordare, & pars inſurgere in partem, peribit quælibet communitas, & quia maxima, & potentior communitas eſt Regnum, illam dixit perire per diſcordiam, deindè de Ciuitate, quæ minor eſt idem dicit: ſic dicit Chryſoſtom. *Nihil enim in terra Regno potentius, ſed tamen per altercationem perit; quid autem eſt dicendum de Ciuitate, vel domo, ſi Regnum ſiue magnum, ſiue paruum fuerit, contra ſe ipſum pugnans perit?* hæc Abulenſ. Id autem exemplis Romanorum, & aliorum illuſtretur; nam poſtquam Romana reſpublica ſub Sylla, & Mario, Cæſare, & Pompeio, Marco Antonio, atque Auguſto deſſidere, & tumultuari non ceſſauit, cœpit tendere in interitum; vndè Lucan. lib. 1. ferè in princip.

*Nulla fides Regni ſocijs, omniſque poteſtas*
*Impatiens conſortis erit.*

docuit hæc experientia Ciuitatis Ieroſolimę euerſæ, & contra ſe ipſam tribus exitialibus ſectis diuiſæ, quorum capita extiterunt Simon, Ioannes, & Eleazarus: lege Ioſeph.

lib. 1. de bello Iudaico in princip. diſſidio duorum Imperatorum Conſtantinopolitanorum via aperta eſt Imperio turcico, & labefactationi Imperij Romani: lege multa alia exempla apud Gregor. Toloſan. de Rep. lib. 25. c. vnico: hinc eſt, quòd Gregor. Nazianz. vbi ſupr. intimè penetrans hanc ſemper deplorandam miſeriam, etiam de hac Mundi machina ab omnipotenti manu mirabili artificio erecta ita affatus: *Si Mundus & pacatus, & quietus eſſe deſijt, Mundus eſſe deſinit*: proh dolor! quātò magis veſtigia tanti Patris ſequendo potero dicere, imò exclamare: Si Religio & pacata, & quieta eſſe diſijt, Religio quoquè quoad formale eſſe deſinit: & quamuis non euertatur quoad materiale ſicut Regna, & Imperia, nihilominus tot ſunt mala, quæ etiam in Mundi facie ex partibus, & ſectis ſe inuicem oppugnantibus oboriuntur, vt nulla dignoſcatur differentia inter deſtructam Ciuitatem, & Religionem ſectis laborantem, niſi ex ſolo habitu: oh verè deploranda miſeria! quarè neceſſariò concludendum eſt, quòd Prælatus, qui verè eſt Rector populi Dei in Religione congregati, ratione muneris aſſumpti, nec non & finis regiminis ſub mortali ei tenetur vnitatem reſtituere toto conatu deſtruendo lachrymabile diſſenſionis, ac diuiſionis malum.

Not. quart. quòd Sotus de ſecreto tegēdo memb. 2. quæſt. 2. conclu. 2. affirmat Gubernatores Reipublicæ teneri defectus populorum, qui ſunt peccata venialia grauiora, & conſueta corrigere, & à communitate, ſi fieri poteſt, arcere, cuius ſententiam alij ſequuntur, quos tacito nomine refert Turrianus diſp. 86. dub. 2. in fin. verùm tamen eſt, quòd Bann. 2. 2. quæſt. 33. dub. 2. a. 2. non audet id aſſerere, quia nimis durum videtur eos ad tantam perfectionem adſtringere, niſi fortè ſint peccata, quæ pacem è Republica expellunt: aſſentit Turrianus vbi ſupr.

*CONCLVSIO.*

1. GEneralis, ſeù Capitulum generale diuiſionem à Prouincia tantorum malorum ſemen extirpare tenetur, eique vnionem reſtituere. Prima pars ſuadetur, quia proprium munus Rectorum, & Prælatorum eſt diſcordias ſedare, ſeditioneſque extirpare; ideò S. Thom. 2. polit. Ariſt. lect. 8. ait: *Legiſlatores principaliter ſeditiones remouere intendūt*: imò natura ipſa ob id eis præeſſe dedit, vt notat idem S. Thom. vbi ſupr. & affirmat Rodriq. inquiens tom. 2. quæſt. 1. art. 1. Rectores, & Iudices inſtitui ad fugandam peſtem diuiſionum, ac ſeditionum, quia nullus eſt in Mundo poſt Adæ peccatum etiam minimus vinus, in quem huiuſmodi peſtis diſſenſionis, contentionis, æmulationis, ac ambitionis non irrepſerit, etiam in Religionibus; vndè Decian. relatus in dub. 1. optimè dixit: *Dij immortales id vnum venenum ſeditionis eam labem Ciuitatibus, & Regnis imminere voluerunt, vt ſicut cætera omnia creata mortalia forent*. Et confirmatur: ſi Gubernator Reipublicæ obſtringitur ad expurgandam communitatē vitijs, licèt venialibus pacem deturbantibus: ergo tantò magis Prælatus regularis ſeditionem ab iſta Prouincia vnionem, ac pacem funditus enetuantem euellere tenebitur; & inſinuare videtur Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat. vbi ſcopus, & finis viſitationum dicitur eſſe: *Sanam doctrinam inducere, mores tueri prauos corrigere, & ſubiectas oues cohortationibus, & admonitionibus ad Religionem, ac pacem accendere*: audiamus etiam D. Baſil. de inſtit. Monach. ſerm. 2. *Quo circa*, ait, *ſimiliter ex conuētu reijciēda ſunt & turpis, & indecora cōtentio, atq; amor iſte ſingularis, ſiquidē ex contentione inimicitiæ, ex amore autem ſingulari, ſodalitateque ſuſpitiones, inuidiæ oriuntur; vbiquè enim æqualitatis defraudatio, inuidiæ, odijque materia, ac ſeminarium exiſtit ijs, qui ea ſcilicet charitate defraudantur*: tum quia tenetur liberare à ſexcentis tumultibus Prouinciam; nam vna pars aduerſus alteram quidpiam ſempet molitur, & è cōtra, imò exigentibus factioſorum demeritis, altera præualet contra alteram, & hāc expellit à regimine, & ſic expulſa hinc, & indè diſcurrit vagando cum magna triſtitia ac labore, teſte D. Antonin. inferiùs citando: *Partibus adinuicem inimicantibus, exigentibus hominum demeritis, Dæmonijs inſtigantibus, Deo permittente, vna pars præualet contra aliā, illam expellit, expulſa vagando diſcurrit cū magno ſui labore, & incommodo*: tum quia ad officium Præſidentis ſpectat iuſtitiam puniti-

nitiuam, vt omnia delicta congruenti pœna plectantur, abſque perſonarum acceptione tueri, quod in huiuſmodi Prouincia obſeruari nequit. *Ratio eſt*, inquit S. Bernardin. tom. 1. dom. 3. quadrag. ſerm. 25. art. 1. c. 1. *quia propter partialitates affectio mutatur, & ratio excæcatur; mutari autem à recto affectus ſolet quadruplici affectione mentali, quæ ſunt amor, & odium, ſpes, & timor: de his Dan. 7. ſcriptum eſt: Quatuor venti pugnabant in mari magno, ſcilicet mentis Iudicis partialis; difficile quidem eſt, quòd cuius intereſt iuſtitiã recta lance tenere, quòd aliqua iſtarum affectionum ad iniuſtitiam non flectatur; nam amor affectum trahit ad ſuum cõpartialem, et amicũ; & odium ab aduerſa parte repellit; de dilectis enim difficulter malè ſentimus, ſicut de non dilectis difficulter benè; offendit amicus; culpa magna æſtimantur parua; delinquit aduerſarius, offenſa parua ſentitur magna; ſeruit dilectus, ſupra ſydera exaltatur, fideliſque plenis faucibus prædicatur; alter contrariæ partis maxima præſtat cõmoda, impẽdit magna ſeruitia, paruipenditur, eique detrahitur; ex quacumque cauſa patratur crimen; pro ſuo partiali quilibet ſupplex orat, culpam minuit, aut ipsã negat, aut pro miſericordia inſtat; pars vero aduerſa offensã grauat, iuſtitiam poſtulat; adeſt ſpes ſua parti inhærens, & timor contrariam partem pauens; iudicantis intellectus his mentis turbinibus conquaſſatus diſcernere verũ neſcit, vix vult, & ſi fas eſt dicere, nequaquã poteſt; indè conſequens eſt, quòd reus iuſtificatur, innocens condemnatur; vnus habetur pro ſpurio, alter pro legitimo, bonus dicitur malus, malus dicitur bonus; verũ dicitur falsũ, falſum verum dicitur, vt miſericordia pro iuſtitia, & iuſtitia pro miſericordia impijſſimè computatur; vndè Iſidor. de ſummo bono, & habetur 11. quæſt. 3. c. Quator modis, vbi dicitur: Quatuor modis humanum iudicium peruertitur; timore, dum metu poteſtatis alicuius veritatem loqui pertimeſcimus; cupiditate, dum præmio alicuius animum corrumpimus; odio, dum contra quemlibet aduerſarium molimur; amore, dum amico, vel propinquo præſtare cõtendimus; ſequentique cap. ſcriptum eſt: Quicumque autem conſanguinitate, vel amicitia, vel hoſtili odio, vel inimicitijs in iudicando ducitur, peruertit iudicium Chriſti, quod eſt iuſtitia, & peruertit fructum illius in damnationis amaritudinem*: hæc Bernardinus: hinc dixit Maſcard. de probat. concl. 993. n. 28. ex Bald. & Iaſ. *Iudicem factionarium poſſe tanquam ſuſpectum recuſari*: elicitur etiam ex Bouer. in direct. for. iudic. de Iudic. Regul. c. 1. qui citat alios; & ex Philippo de Bictis in comped. prax. cauſ. iudic. Regul. qu. 6. n. 49. tum quia eſt etiam munus Prælatorum illuminare eos, qui errantes per viam mandatorum Dei ſe putant progredi, viam impiorum decurrentes; nam, vt rectè inquit D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. de diſcordia §. 3. *Seditioſi ſemper morantur in huiuſmodi diuiſionibus, ac partialitatibus, nec faciunt ſibi conſcientiam, vndè cum non cognoſcant morbum, medicinam pœnitentiæ non quærunt*: imò in eis morantur, ac ſi eſſe viderentur in ſanctitatis ſede, teſte D. Bernardin. dominic. 3. quadrag. ſerm. 25. art. 1. c. 2. tom. 1. *Quod flendũm eſt*, ait, *& qui videntur timere Deum, ita efficiuntur amentes, & inſenſati maximè circa partes, vt in eiſdem ita ſecurè viuant, quaſi hoc ſit perfectio ſanctitatis, ſimiles generis Loth, qui, vt patet Gen. 9. ita inſenſibiles in ſodomia facti ſunt, quòd Loth prædicanti, & ſuadẽti receſſũ credere noluerunt, ſed videbatur eis quaſi ludens loqui; ideò cũ cæteris perierunt*: tum quia tandem ad Prælatorũ officiũ pertinet, vt vult Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 2. n. 6. continere ſubditos in diſciplina, ac obſeruantia regulari, eoſque promouere ad religioſam perfectionem, quorum promotio haberi nequit, niſi homines tranquillitate, ac pace fruantur, dicente S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. cap. 117. *Ad hoc, quòd homo diuinis vacet, indigit tranquillitate, & pace*: & cum ex diuiſione, ac ſeditione inter Regulares tota vita regularis deficiat, vt teſtatur D. Antonin. vbi ſupr. §. 4. cui adhæret S. Bernardin. vbi ſupr. art. 1. cap. 3. *Deficit*, inquit, *in Religioſis obſeruantia regularis ob partialitates*: igitur nequit non vacare lethali culpa Generalis, ſeù Capitulum generale, ſi toto conatu non intendant diuiſiones ſedare, iurgiaque reſecare ab hac deploranda Prouincia. Supremi Patres, qui in vertice montium ſupremarum dignitatum veſtræ Religionis pro eius reformatione ſedetis, eleuate, quæſo, oculos, vt reformationis feruor magis, ac magis in vobis ardeat, & videte, quid eſt hæc Prouincia ſine vnione, ac pace, ſine iuſtitia, ac diſciplina regulari

lari laborans ſectis, factionibus? non niſi quædam turba inordinata, atque confuſa, cuius partes, licèt in foro externo virtutibus prædicę appareant, nil aliud ſunt, quàm quædam ſciſſuræ, quibus de facili patet aditus ad totale exitium, dicente B. Laurent. Iuſtin. de diſciplin. monaſt. conſeruat. c. 10. *Confuſa namque, & inordinata turba facilè proſternitur, & diſſipatur.* Secunda pars ſatis ſuadetur ex doctrinis ſec. nor. quibus adduntur aliæ tres. Prim. eſt D. Thom. 1. de regem. Princip. c. 15. *Multitudinis autem*, inquit, *vnitas, quæ pax appellatur per Regentis induſtriam eſt procuranda; ſic igitur ad bonam vitam multitudinis inſtituendam tria requiruntur. Prim. quidem, vt multitudo in vnitate pacis conſtituatur. Sec. vt multitudo vinculo pacis vnita dirigatur ad benè agendum, ſicut homo nihil benè agere poteſt, niſi præſuppoſita ſuorum partium vnitate; ita hominum multitudo pacis vnitate carens, dum impugnat ſe ipſam, impeditur à benè agendo. Tert. verò requiritur, vt per Regentis induſtriam neceſſariorum ad benè agendum adſit ſufficiens copia.* Sec. quæ confirmat D. Thom. doctrinam, habetur ex D. Bernard. in aſſumpt. B. M. V. ſerm. 5. *Niſi enim opus tuum in vnitate feceris Deo, qui vnus eſt, acceptum, teſte ipſo, profectò non erit, ſcriptum quippè eſt: Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum: pſalm. 13. hinc eſt, quòd in illa piſcina mouebatur aqua, & ſanabatur vnus; hinc eſt, quòd decem leproſis mundatis vnus regreſſus cum magna voce magnificans Deum, cui etiam Dominus, cæteris reprobatis, teſtimonium laudis adſcribit dicens: Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena: Paul. 1. ad Cor. 9. quoquè ait: Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Tert. elicitur ex Caiet. ad Epheſ. 4. verſi. 3. ſupr. verba Apoſt. *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: Primaria*, inquit, *intẽtio ad vnitatẽ cõmunis boni ſpiritualis deſcribitur ſtudio ſeruandæ vnitatis nõ corporũ, ſed ſpiritus in colligatione pacis, in colligatione trãquilli ordinis, vnitas ſiquidẽ ſpiritus, niſi colligentur partes multitudinis tranquillo ordine, nequit ſeruari.* Aduertat tamen Prælatus, quòd, licèt per induſtriam & ſeditio ſit diſſoluenda, & vnio inſerenda; nihilominus priùs eſt diuinum auxilium implorandum, quia vtrumque munus elabitur à Deo, teſte D. Gregor. Nazianz. orat. 14. de pace. *Enimuerò hæc* (ſcilicet diſſidia, ac ſeditiones) *ſedare, atque comprimere maximè quidem Dei fuerit, qui omnia tanquam vinculis quibuſdam conſtringit, deindè autem etiam hominum eorum, qui honeſtè amantes, & ſtudioſi ſunt, atque concordiæ bonum cognitum, atque perſpectum habent à Trinitate quidem exorſum, cui nihil æquè proprium eſt, ac naturæ vnitas, & concordia; ab Angelis autem, & diuinis virtutibus perceptum, quæ cũ Deo, & ſecum quietæ ac pacatæ ſunt, progreſſum verò ad res omnes certas (quorum ornamentum in concordia ſitum eſt) apud nos deniquè verſatum, &c.*

Dices, poſſunt factiones tolerari ad mala præcauenda; nam vtraque pars æmulatione ſe cuſtodiunt, & ita multa vitia euitabuntur, & ſi aliquis factioſorum in labem corruet, facillimè detegetur. Reſp. quòd ſicut natura in rebus materialibus ita abhorret vacuum, vt quodlibet elementum propriam naturam deſerens vnitati diſſoluendæ, ſi vacuum daretur, occurrat; ita in moralibus tantùm ei diſplicẽt diuiſiones, ne poſſit eas tolerare, etiam ad maius malum euitandum, quia deturbant pacẽ, ac vnionem boni cõmunis, quæ præſertim eſt bonis boni ſpiritualis baſis, qua deſtructa, corruere ædificium neceſſe eſt; ſed de hoc in ſequent. dub.

## DVBIVM XXXV.

*An Generalis tuta conſcientia huiuſmodi diuiſionem tolerare poſsit.*

### SVMMARIVM.

1. *Generalis, vt de reformatione agatur, tenetur Capitula congregare.*

2. *Mala permittere eſt actus legis deductus ab ipſa lege æterna, & conſequenter bonus: adducuntur rationes: quò ſit, vt ritus Iudæorum, qui ſunt ſubditi Eccleſiæ, poſſunt permitti: additur quædam limitatio.*

3. *In Prouincia, de qua agitur, neque Generalis, neque Capitulum generale diuiſionem tutè tolerare poſſunt.*

Duo-

Duobus modis ipſa diuiſio conſiderari poteſt, Ptim. ſimpliciter, & ſecundùm ſe. Sec. quatenus poteſt habere aliquam rationem boni reſpectu alterius, qui eam permittit, ſeù tolerat ad maiora mala vitanda; nulla quippè videtur eſſe difficultas de prim. vt in præcedent. quæſito multis rationibus probaui, quin à Generali, ſeù ab alijs Superioribus tolerari poſſit, quibus addo, quia multùm intereſt Reipublicæ, omniſque etiam congregationis, vt delicta non maneant impunita; ideò tenetur Generalis debitis temporibus Capitulum congregare, vt de reformatione Religionis, morum correctione, obſeruantiæ repatatione, & conſeruatione agatur; imò addit Rodriq. tom. 3. quæſt. 47. art. 3. verſ. Hæc autem ratio maximè: vt videatur, quomodò ſint extirpandæ ambitiones, & quomodò praui Religioſi, & tyrannici Prælati ſint debita pœna plectendi, vt metu pœnæ à delictis, & à tranſgreſſionibus proprij inſtituti alij ſe abſtineant; quarè ſi negligenter circa hæc ſe habeat, videtur iuxta DD. ſententiam omninò lethali culpæ obnoxius, quia grauiter deficit à proprio munere; & ideò cuilibet Prælato per Ieremiam loquitur diuinum Numen cap. 1. *Ecce conſtitui te hodiè ſuper gentes, & ſuper Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*: ſuper quæ verba dicit Dionyſ.ibi. in myſt. expoſit. Hoc maioribus Prælatis Chriſti Vicarijs competit, quorum quò maior eſt honor, & dignitas; eò & maius periculum, ac grauius onus, ſed vniuſquiſque fidelium ſuper gentes, & Regna conſtituitur, dum tanta gratia decoratur, quæ nec blanditijs emollitur, nec terroribus commouetur, quod aliorum Rectoribus valdè eſt neceſſarium, quibus incumbit nec honore, ſeù fauore extolli, nec minis, aut perſequutionibus deprimi, quatenus inter proſpera, & aduerſa regia ſemper via incedant, vt euellas prauas ſuggeſtiones, & deſtruas conſenſum illicitum, & diſperdas opera vitioſa, & diſſipes conſuetudines malas, hæc in ſe ipſo, ac ſibi commiſſis agere debet pro ſuis viribus omnis Prælatus; deindè quod ſubditur: Et ædifices; nam verbo, & conuerſatione tenetur Prælatus ſuos ædificare ſecundùm illud Apoſt. 1. Tim. 5. *Eſto exemplum in verbo, & conuerſatione in charitate*: profectus tuus manifeſtus ſit omnibus, & plantes in eorum cordibus ſemen virtutum, quod eſt verbum Dei; primò igitur eradicanda ſunt vitia, deindè bona gratiæ inſerenda, hœreſes quoquè, & ſchiſmata Prælatis, atque Doctoribus potiſſimè ſunt euellenda: hæc Cart.

2. Not. ſec. quòd ſecundùm D. Tho. 1. 2. quæſt. 92. art. 2. vbi Bannes permittere mala eſt quidam actus legis, quarè ille, qui non eſt author legis, vel cuſtos non dicitur permittere mala; ideò inter præcipuas legis virtutes permiſſio connumerari debet, in l. legis virtus. ff. de legibus. & c. Duo mala. c. Nerui. 13. diſt. c. Omnes. diſt. 3. videatur S. Thom. 2.2. quæſt. 93. art. 3. & quæſt. 10. art. 11. Suar. de legib. lib. 1. cap. 15. & 16. Azor. p. 1. lib. 5. quæſt. 5. c. 5. Salas de legib. diſp. 3. ſect. 3. Barboſ. in c. Omnis. diſt. 3. Iacob. Granad. 1. 2. tr. 1. diſp. 8. contr. 7. vndè nonnulli horum DD. hanc legis poteſtatem permittendi peccata deducunt ab ipſamet lege æterna, & naturali, dum ſcilicet huiuſmodi leges, licèt prohibeant omnia peccata, & per conſequens ea committentes ſemper obligentur in foro conſcientiæ, tamen non omnia puniunt, neque puniri iubent in foro externo, & in hoc ſæculo, ſed potiùs multa permittunt propter rationes inferiùs recitandas: videatur præſertim Suar. vbi ſupr. c. 15. id cæteris meliùs explicans, & n. 7. reſpondens ad locum D. Auguſt. de lib. arb. lib. 1. c. 5. & 6. aſſerentis legem æternam nullum peccatum permittere.

Not. tert. quòd, cum permiſſio mali non ſit per ſe mala, imò bona, conſiderandæ ſunt cauſæ, ex quibus ipſa bonitas exoriri videtur, quæ ad duas, vt ait S. Thom. 2.2. quæſt. 10. art. 11. vbi Caietan. reuocari poſſunt, vel ad bonum præponderans, ne ſcilicet impediatur iuxta illud Matth. 13. *Sinite vtraque creſcere, ne fortè eradicetis cũ eis & triticum*: vel ad malum etiam præponderans in ratione mali, ne videlicet fiat iuxta illud Auguſt. lib. 2. c. 4. de ordin. tom. 1. *Aufer à rebus humanis meretrices, turbabis omnia libidinibus*: vbi verò neutra cauſa iſtarũ concurrit ſcilicet præponderantis, aut mali vitandi, aut boni conſequendi, nullo modo huiuſmodi permiſſio eſt concedenda. Ita Valent. 3. tom. 3. diſp. 1. quæſt. 10. punct. 7. hinc eſt, quòd Mirand. inferiùs citandus ſe

firmi-

firmiter ſubſcribens, quòd aliqua delicta ſunt diſſimulanda, nihilominus docet, quandò peccata ſunt grauia, et publica omninò eſſe punienda, & ita optimè explicans illud vulgare dictum (intereſt multùm Reipublicæ omnium congregationum, vt delicta non maneat impunita) ait eſſe intelligendum de gráuibus, & publicis, ſed non de occultis: idem dicit Emmanuel Rodriq. tom. 2. quæſt. 34. art. 2.

Not. quart. quòd S. Thom. vbi ſupr. concludit, quòd ritus Iudæorum, qui ſunt Eccleſiæ ſubiecti, poſſunt permitti, quoniam noſtræ fidei veritatem confirmant, cuius figuram continent, imò addit S. Auguſtin. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 49. non fuiſſe à Deo Iudæos extinctos, ſed per Mundum diſperſos, vt viuum argumentum, & verum teſtimonium noſtræ fidei ab inimicis noſtris haberemus; vndè eorum libros, qui ſimpliciter continent expoſitionem veteris teſtamẽti, concludit Caietan. vbi ſupr. poſſe Eccleſiam tolerare ob eandem rationem rituum; libros verò, quos ſcribunt Rabbini contra Chriſtum, & noſtram fidem, toletandos non eſſe, ſed comburendós affirmat ipſe Caietan. cum Valent. vbi ſupr. & Fagund. in 1. præcept. decal. lib. 1. c. 23. n. 27. Ratio eſt, quia directè blaſphemant, & totaliter mendacijs pleni contra fidem Ieſu Chriſti; qua in re vtetur Eccleſia iure, quod habet ad remouenda obſtacula noſtræ fidei; nam ſicut res naturales vim habẽt nõ ſolũ, vt ſeſe tueãtur, ſed etiam vt repellant contraria; ita neceſſe eſt Rẽpublicã benè conſtitutã hac poteſtate præditam eſſe, vt ſcilicet obſiſtat repugnantibus. Addit Bann. exponens doctrinam D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. quòd aliquandò Eccleſia permittere etiam poteſt idololatriam propter maius bonum multitudinis infidelium, quod ſperatur, aliquorum ſcilicet conuerſionem, dum mitiùs tractantur, attamen minora mala, quàm idololatria nunquã à Principibus in Republica permittũtur, illa ſcilicet, quæ Reipublicæ pacem perturbant, ad quam ſeruandam debet maximè attendere Gubernator: idem affirmat Sotus lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. hiſce verbis: Vitia, flagitia, & ſcelera debent leges humanæ prohibere, quæ de ſua pace, & quiete Rẽpublicam deturbant, vt ſunt homicidia, furta, adulteria, fraudes, & inſidiæ: idem concludit Azor. 1. p. lib. 3. cap. 5. Lex vitia prohibet, præſertim ea, quibus iuſtitia ciuiũ violatur, incolumitati, & communi Reipublicæ ſaluti nocetur, pax, concordia, ſocietas humana, & amicitia humana diſſoluitur: idem ſentiunt Richard. in 3. diſp. 37. art. 3. quæſt. 5. Layman. tract. 5. de legib. c. 4. n. 1. Mirand. tom. 2. quæſt. 25. art. 12. Clauis regia lib. 3. c. 3. n. 5. huiuſmodi doctrinam cuncti DD. à D. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 2. in corpore habuerunt.

## *CONCLVSIO.*

3. NEc Generalis, nec Capitulum generale poſſunt tuta conſcientia huiuſmodi diuiſionem in Prouincia tolerare. Suadetur, quia tantùm permitti poteſt *aliquod malum*, in quantùm elicitur ex ipſo aliquod bonum præponderans, vt paulò antè firmatum eſt ex toleratis ritibus Iudæorum; vel inquantùm euitatur aliud ma um ſimiliter præponderans in ratione mali, quod naſceretur ex nõ tolerato malo, vt dicebam de meretricibus: ſed neutra horum ratio ſuadet tolerandas eſſe in hac Religioſorum Prouincia factiones, ac diuiſiones: ergo nequeũt permitti, neque tolerari: de primo nulla videtur difficultas; nam ex malo diuiſionis quodnam bonum, & præponderans ſperare poteſt Religio? certè nullum, quia nequit deſignari, neque conſiderari; ideò DD. ſuperiùs relati aſſerentes poſſe Prælatos aliqua delicta diſſimulare, atque tolerare, ſemper id affirmant ad maiora mala euitanda, & non ad maiora bona elicienda, quia, licèt hoc ex permiſſione mali maximè in Religionibus elici poſſit, attamẽ rarò contingit: de ſecundo etiam nulla eſt difficultas, quia nullum malum poteſt probabiliter timeri præponderans in ratione mali ipſi permiſſioni ſeditionis, ex qua tot inuidiæ, tot odia, tot murmurationes, tot ſcandala oboriuntur, vt ſuperiùs dicebam, ex qua homines in malo ſtatu conſtituuntur, ex qua tot animæ in infernum demerguntur.

Sed dato etiam, quòd ex diuiſionis permiſſione vitaretur aliquod malum magnum, quod falſum eſſe dicebam, adhuc oſtendo diuiſionem non eſſe tolerandã; nam, quandò malum permiſſum directè militat aduerſus rei fundamenta, quæ deſtruuntur, ſi tale malum

malum permittatur, nullo modo poteſt permitti, vt habetur ex doctrina Caiet. aſſerentis libros Iudæorum continentes blaſphemias, & mendacia contra Chriſtum, & fidē non eſſe tolerandos, quia directè aduerſantur fundamento noſtræ Religionis, nempè fidei, qua deſtructa, tota Religio catholica deſtruitur, vt habetur ex doctrina Soti de iuſt. quæſt. 6. art. 2. lib. 1. & Clau. regia lib. 3. c. 3. n. 5. affirmantium hœreſes, & apoſtaſias non eſſe tolerandas, quia Religionis ſubſtantia concutiunt: ſed huiuſmodi diuiſio directè fundamentis, & ſubſtantiæ Religionis aduerſatur, quæ ſunt charitas, vnitas, & multò magis religioſa ſocietas, quibus deſtructis, etiam Religio deſtruitur: ergo nullo modo tolerari poteſt, quamuis maius malū per impoſſibile eſſet euitandum: dico per impoſſibile, quia nullum maius malum poteſt dari, quàm deſtructio ipſius Religionis. Præatereà, ſuadetur ex doctrina Bannes, aliorumque DD. vbi ſupt. minora mala, quàm ſit idololatria, nō permittūtur in Republica, vt ſunt homicidia, furta, &c. quia Reipublicæ pacem deturbant, & concordiam, humanamque ſocietatem conturbant: at huiuſmodi diuiſio omnem à Prouincia aufert pacem, amicitiamque, concordiam, ac ſocietate diſſoluit: ergo permitti haudquaquam poteſt.

## DVBIVM XXXVI.

*Quod nam remedium à Generali, ſeù Capitulo generali diuiſionis morbo ſit apponendum.*

### SVMMARIVM.

1. *Pro reformatione huius miſeræ Prouinciæ congruum exiſtimatur remedium electionum tam Diſcretorum, quàm Priorum mutatio: & clarè demonſtratur, nonnullis ſolutis obiectionibus.*

Supoſito hoc, quòd factionarij ab ambitione capti nolint propriæ ſaluti conſulere, pacique adhætere, nomenque factionarij abijcere, & quòd Generalis, ſeù Capitulum generale minimè poſſit huiuſmodi diuiſionem tolerare, quæ cura erit adhibenda? quodnam remedium erit applicandum? ad radicē quidē mali ſecuris eſt applicāda: quis non videt tot malorum originē eſſe deprauatū electionis modum? è manibus taliū electorum tollantur electiones, è Prouincia etiam procul dubio reſecantur mala. Cenſeo ergo congruum eſſe remedium, ſi mutua vtilitas, & reciprocum commodum in electionibus auferatur; nam inferiores electores, videlicet Guardiani, ſeù Priores, & Diſcreti locorum in Prouincialem, ac Definitores eligunt eos, qui ſunt ex propria factione, quia ab eis Religionis munera recipiunt, vt ſunt Prioratus, Lectoratus, loca diſpoſita pro Diſcretis, cæteraque commoda; ideò Superiores maiores, ſcilicet Prouinciales, ac Definitores, ſeù Conſultores præbent ſuis dignitates, & pro ſuis familias diſponunt, vt ſint Diſcreti, quia ab ipſis quaſi perpetuum regimen vnà cum omnibus commodis recipiunt: auferatur ergo ab eis huiuſmodi commodum, & eccè quaſi omninò reformatam, & reſtauratam Prouinciam.

1. Duobus modis meo iudicio vtendum eſt. Prim. priuando Prouincialem, ac Conſultores, ne ſint Priorum, ſeù Guardianorum ſuffragatores, prout de iure ad eos non ſpectat. Sec. priuando monaſteria Diſcretis, cum nullum ius ad hoc munus habeant, cum ſit ius Religionis: & meritò prim. quia cum tales electiones de iure ſpectent ad cœnobia, vt videre eſt apud Rodriq. tom. 2. quæſt. 53. art. 1. Mirand. tom. 2. quæſt. 19. art. 2. & Nauarr. in cap. Nullum. 18. quæſt. 2. comment. 3. de Regular. num. 2. nihilominus Religio per modum cuiuſdam compromiſſi in fauorem Eccleſiæ, & non Compromiſſariorum electiones Definitoribus, ac Prouincialibus commiſit, & rationabiliter aſſerunt DD. citati ad euitandas rixas, æmulationes, contentiones, aliaque damna ſpiritualia, quæ ex ipſorum conuentuum electoribus, vt plurimùm oboriri ſolent: ſi ergo Religio, annuente, & concedere Pontifice, ad præcauenda damna enarrata conuentus ſuo priuauit iure, quarè conueniens non erit ſuffragijs

P cos

eos priuare, qui ad hoc munus exequendum nullum habent ius, cum omnia mala recenſita oboriantur ex electionibus celebratis pro ſui, & amicorum conſeruatione? & id maxima cum iuſtitia fieri. Prim: quia, vt probat Barboſ. in collect. DD. in 6. de elect. cap. ſi compromiſſos. Compromiſſarius, qui non bene ſe gerit in electione Prælati, puniendus eſt. Sec. quia Compromiſſatij ſunt nudi miniſtri, ac exequutores deputati, vt ait Sigiſm. à Bonon. de elect. p. 1. dub. 22. miniſter verò, qui non rectè tractat ſui Domini negotium, priuandus eſt officio. Tert. quia fortè in dubium reuocari poteſt: an huiuſmodi electiones partiales teneatur Religio acceptare, quia, vt benè aſſerunt Silu. tit. elect. quæſt. 53. Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 36. ex varijs textibus poteſtas data Compromiſſarijs eligendi Prælatum, ſeù officialem, ſemper intelligenda eſt de idoneo, ita vt, ſi electus non ſit idoneus, nõ teneantur electores illũ recipere. Quart. quia Prælatus ſupremus tenetur omnia ſcandala, ac delicta à Religione remouere; ſi vnquam aliquod ſcandalum eſt remouendum, maximè illud, à quo omnia mala exordium ſumunt, quod eſt celebrare electiones partiales, & ad proprij commodi menſuram.

Et meritò ſecundum, quia ſeditio, & perpetuum regimen conſeruatur hiſce artificijs, nempè diſpoſitione familiarum pro Diſcretis ex propria factione, congruum eſt ergo talibus eos priuare auxilijs, quæ in Religionis commodum fuerunt conceſſa. Ratio eſt manifeſta, quia Diſcretorum munus inter alia commoda fuit cœnobijs datum, vt Priorum electio à Patribus nempè Prouinciali, ac Definitoribus, fortè celebrata in proprium commodum, Diſcretorum vocis temperaretur; in hac diuiſa Prouincia non ſolùm non temperatur, ſed factio augmentatur, eò quòd diſpoſitiones locorum artificiosè ordinatæ cum non parua iniuria, ac conturbatione multorum non niſi proprios factionarios parturiant: nec vlla querela de iniuria prætenſa erit audienda, cum nullum proprium ius, ſed Religionis ius eis auferatur. Adde, quod eſt dictum ſupr. ea, quæ directè opponuntur fundamentis Religionis, ſunt neceſſariò remouenda: ſed huiuſmodi electio malitiosè opponitur, ac aduerſatur Religioni, quia ambitioſi Prælati ad conſeruandam factionem, ſeditionemque ea abutuntur: quis nõ concludet eam eſſe euellendam?

Auferantur, auferatur huiuſmodi Diſcreti à familijs locorũ, quia ſimul ferè tota ſeditio aufertur, & ferè tota Religio ab infinitis malis reſtauratur, de quibus in tractat. 9. de Diſcretis eligendis: ablata ergo electione Priorum è manibus Definitorum, ac Prouincialium; ablata etiam ea Diſcretorum à familijs, quis non concludet factiones, ac ſeditiones ſedatum iri, imò decurſu temporis funditus eſſe extinguendas?

## DVBIVM XXXVII.

*Cui, vel quibus Priorum electio ſit committenda.*

### SVMMARIVM.

1. *Nouus ſeligendi Priores, ac Guardianos modus deſignatur.*
2. *Nonnullæ ſoluuntur obiectiones.*

Probata doctrina Mirand. tom. 2. quæſt. 22. art. 2. quòd in omnibus ferè Mundi rebus, quæ ſub ſole reperiuntur, vix quidpiã reperiri poteſt, ex quo non aliquod ſequatur incommodũ. Ratio eſt D. Thom. quẽ citatum ſequitur ipſe Mirand. quia non eſt bonum in toto Mundo, quo creatura humana aburi non poſſit, ſiquidem etiam ipſa Dei bonitate abutitur: enimuerò cum de duobus malis minus ſit ſemper eligendum; ideò cẽſeo minora occaſionaliter eſſe ſequutura, ſi Priorum creatio Capitulo prouinciali cõmittatur, videlicet quòd in primo Capitulo celebrando omnes Sacerdotes illius Prouinciæ poſt completum vigeſimum annum Religionis ſub omnium ſuffragiorum totius Capituli iudicium mittatur, & omnes, in quos maior pars inclinet, intelligantur electi pro Prioribus, ſeù Guardianis ſeligendis, & ita in quolibet Capitulo de omnibus Sacerdotibus ſucceſſiuè prædictorum annorum

annorum metam attingentibus fiat deſcripto modo probatio: nomina deinde iſtorum electorum in quolibet Capitulo congregato in ſeparatis ſchedulis ſcribantur, & coram ipſo ante omnem aliam actionem, vt tempus ſit accedendi ad locum, in quo celebratur Capitulum, ſi fortè electi non eſſent de eius corpore, in vrnam mittantur, & quinque ex eis ſortè extrahãtur, quorum munus pro illo anno erit celebrandi more ſolito Priorum electionem, adhibitis præceptis in virtute ſanctæ obedientiæ pro ſecreto tegendo, & pro negando ſuffragio ijs, qui per ſe, vel per alios in Guardianorum, ſeù Priorum munus ſe commendabunt: quòd ſi ſors cadat ſupra hominem, cuius merita cogunt electores ed eum eleuandum in Definitorem, ſeù in Prouincialem, alius extrahatur de vrna de corpore Capituli, ob temporis anguſtiã, quia ille tanquam Definitor, ſeù Prouincialis non eſt cenſendus idoneus pro eligendis Guardianis, ne ab intereſſe ductus ſuos ſectatores eligat: verùm ſi diſtantia locorum dare ſortes pro illis quinque hominibus, qui ſtatim deueniant ad Priorum electiones, prohibet, fiant in quolibet Capitulo pro futuro Capitulo hoc, ſeù alio modo: extrahantur ab vrna quinque ſchedulæ, quæ erunt inuoluendæ in chartis duobus ſaltem, ac diuerſis ſigillis muniendæ, atque includendæ in ſecreto loco, adhibitis duabus, ac diuerſis clauibus, quæ ſingulæ ſingulis hominibus, qui non ſint de corpore Definitionis, ad omnem ſuſpicionem remouendam, & ob alias rationes ſatis notas intelligenti, cuſtodiendæ tradantur, nec aperiantur, niſi à Prouinciali, ſeù ab aliquo alio de ipſius mandato, & niſi pauló ante Capitulum futurum celebrandum, vt electi commodè accedere poſſint ad locum, in quo celebratur illud, & niſi coram tota familia loci, in quo fuerunt cuſtoditæ, vt fidelitas cuſtodiæ appareat.

Nec obſtat electionem non poſſe fieri per ſortem, vt patet ex c. Eccleſia de ſortileg. quia ſacri Canones reprobant electionem paſſiuam. Ita colligitur ex Caiet. 2.2. quęſt. 95. art. 8. Azot. p. 1. lib. 9. c. 21. Leſſ. de iuſt. lib. 2. c. 43. dub. 9. n. 58. Mirand. tom. 2. quæſt. 23. art. 18. & quamuis Suar. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtit. c. 12. n. 55. verba textus amplict ad Compromiſſarios pro electionibus celebrandis dicens: Ex diſcurſu illius textus conſtat non tantùm eſſe prohibitam ſortem in ipſa dignitate Eccleſiaſtica, officio, beneficioque conferendis; ſed etiam in eligendis, vel nominandis Compromiſſarijs ad electionem faciendam. Ratio eſt; vel quia etiam prouiſio Eccleſiæ immediatè in ſortem reducitur; vel quia incommoda non euitantur in illa ſortitione; nam poteſt fieri, vt electus per ſortem ſit indignus, & ineptus ad illud munus, & Eccleſia maximum patiatur incommodum; nihilominus, admiſſa pro nunc eius ampliatione, adhuc verba textus non militant aduerſus modum iſtum eligendi. Prim. quia verè non diceretur electiones actiuas Priorum per ſortes fieri; quoniam electores fuerunt per ſuffragia canonicè electi, ſed ſors tantum eorum numerum ad euitanda mala reſtringit. Sec. quia omnes illi iam fuerunt idonei iudicati per maiorem ſuffragiorum partem, & ita vbi ceſſat ratio legis, in qua fundatur, nullo modo verba legis extendi poſſunt. Thom. Sanch. ſumm. lib. 1. c. 38. n. 75. magis immediatè aduerſatur propoſito modo eligẽdi; proponit enim caſum hiſce verbis: (Quandò plures à maiori parte eliguntur, non vt omnes eo munere fungantur, ſed vt ſortes mittantur poſtea inter illos, vt aliquis, in quo ſors cadit, eo munere fungatur) & affirmat etiam iſtum modum eligendi eſſe prohibitum per textum ſuperiùs relatum, quia generalis eſt prohibitio, & verè abſoluta electio terminatur ſortibus: verũ Doctoris doctrina ſatis deſtruitur ex alia ipſius doctrina; aſſerit enim lib. 2. de matrimon. diſp. 37. n. 3. aliud eſſe ceſſare rationem legis in aliquo caſu, aliud verò rationem legis non ſe extendere ad illum caſum; nam in priori caſu lex ex ſe, & ex ſua generalitate comprehendit illum caſum, in eoque locum habuit, aliàs non diceretur ceſſare rationem, ſeù legem, cum nec lex, nec ratio locum habuerit in eo caſu, & quod nunquam fuit ceſſare nequit: in poſteriori verò nunquam ratio legis amplexa eſt illum caſum, & per conſequens nec lex ipſa, cum, quantumcumque verba legis generalia ſint, reſtringantur, & intelligantur iuxta limites ſuæ rationis, eò quod ſit ratio legis anima ipſius. c. Ratio nulla. de præbend. & l. cum pater. §. Dulciſſimus. ff. de legatis 2. & docet Tiraquell.

multis citatis tr. ceſſante cauſa t. p. n. 138. & l. ſi vnquam verbo libertatis n. 45. C. de reuocand. donat. cum ergo ratio legis prohibentis ſortes in electionibus Eccleſiaſticis ſit ad tollenda incommoda indignorum, quia ſors eſt cæca, & poteſt cadere tam ſupra indignum, quàm ſupra dignum, & cum modus propoſitus indignos ſecerhat valida electione à dignis; ideò doctrina prima Saneh. corruit ex ipſius alia, & firmatur modus eligendi Guardianos, ſeu Priores, cũ principaliter nõ terminetur ad ſortẽ, ſed ad idoneos pro eligẽdis Prioribus, ſecũdariò ad ſortem, quatenus reſtringit numerum, & id non videtur prohibitum per textum. Imò addo, quòd ſi lex quamcumque electionem & paſſiuam, & actiuam amplecteretur; adhuc iſte modus non eſſet prohibitus, quia, vt rectè notat Barboſ. in collectan. DD. decret. diſt. 21. c. Clericos, tunc licita cenſebitur ſors, quandò de perſonis idoneis datur, vt factum eſt ab Apoſtolis in electione Matthiæ; miſerunt enim ſortem inter Matthiam, & Barnabam inter omnes digniſſimos, iam quidem electores Priorum fuerunt per ſuffrágia exiſtimati digni, ac idonei.

Nec obſtat, quòd non cognoſcent mores eligendorum, quia coram ipſis faciendum erit examen motum Guardianorum, ſeu Priorum iuxta motem vniuſcuiuſque Religionis, & ſi de alijs Religioſis erunt admonendi, vt in dandis ſuffragijs procedant cautiùs, admoneantur, & ſi ob aliquam cauſam vrgentem expediens non erit, confirmatio diſcernet bonum à malo.

Nec obſtat, quòd intra ipſos electores multæ, ac multæ ſubornationes poſſunt fieri, quia iam præceptum de non conferendis ſuffragijs illis, qui ſe commendatos dederunt, impoſitum fuit, & ipſi electores pro illa vice ab officio Priorum ſunt excludendi, & ſi aliquandò excitabuntur, minus malum erit damnum permittere in damnum, ac perniciem illarum animarum, quàm tolerare Definitorum, ac Prouincialium detrimentum in ruinam non ſolùm propriarum animarum, ſed etiam totius Prouinciæ laborantis factionum morbo, qui è directò regiminis finem inficit; & tandem ſi mala in vna Guardianorum, ſeu Priorum electione ſuſcitabuntur, non tamen annuatim; vtna enim diuerſos pariet electores; idem remedium videtur poſſe applicari illis Religionibus, quarum Priorum creatio ſpectat ad Religioſos cœnobiorum, quia cum in multis rebus ab ipſis Patribus maioribus dependeant electores illi; ideò diuiſio facillimè oboriri poteſt.

## DVBIVM XXXVIII.

*An ex neceſsitate regiminis, ac conſcientiæ Priorum electio à Prouinciali, ac Definitoribus eximenda ſit.*

### SVMMARIVM.

1. *Diuiſione quadam hominum religioſorum oſtenſa, oſtenditur etiam cauſa mutationum variarum electionum.*

2. *Leges humanæ mutari poſſunt; quadam habetur limitatio.*

3. *Tribus modis creari poſſunt cœnobiorum Priores, & in quolibet excitari poſſunt incommoda.*

4. *Statuta humana omnia vitia cohibere nõ debent, ſed grauiora.*

5. *Pro reformatione huiuſmodi Prouinciæ validis rationibus oſtenditur Priorum electionem è manibus Definitorum, ac Prouincialium eſſe auferandam.*

6. *Huiuſmodi electio nõ eſt concedenda neque Generali, neque conuentibus, neq; Capitulo Prouinciali, neque hominibus antiquioribus, ſed tantùm nouo modo deſignato: & duabus ſatiſfit obiectionibus.*

1. Not. prim. quòd duobus modis Religioſi in congregatione degẽtes ſunt inſpiciẽdi. Prim. ita vt, qui regit, ſit Auguſtinus, ſic loquitur Nauarr. comm. 3. de Regular. n. 10. & qui obediunt, ſint Poſſidonius, ideſt quòd ſanctitas in vtroque fulgens fulgeat etiam in omnibus Religioſis, & tunc omne regimen eſſet bonum, imo ſanctum, nec incommoda, ob quæ plerumquè fuerunt factæ immutationes, & denuo erunt faciendæ, inſurgerent; vndè Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 3. reſpondens obiectioni contra regimen Societatis aſſerit, quòd, qui perfectionem obedientiæ profitentur, debent eſſe contenti ea electione Prælati, quam inteligunt eſſe

magis

magis conſentaneam diuinæ Voluntati, & per ſe meliorē: ſi loquitur de Religioſorum moribus deſcriptis, piè, ac ſanctè loquitur: ſi poſtea de moribus prout in ſecunda acceptione, potiùs eſt ad confirmandum abſolutum regimen in eius Societate ſeruarum, quàm ad conſtituendam, & inſtruendam leuem, & ſuauem gubernationem iuxta diuinam Voluntatem in ſacris Canonibus oſtēſam, quæ iugum graue ab hominibus tollit, vt ipſi inuiti Superiores non ſubeant. Sec. ita vt adhuc aliqua affectione ſint induti; nec virtute eximij, quaſi nolentes cedere iuri meritorum, quod per profeſſionem ad omnia bona Religionis acquiſierunt: ſecundùm ergo horum morum menſuram, cuius contemplationi ſemper meo iuditio regimē ad præcauenda incommoda in quacumque congregatione Fundatores inſtituerunt, optimè Suar. vbi ſupr. n. 15. concludit, quòd humana prudentia nequit omnia incōmoda præcauere, ſed illa præfertur, in qua regulariter pauciora inueniuntur: hinc eſt, quòd temporis decurſu natura humana ſemper ad malum prona ex regimine ſanctè inſtituto multa incommoda extorſit, ob quæ deindè multæ mutationes fuerunt factæ; nam in Eccleſia Dei ablatæ fuerunt electiones Epiſcoporum, quæ olim à Clero, & populo fieri ſolebant, eò quòd paſſim diſſidia, inuidiæ, ambitiones, factiones, ſimultates, capitaleſque inimicitiæ oriebantur. Ita Azor. p. 2. lib. 6. c. 14. quæſt. 1. Suar. vbi ſupr. in nonnullis Religionibus Priorum electiones à cœnobijs fuerunt reſciſſæ, ac conceſſæ ob eandem rationem, vt aſſerunt Nauarr. Mirand. & Rodriq. vbi ſupr. dub. 35. Definitoribus, ac Prouincialibus; imò modus eligendi ſummos Pontifices ſecundùm varia tempora fuit varius ad ſedandas contentiones, rixas, ſcandala, ac ſeditiones, vt docet Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. n. 49. vndè Innoc. III. in Concil. generali Lateran. & refertur in cap. Non debet extra de conſang. & affin. ait: *Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatuta quoquè humana variantur, præſertim cum vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcit, quoniam ipſe Deus ex ijs, quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, quædam mutauit in nouo.*

2. Not. ſec. quòd lex humana, ſeù conſtitutiones abſque nota incidendi in cap. Ridiculum diſt. 2. vbi dicitur: *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitùs à Patribus ſuſcepimus, infringi patiamur:* in commune bonum immutari poſſunt. Ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 97. art. 1. imò ex ſententia S. Auguſt. lib. 1. de lib. arbitr. ait: *Lex temporalis, quamuis iuſta ſit commutari tamen per tempora poteſt:* nota (*per tempora*) nam rationes S. Thom. ſuper hoc verbum innituntur. Prim. ex parte intellectus, qui procedit de imperfecto ad perfectum; & ideò, ſi aliquandò ſtatuit aliquid ignoranter imperfectè non valens omnia ex ſe ipſo conſiderare, conſiderans poſtea malà ſecundùm temporum varietatem orta, mutat in perfectius. Sec. ex parte hominū, qui ſecundùm diuerſas conditiones, ſiue complexionum, ſiue temporum diuerſis legibus regi debent: videatur Auerſa 1. 2. qu. 97. ſect. 1.

Limita tamen nō ſemper legē eſſe immutandā, quotieſcunq; aliquid meliùs occurrit, ſed quandò nouū ſtatutū in ſe maiorem cōtinet vtilitatē, quàm ſit vtilitas legis abrogādæ, eiuſque cōſuetudinis, quæ eſt non paruū bonum pro obſeruatione legis introductæ, imò à Medina 1. 2. quæſt. 97. art. 1. nuncupatur vis conſtrictiua legis; quarè Silu. inferiùs citandus ait: Lex mutatur in quantū per eius mutationem prouidetur bono communi; & Vlpianus in l. 2. ff. de conſtit. Princip. inquit, quòd in rebus nouis conſtituendis euidens debet eſſe vtilitas, vt recedatur ab eo iure, quod diù æquum viſum eſt: quandonam, quæſo, illam adeſſe cenſendum eſt? *Quandò*, inquit S. Thom. vbi ſupr. artic. 2. *contingit vel ex hoc, quòd aliqua maxima, & euidentiſſima vtilitas ex nouo ſtatuto prouenit, vel ex eo, quòd lex conſueta, aut manifeſtam iniquitatem continet, aut eius obſeruatio eſt plurimùm nociua:* & iuxta hāc doctrinam reſpondendum eſt omnibus authoritatibus legum mutationem prohibentibus; & quamplurimæ adnotantur à Sanctorio in comment. in ſtatut. fratr. Minor. de obſeru. c. 12. ſtat. 12. in fin.

3. Not. tert. quòd tribus modis creari poſſunt inferiores Prælati, vt ait Suar. vbi ſupr. Prim. per electionem à tota communitate conuentus, & commēdatur à Peirin. de Prę lato quæſt. 1. cap. 4. §. 3. Sec. à Generali

cum

cum aliquorum conſilio, vt in ſocietate Ieſuitarum, & extollitur à Suar. Tert. à Prouinciali vnà cum ſuffragijs Definitorum, & laudatur à Nauarr. Mirand. & Rodriq. vbi ſupr. Primus modus habet in primis magnũ periculum incidendi in ſpiritum ambitionis, inquit Suar. quæ eſt peſtis Religionis, quia, quò electio magis inclinat in regimen democraticum, eò magis eſt huic vitio expoſita; in quocumque enim ſtatu ſunt pauciores viri prudentes, & à priuatis affectibus liberi; & ideò, quandò electio eſt apud multos, neceſſe eſt, vt ibi ſint iuuenes, vel minùs prudentes, in ſuis affectibus non ſatis moderati, vndè facile eſt eos corrũpere, decipere, ſubornare, & ſpiritum ambitionis in eos generare, vt experientia docet. Prætereà, ex huiuſmodi electionibus plerumquè ſeditiones, ſchiſmata, inuidiæ, odia naſcuntur, quarè Nauarr. comm. 3. de Regular. n. 10. ait, quòd ad concordiam conueniens fuit vnum Prælatum eligi ex tota, ſeù maiori parte conuentus, vt habetur in c. Adrianus. c. Valentinianus. diſt. 63. & c. Cum dilectus, de conſuet. & c. Quia propter de elect. ſed quia progreſſu temporis homines in diſcordiam, ſeditionemque abierunt, Romani Pontifices cœperunt electionibus derogare: aliud incommodum etiam ſequitur, quoniam Prælati electi non benè tractant eos, qui ſuffragijs eorum electionẽ non auxerunt: multa denìquè alia ſequuntur mala, præſertim circa nouos profeſſos, qui in maximum Religionis detrimentum virtutes per vnius anni circulum maximo labore, & induſtria cumulatas facillimè deperdunt, ob quæ euitanda multæ Religiones hunc modum reliquerunt. Secundus modus poſtulat hominem ab omni affectione nudum, ita vt cum ſeraphico Franciſco colluctari poſſit, aliter eſt periculũ incidendi in tyrannidem, quamuis prudentes habeat Conſiliarios, tum quia non eſt Tyrannus adeò iniquus, qui ab aliquibus conſilium in actionibus non poſtulet, tum quia, reluctantibus conſiliarijs, adhuc Superioris voluntas manet, & ſubditi manent in eodem periculo plurimas patiendi iniurias, & ſi iuſtè reclamabunt, ianua illa omnibus non profeſſis aperta ad modum enſis Tyranni inſeruire Generali poteſt, maximè ſub prætextu zeli, quia incipiunt ſeditioſe ſe habere; vndè pericli tatur iuſtitia diſtributiua, commutatiua, & charitas in totale Religionis damnum: nec iſte modus eſt omninò expers ambitionis, vt vult Suar. quia, cum ambitioſi ferantur in amorem propriæ excellentiæ, per varias vias tentabunt dignitates adipiſci corrumpendo Conſiliarios, amicos, familiareſque Prælati, implendo clamoribus domos ob tot labores in Religionis honorem neglectos, tandẽ fingẽdo ſanctitatem, ſimulado dignitate ſe abhorrere, & quod peiùs eſt ſub ſpecie zeli Generalem monendo de omnibus Religioſorũ actionibus: aliud incommodum graue ſequitur, quoniam difficillimũ eſt habere notitiam Religioſorum pro promouendis ad munus Prælatorum in tanta multitudine hominum diuerſarum nationum, & locorum remotiſſimorum, ita vt meliores ſint electi, prout iuſtitia poſtulat. Nec iſta notitia perſonarum poteſt comparari per aliorum relationem, tum quia ignorantia eorum, qui informant, poteſt inſeruire Generali ad promouendos homines, tum quia paſſiones non moderatæ multorum, & affectiones ſubminiſtrare poſſunt mores promouendorum iuxta paſſiones, & affectiones, tum quia informationes ſunt petendæ ab hominibus eiuſdem Ordinis aptis ad eadem munera præſtanda, nec non & officia; vndè facillimè pro fundamento notitia Generalis ſiniſtras habere poteſt informationes, tum quia multitudo iudiciorum pro electionibus generare ſolet maximam confuſionem. Occurrit Suar. vbi ſupr. quòd hoc malum nequeunt euitare Pontifices, neque Reges, neque Epiſcopi, quia actiuæ eorum electiones dependent ab informationibus habitis ab hominibus fide dignis: concedit ergo in hoc regimine hoc incommodum, idque ſoluit ab aliorum incommodis, quod eſt dicere, nulla aſſignari poteſt ſolutio, niſi recurrendo ad velamen aliorum regiminum, & malè. Prim. quia informationes promouendorum à Pontifice, à Rege &c. neceſſeriò modo deſcripto ſunt eliciendæ, quia de neceſſitate debet eſſe vnus Rex, vnus Epiſcopus, & præſertim vnus Pontifex; ſed informationes promouendorum à Generali per totum Orbem ſunt ex libera electione talis regiminis contra communem vſum omnium Religionum, ac proindè voluntariè hoc maximum incommodum patitur: nec electores, aliarum Re-

ligionum

ligionum talibus communiter indigent informationibus, quoniam frequenter homines ſimul viuunt, & habitant, & ſeſe benè norunt, & de his, quæ noui, informatione non egeo, & ſi egeo, præſentia dat, vt diſcernatur malum à bono, purum ab impuro, quod negat abſentia. Sec. quia informationes Pontificum, Regum, &c. poſtulantur ab eis, qui nullo modo ſunt ſuſpecti de ſiniſtra informatione, quia ad munera dignitatum conferendarum non ſunt promouendi, non ita in tali regimine, quia ſunt petendæ ab illis aptis ad eadem munera præſtanda. Tert. denegata dignitate nonnullis ob ſiniſtras informationes à Pontifice, à Rege, &c. non violatur aliquod ius, per quod neglecti remaneant in iuſtitia læſi, quia nullum ius ad illa munera habent, ſed in tali regimine eorum, qui dignitatibus priuantur ob ſiniſtras informationes, violatur ius, quod per profeſſionem ad omnia munera Religionis acquiſierunt: hinc eſt fortè aliud periculum incidendi in aliam ſpeciem tyrannidis, quòd tantùm pauci à Generali cogniti ad regimina promoueantur cum multorum aliorum oppreſſione, qui ſuos annos pro Religionis ſplendore conſumpſerunt legendo publicè, decertando, prædicando, confeſſioneſq; audiendo, &c. imò cũ ipſius Religionis oppreſſione, quia depauperatur hominibus, à quibus authoritate, & tandem experientia multa munera pro Religionis conſeruatione laudabiliter erunt exercenda: tandem etiam videtur aliud incommodum, nimirùm quòd illæ rixæ, ſeditiones, murmurationes maxima in parte, quæ excitantur inter homines, ſi electiones à cœnobijs celebrarentur, inter ſubditos, & Superiores oriuntur, quia nimis durum eſt, & iugum ſupra vires ſemper ſuper humeros inuita voluntate hominem ferre, qui omnes actiones ſeuera meditatione indagare, & cognoſcere vult, & ideò in ſacris Canonibus habetur non dari Prælatum inuitis ſubditorum voluntatibus: ob id etiam, inquit Nauarr. 3. comm. de Regular. num. 10. ad concordiam, ſcilicet inter ſubditos, & Superiores fuiſſe ſtatutum, vt præficiatur Prælatus, quem conuentus elegerit: hoc idem aduertit Suar. vbi ſupr. lib. 2. c. 3. num. 2. loquendo de Generali, dum ait potuiſſe ſummum Pontificem ſibi reſeruare creationem Generalis, ſed noluit, & reliquit eum per legitimam electionem creari, vt ſuauiùs, & commodiùs Religionibus prouideret, vt nimirùm ipſa Religio in Paſtore ſibi eligendo conſentiret, & vt ſufficientia electi à ſuiſmet ſubditis publicum haberet teſtimoniũ, & ita cum maiori amore, ac fiducia à tota Religione ſuſciperetur: ex verbis ergo Suar. ſatis dignoſcitur eſſe nimis durum, & ſatis repugnare ſuauitati regiminis Prælatorum creationes pendere ab vno ſolo Superiore eligente. Occurret fortè quis, quòd querelæ ſubditorum etiam de grauamine illato à Prælato non admittuntur ad tollendas rixas, &c. & ad conſeruandam ei debitam reuerentiam: huic reſponſioni decantari poteſt carmen illud;

*Incidit in Scyllã cupiens vitare Charybdim.* tum quia ius diuinum, naturale, & humanũ violatur, quod iubet parti læſæ eſſe ſatisfaciendum, nec rixæ, ſi ob id excitarentur, eſſent rixæ ſed pro parte læſa defenſiones, tum quia eſſet dare manus tyrannico regimini, tum quia eſſet maximum periculum incidendi in non parua incommoda, imò in manus violentas aduerſus Superiores, tũ quia præſertim offenderetur ipſa Religio, quæ ſecundùm æquitatem omnes materno affectu amplecti debet concedendo iſtud commodum Superioribus, ne in delictis cõmiſſis puniantur tolerando in ſubditis ineõmodum illati grauaminis cum ſubtractione debitæ iuſtitiæ, ac proindè extra Religionẽ tot tribunalia videntur erecta, nonniſi ad ſatisfaciendum iniurijs illatis Religioſis ob denegatam iuſtitiam. In tertio modo eligendi Superiores inferiores prætermiſſo malo ſubornationum, quod inter eligentes facillimè oboriri poteſt, ferè tota Religio periclitatur in incommodum incommodorum ruere, diuiſionum ſcilicet, ac ſeditionũ in perniciem baſis Religionis, quæ eſt ſocietas humana, charitas, pax, & vnitas, quibus deſtructis, non eſt ampliùs dicenda Religio, ſed confuſio; audiamus quæſo D. Gregor. Nazianz. oration. 14. *Sed nihil perindè graue, atque acerbum eſt, vt pax pulſa, & fugata, & Eccleſia decore ſuo ſpoliata, priſcaque dignitas, & amplitudo ſublata, & extincta, atque adeò inuerſa ordinis ratio, vt qui prius ex non populo populus, & non ex gente gens facti fueramus, nunc in eo periculo verſemur vt verendum*

*rendum ſit, ne ex populo maximo & gente in non populum, & non gentem redigamur, atque in veterem illum ſtatum redeamus, in quo eramus cum nobis non imperares, neque in vnum nomen, & claſſem vnam conueniſſemus.*

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. HVmanæ leges, ſeù ſtatuta non debēt cohibere omnia vitia, ſed grauiora, à quibus maior pars cōmunitatis per leges, ſeù ſtatuta poterit cohiberi. Concluſio eſt S. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 2. vbi Medin. Mirand. tom. 2. quæſt. 25. artic. 12. Suadetur ex S. Auguſtin. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. vbi ait: *Humanæ leges multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per diuinam Prouidentiam vindicantur*: ex rationibus, tum quia humanæ leges imponuntur iuxta hominum conditionem, & capacitatem, quæ eſt fragilis, & labilis, & menſura debet proportionari illis, quos metiri debet, non poſſunt homines ſe abſtinere à vitijs, quia eſt proprium iuſtorum & perfectorum, qui ſunt pauci, & lex imponitur multitudini: ergo leges, & ſtatuta non omnia vitia cohibere debent, ſed grauiora, à quibus multitudo cōmunitatis abſtinere poteſt, tum quia multa permittuntur in pueris, quæ vituperantur, & puniuntur in adultis; quò fit, vt multa permitti poſſint in multitudine imperfectorum, quæ non tolerantur in perfectis; quarè benè loquitur Suar. vbi ſupr. quòd in quocumque ſtatu ſunt pauciores viri prudentes, & à priuaris affectibus liberi: Medin. quoque: Cōmunitas hominum aliquos admittit defectus; eſt enim maior pars communitatis hominum imperfectorum.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. GVardianorum, ſeù Priorum electio ex neceſsitate regiminis, & conſcientiæ è Definitorum, ac Prouincialium manibus eximenda eſt. Suadetur prim. ex S. Auguſt. lib. 1. de lib. arbitr. c. 6. vbi ait: *Quādo populus eſt benè moderatus, & grauis, communiſque vtilitatis diligentiſſimus cuſtos, in quo vnusquiſque minoris rem priuatam, quàm publicam pendat, rectè lex fertur, qua tali populo liceat ſibi creare magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtratur: porrò ſi paulatim idem populus deprauatus habeat venale ſuffragium, corruptuſque ab eis, qui honores amant, regimen in ſe flagitioſis, ſceleratiſque committat, rectè adimitur populo talis poteſtas dandi honores*: ſed huiuſmodi electores habent venale ſuffragium, quia pro ſui vtilitate, & conſuetudine quaſi vendunt vota factionarijs, hiſque ſeditioſis regimen committunt: igitur ex neceſſitate Priorum electio ex eorum manibus eſt auferenda. Sec. tunc ſtatutum eſt ex neceſſitate immutandum, cum eius abrogatio continet in ſe maiorem vtilitatem, quàm ſit vtilitas legis abrogandæ, eiuſque conſuetudinis, & quandò eius obſeruatio eſt plurimùm noxia. Ita S. Thom. vbi ſupt. nonne ſtatutum celebrandi electiones à Definitoribus, ac Prouincialibus huius miſeræ Prouinciæ communitati plurimùm nocet? ſanè, quia offendit iuſtitiam commutatiuam non conſulendo bono communi in conſeruatione vnitatis, & concordiæ, quibus conſeruatur, & augetur, nec non & diſtributiuam, quia multi, & multi negliguntur, & poſtponuntur: ergo eſt immutandum; proindè dicebat S. Thom. 2. polit. lect 12. *Leges malæ ſunt mutandæ*: Tert. lex ordinatur ad bonum commune, ideò præcipit immediatè ea, quæ ſunt directè propter bonum commune, vel mediatè, ſicut cum aliqua ordinantur à Legiſlatore pertinentia ad bonam diſciplinam, per quā ciues informantur, vt bonum iuſtitiæ, & pacis conſeruent. Ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 5 ergo ea, quæ non ſunt ad conſeruandam iuſtitiam, & pacem nequeunt præcipi, neque conſeruari: ſed lex de celebrandis electionibus à Definitoribus, ac Prouincialibus ex eorum malitia deſtruit vtramque iuſtitiam & commutatiuam, & diſtributiuā, & reſpicit amicos, & factionarios in proprium commodum, pacemque eijcit, diſcordiam nutrit: igitur ex neceſſitate eſt abroganda, & annullanda. Quart. lex datur præſertim ad euitanda mala grauiora, à quibus poſſibile eſt maiorem partem multitudinis abſtinere, & præcipuè quæ ſunt in nocumentum aliorum, ſine quorum prohibitione ſocietas humana conſeruari non poteſt. Ita S. Thom. vbi ſupt. art. 2. ſed huiuſmodi electio apud Patres fouet ſeditionē, rixas conſeruat, &c. per quæ humana ſocietas

tas diſſoluitur, vndè ſatis dignoſcitur malitiam ſuperaſſe bonitatem legis, eiuſque finem, nempè vnitatem, & pacem deſtruxiſſe: igitur concludendum eſt neceſſariò eſſe abrogandam, & annullandam: poſſet etiam probari ex alia doctrina S. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 2. docentis, quandò ceſſat ratio boni communis, eiuſque vtilitas, ſtatim lex ceſſat: videatur Medin. ibid. Auerſa de legib. quæſt. 97. ſection. 5. Suar. de legib. lib. 6. cap. 9. num. 3. an requiratur reuocatio Principis nec ne, apud DD. eſt in controuerſia: conſulite Suar. cit.

*TERTIA CONCLVSIO.*

6. Priorum, ſeù Guardianorum electio non eſt concedenda neque conuentibus, neque Generali: non conuentibus ob incommoda, quæ ſolent oboriri, prout in tert. not. proindè Summi Pontifices cœperunt iuri conuentuum derogare, vt notat Nauarr. vbi ſupr. non Generali ob inconuenientia ibi recenſita; ideò nulla Religio talem arripuit modum eligendi Superiores inferiores, nec vult tantam dignitatem, authoritatemque ipſi Generali præbere.

A quonam ergo huiuſmodi creatio fieri debet? à toto Capitulo prouinciali, minimè quidem, quia excitaretur non parua confuſio, prætet ſeditiones, factiones, ſubornationes, &c. neque à paucis, & ſelectis hominibus ex antiquioribus profeſſis, quia antiquitas profeſſionis non affert ſecum ordinariè omnia dona neceſſaria, quæ requiruntur in electionibus: à paucis ergo, & per vrnas ſelectis hominibus, ſed prius electis per ſuffragia, vt dicebam ſuperiùs.

Dices pro eligendis ijs, vt habeant locū in vrna, poſſunt fieri ſubornationes; & ideò immitterentur in vrnam parum idonei ad tam graue munus exequendum. Reſp. quòd electores iſtorum hominum erunt Priores inter omnes Religioſos exiſtimati meliores; & ideò non de facili ſuffragabuntur indignis, cum nihil, aut parum vtilitatis ex hoc comparaturi ſint; & ſi fient, lex non debet omnia mala prohibere, vt ait S. Thom. vbi ſupr. ſed illa maiora, quæ præſertim lædunt ſocietatem humanam, vnitatem, ac pacem; vndè eſſet iſtud paruum damnum tolerandum ad euitanda tot mala enarrata: quòd ſi electi pro vrna per impoſſibile eſſent omnes indigni, dico per impoſſibile, quia difficile creditur, quòd tot homine electi ad alios regendos ſint ita à Paradiſo alieni, vt pro nihilo velint ſe tot laqueis indignos eligendo vincire; tunc regula D. Th. 1. 2. qu. 97. art. 1. D. Auguſt. vbi ſupr. eſt ſatis clara. Primus ait, legem poſſe immutari ob mutationem conditionū humanarum. Secundus inquit, quòd, quādò ſuffragium populi eſt venale, & indignus eligitur, eſt ei auferenda poteſtas conferendi honores: auferatur ergo omnis modus eligendi ab iſta Prouincia, & conferatur Generali, ſeù Viſitatori vnà cum duobus alijs ſicut videbitur magis expedire.

Dices, in primo Capitulo, in quo per vota ſunt nomina immittenda in vrnam, facillimè erunt ferè omnes ex vna factione, qui pro ſuis ſuffragia ferent, & non pro alijs ex contraria factione, inſtructi ab illo dicto, quod eſt velamen omnium malorum: *Ex noſtris ſunt meliores, ſeù noſtra pars eſt ſanctior*; & ita nullum remedium tantæ reuolutioni erit appoſitum. Fateor hanc eſſe illam difficultatem, quæ magis huic modo obſtat, nihilominus reſpondeo, quòd electio iſtorum hominum celebranda eſt magis, & minùs ſecundum æqualitatem factionum, quod facillimè debere ſequi cenſendum eſt, quia lumen huius doctrinæ tenebras lachrymabilis ſtatus fugabit, & in meliorem frugem mutabit: quòd ſi malitiosè perſiſterent in eligendis ſuis, pro prima vice defectus ſuppleatur à Generali, ſeù Viſitatore cum alijs duobus, priùs cognita meritorum cauſa.

Verùm opportunum remedium hoc videtur eſſe ad factiones inueteratas euertendas, imò iuxta regulas Ariſtotelis, dum tradit modum reformandi multitudinem corruptam, vt intelligenti ſemper videbitur, prout in ſubſequenti dub. ſed quia, quandò tractatur de plurimis legibus immutandis, vt eſt in caſu lex Diſcretorum, & lex Priorum, dum adeſt aliud remedium, videtur hoc antidotum nimis violentum, quoniam omnis reformatio dulciter eſt introducenda, vt benè aiebat Caietan. apud Rodriq. tom. 2. quæſt. 53. art. 4. ad Prouincialem

Prouinciæ luſitaniæ ipſum ſuper reformatione Ordinis in eo Regno conſulentem: *Coge intrare mare per fluuium*: ſignificans paulatim, & ſuauiter, ſi fieri poteſt, & non ex abrupto vltimam reformationem eſſe introducendam: aſſentit Emin. Lugo de iuſt. diſp. 9. ſect. 2. num. 23. proindè ſubſequenti remedio eſt fortiter innitendum: non deletur tamen præſens ad oſtendendum, quòd, quando eſſent ex neceſſitate in aliqua Religione faciendæ huiuſmodi mutationes, maximo cum fundamento fierent, tum ex vi regiminis, tum etiam ex vi conſcientiæ.

## DVBIVM XXXIX.

*Aliud remedium, & congruum ex doctrinis S. Thom. Ariſtotel. aliorumque politicorum deſumptum deſignatur ad euertendas factiones in Prouincia, de qua ſupra.*

### SVMMARIVM.

1 A *Religionum familijs duplex regimen eſt propagandum: alterum temporale: alterum verò perfectionis.*

2. *Factio quid: eſt enim malum, quod opponitur regimini temporali.*

3. *Imperia ſunt erecta ad euertendas factiones, nonniſi mediante iuſtitia diſtributiua.*

4. *Pro reformatione politiæ corrupta ſunt ſupprimendæ inordinationes, nouo introducto ordine, ac forma.*

5. *Deſignatur modus reformandi huiuſmodi Prouinciam.*

6. *Adnotantur effectus boni, qui oboriuntur ex modo deſignato, nonnullis ſolutis obiectionibus.*

7. *Quonam modo ſit facienda meritorum diſcuſſio pro infimis Præfecturis.*

1. Not. prim. quòd duplex regimen à Religionum familijs eſt neceſſariò propagandum; alterum temporale, à natura inſtitutum pro multitudinis conſeruatione; alterum verò perfectionis, ad quam quilibet Ordo ſecundùm proprium inſtitutum eſt ordinatus: de hoc ita loquitur Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 1. num. 6. to. 2. Finis dignitatum regularium videtur eſſe, vt Prælati ex dignitate aſſumpta, officioque ſuos ſubditos in regulari diſciplina contineant, eoſque promoueant ad perfectionem religioſam, ad quam Ordo ille eſt inſtitutus: quòd ſi fortè fragilitate humana congregatio illa primum feruorem, & obſeruantiam non retinet, officium Prælati poſtulat, vt cura, ac diligentia paulatim obſeruantia, & perfectio regularis reſtituatur: de illo ſic loquor ego: ſi perfectio promoueri nequit, niſi vnita multitudine, vt ſatis conſtat ex ſuperioribus; ideò dicebat S. Bonau. opuſc. de perfect. vitæ ad Sorores: *Clauſtralibus pax eſt ſummè neceſſaria*: ſi eſt addictum mortalitati, factionibus ſcilicet, ac ſeditionibus, vt patet; ſi habet augmentum, ſtatum, & declinationem, vt videtur; ſi ſuccumbit Superiorum tyrannidi, vt probatur, quæ omnia ſunt morbi, ac labes regiminis temporalis, quomodò poſſunt Religionum Prælati eximi ab obligatione illud propagandi, quo prædictis obſtatur malis? ò quot incommoda oboriuntur in Religionibus ob Prælatos, qui ignorantia ducti, vel fortè malitia, ne iure dominij priuentur, non curant huiuſmodi regimen propagare: vtrumque munus inſinuare videtur B. Laurent. Iuſtin. de regim. Prælat. cap. 4. vbi ſic loquitur: *Sic quippè cura animarum bona eſt in ſe ab ipſo Summo inſtituta, & praeordinata bono ad laudem vtique ſuam, ad mutuam exercendam charitatem, ad profectum virtutum, ad meritorum additamentum, ad decorem fidei, ad perfectionem corporis ſui, & ad ſingulorum membrorum* (nota) *vnitatem ſeruandam; quam profectò curam quicumque, prout decet, adminiſtrare neglexerit, malus eſt, & penè innumerabilium criminum eſſe cenſendus eſt reus, quoniam pretioſum Domini theſaurum, nedum multiplicare deſpexit, verùm etiam illum diſperſit.*

2. Not. ſec. quòd factio ex doctrina S. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 2. clariùs hoc definiri poteſt modo. Factio eſt, qua vnitas multitudinis diſſoluitur, diſcordantibus contra ſe inuicem partibus, quæ nonnullos conantur eleuare ad dignitates: de genere enim ſuo eſt peccatum mortale; inquiunt Thomiſtæ cum ſuo magiſtro, eò quòd deſtruit vnitatem, ac pacem, ad quam pro conſeruatione quælibet multi-

multitudo, ac Imperia ordinantur, & eſt malum, quod è directò opponitur non regimini ſpirituali, ſed temporali, vt elicitur ex Ariſtotel. 5. polit. cap. 2. & habetur ex Decian. de crim. læſæ maieſt. lib. 7. cap. 19. tom. 2. *Aeternæ*, ait, *forent Reſpublicæ, æterna Regna benè inſtituta, & iuſtis legibus munita, ſi ſeditiones forent incognitæ, ſed Dij immortales id vnum venenum eam labem Ciuitatibus, & Regnis imminere voluerunt, & Imperijs, vt ſicut omnia creata mortalia forent*: & eſt malum tam graue, vt à D. Anſelm. in epiſt. 1. ad Corinth. c. 11. nuncupetur: *Maximum omnium malorum*: quia ait S. Ambroſ. in eod. loc. Paul. *Vbi diſſenſiones nihil rectum*: quia inquit S. Thom. in eod. loc. Paul. lect. 4. *Ex illo cætera mala oboriuntur*: hinc Origen. initio homil. 9. in Ezech. penetrans mala, quæ ex diſſidijs fluunt, in hæc verba terrore plena prorupit: *Principium omnium malorum eſt multitudo*, ideſt diſſidium, *principium autem bonorum coanguſtatio, & à turbis in ſingularitatem redactio, vt putà nos omnes, ſi ſaluandi ſumus, ad vnionem redigamur, vt perfecti efficiamur in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, & ſimus vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſi verò tales ſimus, vt non nos vnitas circumſcribat, ſed & de nobis dici poſſit: Ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, & adhuc à malitia ſcindimur, atque diuidimur, non ſumus futuri, vbi ſunt illi, qui rediguntur in vnum*: natura ergo, quæ non deficit in neceſſarijs, ad tot malis obſtandum erexit dominia, atque Imperia ad vnionem, pacemque tuendam, diſſidijs euulſis, teſte D. Thom. 3. de regim. Princ. cap. 5. *Conſonum videtur naturæ vt dominium ſit conceſſum pro pace, & iuſtitia ſeruanda, iurgijs, ac diſcordijs reſecandis*: imò omnes Prælaturæ in Dei Eccleſia fuerunt ad hoc vnum inſtitutæ, vt elicitur ex B. Laur. Iuſtin. de Prælat. regim. cap. 3.

3. Si ergo Imperia, ac dominia, idque ſit cert. not. tam temporalia, quàm ſpiritualia ſunt inſtituta ad iurgia debellanda, factioneſque reſecandas, pace introducta, à quacunque communitate, quonam, quæſo, medio? (clarum eſt enim, quòd, deficiente medio, deficit etiam ordo pro finis aſſequutione, quod nequit dici neque de natura, neque de Chriſto Domino) non niſi mediante iuſtitia diſtributiua, cuius munus eſt ſecundùm meritorum menſuram honores, onera, cæteraque bona Religionis diſpenſare. Sed, vt clariùs id appareat, dicendum eſt, meliùs tamen in tractatu de iuſtitia diſtributiua, in regendi arte ſcientiam deſiderari, teſte D. Thom. ex Ariſt. 5. pol. lect. 7. cuius munus non eſt inueſtigare finem regiminis, ſed, eo præſuppoſito, quærere media pro finis aſſequutione, vt ex eod. D. Thom. 1. de regim. Princ. c. 2. & Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 3. p. 1. cap. 13. elicitur: finis verò conſociatæ multitudinis eſt eius vnitas, & pax, quibus ſaluantur Reſpublicæ, morbique expelluntur communitatis, & ſuper quas fundatur quæcumque perfectio chriſtiana, vt paſſim fuit dictum in præſenti centuria, & in ſubſequenti dicetur; quarè Rodericus Satius hiſtor. Hiſpan. p. 3. cap. 11. *Regnum*, inquit, *quidem, teſte Philoſopho, nonniſi vnitate firmatur*: medium autem tam directè influens in eius conſeruationem, quàm obſtans noxijs prohibentibus eiuſdem finis intentum (hæc enim duo Principans ſemper debet inſpicere; teſte D. Thom. ex Ariſt. 1. pol. lect. 1. *Ille eſt*, inquit, *naturaliter Principans, & dominans, qui ſuo intellectu poteſt prauidere ea, quæ congruunt ſaluti, putà cauſando proficua, & repellendo nociua*) eſt iuſtitia diſtributiua, vt clarè ſum demõſtraturus in tract. de iuſt. diſtrib. dub. 128. in 2. centur. cui mitto lectorem, & ibi videbit multas DD. authoritates, quas hìc prætermitto, vnâ tantùm extenſa, & eſt D. Antonin. p. 4. tit. 5. cap. 4. §. 5. vbi ſic loquitur: *Secund. oſtendi poteſt iuſtitiam eſſe multitudini neceſſariam ex parte Gubernantis, à quo dirigitur, & hoc quantùm ad diſtributionem; videmus enim quòd, quandò aliqua diuerſa ſub vna virtute continentur; nec ordinantur ſecundùm diuerſas proportiones, totus eorum ordo, qui reguntur, corrumpitur, & diſſipatur, vt patet in armonia muſicali; vbi chorda niſi à virtute manus ſecũdùm eorum diuerſas diſpoſitiones proportionabiliter tangantur, ſonitum inordinatum, & confuſum reddunt, & ſic conſonantia corrumpitur armonica; ſic etiam in multitudine, vbi ſunt multi diuerſarum conditionum, & meritorum niſi proportionabiliter honores, dignitates*,

*tates, ac officia, inſuper labores, & expenſa eis à Præſide diſtribuantur, mirabilis diſſonãtia inter ſimul habitantes oritur, & per conſequens ordo politiæ diſponitur ad corruptionem; vnde Tullius dicit, quòd tanta eſt vis iuſtitiæ, vt etiam illi, qui maleficio, ac ſcelere paſcuntur, non poſſint ſine vlla iuſtitiæ particula viuere*: quæ iuſtitia ritè obſeruata nõ ſolùm obſtat ſeditionum, ac factionũ morbis, ne intrent, ſed eos inueteratos in quacumque communitate reſoluit, ac ſanat; dic, quæſo, nonne tales morbi ſunt effectus iniuſtitiæ? vtiquè; ideò S. Thom. 2. polit. lect. 9. aiebat; *Transgreſſio verò iuſtitiæ eſt ſeditionis cauſa*: nonne contrarijs contraria curantur? nemini eſt dubitandum: introducatur ergo iuſtitia, quæ è directo opponitur iniuſtitiæ, & eccè reſciſſa cauſa mali, & conſequenter factiones ſcilicet, ac ſeditiones extirpantur: attendamus doctrinã Petr. Andr. Canonherij in ſeptem aphoriſm. Hippocratis in 2. aphoriſm. 22. pag. 667. vol. 1. *Quemadmodum contraria contrarys curantur, & vnaquæque contrarietas ſua cõtrarietate curatur, hacque de cauſa in agritudinibus termini, & indicationes variantur, ſic in politicis contraria contrarijs tolluntur.*

4. Not. quart. præceptum eſſe S. Thom. ex Ariſt. 4. polit. lect. 1. quòd *oportet, qui vult corrigere aliquam politiam, priùs amouere inordinationes, quæ ſunt in illa politia, & deindè inducere nouum ordinem, ſicut ſi aliquis vult calefacere frigiditatem, oportet, quòd priùs natura abyciat formam frigiditatis, & poſtmodum induat formam caliditatis, ſic in propoſito*; duæ quidem inordinationes, quibus factiones nutriuntur, atque cõſeruantur claré dominantur in Prouincia, de qua loquimur. Prima eſt illa mutua vtilitas, & reciprocũ cõmodum in electionibus, de qua dixi ſupr. ideò inferiores electores, videlicet Priores in Prouincialem, ac Definitores ſeligunt eos, qui ſunt ex propria factione, quia ab eis recipiunt Religionis munera, vt ſunt Prioratus, Lectoratus, cæteraque commoda; ideò ſuperiores electores, ſcilicet Prouincialis, ac Definitores conferunt ſuis prædictas dignitates, ac officia, quia ab ipſis quaſi perpetuum regimen vnà cum omnibus commodis habent. Secunda eſt illa iniuſtitia ex multis neglectis, & poſt habitis orta, qua ex re ſequitur regimen corruptum, atque peruerſum, de quo Ægid. Roman. de reg. Princip. p. 2. lib. 3. cap. 2. *Nam*, inquit, *ſi in aliquo dominio, aut Principatu intenditur bonum commune, & omniũ ciuium ſecundùm ſuum ſtatum, ſic eſt æquale, & rectum, ſed ſi intenditur ibi bonum aliquorum, & aliorum oppreſſio, ſic eſt corruptum, & peruerſum*: auferantur ergo ab iſta deploranda Prouincia hæ duæ inordinationes nouum ordinem introducendo; eccè quaſi omninò reformatam, & reſtauratam Prouinciam.

5. Duobus modis in hoc arduo negotio meo iudicio vtendum eſt. Prim. quòd pater Generalis, ſeù PP. Capituli generalis Viſitatorem zelo plenum, ſcientia ornatũ, moribuſque probatum vnà cum duobus alijs, qui eiſdem qualitatibus fulgeant, ex alia deputent Prouincia, quorum munus ſit, congregato Capitulo, exquirere omniũ ſupremorum Patrum merita, qui præſeferunt aptitudinem pro ritè obeundo officio Prouincialatus, ac Definitoratus iuxta monitum S. Thom. prout infra: quo negotio expedito, à prædictis Patribus celebretur electio Prouincialis, ac Definitorum abſq; perſonarum acceptione iuxta dictamen rectæ rationis, pondus iuſtitiæ talis regiminis, ac conſcientiæ nitorem, idque fiet iuxta ſenſum S. Auguſt. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 6. ſic loquentis: *Quando populus eſt benè moderatus, & grauis, communiſque vtilitatis diligentiſſimus cuſtos in quo vnuſquiſque minoris rem priuatam, quàm publicam pendat, rectè lex fertur, qua tali populo liceat ſibi creare magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtretur; porrò ſi paulatim idem populus deprauatus habeat venale ſuffragium, corruptuſq; ab eis, qui honores amant, & regimen in ſe flagitioſis, ſceleratiſque committit, rectè adimitur populo talis poteſtas dandi honores*: nonne huiuſmodi Prouincia in electionis materia eſt deprauata? nonne regimen ſeditioſis hominibus, nempè Prouinciali, ac Definitoribus ex propria factione committit? profectò; nam hi pro ſui conſeruatione in populo ſibi ſubiecto diſcordias, ac factiones nutriunt: quò fit, vt nomen ſeditioſorum ſibi vendicent, teſte D. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 2. ad 3. *Magis autem*, inquit, *ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias,*

ac

*ac ſeditiones nutrit, vt tutiùs dominari poſſit:* rectè ergo huiuſmodi Prouinciæ adimitur poteſtas creandi Prouincialem, ac Definitores. Sec. quòd Viſitator imperet Prouinciali, ac Definitoribus creatis, priùs indagatis omnium, qui ab habitu aſſumpto attingunt annum duodecimum, meritis ab eiſdem iuxta regulam inferiùs tradendam, vnà cum omnibus alijs Patribus ſupremis, vt magis ſanum ſit iudicium, ita iuſtitia petente iuxta verba S. Thom. ex Ariſtot. 7. polit. lect. 3. *Ad hoc autem*, ait, *quòd rectè iudicet de iuſtis, & quòd rectè diſtribuat Principatus, & bona communia ipſis ciuibus, neceſſarium eſt ipſum cognoſcere ciues, quales quidem ſunt ſecundùm virtutem, & quam differentiam habent inuicem ſecundùm virtutem, vt ſecundùm exigentiam dignitatis virtutis diſtribuat Principatus, & iudicet, & differẽter ſecundùm differentiam dignitatis eorum, at ſi vbi non ſit ſecundùm hunc modum* (nota) *oporteat diſtributionem bonorum communiũ, & iudicia prauè ſe habere:* vt viciſſim inter ſubditos benemeritos honores, onera, cæteraque bona diſtribuant, determinata aliqua temporum duratione, præſertim dico Prælationes cœnobiorum, habita tamen conſideratione pro locis, quorum regimina ſemper petunt hominem nõ mediocri prudentia ornatum, & ita erigetur illud regimẽ iuxta modum ſeruandum inter illos, qui ius ad omnia bona Religionis habent, de quo loquitur S.Thom. ex Ariſt. 3. polit. lect. 15. *Iuſtum eſt*, inquit, *æquales ſecundùm virtutem, ac diſpoſitionem naturalem habere æquale, propter quod manifeſtum eſt, quòd ſi ſint plures æquales, vel ſimiles ſecundùm virtutem, & diſpoſitionem naturalem, quòd vnus non debet magis principari, quàm alius, & quia neceſſe eſt aliquem principari, iuſtum eſt, quòd viciſſim, & ſecundùm quendam ordinem principari, principentur omnes, & eodem modo.*

6. Quis non videt ex hac triũ virorum viſitatione per plura Capitula, ſi videbitur expedire, vt factiones omninò deſtruantur, repetenda, mille, ac mille bonos effectus emerſuros. In primis reſecabuntur inordinationes reciprocorum votorum, quæ inter ſe conferunt pro ſui conſeruatione Superiores maiores, nẽpè Prouincialis, ac Definitores, & electores inferiores, nẽpè Guardiani, ſeù Priores, quibus nutriuntur factiones, ac ſeditiones, dum electio ſupremorũ Patrum non dependet ab inferioribus, ſed ab illis tribus Patribus prout ſupr. licèt ad tempus: dum Prouincialis, ac Definitores electi coguntur omnes benemeritos ex aduerſa parte temporis decurſu ſeligere in Priores. Introducetur magna cum facilitate ob merita iam diſcuſſa iuſtitia diſtributiua ſuauiter expellendo tanquam ſuum contrarium iniuſtitiam; contraria enim ſe inuicem expellunt, nam repugnat forma caliditatis introduci, & non expelli formam frigiditatis, quia contraria, quarè excitabitur regimen iuſtum, & æquale, quæ iuſtitia animorum diuerſitates in vnum congregabit tanquam proprium effectum. *Contrariorum enim*, inquit Ariſt. 5. polit. c. 8. *contrarij effectus:* deſtruẽdo factiones, ac partialitates tanquã effectus iniuſtitiæ; ideò dicebat S. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. §. 1. *Cauſatur, & conſeruatur hæc vnitas in Ciuitatibus, quandò ad hoc vnum attenditur, vt iura ſeruentur vniuerſaliter:* Remouebuntur à regimine abſque tumultu duces, ac factionũ capita, vt eſt prima regula tradita à politicis pro factionũ, ac ſeditionum extinctione, teſte Canonhero in 7. aphoriſm. Hippocr. 1. aphoriſm. pag. 584. *Illud*, inquit, *eſt certiſſimum, optimũque remedium in omnibus ciuilibus ſeditionibus, vt factioſi homines, qui ſe Principes, ac Duces cæterorum eſſe profitentur, deleantur omninò, atque exterminentur, vt per eorum ſupplicia reliqui vel deterreantur ab improbitate, & audacia prorſus, vel certè plurimi refrenentur:* Euitabitur confuſio eligendi ad Prælaturas tam dignos, quàm indignos, vt res propria ambitionis, ac factionis, teſte Patrit. de Republ. lib. 6. tit. 5. ſcala ad cuiuſlibet Regni, ac Imperij interitum, vt tradit Toloſan. de Republ. lib. 10. c. 2. n. 5. tom. 1. *Iuſtitia politica eſt ſeruare vnicuique quod ſuum eſt; ex hac enim ſeruata euitatur hominum cõfuſio, ex qua mali bonos corrũpere, & perdere poſſint, vel nocendo, vel malos mores communicando: felix Reſpublica, in qua floret iuſtitia, quæ habitu animi communi vtilitate ſeruata ſuam cuique tribuit dignitatem; at contra infelix, et quæ proximè ruinam adfore minatur, cum nullum eſt bonorum, vel malorum diſcrimen:* Non deſiderabitur quippè ex iſto iuſtè adminiſtrato Imperio ſalus, & conſer-

conſeruatio Reipublicæ, teſte D. Thom. ex Ariſt. 5. pol. lect. 1. *Reſpublica ſaluari nō poteſt ſine coniunctione, nec coniunctio fieri poteſt, niſi reddatur æquale, hoc autem iuſtum eſt*: Exactè obſeruabuntur, tanquam duo poli cōſeruationis totius machinæ regiminis, illa duo præcepta diuini Platonis à Cicer. 1. de offic. tradita: *Omninò qui Reipublicæ præfuturi ſunt, duo præcepta Platonis teneant: vnū, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne dum partē tuentur, reliquas deſerant, vt enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ, ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa gerenda eſt; qui autem ciuium parti conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in Ciuitatem inducunt ſeditionem, & diſcordiam.*

Dices, abſoluto tempore illo viſitationis, ſeu viſitationum faciendarum à Viſitatore, de quo ſupr. iterum inſurget teterrimus factionum morbus. Reſp. difficillimè poſſe ſequi, quia iam erit introductus modus, ſeu ordo obſeruandæ iuſtitiæ diſtributiuæ, cuius munus eſt ab intrinſeco occurrere ſeditionibus, & factionibus, vti dixi ſuperiùs, præterquamquod remedium deſignatum tanquam lex vniuerſalis eſt ſtatuenda, vt ſcilicet quotieſcumque quælibet Prouincia abierit in factiones, prædictæ ſubiaceat viſitationi, idque erit iuxta præceptum S. Thom. 1. de regimin. Princip. c. 6. ſine quo nullum Regnum frui poteſt diuturnitate: *Sic eſt diſponenda Regnī gubernatio, vt Regi iam inſtituto tyrannidis ſubtrahatur occaſio, ſimul etiam ſic eius temperetur poteſtas, vt declinare de facili in tyrannidem non poſſit*: factioſorum quidem regimē eſt tyrannicum, teſte politicorum multitudine, quarè timore prædictæ pœnæ Prouincia curabit, vt regimen pro baſe iuſtitiam habeat; atque adminiſtretur à Prælatis, qui, neglectis proprijs commodis, vt eorum munus petit, eam colent.

Dices, eſto modus iſte videatur aptiſſimus ad colligendum in vnum animos; nihilominus non paruo ſubiacet incommodo; excluſi enim ob meritorum penuriam in magnum Religionis damnum in clamores, ac tumultus erumpent. Reſp. quòd hoc incommodum excitari nequit, neque in prima meritorum diſcuſſione efficienda à Viſitatore prout ſupr. pro ereandis Patribus Prouinciæ, quia nulla poſitiua excluſio habetur, ſed tantùm priuatiua, ſicut in omnibus alijs electionibus, neque in ſecunda indaganda à Patribus prout ſupr. pro ſeligendis Prioribus, quia, licèt multi poſitiuè ſint excludendi; nihilominus ſub ſilentio id eſt celandum, quia eius publicatio non eſt neceſſaria; alio enim modo reciprocorum votorum vtilitas auferttur, vt legenti ſemper patebit, non tamen negligenda, quia, eſto Prouincia ad tempus ſub diuerſo modo à conſueto ſupremos Patres creandi conſtituatur, nihilominus ſi ſubditi, qui ſub Imperio illorum viuere debent, nō ſunt concorditer ordinati, nunquam finis intentus obtinebitur, nunquam deſtruentur factiones, nunquam vnio tuebitur Prouinciam: doctrina verè aurea, & eſt S. Thom. contr. Gentiles lib. 3. c. 128. *Quantūcūque aliqua ordinantur ſub aliquo, oportet illa concorditer eſſe ordinata, aliàs ſe inuicem impedirent in conſequutione finis communis, ſicut patet in exercitu, qui concorditer ordinatur ad victoriam, quæ eſt finis Ducis*: vtinam huiuſmodi modus conferendi Præfecturas infimas in initio regiminis eſſet ordinatus tanquam lex, & ad praxim redactus, quia certè Prouincia ab onere tot factionum non premeretur; radix enim huiuſmodi oneris ſalrē in exordio attendi nequit; niſi ex eo, quia quilibet elector in eligendis Prioribus ab intellectu, qui ſibi coniunctas paſſiones habet, ducitur; quò fit, vt diuerſimodè merita, ac demerita iudicentur, & ſine ordine in conferendis huiuſmodi Præfecturis progrediatur: hinc eſt, quòd Prouincialis nōnullos pro officio Prioratus obeundo inter omnes tanquam meliores ſeligit; alij verò, nempè Definitores nonnullos alios, ordine excluſo, vndè oborta eſt quædam confuſio, & conſequēter diſſēſionis materia, teſte Caiet. ad Corinth. c. 14. verſ. 34. *Vbi multitudo ſine ordine, ibi confuſio, ibi diſſenſionis materia*: & ita ſenſim ſine ſenſu cœpit Prouincia in factiones abire; quarè videtur neceſſarium huiuſmodi modum tanquam legem ſtatuere, quæ abiget confuſionem, inferet ordinem, ac frenabit paſſiones; & ſecluſa omni cupiditate, amore, odio, ac humana affectione efficiet, vt iuſtè obſeruabitur iuſtitia

iuſtitia diſtributiua influens in regiminis finem, in vnitatem ſcilicet multitudinis: hinc S. Thom. ex Ariſt. 3. pol. lect. 8. tanquam regulam generalem tradit: *Prauum, & iniuſtum hominem principari, & non legē, quia homo habet paſſiones ſibi coniunctas, paſſiones autem diſtrahunt voluntatem, & faciunt deuiare à recto fine, & per conſequens peruertunt iudicium rationis; lex autem non habet paſſiones, quarè per legem non contingit deuiare à recto iudicio rationis: cum igitur melius, & iuſtiùs ſit illum principari, qui non poteſt deuiare à recto fine, quàm illum, qui poteſt, & homo poteſt deuiare à recto fine, lex verò nō, manifeſtum eſt, quod iuſtum eſt legem dominari, non hominem.*

Dices, huiuſmodi lex nequit ad praxim reduci, niſi priùs cognita meritorum, ac demeritorum cauſa, vt patet, conſequenter non mediocrem inuoluit difficultatem, licèt inferiùs habeatur modus præſcriptus. Reſp. falſum eſſe, quia eſſet neceſſariò concludendum, quòd praxis regiminis naturalis præexigentis meritorum cognitionem, vt tradunt Ariſt. & S. Thom. vbi ſupr. eſſet difficilis, quod iuſtè nequit dici; quarè aſſerendum eſt ſapere difficultatem illis, qui confuſè, & ſine ordine in hoc iuſtitiæ negotio progredi volunt, non illis, qui iuxta regulas à DD. traditas iuſtitiæ pondus in fauorem conſeruationis boni communis obſeruare peroptant; adde, quòd huiuſmodi inquiſitio, &c. eſt neceſſariò facienda etiam in ſtatu pacifico, vt dicam in tract. de iuſt. diſtrib. alias regimen erit ſemper expoſitum corruptioni, vt elicitur ex doctrina Ægid. Roman. de regim. Princ. 2. p. lib. 1. c. 11. *Non qualibet inæqualitas tollit vitam corporis naturalis, tamen qualibet inæqualitas ægrotat, & infirmat ipſam; ſic non qualibet iniuſtitia corrumpit totaliter Regnum, & politiam, tamen per quamlibet iniuſtitiam Regnum, & politia infirmatur, & diſponitur ad corruptionē.*

Dices, remedium primæ inordinationis, nempè quòd electio Patrum Prouinciæ habeatur ab illis tribus viris, ſuccumbit cuidā incommodo, eſto fortè non in principio, ſaltem temporis progreſſu, quòd de facili ad nutum Generalis celebretur electio, ſi non omnium, ſaltem aliquorum. Reſp. quòd res humanæ huiuſmodi ſunt, vt non careant aliquo incommodo; ideò eſt ei occurrendū iuramento præſtando ab illis tribus viris de non illis, qui erunt commendati à quocūque, eligendis, ſed tantùm qui, duce conſcientia, erunt putati idonei ad tantum munus obeundum, conſideratis conſiderandis, & ſalua conſcientia, potiùs commendatio ſit in damnum commedatorum, quàm in beneficium.

Dices, huiuſmodi antidotū pro ſananda prima inordinatione ſapit nimiū rigorem cōtra præceptum Ariſt. 4. pol. c. 1. ſic explicatū à S. Th. ibid. lect. 1. *Qui volunt*, ait, *corrigere aliquam politiam, oportet talem modū, & ordinem inuenire, ad quem poſſint ciues ſuaderi, & proſequi feliciter.* Reſp. Ariſt. in præcitatis verbis non negare poſſe vti aliquo rigore, ſi morbus crudeſcit, ſed præcipere ſuauitatem, quantùm fieri poteſt, quæ certè contingit in caſu, dum nullus excluditur à regimine poſitiuè, ſed priuatiuè more aliarum electionum, omneſque benemeriti non negliguntur, & regimen ab hominibus eiuſdem Prouinciæ adminiſtratur, quod eſt res magni ponderis; & licèt electio ſupremorum Patrum celebranda ab illis tribus viris aliquam inuoluat difficultatem, eſt tamen ad tempus, & eſt ille modus non tā exiguus, vt relinquat fomitem continuæ infirmitatis, nec tam excedens, vt rationabiliter malum peius priore procreare poſſit, quod intendit Ariſt. vbi ſupr. & quod clarè explicat Canonhet. vbi ſupr. referens doctrinā Donati Anton. Altimati de medendis febribus p. 1. c. 22. hiſce verbis: *Sicut neceſſarium eſt, vt in ipſis contrarijs modus quidam, ſeu menſura inueniatur; non enim ſat eſt calido affectui admouiſſe frigida, niſi id debita fiat menſura, cum alioquin metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quippiam relinquatur, ſin modum excedas, contrarium genus morbi inducas; ſic oportet politicum in applicandis remedijs modum quemdam inuenire, & obſeruare; nam ſi auxiliū erit exiguum, morbum non tollet, ſed fomitē continuæ infirmitatis relinquet; ſi verò erit exceſſiuum, morbum aut irritabit, aut priore peiorem procreabit, quod quidem ſæpius prudentiſſimi politici obſeruarunt; quarè non ſat eſt contraria contrarijs applicare, ſed prætereà quidam medius modus requiritur.*

Dices

Dices tandem, reformario huius inordinarionis per modum poſitiuum videtur ſuperflua, quia deletur per reformationem ſecundæ, quoniam hæc deſtruitur, introducta iuſtitia diſtributiua, vt patet ſupr. quæ iuſtitia in vnum colligit animos, factiones etiam radicatas fugando, vt dictum eſt in ſec. not. Reſpon. quòd, licèt doctrina ſec. not. ſie veriſſima; nihilominus omnes tangere debet communitatis partes, quod non contingit in caſu pro efficaci, ac non tarda extinctione; iuſtitia enim debellat regimen corruptum in diſpenſandis infimis Præfecturis, vt legenti ſemper videbitur, non tamen debellat citò, & efficaciter illud ſupremarum dignitatum; ideò debet corrigi ab illis tribus viris præſcripto modo, ſine ferro factionum capita reſecando.

Vt iſtud negotium diſcuſſionis meritorum, quod videtur arduum (illis tantùm, qui, neglecto ordine, poſſe vti iuſtitia diſtributiua intendunt) ad ſummam reducatur facilitatem, quantùm fieri poteſt, hìc extendam in compendio, quod fuſim dicam in tractat. de iuſt. diſtribut. Regula ergo generalis ſit, *cum omnia*, inquit Ægid. Rom. de regim. Princ. lib. 1. p. 2. cap. 12. *per regulam regulentur*, vt omnes, qui non ſunt poſitiuè indigni, in numero includantur eligendorum, quia licèt, vt aduertit Bernard. lib. 4. de conſid. cap. 3. *Ad officia viros probatos oporteat deligi*; nihilominus nullum erit inconueniens, imò factum omni prudentia, ornatum in conuentibus paruis non probatum iuuenem præponere ad faciendum de eo experimentum, probato poſtpoſito, tum quia niſi quis probetur, nunquam dici poterit probatus, maximè quia ex hac radice homines, qui in regendi arte admirabiles floruerunt, pullularunt, tum quia huiuſmodi Præfecturæ non requirunt hominem vndequaque rotundum, cum earum dominium ad paucos ſubditos ſe extendat. Ita Peirin. de Prælato quæſt. 2. cap. 2. num. 133. & ideò monitum S. Bernard. intelligendum eſt de monaſterio, in quo numeroſa familia connumeratur, & in qua multa poſſunt contingere digna hominis probati prudentia.

Prim. inter indignos connumerandus eſt, qui actu eſt in peccato mortali, vel palam, vel ſecretò, quamuis ſcientia, ac induſtria ad regendum polleat, eò quòd caret morum honeſtate neceſſaria pro regenda Præfectura Eccleſiaſtica. Ita ex multis aiunt Sanch. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 2. n. 1. & Samuell. de elect. canon. tract. 1. contr. 17. diſp. 5. non tamen ſi creditur, quòd quamprimum ſit ſurrecturus, vti docent Azor. tom. 2. lib. 6. c. 14. quæſt. 10. Caſtr. Palaus tom. 2. tr. 13. diſp. 2. punct. 11. §. 2. n. 2. Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 2. n. 2. & alij apud ipſos. Limita hoc, modò peccatum ſit occultum, quia ſi eſt publicum, abſtinendum eſt ab eius approbatione ob aliorum ſcandalum vſque ad aliquod tempus, vt videatur emendatus. Ita elicitur ex doctrina Caſtr. Pal. vbi ſupr. referentis Nauarr. legantur etiam Emin. Lugo, & Peirin. vbi ſupr. quod tempus non debet eſſe breue ad tuendã diſciplinam regularem, & ad mœſtitiam è cordibus eorum, qui ſemper vitam illibatam duxerunt, fugandam: idem tempus concederem ego etiam eis, licèt non tam longum, qui ſecretò lapſi ſunt, eſto credam, quòd quamprimum ſint ſurrecturi, quia, licèt in rigore doctrinæ non poſſint dici indigni miniſtri, attamen candor diſciplinæ regularis id petit, nec erit negatum à DD. vbi ſupr. idem eſt dicendum de illis, de quorum lapſu tantùm habetur notitia ab homine fide digno, cum aliqua tamen differentia temporis circa emendationem, vt congruum eſt, quia notitia delicti non eſt certa, eſt tamen tanta, quanta eſt neceſſaria, vt probetur aliquo modo emendatio.

Sec. inter indignos inſpiciendus eſt, qui actu moratur in malo ſtatu per conſuetudinem; ſecretam etiam, vt rectè elicitur ex Azor. Sanch. n. 8. & Emin. Lugo vbi ſupr. nam hic, inquit Azor. probabiliter iudicatur diù in illo malo ſtatu perſeueraturus; verùm eius excluſio, ſi conſuetudo eſt ſecreta, eſt celanda ad tuendã famam: quòd ſi tandem ob promotionis tarditatem in clamores prorſipet, ante eius oculos proprius proponatur ſtatus, qui in gemitus mutabit clamores: item inter indignos, &c. qui coram tota Religione magnum perpetrauit

ſcanda-

ſcandalum, modo non habeatur per multos, (ac multos annos probatio emendarionis cum aliquo virturum, præſertim orationis ſplendore.

Tert. tanquam indignus eſt abijciendus, qui eſt illiteratus; nam S. Thom. 1. 2. qu. 76. art. 2. ait: *Singuli ſcire tenentur ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant*: quæ ſcientia pro Prælaturis, de quibus loquimur, ſic eſt explicāda tanquam ſufficiēs, quandò ſcilicet quis tantùm ſcit, quantùm eſt neceſſarium pro ritè obeundo officio, quod habet, authores legendo, Doctores conſulendo, & ea, quæ neſcit, perendo: Ita Peirin. ex multis vbi ſupr. c. 2. quæſt. 2. n. 6. verùm defectus ſcientiæ in Prælato minori poteſt ſuppleri diuturno vſu, ac longa experientia, etiamſi grammaticam, & linguam latinam penitus ignoret, vt ex multis colligit Peirin. loc. cit. n. 32. & Sigiſm. à Bonon. de elect. p. 2. dub. 63. n. 3. ardens quoquè charitas, vitæ, morumque probitas ſcientiæ defectum ſupplere poſſunt. Ita multi DD. quos citatos ſequitur Peirin. loc. cit num. 33.

Quart. habendus eſt inquam tanquam indignus, qui à natura priuatur prudentiæ idoneitate: *Qui non habet prudentiam*, ait B. Laur. Iuſtinian. in lign. vitæ de prudent. c. 3. *licèt ſit magnæ ſanctitatis, ſimilis eſt homini in altum reſpicienti, vbi ponat pedem ſuum non videnti, qui de facili poteſt ruere*: acquiritur hæc virtus, quæ propriè eſt dominantis, vt docet Ariſt. 3. pol. c. 2. experientia, quæ docet de ſimilibus, ac diſſimilibus, ſimiliter, ac diſſimiliter iudicare, vndè ſequitur, quòd defectu prudentiæ difficilè dari caſus poteſt, quòd quis excludatur à Prælaturis infimis, niſi priùs probetur, niſi fortè clarè appareat maxima laborare dementia.

Quint. ab indigni nomine non eximuntur, qui, licèt in eſſentialibus legis diuinæ, regulæ promiſſæ, aliorumquæ præceptorum vitam ducant illibatam, in cæteris verò ita infirmantur, vt ſi iudicarentur apti pro regenda communitate, ipſa communitas valdè offenderetur: hi ergo ſunt excludendi tanquam indigni ad propagandam perfectionem, ad quam quilibet Ordo ſecundùm proprium inſtitutum eſt ordinatus, non tamen ad ſemper, ſi ad meliorem vitæ frugem per emendationem ſe receperint.

Ex hac quidem regula iuxta DD. tradita ſequitur, quòd pauci excluſionis mœſtitiam ſunt portaturi in querelas prorumpendo voces, quia demeritum in omnium oculis erit tam clarum, atque apertum, vt pudore ducti non auſi fuerint in eas prorumpere; quòd ſi eorum paſſiones è vultu fugabunt pudorem, facillimè eis ocurretur, & ob paucitatem, & ob eorum demerita Sole clariora, vt intelligenti ſemper videbitur: non ignoro tamen multos mœrorem excluſionis fore portaturos, non datum ab illis PP. ſed à proprijs manibus, vt ita dicam, fabricatum, quia in fractione panis proprijs oculis ſuum plangent interitum ad regiminis aptitudinem ob multas dementias commiſſas: quò fit, vt ſibi ipſis abſque querela excluſionem dederint: in electoribus tamen non mediocris debet enitere prudentia circa hoc negotium, quia animarum regimen eſt ars artium, quæ tempore, ac experientia acquiritur, quarè ob nonnulla incommoda orta in alicuius regimine defectu prudentiæ non eſt de facili excludendus, ſed ſuſtinendus, ſi eſt ſpes, quòd in poſterum maiori vtetur induſtria, arte, ac prudentia in negotijs per tractandis, ac in regenda familia, vt conuenit cuicumque regulato regimini.

Pro fine tria ſunt aduertenda: Prim. quòd, eſto huiuſmodi approbatio videatur actus iuſtitiæ, ſicuti in facto eſt, de prætenſo tamen grauamine non admittit appellationem, vt àſimili elicitur ex doctrina Bann. de iuſt. & iur. quæſt. 67. art. 2. ad arg. quem ſequuntur Barbos. de iur. Eccles. lib. 1. c. 19. n. 25 r. & Caſtellin. de elect. c. 14. n. 56. quibus mitto lectorem.

Sec. quòd eſt pertractata, ac ſi eſſet publicanda, licèt ſuperiùs dixerim eſſe celandam, ad occurrendum cuiuſdam viri cenſuræ, qui non dubitat aſſerere nō eſſe ob clamores excluſorū ad praxim reducendā: legat, quæſo, omnia attentè, quandò neceſſariò eſſet manifeſtāda, quòd certè cōcludet nullum clamorem conſideratione di-

R gnum

gnum eſſe excitandum, eò præſertim ſi huiuſmodi approbatio erit libera, ideſt quòd nullus io poſterum aſſumatur in Priorem, niſi priùs noo coactè, ſed liberè ei ſubiaceat; quò fit, vt oulla emerget querela, quia cuilibet erit liberum ſe eximere ab ea: eximētur quidem omnes iodigni, & etiam multi de idoneitate dubij, quarè maxima cum facilitate iurgia reſecabuotur vniooi fauendo: & conſideret, quòd in quacumque re ſub Sole progredi ſine ordine eſt deſerere patrem, ac præſidium omnium rerum, dicente S. Nazianz. orat. 26. *Ordo omnium rerum pater, & præſidium eſt*: imò eſt ſe elongare à diuina Prouidentia, ad quam *pertinet*, ait S. Thom. lib. 3. contr. Geotil. cap. 78. *vt ordo ſeruetur in rebus*: & ita eſt ingredi io non paruam confuſionem, & conſequenter, vti loquitur Caietao. vbi ſupr. in materiam diſſenſionis, quæ randem emerget in non paruum damnum cuiuslibet communitatis; reſte Albert. Magn. lib. 1. polit. cap. 5. h. ex Ariſt. *Quandò quilibet recipit in bonis, & honoribus politia, quod ſibi competit ſecundùm dignitatem, tunc manet ordo politiæ, & quandò aliter, tunc ſurgunt diſſolutiones*: vis fugere clamores ordinis, non effugies clamores non ordinis.

Tert. quòd huiuſmodi approbatio non eſt res noua in Eccleſia Dei; à ſacta enim Religione PP. Theatinorum maximo cum fructu, ac laude eſt ad praxim redacta: nulli, inquam, Religioſo, & poſt multos aonos ab habitu aſſumpto, vt poſtulat diſciplina regularis, neque vocem actiuam, neque paſſiuam coocedit, niſi priùs eius meritis, ac demeritis diſcuſſis à toto Capitulo generali, & per calculos approbatis, ſeù reprobatis, imò alicui concedit vocem actiuam, denegata paſſiua, ita poſtulante meritorum penuria.

## DVBIVM XXXX.

*An Viſitator tempore celebrationis Capituli parti ſuperanti in votis præcipere poſſit, vt pro Definitoribus, ſeù Conſultoribus, ac Prouinciali in partis debilioris fauorem ſuffragia ferat.*

## SVMMARIVM.

1. *Partiales ita adhærent factionibus, ac ſi eſſent fons ſanctitatis, eaſque reciprocis votis nutriunt.*

2. *Dignior aſſumendus ad dignitates, cuius dignioritas deſumitur ab Eccleſiæ vtilitate.*

3. *Quilibet tenetur bonum commune tueri expurgando Eccleſiam à malis, & præcauendo incommoda, quæ progreſſu temporis illud labefactare poſſunt: exemplis illuſtratur vtraque pars.*

4. *Publica pax Prouinciæ petit, vt pars validior in votis poſſit ſuffragari parti debiliori ad Definitoratus, ac Prouincialatus munera: & aliquibus obiectionibus ſatisfit.*

5. *Firmis rationibus demonſtratur partem validiorem non ſolùm poſſe, ſed etiam debere, &c. ſolutis etiam obiectionibus.*

6. *Vnica obiectione diſrupta, poſſe Viſitatorem imperare, vt pars ſuperans alteram in votis ferat ſuffragia pro hominibus debilioris partis ad officia prout ſup. firmatur.*

1. Dubium ſupponit partem in votis validiorem etiam eſſe regnaotem, & apud ſe regiminis adminiſtrationem conſeruare, mouetur aliquorum intuitu, qui non adhærent propoſito remedio ob electionē, quæ in parte ab electorum ſuffragijs, licèt ad tēpus, aufertur, & affirmant, impoſito præcepto, prout in vltima coocuſione, abſolui, ac reſolui totum iſtud arduum negotiū factionū; oe eorum ſenſum negligam nimis meæ ſententiæ, quàm par eſt, inhærendo, ſubſequēti doctrina eum illuſtrabo, alijs relinquendo

rei

rei veritatem. Pro cuius intelligentia ſunt ergo tria notanda in hoc prim. not. Prim. quòd S. Bernardin. dom. 3. quadrag. ſerm. 25. art. 2. cap. 2. inquit: *Ego ſtupens, & dolens experientia certus ſum, imò quod flendum eſt, qui videntur timere Deum, ita efficiuntur amentes, & inſenſati circa factiones, vt in eiſdem ita ſecurè viuant, quaſi hoc ſit profeſſio ſanctitatis*. Et ratio huius deplorandæ miſeriæ nulla alia deſignari poteſt, niſi illa Rodriq. rom. 2. quæſt. 1. art. 1. alibi relata, aſſerentis in Religionibus ſub colore zeli iuſtitiæ, & boni regiminis factionũ malum eſſe obuolutum, vndè iſti homines factionibus dediti in hæc verba veneno plena prorumpunt: *Ex noſtris ſunt meliores, ex alia verò parte laxiores; ſeù noſtra pars eſt ſanior, altera verò infirmior*: hæc eſt illa profeſſio ſanctitatis, quæ à Diabolo, ſic loquitur Rodriq. vbi ſupr. in calice iræ Dei ſub ſpecie boni ipſis Eccleſiaſticis, ac Regularibus propinatur: hæc eſt illa profeſſio ſanctitatis, quæ vnitatem dirimit, pacem fugat, ſocietatem ſoluit, animos diuidit, gregemque Chriſti diſpergit: hæc eſt illa profeſſio ſanctitatis, quæ facit gemere Eccleſiam, dum ſub ſpecie virtutis tot animas in profundum demergi cognoſcit. Sec. quòd factiones nutriuntur, atque conſeruantur illa mutua vtilitate reciprocorum votorum, de quibus loquutus ſum in ſuperioribus, præſertim in præcedenti quæſito. Tert. quòd factionis malum propriè conſiſtit in animorum diſcordia, ac diſſenſione, vt clarè elicitur ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 1. D. Antonin. p. 2. tit. 4. cap. 8. §. 1. de diſcord. & Farinac. de crim. læſ. maieſt. quæſt. 113. inſp. 3.

2. Not. ſec. quòd præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, rem eſſe planè diſcuſſam apud Azor. p. 2. lib. 6. c. 15. Sanch. opuſc. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 2. num. 16. Salon. de iuſt. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. contr. 3. Baſſæum ſum. tir. benef. num. 3. referentes penè infinitos DD. digniorem ad Prælaturam, ſeù beneficium Eccleſiaſticum magni momenti ab electoribus eſſe deligendum; tota difficultas eſt in dignoſcendo illum: ad hoc ergo, vt dignus ab indigno ab eligentiũ intellectu ſegregetur, quatuor conditiones in eo neceſſario requiruntur. Prim. eſt habilitas, ſeù capacitas iuridica ſecundùm ætatem legitimam, quam poſtulat ius, quòd ſit ex legitimo matrimonio, &c. Sec. honeſtas morum, ideſt quòd non ſit improbus, & vitioſus. Tert. ſcientia cõpetens, ideſt quòd habeat ſcientiam, quæ ſpectat ad proprium officium, vt debitè illud exercere poſſit. Quart. prudentia, & induſtria rerum agendarum. Ita Salon. vbi ſupr. contr. 1. Aragon. 2. 2. qu. 63. art. 2. Sanch. vbi ſupr. n. 4. Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 1. ad hoc autem, vt dignor à dignis eligentium votis ſublimetur, à fine beneficiorum Eccleſiaſticorũ deſumitur, vt docent Aragon. Sanch. vbi ſupr. Reginald. lib. 3. tra. 2. num. 199. Mirand. q. 33. ar. 13. concl. 3. to. 2. finis autem eorum, teſte Sanch. n. 2. & Aragon. n. 3. loc. cit. deſumitur ab vtilitate Eccleſiæ; quarè eſt infallibilis regula, vt affirmat Salon. vbi ſup. menſuram digniorum eſſe deſumendam ab Eccleſiæ vtilitate, idque præſertim dicit in quæſito; Quid poſſit reſignatio beneficij: hiſce verbis: In diſtributionibus beneficiorum Eccleſiaſticorum potiſſima ratio habenda vtilitati Eccleſiæ, & ab ea eſt deſumenda dignitas eligendorum: idem affirmat Sanch. vbi ſupr. n. 5. non diſſentit S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 20. §. 1. Non ergo, inquit, Prælatus tenetur dare beneficium meliori ſimpliciter, ſed meliori quoad officium, nec poteſt eſſe, quòd præferat vnum alteri, niſi per aliquam cauſam, quæ ſi pertinet ad honorem Dei, & vtilitatem Eccleſiæ, iam quãrùm ad hoc iſte eſt melior: idem inſinuat Fagund. in 8. præcept. decal. c. 32. n. 5. Dignior non ille eſt cenſendus, ait, qui Lectoris, ac Doctoratus gradu cæteris antecellit, ſed qui aptior eſt, & vtilior Eccleſiæ, nec qui ſanctitate magis emicat, ſed qui accõmodatior eſt ouibus regẽdis, & ſeruitio Eccleſiæ: percipite tandẽ alia verba D. Antonin. vbi ſup. Cęteris paribus, debet eligi, & aſſumi ad Prælaturam doctior, & ſanctior, ſed ſi alius eſſet vtilior in gubernatione, licèt minùs doctus, & ſanctus, tamen bonus, cum in huiuſmodi homine debeat attendi vtilitas Eccleſiæ, ille potiùs debet præfici.

3. Not. tert. quòd Caietan. 2. 2. qu. 90. ar. 8. ait quemlibet teneri Reipublicæ bonũ commune tutari, nec in diſcrimine ponere, quod duobus modis fieri poteſt; vel expurgando Eccleſiam à malis; vel præcauendo incommoda, quæ progreſſu temporis probabili-

R 2

babiliter ſequi poſſunt, & hoc munus ſpectat tã ad Prælatos, quàm ad ſubditos: hinc eſt, vt exemplis primus modus illuſtretur, quòd ab Eccleſia Dei ablatæ fuerũt electiones Epiſcoporum, quæ olim à Clero, & populo fieri ſolebant, eò quòd paſſim diſſidia, & inuidiæ oriebantur. Ita Azor. p. 2. lib. 6. ca. 14. quæſt. 1. Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 3. in nonnullis Religionibus Guardianorum, ſeù Priorum electiones à cœnobijs fuerunt reſciſſæ, & conceſſæ Prouincialibus, ac Conſultoribus, vt euitentur rixæ, ac æmulationes inter Religioſos, aliaque damna ſpiritualia, quæ ex ſubornatione fratrum ſæpius oriebãtur. Ita Nauarr. c. Nullum. 18. q. 1. comm. 3. de Reg. n. 3. in fin. Rodriq. tom. 2. q. 53. art. 1. in fin. Mirand. tom. 2. q. 19. ar. 2. hinc eſt, vt exemplis ſecundus modus firmetur, quòd ad præcauenda ſchiſmata, aliaque incommoda facillimè oritura, quę communi bono plurimùm obſtarent, ſi aliundè Pontificis creatio, quàm ex numero Cardinalium quæreretur, ſtatutum eſt c. Nullus. & c. Oportebat. diſt. 79. vt ex numero Cardinalium aſſumeretur, atque iſte cenſendus eſſet dignior, licèt extra Collegium magis idonei inuenirentur. Ita Salon. 2. 2. q. 63. a. 2. contr. 3. Valent. to. 3. diſp. 5. q. 7. punct. 2. §. 2. hinc eſt, quòd Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 6. ad euitanda plurima incommoda, quæ orirentur, ſi electiones more antiquo in ca. Quiaptopter de elect. deſignatæ celebrarentur, decreuit, vt in poſterum electiones pro validis habeantur, in quas maior pars Capituli per vota ſecreta inclinat. Ita Barboſ. de iur. Eccl. lib. 1. c. 19. n. 21. Mirand. to. 2. q. 23. ar. 17. idem dic de digno, neglecto digniori, iuxta modum antiquum. D. Th. 2. 2. q. 63. ar. 2. Sot. de iuſt. lib. 3. q. 6. a. 2. concl. 8. Valent. to. 3. diſp. 7. pu. 2. §. 2. Azor. p. 2. lib. 6. c. 3. q. 2.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. PRo pacifico ſtatu Prouinciæ electores factionis illius, quæ alteram in votis excedit in Capitulo hominibus debilioris partis ſuffragari poſſunt, vt ad munera Definitoratus, ac Prouincialatus ſublimentur. Concluſio ſatis liquet ſuppoſito, quòd publica pax, & iuſtitia ſunt finis omnium regiminum, vt communiter dicunt DD. præſertim D. Thom. 3. de reg. Princip. c. 5. *Conſonum*, ait, *videtur natura, vt dominium ſit conceſſum pro pace, & iuſtitia ſeruanda, & iurgijs, & diſcordijs reſecandis*: ſi Eccleſia ad dirimendas lites, rixas, ſeditiones, cæteraque incommoda, quæ, teſte experientia, iam fuerunt orta, & facillimè oritura, ſi Epiſcopi à Clero, populoque eligerentur, ſi Priores Regularium à familijs crearentur, ſi extra Collegium Cardinalium quis aſſumeretur in Pontificem, ſi digni electio non eſſet valida, ſi electus à maiori parte ſuffragiorum abſquè alio examine non validaretur, ſtatuit, vt Epiſcopi deligantur à Summo Pontifice, & Priores in nonnullis Religionibus à Prouinciali vnà cum Conſultoribus, ſeù Definitoribus, vt Pontifex ex purpuratis Patribus aſſumatur, vt dignus electus in vtroque foro ſit validus, vt electus à maiori parte ſuffragiorũ pro legitimo Superiore habeatur: ergo electores partis ſuperantis alteram in votis ad diſſoluendas rixas, lites, factiones, aliaque incommoda iam orta, & oritura, & ad inferendam vniuerſalem pacem in Prouincia ſuffragia ferre poſſunt, prout in concluſione. Nec obſtat hanc eſſe rationem parui momenti, eò quòd Summus Pontifex multa poſſit de poteſtatis plenitudine efficere, quæ ab inferioribus fieri nequeunt, quia id fundatur in eius authoritate neceſſaria ad reſecandas rixas, diſcordias, atque lites inter homines, pacemque introducendam pro tranquillitate ſtatus Reipublicæ chriſtianæ, cuius authoritas ſuo modo conuenire poteſt electoribus, quia vt rectè dicit Caiet. vbi. ſupr. Quilibet tenetur bonum commune tutari, nec in diſcrimine ponere: & Em. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 5. n. 55. inquit electores teneri communi bono conſulere, eiuſque damna impedire. Nec obſtat homines alterius factionis eſſe indignos, eò quòd laxiores (ſic loquitur pars ſanior, imò ſanctior, vt ipſa ſe putat) quia eſt illa profeſſio ſanctitatis, quæ reddit ſtupidum, ac dolentem ob eius amentiam, & inſenſibilitatem. S. Bernardinum vbi ſupr. quæ Prouinciæ tale malum inflixit, vt difficillimè poſſit ſanari, cum in ſtatu Eccleſiaſtico, & Regulari, inquit Rodriq. vbi ſupr. colore zeli iuſtitiæ, & boni regiminis ſit obuolutum, & à Diabolo in calice iræ Dei ſub ſpecie boni ipſis Eccleſiaſticis, & regularibus propinetur,

tur, quæ ita obnubilat intellectum, vt de partialitatibus conſcientia non agitetur à ſtimulis, vt inquit Bernardin. vbi ſupr. art. 3. c. 1. quæ tandem ſubdit Sanct. art. 2. multos, ac multos ab æterna excludit ſalute. Nec obſtat, quòd ſi non ſunt indigni, ſaltem inter dignos connumerantur; quarè pro ipſis non datur locus ſuffragia ferendi, quia aliundè dignioritas cognoſcitur, nępè apud nos, ſic loquuntur homines partis regnantis, quia caſus, de quo agitur, eſt ille euidens caſus, quandò electores poſſunt digno, dignori neglecto, ſuffragari: vide ea quæ dico in dub. 6. p. p. & in dub. 26. vide etiã Sanch. vbi ſupr. dub. 4. & Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 31. §. 4. cum alijs DD. ab ipſis citatis, imò omnibus euidentior, quia ex hoc fugata pax, & expulſa vnio, reuocantur; proindè aiebat S. Thom. 1. 2. qu. 105. art. 1. *Bona ordinatio Principum eſt, vt omnes aliquam partem habeant in principatu, per hoc enim conſeruatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant, & cuſtodiũt.*

SECVNDA CONCLVSIO.

5. PRo pacifico ſtatu Prouinciæ electores partis dominantis ſub mortali tenentur pro hominibus alterius factionis conferre vota, vt ſaltem pro maiori parte ad gradum Definitoratus, gradu Prouincialatus incluſo, ſublimentur. Suadetur primo ex eo, quia verè in ipſis eluceſcit dignorum nomen; dignioritas enim excitatur præſertim ex fine, quæ eſt vtilitas Eccleſiæ, quarè quis, ſeù qui ſunt cenſendi digniores, qui maiorem conferunt vtilitatem Eccleſiæ, cui ſunt præficiendi, vti dixi in ſec. not. ſed hoc habetur ex illis hominibus electis: ergo hi tanquam digniores ſunt ſeligendi, & non alij: maior clara, minor probatur: nulla maiori vtilitate indiget Prouincia, de qua loquimur, quàm, debellatis ſectis, ac factionibus, frui ſumma pace, & quiete: ſed id habetur ex illis hominibus electis; nodus enim factionis conſiſtens in reciprocorum votorum vtilitate, quibus ipſa factio conſeruatur, vti dixi ſuperiùs, diſſoluitur, conſequenter diſſoluitur factio, & hac debellata, Prouincia ſuo pondere tendit ad vnionem tanquam ad finem, & centrum; finis enim cuiuslibet Imperij eſt vnitas, & pax, vti iam dixi: ergo illi ſunt digniores. Suadetur ſec. ex eo, quia homines factionis dominantis tanquam indigni habendi ſunt; nam propagatio vnionis, ac pacis tanquam finis regiminis, de quo ſic loquitur S. Chryſoſt. 1. ad Cor. c. 11. orat. 26. in fin. *Hoc iugum vitæ trahentes cum concordia, omnia nobis erunt ſecunda, & in ſpiritualibus etiam magnã habebimus facilitatem, & omnibus rectè geſtis bona repoſita conſequemur*: efficit, vt inſpiciantur homines tanquam digniores: ergo, eo neglecto, ac factione nutrita, de qua ſic ait D. Bernardin. vbi ſupr. art. 2. c. 3. *Ex diſſenſione omnia mala oriuntur, vbi enim diſſenſio nihil rectum eſt*; redduntur homines indigni: valet conſequentia, quia contrariorum eadem eſt diſciplina: ſed homines partis dominantis ſeditiones colunt, factioneſque nutriunt: igitur inter indignos computandi ſunt; & ideò meritò definitur à Sanch. vbi ſup. dub. 2. n. 13. Indignus, qui caret qualitatibus requiſitis ad miniſterium, cui præficitur.

Dicent Patres partis regnantis, ſi ſub mortali tenemur ad præſtanda vota pro muneribus prædictis in fauorem alterius partis, eò quòd defectu pacis propagandæ inter indignos cõnumeremur, etiã inter hos inſpiciendi ſunt Patres contrariæ factionis; nam ſi regimen ad eos deuoluitur, deuoluitur etiam propriæ factionis nutritio; ſuis enim votis, ac inclinationibus fauent proprijs ſectatoribus, quarè nunquam fouebitur bonum commune, mediante pace, ac vnione, & ita nil boni inſurget, niſi translatio dominij ex vna in alteram partem. Reſp. quòd huiuſmodi obligatio deligendi Patres prædictos eſt reciproca, ita vt illa ſemper adeſſe cenſenda ſit, quotieſcumquè in Capitulo eſt vna pars in votis altera validior, apud quam eſt Imperium regiminis: quò fit, vt ex iſta obligatione mutua excitetur quædã neceſſitas (nota) deſtruendi factiones, dum ſuſtineri nequit, quod dicitur in p. not. quo conſeruatur factio; ideò inferiores Superiores, &c. vide ibi, & ita omnes hac reciproca neceſſitate ducti clarè cognoſcent factiones non poſſe ſuſtentari; quarè animorum diuiſio, in qua propriè conſiſtit factio, ſenſim ſine ſenſu diſſolui incipiet, qui animi inclinationis naturalis pondere ferentur ad vnam totalem pacem, ac vnionem: *Eſt naturale*, inquit S. Th.

Th. in c. 11. de diu. nom. Dion. Ar. lect. 1. *cuilibet rei, vt vnitatem deſideret*.

Iterum dicent huiuſmodi Patres, ex hac obligatione vnum maximi mœroris ſequi, nēpe iuris dominij priuationem, quod apud nos eſt. Reſp. quòd id petit bonum commune huius miſeræ Prouinciæ, vt patet ex dictis, & eſt de iuſtitia talis regiminis, vt teſtatur S. Th. 4. de reg. Princ. c. 8. *Aſſumēdi ſunt Rectores viciſſim in politia, ſiue Conſules, ſiue magiſtratus vocentur, ſiue quocumque alio nomine, dummodò idonei reperiantur*.

Pro fine concluſionis addendum eſt, quòd hæc doctrina coincidere videtur cum alia in dub. 26. in qua quæſiui: an electores pro bono pacis, ac quietis Prouinciæ teneantur duos Definirores ex qualibet parte eligere, Prouinciales verò modò ex vna, modò ex altera, ſed, re funditus conſiderata, eſt diuerſa maximè in modo, vt legenti ſemper videbitur; vtraque tamen ad vnum tendunt finem, ad pacem ſcilicet, & vtraque eſt ſana, ſed ſanior fortè hæc; ideò firmatur ſubſequens concluſio correſpondens titulo, & in gratiam illorum, de quo ſupr.

*TERTIA CONCLVSIO.*

6. IN Capitulo Viſitator poteſt præcipere patri, quæ alteram in votis excedit, vt pro Patribus alterius factionis ſecundùm modum præſcriptum in ſecunda concluſione ſuffragia ferat. Concluſio ſatis liquet, tum quia, cum eius authoritas ſit data in ædificationem, & non in deſtructionem, ſi non poſſet, eſſet in deſtructionem, quia permitteret graſſari factiones in magnum Religionis damnum; proindè dicebat Rodriq. tom. 2. qu. 1. art. 1. Quandò contingit Generales, aut Prouinciales aliquos Patres ad viſitandum Prouincias deputare, & aliqua grauia negotia ipſis committere decidenda, tenentur viros ad id cōſtituere, qui non ſolùm ſcientia, & experientia ſint præditi, ſed qui ſint ab omni affectione humana ſegregati, ita vt ſceleratos poſſint coercere, & filios Religionis in diuerſas partes diſperſos in vnum congregare, geſtantes in manu ſtateram; omnis enim, qui rectè iudicat ſecundùm Diuum Gregor. & Hieron. ſtateram in manu portare debet, & Innocentius Quartus ait: *Iudices ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine*: & in quadam authentica ab ipſis iuramentū de ſeruanda iuſtitia ſumi præcipitur, quòd ſi à Prælatis regularibus non ſumitur, ideò euenit, quia de eorum Religione ratione ſui præeminentis ſtatus magis confiditur: denique debent ſe conſtituere in medio, ita vt non declinent ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed vnicuique debent, quod ſuum eſt, tribuere, partialitates, & diſcordias, tanquam Patres, componentes, conſiderantes bonum eſſe, & iucundum habitate fratres in vnum: contrarium enim facientes non nomine Iudicum debent nuncupari, cum ſint partiales, & fauctores factionum, & ſeditionum, prout ſolent in iure appellari, iuxta allegata à Baldo, Speculatore, & Auendaño: hæc Rodriq. tum quia ex vi iuſtitiæ commutatiuę tenetur bono communi læſo ob tot mala, & incommoda, quæ ſequuntur ex ſectis, & factionibus, ſuccurrere, tum quia præcipere poteſt, vt, poſthabitiš indignis, electores ſeligant digniores; nam, vt probatum eſt, pars validior eſt indigna, & debilior dignior in caſu; & ideò dicebat optimè S. Thom. vbi ſupr. *Bona ordinatio Principum eſt, vt omnes aliquam partem habeant in principatu; per hoc enim conſeruatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant, & cuſtodiunt*.

Dices huiuſmodi præceptum aduerſatur libertati electionis, in qua debet eſſe plena libertas, & ita eſt de eius ſubſtantia, vt conſuetudine introduci non poſſit, quò minùs ſit libera, vt dicit Abbas c. Cum terra de elect. n. 4. & habetur eod. cap. Cum terra. Reſp. doctrinam eſſe veram, cum electio coarctaretur ad tres, ſeù quatuor perſonas, vt aſſerunt Silu. Rodriq. Mirand. Barboſ. inferiùs citandi, Portell. tit. Electio n. 4. Caſtellin. de elect. c. 3. n. 7. Lauot. tit. 4. c. 21. n. 11. ſecus eſt dicendum de coarctatione ad certum genus hominum, vt eſt in caſu. Ita Silu. tit. electio qu. 26. Barboſ. de iure Eccleſiaſt. lib. 1. c. 19. n. 233. Rodriq. tom. 2. qu. 51. art. 11. Mirand. manu. Prælat. quęſt. 23. art. 22. tom. 2. & alij apud citatos DD.

# PARS TERTIA
## IN QVA NONNVLLA
## Selecta ad Regularium regimina ſpectantia elucidantur.

### DVBIVM XXXXI.

*An conueniens fuerit Eccleſiam Dei militantem varijs decorari Religionibus: & an omnes homines, ex quibus formantur, ſint vitæ probitate clari.*

### SVMMARIVM.

1. *INſtitutum monaſticum è Cœlo elapſum ad tria ſpeciatim renouanda; Baptiſma ſcilicet, Martyrium, & Paradiſum.*

2. *Sacra Scripturæ teſtimonijs habetur in Dei Eccleſia cum malis viuere bonos.*

3. *Dei Eccleſiæ vtiliſſimum fuit varijs muniri Religionibus.*

4. *A diuina Prouidentia hæ ornantur perfectione Apoſtolorum, qua debellantur hæreſes, roboratur fides, delentur vitia, ac firmatur diuina lex: & duabus obiectionibus occurritur.*

5. *In omni Religioſorum cœtu malorum zizania dignoſcitur: & cuidam obiectioni ſatisfit.*

1. Luculenta vitæ religioſæ encomia congerit P. Marcellinus de Piſe Capuccinus in ſua morali Encyclopedia tom. 3. pag. 637. ipſum conſulite, tantùm mihi ſufficit hic recenſere pro prim. not. quòd tam cœleſtem vitæ rationem non ab hominibus puris inuentam, aut inſtitutam, ſed è Cœlo elapſam fuiſſe certum eſt, vt inter alios Concilij Meldenſis Patres ad Carolum Regem ſcribentes hiſce grauiſſimis verbis teſtantur: *Sacrum quoquè monaſticum Ordinē à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeù à nominatiſſimis Patribus excultum, atque per iſtum Imperium à veſtris piæ memoriæ Prædeceſſoribus propagatum laicorum cura; ac poteſtati vos commiſiſſe dolemus;* quòd aiunt, *Ordinem monaſticum fundatum eſſe ab Apoſtolis*, non eſt ſenſus, ſubſtantiam religioſi ſtatus authores agnoſcere Apoſtolos; id enim videtur falſum, & contrarium grauiſſimis PP. affirmantibus Chriſtum eſſe religioſi ſtatus authorem & fundatorē. Ita S. Chryſoſt. hom. 17. ad populum. S. Baſil. in conſtit. monaſt. ca. 23. S. Bernard. in Apolog. ad Guhel. Abb. contrarium etiā ſententiæ omnium catholicorum rectè ſentientium, vt D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. Palud. Sot. Nauarr. Bellarmin. Salmeron. multique alij, quos citatos ſequitur Suar. 3. de Relig. tract. 7. lib. 3. c. 2. ſubdens, quòd poteſt dici ipſum ſtatum religioſum eſſe de iure diuino, non præcipiente, ſed conſulente; ſed ſenſus Concilij eſt primos Apoſtolos, inſtitutore, & Authore Chriſto, religioſum ſtatum eſſe amplexatos: ad tria ergo renouanda, præter ea prout inferiùs, Religionum ſtatum inſtitutum conſidero: Baptiſma primò, de quo S. Bern. lib.

lib. de præcepto, & diſpenſatione cap. 23. *Audire*, inquit, *& hoc vultis à me, vndè inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt ſecundùm Baptiſma nuncupetur? arbitror, ob perfectam Mundi abrenuntiationem, & ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quæ præeminens vniuerſis vitæ humanæ generibus huiuſmodi conuerſatio profeſſores, & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; imò diuinam in homine reformat Imaginem configurans nos Chriſto inſtar Baptiſmi: & quaſi deniquè ſecundo baptiZamur, dũ per id, quod mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, rurſum Chriſtum induimus complantati denuò ſimilitudini mortis eius: ſed & quomodò in Baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in Regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in ſancti huius ſecunda quadam regeneratione propoſiti de tenebris æquè non vnius originalis, ſed multorũ actualium delictorum in lumen virtutum euadimus redaptantes nobis illud Apoſtoli: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit*. Secundò Martyrium de quo S. Hieron. in pſalm. 125. *Sicut Martyres*, ait, *laudant Deum purè in Regione viuorum; ita & Monachi, qui die, ac nocte, pſallunt Domino, debent eamdẽ puritatem habere Martyrum; ſiquidem ipſi Martyres ſunt; quod enim faciunt Angeli in Cœlis, hoc Monachi faciunt in terris*. Tertiò Paradiſum, de quo S. Bernard. hom. in hæc verba Domini: *Simile eſt regnum Cœlorum. Quæ eſt tam*, inquit, *pretioſa margarita, pro qua vniuerſa dare debemus, ideſt noſmetipſos, quia totum Deo dedit, qui ſeipſum obtulit, vt poſſimus eam habere? nonne hæc Religio ſancta, pura, & immaculata, in qua homo viuit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copioſiùs? O Religio glorioſa, & mirabilis! quæ mens cogitare, quis intellectus plenè cognoſcere, quæ lingua humana te poterit ſufficienter, & dignè extollere? Hæc enim, fratres mei, eſt, quæ, miſerante Deo, peccata remittit, & reſerat Paradiſum, quæ contritum ſanat hominem, & triſtem exhilarat, vitam de interitu reuocat, ſtatum reſtaurat, hominem reuocat, fiduciam reformat, vireſq; & abundantiorem gratiam refundit. O Religio virtutibus ornata! O margarita perfulgida! quid noui de te referam? omnia enim ligata tu ſoluis, omnia ſoluta tu reſeras, omnia aduerſa tu mitigas, omnia deſperata tu animas. O Religio rutilantior auro, Sole ſplendidior? ſi verè ſeruatur, non vincit peccatum, nec detractio ſuperat, nec deſperatio delet, vſque in finem, Deo dante, vt brauium apprehendat, perſeuerat: hæc eſt, quæ reſpuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit nequitiam, cogitque, hominem Dei amore omnia libenter ſufferre. O Religio gratiſſima, & toto corde perquirenda! nonne per te cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, pauperes euangelizantur! O Religio pacifica, ſtrepitu maligni ſæculi elongata, & pro Chriſto ſæculo mortua, vbi Spiritus ſanctus ſuper humilem venit, & quietum, ſuper deuotum Chriſti aſcendit! O Religio habitaculum Dei, & Angelorum eius! O Religio vita beata, vita Angelorum &c. verè clauſtrum, verè Religio eſt Paradiſus. O Religio vallo diſciplinæ munita, in qua eſt pretioſarum virtutum fœcunda fertilitas! &c. O porta præclariſſima, per quam in ſanctam Ciuitatem intratur, per quam Regnum Cœlorum rapitur, & poſſidetur &c. O Religio mirabilis officina! in te fidelis anima creatoris ſui reſtaurat imaginem, ac ad ſuæ redit imaginis puritatẽ: tu fornax, vbi vaſa ſuperni Regis formantur, vbi peccata ſoluuntur, & cum Angelis in diuinis laudibus eliquantur: hæc Bernardus*: Hinc optimè B. Laurent. Iuſtin. affatus eſt. *Conſultò gratiam Religionis hominibus occultauit Deus, nam ſi cognoſceretur eius felicitas, omnes ad eam accurrerent.*

2. Not. ſec. quòd, quamuis ſacra Eccleſia Dei militans nuncupetur ſancta, vt habetur in Symbolo Apoſtolico in Miſſa: *Et vnam Sanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam*; non ideò omnes, qui ſub ipſa militant, ſunt ſancti, ſed multi, & multi moribus praui cognoſcuntur, vt teſtatur praxis, & probat S. Auguſt. tom. 7. de vnitate Eccl. cap. 14. ex varijs ſacræ Scripturæ teſtimonijs. *Habemus*, inquit, *innumerabilia teſtimonia, & de commixtione malorum cum bonis in eadem communione Sacramentorum, ſicut Iudas ab initio malus inter bonos vndecim conuerſatus eſt: & de bonorum paucitate propter malorum plurimorum comparationem, & rurſus*

*de bonorum multitudine per ſe ipſam conſiderata, ex quibus, ne longum faciam, pauca connumerabo: eſt enim in Canticis canticorum c. 2. quod de ſancta Eccleſia dictum omnis Chriſtianus agnoſcit: Sunt lilium in medio ſpinarum; ita proxima mea in medio filiarum: vndè appellat ſpinas, niſi propter malignitatem morũ? & eaſdem vndè filias, niſi propter communionem Sacramentorum? videt etiam Ezech. 2. ſignatos quoſdam, ne cum malis pariter interirent, de quibus dicitur: Qui gemunt & mærent peccata, & iniquitates populi mei, quæ ſunt in medio eorum: populum ſuum non diceret, quem ſolis illis illæſis perire mox iubet, niſi eum populum, qui eius ſacramenta geſtabat: dicit & Dominus de ſuperſeminatis Zizanijs. Matth. 13. ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, ideſt triticum, & Zizania: & ipſe interpretatur meſſem eſſe finem ſæculi, agrum verò, vbi vtrumque ſeminatum eſt, Mundum eſſe: oportet itaque vſque in finem ſæculi creſcere vtrumque per Mundum:* & pauló poſt: *Eſt alia ſimilitudo apertiſſima de commixtione malorum, & bonorum, intra eamdem Sacramentorum communionem, & connexionẽ, quã Dominus ipſe & ponit, & exponit. Matth. 13. Simile eſt*, inquit, *Regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mari, quæ congregat omnia genera piſcium; cum autem impleta eſſet, eduxerunt eam ad litus, & ſedentes elegerunt optimos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt; ſic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Nulla ergo malorum commixtio terret bonos, vt propterea velint tanquam retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines non pertinentes ad Regnum Cælorum in Sacramentorum conſortio patiantur:* hæc Auguſt., qui in tom. 7. contra Creſc. gram. lib. 2. c. 34. ait. *Hinc Beatus Cyprianus, quid ſenſerit, accipe ex Epiſtola, quã ſcripſit ad Presbyterum maximum, & cæteros, quibus de ſchiſmatico, & hæretico errore ad Eccleſiam redeuntibus gratulatur. Nam & ſi videntur, inquit, in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas noſtra, vt quoniam Zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus: nobis tantummodò laborandum eſt, vt frumentum eſſe poſſimus, vt cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro, & labore capiamus. Apoſtolus in Epiſt. 2. ad Thim. 2. dicit: In domo autem magna non ſolùm vaſa ſunt aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, quædã verò inhonorata: nos operam demus, & quantùm poſſumus, laboremus, vt vas aureum, vel argenteum ſimus. Cæterum fictilia vaſa confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt: eſſe non poteſt maior Domino ſuo ſeruus, nec quiſque ſibi, quod ſoli filio Pater tribuit, vendicaret, vt ſe putet; aut ad aream ventilandam, & purgandam, palam ſe iam ferre poſſe, aut à frumento vniuerſam zizaniam humano iudicio ſeparare: ſuperba eſt illa obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor prauus aſſumit; & dum dominium ſibi ſemper quidam pluſquam mitis iuſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſia pereunt, & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt: vides frater ſecundùm Scripturas diuinas hoc præcepiſſe Cyprianum etiam propter malos: qui, cum ſint à bonis vita, moribuſque ſpiritualiter ſeparati; corporaliter tamen eis in Eccleſia videntur, eſſe permixti vſque in diem iudicij, quo etiam corporaliter debitas ſeparabuntur ad pœnas: non eſt Eccleſia deſerenda tanquam frumenta propter paleam, vel zizaniam, ſicut nec domus magna propter vaſa inhonorata: Vides, audis, ſentis, capis, intelligis quanto ſcelere propter eos, qui vobis ſiue rectè, ſiue cum fallimini diſplicent, ſeparemini ab Eccleſia, quæ toto Orbe diffunditur, cui ſecundùm Scripturas diuinas tam magnum, tam firmum, tam clarum, ac luculentum teſtimonium perhibet Cyprianus.* hæc Auguſtinus.

## *PRIMA CONCLVSIO.*

3. SAcræ, ac militanti Eccleſiæ vtiliſſimum fuit varijs muniri Religionibus. Ita S. Thom. 2.2. qu. 188. art. 7. Mirand. tom. 1. qu. 2. art. 1. Bellarm. tom. 1. de Monach. lib. 2. c. 3. Suar. 4. de Relig. tract. 9. de variet. Relig. lib. 1. c. 1. n. 12. Ratio manifeſta, quia cum Religionis ſtatus non aliud ſit, quàm quædam perfectionis via, ſchola, ac diſciplina, qua ad perfectionem charitatis tanquam ad finem earum peruenitur, ſeù perueniri poteſt, & cum plures ſint actus, & opera charitatis, quibus diuerſimodè Religioſi ſe poſſunt occupare, & exercere; ideò Religionũ pluralitas

litas in Eccleſia Dei ſemper erit cenſenda vtiliſſima. Adde, inquit Bellarm. loc. cit. quòd hæc varietas inſtitutorum in eadem fidei confeſſione nihil obſit chriſtianæ Religioni, ſed potiùs valdè proſit; hinc intelligi poteſt, quòd hac ratione prouiſum eſt omni hominum generi, vt nemo ſit, qui velit ad perfectionem tendere, & non poſſit; varia enim ſunt hominum genera, variæ propenſiones, nec pares hominum vires; vnus diligit ſolitudinem; alius gaudet frequentia; vnus libenter orat, alius libentiùs legit, vel operatur, &c. ſi ergo omnis Religio requireret ſolitudinem, vel omnis communionem, & frequentiam, aut ſi omnis Religio abſtinentiam à carnibus indiceret, vel nulla indiceret, &c. pauci admodum Religioſi eſſe poſſent; nunc autem in tanta varietate Religionum poteſt omnibus ſatisfieri: hæc Bellarm. Sunt aliæ rationes, eas conſulite, & apud Suar. & apud eundem Bellarm. loc. cit.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. HViuſmodi Religiones non ſolùm vtiliſſimæ videntur Eccleſiæ militanti ob rationes in ſuperioribus recenſitas, ſed etiam quia à diuina Prouidentia decorantur perfectione illa Apoſtolorum, ac Diſcipulorum, mediante qua profligantur hæreſes, roboratur fides, expelluntur vitia, & propagatur diuina lex. Suadetur hoc eleganti diſcurſu. Sicut, vt inquit S. Auguſt. 3. de Trin. vnà cum S. Thom. Opuſc. 3. c. 128. *Diuina Prouidentia ſtatuit, vt corpora inferiora, & graſſiora per potentiora, & ſubtiliora, atque ſuperiora quodam ordine regantur*; immò ait Abulenſ. in Matth. c. 22. qu. 250. tota materia corporum inferiorum ſubiacet varietati ſecundùm motum corporũ cœleſtium, vndè eſſet contra ordinem, quẽ diuina Prouidentia ſtatuit, ſi materia corporum inferiorum ad ſtatum incorruptionis reduceretur, manente motu corporum cœleſtiũ, ex quo fit generatio, & corruptio in his inferioribus. Ratio habetur à D. Thom. Opuſ. 2. c. 124. *Aliqua creaturæ*, inquit, *ſuperiores dicũtur, quæ in bonitate perfectiores exiſtunt, ordinem autem boni creaturæ conſequũtur à Deo, inquantùm reguntur ab ipſo; ſic igitur ſuperiores creaturæ plus participant de ordine gubernationis diuinæ, quàm inferiores: quod autẽ magis participat quantumcumq; perfectionem, comparatur ad id, quod minus ipsã participat, ſicut actus ad potẽtiam, & agens ad patiens: ſuperiores igitur creaturæ comparãtur ad inferiores in ordine diuinæ Prouidentiæ, ſicut agens ad patiens: per ſuperiores igitur creaturæ inferiores gubernantur*: Addit. *Bonũ multorum melius eſt, quàm bonum vnius tantum, & per conſequens eſt magis diuinæ Bonitatis repræſentatiuum, quæ eſt bonũ totius Vniuerſi: ſi autem creatura ſuperior, quæ abundantiorem bonitatem à Deo participat, nõ cooperaretur ad bonum inferiorum creaturarum; illa abundantia bonitatis eſſet vnius tantùm; per hoc autẽ fit communis multorum, quod ad bonum multorum cooperatur: pertinet igitur hoc ad diuinã Bonitatem, vt Deus per ſuperiores creaturas inferiores regat: Sic decreuit*, ait S. Th. vbi ſupr. c. 125. & contra Gentil. lib. 3. c. 79. *vt inferiores ſubſtantiæ intellectuales regantur per ſuperiores intellectuales, quia cũ per ſuperiores inferiores regũtur à Deo, vt dictũ eſt; & cũ inter ipſas creaturas intellectuales quædam alijs ſint ſuperiores, ſequitur, quòd illæ ab his regantur: quò fit, vt homines, qui infimũ locũ ſecundũ naturæ ordinẽ in ſubſtantijs intellectualibus tenent, gubernentur per ſuperiores ſpiritus, qui ex eo, quòd diuina hominibus nuntiant, angeli vocantur, id eſt nũtij, ipſorũ etiã angelorũ inferiores per ſuperiores regũtur, ſecũdũ quod in ipſis diuerſæ hierarchiæ, id eſt ſacri principatus, et in ſingulis hierarchijs diuerſi ordines diſtinguntur*: Idem probat contra Gentiles lib. 3. c. 81. ex influentia diuinæ Sapientiæ, quam perfectiùs recipiunt illæ, quæ ſunt ſuperiores. Ex hac ergo doctrina ſatis clarè intelligitur diuinæ Prouidentiæ regulam vniuerſalem eſſe, creaturã minùs perfectam à perfectiori regi, ac gubernari pro finis aſſecutione. Ab iſta, autẽ diuina, ac ſuprema regula noluit omnipotens Deus reparationem, ac reformationẽ naturæ humanæ per peccatum collapſæ, & à Cœlo excluſæ eximere, quia eã per Verbum incarnatum, cuius perfectio ab infinitate metiri debet, fieri conuenientiſſimũ fuit, vt probat S. Thom. 3. part. quæſt. 1. art. 2. cum omnibus alijs Theologis; idque ob multas rationes, inter quas ea, quæ noſtrum intentum attingit, non inferioris ordinis eſt, *ob rectã operationem* ait S. Th. vbi ſupra *in qua nobis exemplum ſe præbuit*: vndè S. Auguſt. in quodam ſerm. de natiu. Domin. ait.

*Homo*

*Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat, vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo* : ab iſta etiam diuina, ac ſuprema regula abſoluere noluit prædicationē ſacri Euangelij per totum Orbem ab Apoſtolis diſſeminandam; nam, qui priùs ad tātum opus ſe ipſos accingerent, eos ad tantā dignitatem, ac perfectionem, quanta eſt illa Angelorum, erexit, idque fuit, quandò poſt præceptum prædicandi eis impoſitum. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum Cœlorum*. Matth. 10. poſt virtutem, prodigia, & miracula in hominum admirationem faciendi eis conceſſit: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones eijcite, gratis accepiſtis, gratis date*: eis dixit. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, nec duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*: audiamus D. Chryſoſt. hom. 33. in Matth c. 9. quærens: *Quanam de cauſa hæc omnia iniunxit? exactiſſimè*, ait, *certè ſublimioris vitæ fundamenta voluit iacere; ſic & in ſuperioribus nullam de craſtino die curam ipſos habere hortatus; nam cum ad vniuerſi terrarum Orbis magiſterium ipſos miſſurus eſſet, non iniuria ad angelicam, vt ita dixerim, diſciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum ſæcularium liberos reddens, vt vni rei prædicationi, videlicet Euangelij ſolūmodò vacarent*: Hoc eſt illud culmen perfectionis, ac ſanctitatis faſtigium, inquit D. Chryſoſt. in ſerm. Quod Chriſtus ſit Deus tom. 5. *quod multas leges patrias ſubuertit, aboleuit conſuetudines inueteratas, euulſit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis alias ſuas implantauit*, &c. Hi ſunt homines illa tā ſublimi virtute ornati, ſubdit idem Chryſoſt. eodem ſerm. *qui in vnaquaque gente, ac Ciuitate, & quid dico gente & Ciuitate? in ſingulis domibus gerebant bellum; radicata enim hæc doctrina, & puerum ſæpè à patre diuiſit, & nuptam à ſocru, & fratrem à fratre, & ſeruum a Domino, & ſubditum à Principe, & virum à muliere, & Patrem à pueris* &c. Sed clariùs idem dicit hom. 47. in Matth. c. 13. *Si autem duodecim homines totam penè farinam Orbis fermentarunt, diligenter animo verſa, quæſo, quanta ſit noſtra malignitas, atque ignauia, qui, cum iam innumeri ſimus, has gentium reliquias conuertere non poſſumus, qui vel mille Mundis ſatisfacere deberemus, ſed Apoſtolos illos fuiſſe inquies: quid ad rem? nonne tecum eiuſdem naturæ fuerunt? nonne cum hominibus etiam ipſi conuerſabantur? eaſdem artes profeſſi, eiſdem rebus nutriti? an forſan credis illos angelos natura, aut de Cœlo lapſos fuiſſe? non, inquies, ſed ſignis illis rutilabant: non propter ſigna certè illi claruerunt: vſquequò ita ignauiam noſtram miraculorum fulgore, quæ tunc coruſcarunt, quaſi velamine quodam obducimus? multi enim, qui Dæmones eiecerunt ob improbam ipſorum vitam haudquaquam clari euaſerunt, ſed etiam ſupplicijs affecti ſunt: quid igitur, inquies, fuit quod præcipuè illos magnos effecit? certè verus, ac non ſimulatus gloriæ, atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam ſæcularium harum rerum omninò curam habebant; nam niſi hoc habuiſſent, ſi paſſionibus veluti nos ſeruiſſent, etiam ſi à morte innumeros homines ſuſcitaſſent, non ſolum nihil vtilitatis feciſſent, verùm etiam ſeductorum, atque deceptorum nomen non effugiſſent: viuendi ergo diſciplina eſt, quæ vbique fulget, quæ ſpiritus etiam gratiam attrahit*: concludit tandem Hieron. Platus de bono ſtatu Relig. lib. 2. c. 31. Hæc rerum deſpicientia tantam fecit admirabilitatem, vndè apparet nihil ad perſuadendum aptiùs, nihil grauiùs ad voluntates commouendas eſſe poſſe, qui autem hoc non habent eos magno planè adiumento carere, & quaſi inſtrumento ad hunc fructum & ſerendum, & demetendum. Cum ergo Religionum ſtatus ſit à Chriſto Domino inſtitutus, & primùm in ipſis Apoſtolis, vt dixi ſuperiùs, & Platus probat c. 20. vbi ſup. eiſdemque Religionibus ſit communicata perfectio illa quaſi Angelica, de qua ſup. & teſtatur S. Auguſt. epiſt. 89. ſcribens ad Hilar. qu. 4. ſe Apoſtolorum exemplo hanc perfectionis viam ſequutum fuiſſe. & S. Chryſoſt. hom. 17. ad Popul. non ſolùm dicit hanc philoſophiam fuiſſe à Chriſto prædicatam, aut inſtitutam, ſed *introductam*, ideſt excitatam in aliqua congregatione ab ipſo coacta, & hom. 17. in Matth. ad hunc ſtatum exhortans: *Vis*, inquit, *ò Monache eſſe diſcipulus meus? fac tu, quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus, & Ioannes*: & hom. 69. in Matth. di-

cit. Monachos imitari Apoſtolos etiam in habitu; & lib. 4. contr. vitup. vir. monaſt. circa finem dicit Apoſtolos impleuiſſe, quę nunc Monachi faciunt: ſequitur eos magno planè adiumento non carere; & quaſi inſtrumento ad hunc fructum & ferendum, & demetendum, ſcilicet ad profligandas hæreſes, ad roborandam fidem, ad extirpanda vitia, & tandè ad propagandam legē diuinā. Legatur, legatur harū fructus in c. 30. lib. 2. Hieron. Plati: videatur, videatur modò illc in Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, ac pagis. Huius veritatis teſtimonium inter alia habetur ex diuina illa viſione Innocentij III. ſummo Pontifici facta, vt refert Thodericus ab Apoldia lib. 1. vitæ S. Domin. c. 12. dum Dominicum, & Franciſcū, ſuppoſitis humeris, collabentem Eccleſiam fulſiſſe conſpexit, per quam Prædicatorum, ac Minorum Ordines eſſe ſuſtentacula Eccleſiæ, intellexit; cuius calamitates, ac miſerias illius temporis ſatis abundè deſcribit Luc. Vuadding. tom. 1. anna. minor. pag. 9. & ſeq. honorificentia populi Franciſcani, qui ad inſtar ſcribæ velociter ſcribentis geſta Seraph. Religionis calamo indefeſſo percurrens, priùs viuendi, quàm ſcribendi finem faciet; idcircò vir laude digniſſimus. Hinc de vtraque Religione dixit. Antonin. in cron. tom. 3. tit. 23. cap. 1. *Equidem diuina Prouidentia, quæ perpetua Mundum ratione gubernat, minùs in neceſſarijs deficiens, quàm natura, ſed omnia ſuauiter diſponens, vnicuique opportuna tempore ſuo concedens; animaduertens Pontifices loca tenentes Apoſtolorum, Parochialeſque Sacerdotes ſucceſſores ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quos ad prædicandum Dominus Ieſus Chriſtus eligens deſtinarat pro Orbem, ab Officio prædicationis quaſi ceſſare, & multò magis ab hæreſum extirpatione, & in zelo animarum tepeſcere, Eccleſiæ ſuæ ſacroſanctæ affluenter prouidit, ſuſcitando tempore illo Ordinem Mendicantium, qui his tam ſolerter, quàm ardenter inſiſterent; hic ordo bifariam diſtinctus inuenitur, in Prædicatores videlicet, & Minores*: audiamus Iacob. Philip. Bergom. lib. 13. ſuppl. ad an. 1217. & Cornelium Muſſum Bitontinum tom. 2. conc. Dom. 2. poſt Paſch. p. 1. Ille ait: *Chriſtianorum itaque Dominus Ieſus Chriſtus turpitudine, & calamitate commotus, hunc potiſſimum Ordinem Prædicatorum, & Minorum excitauit, vt collabentem chriſtianam Religionem erigeret.* Hic inquit: *Initio annunciationis Euangelicæ, cum verbum Domini Iudæis, & Ethnicis prædicaretur, duo electi ſunt Apoſtoli Petrus, & Paulus; cum Mundus in tanta prolapſus eſſet vitia, & Dominus pietate motus illum voluit reformare, non eligit vnum tantùm, ſed duos; vnum Cherubicum, alterum Seraphicū, Dominicum, & Franciſcum; duo corpora, ſed vnam animam*: his etiam addamus ſenſum Caroli Tapiæ Napolit. cap. 54. num. 7. de reb. Relig. loquentis de B. Franciſc. eiuſq; alumnis. *Huius meritis*, inquit, *gaudeat Eccleſia, exultet Chriſtiana Religio, quæ tanti Patris auxilio, eiuſque filiorum virtute indignationem effugit Domini, & priſtinum Religionis candorem recuperauit*: & cap. 19. num. 1. de Dominicanorum familia inquit. *Eorum prædicationibus, ac doctrinis in ipſo ortu Ordinis collapſus iam vitijs, & ignorantia Mundus priori eſt reſtitutus candori, & in dies Romana Eccleſia, Chriſtianaque Religio magna ſentit incrementa*: clauditur diſcurſus verbis S. Bonau. Opuſc. in quæſt. ſuper regul. S. Franciſci in præfact. loquens de Relig. Minorum: *Inter alios Ordines Religioſorum Ordo fratrum minorum datus eſt Eccleſiæ ad ædificationem fidelium in fide, & moribus per verba doctrinæ, & exempla bonæ conuerſationis, quibus & fideles erudiantur ad imitandum, & fides muniatur contra prauitatem hæreticam ſicut lucerna fugans in domo tenebras, & operantes promouens*: adducuntur etiam illa Æneæ Syluij epiſt. 412. de Religioſis ſui temporis minoribus agentis. *Quid*, inquit, *hæc Religio aliud agit, quàm quæ iubere nouimus Euangelium? ſentes, ac tribulos ex agro Dominico euellit, ſemen bonum ſeminat, zizaniam, & lolium veritatis ſarculo præcidit, exterminat auaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates ſtrāgulat, ambitiones, & odia fugat, ignauiæ, & ſocordiæ ſtimulos adigit, & aperiens in Eccleſia diebus ſingulis os ſuum pœnitentiam ſuadet, & viam Domini in veritate docet*: & hæc Religio fortè præ alijs aptior, quia, teſte experientia, vnà cum Cornelio à lapide in Matth. cap. 10. num. 10. eius inſtitutum fuit ad æmulandam Apoſtolicam paupertatem.

Dices, ſi perfectio illa Euangelica, de

qua

qua ſup. à Deo Religionibus communicata in fidei, nec non & legis diuinæ propagationem contineret hanc prærogatiuam, in eis ſemper in Eccleſiæ augmentationem, animarum fructus enitere debet, quia in eis præſertim ſemper dignoſceretur pecuniatũ contemptus ob paupertatis votũ emiſſum, rerumque omnium abrenũtiationẽ, quod ab aliquibus longè abeſt, quia, ſeneſcentibus Religionibus earum virtus etiam, ſeneſcit, vt experientia docuit, in proximorum fructu, ac hoſtium profligatione, ita vt potiùs ſint ſupprimendæ, ſicut iam aliæ fuerunt ſuppreſſæ, quàm ſuſtinendæ. Reſp. hanc obiectionem ſatis demonſtrare diuini Regiminis ignorantiam; diuina enim Prouidentiâ ita res humanas gubernat, & regit, vt earum naturam ſeruare videatur; & *In hoc*, ait S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. cap. 71. *regiminis iuſtitia conſiſtit: ſicut igitur eſſet contra rationem humani regiminis, ſi impedirentur à Gubernatore Ciuitatis homines agere ſecundum ſua officia, niſi fortè quandoquè ad horam propter aliquam neceſſitatem; ita eſſet contra rationem diuini Regiminis, ſi non ſineret res creatas agere ſecundum modũ propriæ naturæ. Quæ res, cum non habeant ſuum eſſe*, inquit Bonau. opuſc. 2. quæſt. 19. ſuper regulam S. Franc. *à ſe, deficiendo decidunt in non eſſe, niſi ſuſtentetur ab eo, qui dat eſſe rei, ſic omnis Ordo, & omnis homo*: quò fit, vt ſicut homo in vitæ vigore infirmatur, ſeneſcit, & tandẽ deficit; ſic Religiones in ſua perfectione, ac feruore, quibus tam coram Angelis, quàm coram hominibus in primordijs admirabiles apparuerunt; ita debilitãtur, vt tandem careant adiumento illo eis à Deo conceſſo in Eccleſiæ vtilitatem, ac decorem; vndè Prouidentia diuina minus in neceſſarijs deficiens, quàm natura, vt loquitur Antonin. vbi ſupr. ordinat ſuauiter, vt noui Ordines excitentur, vel veteres iam collapſi reſurgant, vt quaſi perpetuò perfectionem, ac feruorem illum angelicum in Eccleſiæ augmentationẽ conſeruent: ſummũ hunc Prouidentiæ ordinem ſcribit Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 3. in fin. Cum inquit, omnis Ordo initio ferueat, ac multos homines excitat ad pietatem; paulatim autẽ poſtea feruorẽ illũ remittat: Deus ſubindè nouos Ordines excitãdo quaſi perpetuò feruorẽ in Eccleſia ſua nũc per hos, & nũc per illos conſeruat: certè ſi quis legat vitã, & res geſtas ſanctorũ Antonij, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Franciſci, Dominici, & aliorum, qui aut nouos Ordines inſtituerunt, aut veteres iam penè collapſos reſtituerunt, id fatebitur eſſe veriſſimum, quod diximus de mirifico ardore in ſtudium pietatis, & multorum hominum conuerſione à peccatis ad Deum per nouos Ordines religioſos.

Dices, ſi ex vna parte exaltatur Eccleſia ob fructum, quem vberrimè colligit ex virtutibus, doctrinis, nec non & ſanguine hominum penè infinitorum Regularium præſertim laborantium in profligandis hæreticis; ex altera verò parte gemit tanquam depreſſa ſub onere multorum, qui non ſolùm fuerunt apoſtatæ à Religione, in qua erant profeſſi, ſed à fide, in qua erant geniti, quorum nomina principaliora notat Raynaudus in lucubratione Iudæ poſteri Apoſtatæ c. 4. inter quos quis videtur tanquam caput alicuius damnati dogmatis; vndè Spondan. in Epithom. ann. 1126. n. 1. ex Baronio ait: Honorius Papa duorum præcipuorum Orbis Chriſtiani Abbatum Caſſinenſis, & Cluniacenſis cauſas cognoſcens, eoſdem lata ſententia condemnauit: expertus nihil in ſuis membris infeſtiùs Eccleſiam pati, quàm Religioſos à paternis inſtitutis deſciſcentes, & more ſæcularium ad gloriam, & lucra turpiter inhiantes. Reſp. malum quid hoc inter penè infinita bona? ſed tamen adhuc in hoc admirabilis ordo diuinæ Sapientiæ coruſcat: Primò, nam viſum eſt Deo per antitheta, ſic loquitur Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 11. c. 18. cuius eſt hæc doctrina, ideſt per contraria vniuerſum Orbem, etiam quoad naturæ ordinem temperare, vt decus bonorum eſſet illuſtriùs; in quam rem adhibet exemplum contrapoſitorum, quæ ad orationis ornamentum conferunt plurimùm. *Sicut ergo*, inquit, *iſta contraria contrarijs oppoſita ſermoni pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur: apertiſſimè hoc poſitum eſt in lib. 33. Eccleſiaſtico, hoc modo: Contra malum bonũ eſt, & contra mortẽ vita; ſic contra piũ peccator; et ſic intuere in omnia opera altiſſimi bina, & bina, vnũ contra vnũ*: cũ ergo iſtud ingens bonum, in Eccleſiæ augmentum per ſingulas ætates à Religionibus poſt earum

ortum

ortum propagatum ſit Altiſſimi opus, neceſſarium erat, quòd per ſuum contrarium, nempè per illos Apoſtatas illuſtriùs redderetur; ideò dicebat Lactant. lib. 7. de inſtit. c. 5. *Nulla enim virtus eſſe poterat, niſi diuerſa feciſſet, nec omninò apparere vis boni poteſt, niſi ex mali comparatione: Adeò malum nihil aliud eſt, quàm boni interpretatio: ſublato igitur malo, etiam bonũ tolli neceſſe eſt.* & D. Thom. contr. Gentil. lib. 3. c. 71. *Tolleretur*, ait, *etiam ſummus decor à rebus, ſi ab eis ordo diſtinctorum, & diſparium tolleretur:* & cap. eod. *nam bonum ex comparatione mali magis cognoſcitur:* vndè iuxta hãc regulam nihil aliud elicitur ex verbis Baronij, nil eſſe vtiliùs Eccleſiæ Dei, quàm Regulares nõ reſilientes à paternis inſtitutis; hoc enim debet illuſtrari per ſuum contrarium, quia malum eſt interpretatio boni, & quia ait Lactant. vbi ſupr. lib. 5. c. 7. *Deus bonorum, & malorum voluit eſſe diſtantiam, vt qualitatẽ boni ex malo ſciamus, item mali ex bono; nec alterius ratio intelligi, ſublato altero, poteſt:* ideò dicebat S. Cryſoſt. de lapſu primi hominis tom. 1. *ex comparatione malorũ ſit laus bonorum*. Adde etiam cum S. Thom. vbi ſup. quod *virtuoſius eſt bonum in bonitate, quàm malum in malitia*. Secundò cum quoties, ait Thom. Bozius de ſignis Eccleſ. Dei lib. 9. cap. 4. Eccleſia magnis impiorũ tempeſtatibus eſt agitata, Deus non modò viros inſigni ſanctimonia præſtantes cœlitus ad illam iuuandam miſit ex illa potiſſimum parte, qua volebat illi opem ferre, & in ea loca, quibus incolumitatem, ſalutemque ſummam cupiebat, ſed huiuſmodi miſit, qui religioſos Ordines inſtituerent, vndè acies multæ Sanctorum pro recta doctrina, & pietate pugnantium temporibus ijs turbulentis prodierunt: verbi gratia, cum peſtis Ariana peruaſiſſet Orientem, Deus extulit in lucem Antonium illum Magnum in Ægipto, vndè erupit Ariana lues, & Baſilium in Cappadocia ambos non modo cœleſtis innocentiæ, ac puritatis viros, ſed authores Ordinum Religioſorum, è quibus Monachi innumeri pro vero Dei cultu præliaturi poſtea ſunt exorti: hæc Bozius, qui proſequitur adnotare tempora ortuum cuiuſlibet Religionis ſecundum ordinem diuinæ Prouidentiæ ad ſuſtentandam Eccleſiam collabentem ob nouas hæreticorum ſectas exortas, quæ breuitatis cauſa prætermittuntur, quibus tamen mitto lectorem, & num. 14. cognoſcet etiam geminos ſemper cœtus Religioſorum excitari, quorum alter contemplationi magis, & ſolitudini; alter autem frequentiæ, & actioni deditus eſſet; vt ſcilicet in Eccleſia ex omni parte Religio perfectè abſolueretur; & cum id cedat in maximum honorem, ac ingentem decorem omnium Religionum, & cum regula diuina ſit, inquit Auguſt. lib. de ſancta virginit. c. 53. ex Eccleſ. 3. nu: 20. quòd *Quantò magni eſtis, quicumque ita magni eſtis, tantò humiliate vos in omnibus, vt coram Deo inueniatis gratiam, ne ſuperbis reſiſtat, ne ſe exaltantes humiliet, ne inflatos per anguſtam portam non traijciat:* & cum dicat Bernardus in ſententijs ex ſenſu Apoſtoli. *Rationalem creaturam adeò affectare gloriam, vt aut vix, aut nunquam ab hoc compeſci deſiderio poſſit, quippè quæ ad imaginem facta eſt Creatoris:* proptereà, ne glorietur omnis caro in conſpectu Dei præſertim in hoc, quod eſt opus dexteræ Altiſſimi: *Propter aliud non credẽdum eſt*, dico ò Religiones ſacræ, cum S. Auguſt. lib. de ſanct. virg. cap. 40. *permittere Deum, vt miſceantur numero profeſſionis veſtræ multi, & multæ caſuri, & caſuræ, niſi vt, his cadentibus, timor veſter augeatur, quo ſuperbia comprimatur, quàm ſic odit Deus, vt contra hanc vnam ſe tantùm humiliaret Altiſſimus?* vt ſciatis, vos eſſe pugnaturos pro certa victoria aduerſus vitia, & hæreſes non faſtu ſuperbiæ ob doctrinam, ac virtutes, ſed humilitatis ſtudio, iuxtà illud. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*; ne inflati tandem per anguſtam portam non intretis: & quandò ex vobis aliquis Lucifer cadit, dicite cum Ioanne ex nobis exijt, ſed non fuit ex nobis; ſi enim ex nobis fuiſſet, manſiſſet vtique nobiſcum, ſed territi purgamur; ideſt huius lapſus nos terruit, & purgauit: terruit, ne Conditorem noſtrum, à quo tam ingens bonum accepimus propagandi Eccleſiam ſuam, ſuperbè deſpiceremus nobis arrogando gloriam, quam ſoli Deo debemus; purgamur verò, quia exeũtibus malis, ſoli boni remanent: ſic lapſo Lucifero illo SS. Angeli & territi, & purgati ſunt iuxta illud, & *territi purgabuntur*, quod S. Gregor. 34. mor. cap. 7. ſic gloſſat. *Purgati ſunt, quia nimirum iſto cum reprobis legio-*

*legionibus exeunte ſoli in cœleſtibus ſedibus, qui beatè in æternum viuerent, remanſerunt: Huius itaque lapſus eos terruit, & purgauit: terruit, ne Conditorem ſuum ſuperbè deſpicerent; purgauit verò, quia exeuntibus reprobis actum eſt, vt electi remanerent*: quòd ſi dicetis cum S. Bernardo vbi ſup. infirmitate humana ducti: *Quandoquidem nobis perſuaderi non poteſt, non gloriari; ſaluberrimum adinuenit conſilium Paulus: ſaltem*, ſubdit Bernardus, *qui gloriatur in Domino glorietur*: & dicamus omnes iugiter cum Pſalm. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*: & cum viginti quatuor ſenioribus mittentibus coronas ſuas ante thronum: *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorū*. Apoc. 4.

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. SIcut in militante Eccleſia malorum zizania dignoſcitur, ſic in omni cœtu Religioſorum ea eſt inſpicienda. Duas habet partes concluſio, quarum prima probata habetur in ſec. not. ex varijs teſtibus ſacræ Scripturæ: hinc Auguſt. in pſalm. 69. exclamat. *Quia Martyres tribulationē hic paſſi ſunt corporalem, nos in quantacumque pace ſimus, neceſſe eſt patiamur tribulationē ſpiritualem & neceſſe eſt, vt inter ſcandala, & zizania, & paleam gemat Eccleſia, & illa maſſa, donec meſſis veniat, donec ventilabrū, donec veniat vltima ventilatio, vt ſeparetur palea à frumento, donec ad horreum redigatur*. Secunda pars ſuadetur ex eodem D. Auguſtin. in pſalm. 36. conc. p. vbi habet hæc verba admiratione digna. *Iam verò quia in quocumque genere vitæ, quod habet aliquam profeſſionem, non omnes inueniuntur probi, non omnes inueniuntur reprobi; ex hoc apparet, quia de quibuſdam hominum generibus, quæ per ſimilitudines in Euangelio modò propoſita audiuimus, ſic concluditur: Vnus aſſumetur, & vnus relinquetur: aſſumetur bonus, relinquetur malus: videntur duo in agro, eadem profeſſio eſt, ſed non idem cor, profeſſionem vident homines, cor nouit Deus; quodlibet ergò ager ſignificat, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur, non quaſi dimidia pars aſſumetur, & dimidia relinquetur: ſed genera hominum duo dicit*: hæc Auguſt. qui in pſalm. 99. propè finem concludit: *Vndique vnus aſſumetur, & vnus relinquetur*: multa alia loca habet Auguſt. quæ notantur in ſequēti quęſito, hoc adhibito pro fine concluſionis. *Firmiſſime tene*, inquit tom. 3. de fide ad Petrum cap. 43. *& nullatenus dubites, aream Dei eſſe Eccleſiam catholicam, & intra eam vſque in finem ſæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc eſt bonis malos ſacramentorum communione miſceri, & in omni profeſſione, ſiue Clericorum, ſiue Monachorum, ſiue laicorum bonos eſſe ſimul, & malos, nec pro malis bonos deſerendos, ſed pro bonis malos, in quantùm exigit fidei, & charitatis ratio, tolerandos, &c.*

Dices, ſi hoc eſt verum, decor, & fulgor Religionum, quæ ſunt datæ in Eccleſiæ decorem pro ſingulari perfectione acquirēda, euaneſcit; vndè ſtatim ac cognoſcuntur huiuſmodi Ordinum deſertores, eliminari debent: Falleris amice, eluceſcit potiùs, falleris, inquam; non ſunt enim eliminandi, ſed tolerandi; ſed vtrumque clariùs in quæſito ſubſequenti videbitur.

## DVBIVM XXXXII.

*An conueniens ſit Religionem à malis hominibus, qui ſuis vitijs eam labefactare videntur, expurgare.*

SVMMARIVM.

1. *OB duplicem finem ordinatè Deus mala permittit.*

2. *Probatur malum culpæ eſſe de perfectione Vniuerſi.*

3. *Varijs rationibus, ac authoritatibus defenditur non eſſe vtile Religiones à malis hominibus communiter expurgare; & ſoluuntur obiectiones.*

4. *Iudicia Dei profunda non perſcrutanda, ſed adoranda.*

1. Not. prim. Deum ordinatiſſimè mala fieri permittere, quia, cum in Mundo duplex ordo videatur; alter in Vniuerſo; alter verò in finē; primus exigit permiſſionem peccati, quia ad perfectionem vniuerſitatis oportuit creare, ſeù producere creaturam libe-

liberam, quæ in peccatum labi poſſet; vndè Deus ſummus adminiſtrator ita adminiſtrat res, vt eas agere proprios motus ſinat, vt optimè inſinuat D. Auguſt. 7. de ciuit. Dei cap. 30. & ideò, cum voluerit tribuere potentiam liberam, & voluerit regere, ſaluo ordine liberæ conditionis, ſi creatura libera peccare vellet, permittere debuit peccatum, ſi abſtinere ſe vellet à culpa, debuit eã à peccato incolumen ſeruare. Secundus exigit etiam eandem permiſſionem; nam duplex finis illuſtrat Vniuerſum; alter eſt ſalus electorum; alter verò diuina laus, quoniam ergo malorum permiſſio reddit electos glorioſiores per occaſionem, eò quòd eos ſuis prauis moribus exercitant, & Deus nõ curat, vtrum per cauſam, vel occaſionem electorum gloria augeatur; ideò rectè permittit peccata; quarè S. Auguſt. 11. de Ciuitate Dei cap. 17. 18. inquit. *Quod nullũ faceret, quem malum præſciret, niſi pariter noſſet, quibus bonorum vſibus accommodaret*: diuina laus etiam id exigere videtur, quia occaſione mali ſummè manifeſtatur diuina Miſericordia erga electos in Filij donatione; ſummè etiam manifeſtatur iuſtitia in æterna reproborum punitione; quarè S. Auguſt. vbi ſup. c. 12. ait. *Si omnes remanerẽt in pœna, in nullo appareret miſericordis gratia redimẽtis, rurſus ſi omnes transferẽtur ad lucẽ, in nullo appareret ſeueritas vltionis*. Ita S. Bonau. in p. ſent. q. 31. art. 1. diſt. 47.

2. Not. ſecund. quòd S. Bonau. vbi ſupr. & S. Thom. part. 1. quæſt. 22. art. 2. inquiunt malum culpæ eſſe de perfectione Vniuerſi: ſanè hoc eſſe videtur extra captũ intellectus, quia, ſi Deus cooperatus fuiſſet gratia ſua cum Angelis, & hominibus, qui lapſi ſunt, in bono quippè perſeueraſſent, & Mundus multò meliùs perfectione illuſtratus videretur, eò quòd nihil ab ordine reſpiciente diuinam Voluntatem ſecundũ ſe, qui eſt ſupremus ordo in Vniuerſo, defeciſſet, & in tali defectu malum culpæ conſiſtit; virtutes etiam, quæ ex malo culpæ occaſionaliter oriuntur, vt patientia Martyrum, & pœnitentia, &c. in Vniuerſo eniterent, quoniam inuenirẽtur ſecundùm animi præperationem. Doctiſſ. Caietanus in D. Thom. vbi ſupr. dubium mouet, & reſoluit ſua profunda, ac ſubtili doctrina: dicit ergo, quòd vniuerſa integritas maius bonum videtur eſſe, quàm quodcumque particulare bonum creatum, vt habetur ex Geneſi 1. exigit enim vniuerſa integritas virtutes, & ſi quæ ſunt alia ex malo occaſionaliter prouenientia non ſolùm in ſtatu imperfecto, ſed etiam perfecto: conſtat autem perfectum virtutis ſtatum conſiſtere in actu ſecundo, & non in habitu, vt patet 1. ethic. & 12. Metaph. decuit ergo diuinam Prouidentiam multa peccata in rationali, & intellectuali natura permittere, ne in Vniuerſo multæ perfectiones deeſſent; puta iuſtitia punitiua, patientia Martyrum & ſimilia; imò ſi peccatum in homine è Deo permiſſum non fuiſſet, non eleuaſſet Deus humanam naturam ad infinitam ſui ſuppoſiti dignitatem, nec oblatum in Cruce fuiſſet infiniti valoris ſacrificium, quod adeò magnũ bonum fuit, & eſt, vt excedat in bonitate omne malum culpæ non ſolùm hominum, ſed etiam Dœmonum, vndè & ipſe ordo in diuinam bonitatem ſecundum ſe, quamuis ex malo culpæ ſit læſus, tantùm tamen boni ad eundem ordinem ſpectantis ex malo culpæ Deus efficit, & tam feliciter actũ eſt cũ Vniuerſo, vt dicere poſſimus, cũ mala culpæ permiſit iuxta illud D. Greg. ò felix culpa, &c. hæc Caiet. qui partim doctrinam deſumpſit ex D. Thom contr. Gentil. lib. 3. c. 71. n. 5. ideò *Deus*, inquit S. Chryſoſt. de lapſu prim. homin. tom. 1. *æquè præſcius futurorum fecit hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem ſuam dans ei præceptum, prævidens de eius transgreſſione, quanta bona facturus eſſet; nam tolle perſecutores, & non erũt martyres; tolle congeriem malorum, & non erit plenitudo virtutum; tolle adulterij amatores, & non erit perfectio caſtorum*.

## CONCLVSIO.

3. NOn eſt vtile, neque conueniens Religionibus eas à malis hominibus communiter expurgare, qui ſuis imperfectionibus, ac vitijs diſciplinam regularem eneruant, Religionemque labefactant. Suadetur prim. quia humana prudentia ſecundùm ſe conſiderata videtur obſtare diuinæ Ordinationi, quæ ſtatuit, ac decreuit neceſſarium eſſe inter malos viuere, cuius ordinatio ſatis publicatur à D. Auguſt. in Pſalm. 54. in prim. conc. *Quoniam neceſſe erat*, inquit,

quit, *vt inter malos viueremus*: & ideò non abhorruit Iudam ad ſummam Apoſtolatus dignitatem inter illos paucos erigere ad exemplum noſtræ patientiæ: audi Auguſt. vbi ſupr. *Ille videbat traditorem ſuum & elegit illum magis ad opus neceſſarium, illius malo magnum bonum operatus eſt, & tamen inter duodecim electus eſt, ne ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine malo, & quia neceſſe erat, vt malos ſiue ſcientes, ſiue neſcientes toleraremus, exemplum patientiæ præbuit, ne deficias, cum cœperis inter malos viuere.* Et ſi fortè dixeris, id ſpectare ad ſtatum totius Eccleſiæ vniuerſalem; & ideò, ea naſcẽte, Iudam inter Apoſtolos connumeratum nouimus, non ad Religioſorum congregationem, quæ tanquam res ſacra, ac vmbra Paradiſi, in quo nullus malus viuere debet, ab ijs hominibus eximi debet. Falleris; nã diuina Ordinatio noluit à ſua diſpoſitione Religioſorum congregationes liberare, vt optimè inſinuat D. Auguſt. in Pſalm. 54. *In omni congregatione*, ait, *multitudinis neceſſe eſt, vt inueniantur mali; Deus enim, qui nouit exercendos nos, miſcet nobis & non perſeueraturos, aut certè ita ſimulatos, vt nec inchoauerint, in quo perſeuerare debeant*: imò in Pſalm. 99. modeſtis verbis arguit eos, qui ſic incauto animo laudant bonos in Eccleſia, aut monaſterio, vt taceant malos, & qui ſic vituperant cæco animo malos, vt taceãt bonos. *Laudatores*, inquit, *Clericorum intendunt ibi bonos miniſtros, fideles diſpenſatores omnium toleratores, viſcera ſua impendentes his, quos volunt proficere non quærentes, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, laudant hæc, obliuiſcuntur, quia mixti ſunt malis; rurſus qui reprehẽdunt auaritiã Clericorũ, improbitates Clericorum, lites Clericorũ, appetentes res alienas, ebrioſos, voraces, iactantes, & tu inuide, vituperas, & tu incautè laudas, tu qui laudas, dic mixtos malos, tu qui vituperas, vide ibi & bonos: ſic & in illa vita cõmuni fratrũ, quæ eſt in monaſterio, magni viri ſancti quotidiè in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei indè viuũt, cũ lectione illis res eſt, laborãt manibus ſuis, indè ſe tranſigũt, nõ auarè aliquid petũt, quid quid eis infertur à pijs fratribus, cũ ſufficientia, & cũ charitate viũtur, nemo ſibi vſurpat aliquid, quod alter non habeat, omnes ſe diligũt, omnes inuicẽ ſe ſuſtinẽt, laudat, qui neſcit, quid interiùs agatur, qui neſcit, quomodò illo vento intrãte etiã naues in portu colliduntur, intrat quaſi ſecuritatẽ ſperans, neminem, quẽ toleret habiturus, inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri nõ poſſent, niſi admitterentur, & neceſſe eſt, vt primò tolerentur, ne fortè corrigantur, nec excludi facile poſſunt, niſi priùs fuerint tolerati, & fit ipſe intoleranda patientia*: hæc Aug. Sec. ſi excluderẽtur mali homines, &c. cũ perfectio rei ex actu ſecundo habeatur, vt optimè inſinuat Caiet. vbi ſupr. ſequeretur, quòd multus perfectionis decor deeſſet in ſacra Religionis cõgregatione; nã deficeret bonorũ patientia ex iniurijs illatis à malorũ temeritate cumulata, de qua S. Greg. 1. dial. c. 5. *Qualis enim vnuſquiſq; interius lateat, illata contumelia probat*: timor Dei operans, ne & ipſi boni ſicut mali in peccatũ ruãt; humilitas, & orationes faciẽtes, ne Deus permittat, vt boni in mala labãtur; iuſtitia punitiua, per quã & mali corrigũtur, & debitis pœnis rei mulctãtur, & boni magis alienãtur à culpis; moderationes Prelatorũ in regimine, quę propter malorum murmurationes non deſiderantur; profunda humilitas, & augmẽtum obſeruantiæ cũ feruenti oratione, & lacrymarum imbre, quandò à talibus hominibus ſcandalũ aliquod in Mundi facie committitur; medicina præſeruatiua obſtans elationis morbo, quæ facilè exoriri poteſt in bonis ex eorũ virtute laudata, vt notat S. Greg. epiſt. 39. lib. 9. *Sunt autem plurimi, qui vitam bonorum ampliùs, quàm debent, laudant, vt, ne qua elatio de laude ſubrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere, vt ſi qua culpa ab ore laudantium in corde naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur*: & tandem alia infinita bona, quæ ex malis elicit diuina Prouidẽtia nobis ignota, deficerẽt: ergo Religioni non eſt vtile eã à malis hominibus expurgare. Tert. quia alienaretur à Religione culparum magis liberalis indulgentia diuina, quia ex ſententia Iſidori Clari orat. 53. habetur. *Deũ inimicorum perſecutionẽ, quæ iuſtos opprimunt, permittere, eò quòd habeatur lex: Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorũ, & Pater veſter dimittet vobis peccata*: & ideò S. Aug. lib. ſent. to. 7. habet hæc verba. *Qui in Chriſto piè volũt viuere, neceſſe eſt, vt ab impijs, et diſſimilibus patiãtur opprobria.* Quart. quia electi nõ ita meritis ornati, & nõ ita glorioſi in Dei cõſpectu apparerẽt; & ſic dicebat S. Greg. hom. 9. ſup. Ezech.

 *Tole-*

*Tolerãdi vbiq; sũt proximi, quia Abel fieri nõ valet, quẽ Cain malitia non exercet*; imò in Dei gloria, teſte Trith. inferiùs cit. *Expedit autẽ bonis, & iuſtis malos tolerare in hac vita, vt per eorũ exercitationẽ clariores fiant in gloria*: nec eorum neceſſaria purgatio videretur, quia quamdiù morantur in hac mortali vita, licèt iuſti, purgatione indigent, vndè idẽ Gregor. epiſt. 39. lib. 9. ſcripſit: *Ego Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit; boni enim ſi ſine malis fuerint, perfectè eſſe boni nõ poſſunt, quia minimè purgantur, ipſa autẽ malorum ſocietas purgatio bonorum eſt*: nec ita laus diuina niteret in malorum punitione, vt inquit S. Bonauent. vbi ſupr. Quint. quia ad ſuſtinendam paupertatem, obedientiam Superiori præſtãdam, caſtitatem tolerandam, cæteraſque Religionis aſperitates ferendas diuino conſortio indigemus, quod habetur ex permixtione malorum iuxta ſententiam D. Auguſt. in Ioan. tr. 27. in fine. *Certi ſumus*, inquit, *fratres, quia omnes, qui ſumus in corpore Domini, & manemus in illo, vt & ipſe maneat in nobis, in hoc ſæculo neceſſe habemus vſque in finem inter malos viuere, non inter illos, dico, malos, qui blaſphemant Chriſtum; rari enim iam inueniũtur, qui lingua blaſphemant, ſed multi, qui vita; neceſſe eſt ergo, vt inter illos vſque in finẽ viuamus.* Sext. ſi mali Religioſi è gremio Religionis reſecarentur, multi iuſti a ſanctorum gloria tollerentur: ſed id non eſt faciendum: ergo, ne hoc malum a diuina Iuſtitia puniẽdum in nobis regnet, malorum expulſio eſt modificanda: ſequela maioris probatur ex ſententia diuina prohibente illis, qui zizania euellere in campo optabant. *Ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul, & triticum.* Matth. 13. quaſi dicere vellet; qui modò apparet zizania, cras erit granum; qui hodiè perpetuis comburendus videtur ignibus deſtinatus, cras erit ſũma gloria cumulatus; vndè S. Auguſtin. ſup. hæc verba qu. Euang. in Matth. qu. 12. to. 4. inquit: *Non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, vt quis certus eſſe poſſit, qualis quiſque futurus ſit poſtea, inius in præſentia cernit errorem; vel quid etiam error eius conferat ad profectum bonorũ, nec eſſe tales auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, qui fortè futuri ſunt, aut bonis obſit, quibus & inuiti fortè vtiles ſunt*: & pauló inferius. *An fortè ideò ſimul eradicetur triticum, cum auferuntur zizania, quia multi primò zizania ſunt, & poſtea triticum fiunt? qui niſi patienter, cum mali ſunt, tolerentur, ad laudabilem mutationem non peruenirent; itaque ſi euulſi fuerint, ſimul eradicabitur & triticum, quod futuri eſſent, ſi eis parceretur*: ergo, ne multi mali Religioſi ſanctorum gloria tandem priuentur, modò non abdicentur à Religioſorum conſortio: hinc S. Bonau. in opuſc. in quæſt. Regul. S. Franciſci q. 17. *Bona Religio omnes prauos non eijcit ob ſpem correctionis; ſicut ægrotans non eijcitur in mare, quandiù ſpes vitæ fuerit; ita & de lapſis in Ordine intellige, cum multi lapſi per pœnitentiam ſurgentes, poſtmodum ſani perſeuerant, & aliquoties meliores fiunt, quàm qui lapſi non fuerint, ſicut Dauid & alij plures.* O quot Religioſi zelo ducti, cum primùm erumpunt ſcandala in Religione confeſtim mardeſcunt, & malos de medio tolli vehementer cupiunt, ſed nõ percipiunt diuinam Ordinationem, quæ iubet malos eſſe tolerandos propter multa bona elicienda, præſertim vt qui hodiè noxijs deprauatus eſt, cras reſipiſcat, & diſciplinam regularem debito feruore reſumat, & tandem meritis ornatus in Beatorũ ſocietate ſplendeat gloria coronatus; & ideò iſtorum zelus à Deo temperatur, cum eis iuſta reſponſione datur, inquit Auguſt. in Pſalm. 118. in fine. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, ne fortè, cum vultis eradicare zizania, eradicetis ſimul & triticum: ex ſententia Domini neceſſe erit parcere zizanijs, ex conditione ſerui neceſſe erit, viuere inter zizania, ſeparare eam non potes, tolerare tibi neceſſe eſt.* Vltimò ſuadetur, quia, ſi in Religione mali non eſſent tolerandi, ſed à conſortio bonorum tollendi, ipſa non eſſet vera ſchola perfectionis, nec homines perfectos formaret; nam deſiderarẽtur multi gradus inſignis perfectionis. Prim. nõ frueretur gradu tolerãtiæ ortæ ex ęrumnis, & perſecutionibus malorum, quę videtur eſſe illud complementũ iuxta ſententiã D. Greg. lib. 20. mor. c. 29. quod deſideratur, ad extollendum hominẽ verè ſanctũ, verè perfectũ: *Nullus quippè*, inquit Sanctus, *perfectus eſt, qui inter proximorum mala patiens nõ eſt, qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt, quia à boni plenitudine longè diſtat. Abel quippè eſſe*

*renuit,*

*venit, quem Cain malitia non exerceret; duodecim Apoſtoli in ſancta Eccleſia ſunt electi, ſed ne improbati remanerent, vnus eis admixtus eſt, qui eos perſequens probaret; ſic namque iuſto peccator cum malitia iungitur, ſicut in fornace auro palea cum igne ſociatur, vt, quo ardeat palea, purgetur auro; hi ergo veraciter boni ſunt, qui in bonitate perſiſtere etiam inter malos poſſunt*: & paulò inferiùs addit de ſanctitate Iob. *Minus eſſet, quod ipſe bona ageret, niſi & ad bonitatis ſuæ cumulum ab alijs mala toleraret*: Audiamus etiam Abb. Tritem. in epiſt. 14. pag. 951. *Si Deus malos tam patienter tolerat, cur non feras & tu? bonus non eſt, qui malos tolerare recuſat.* Secund. non exerceretur in ea veræ dilectionis actus, quæ eſt ſumma perfectio Chriſtianorum, cuius gratia voluit Deus, inquit Auguſt. in Pſalm. 93. prope finem, bonos cum malis immiſcere. *Et quis eſt filius, cui non det diſciplinam pater eius? quod cum facit Deus ad hæreditatem ſempiternam nos erudit; & hoc nobis præſtat ſæpè de malis hominibus, in quibus exercet, & perficit dilectionem noſtram, quam vult extendi vſque ad inimicos; neque enim eſt perfecta dilectio Chriſtiani, niſi cum implet, quod Chriſtus præcipit. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, orate pro eis, qui vos perſequuntur.* Tert. deſideraretur actus perfectæ orationis, quem ex perſecutione malorum præcipit Deus erga inimicos exerceri, quarè Auguſtin. de verb. Domini in Euangel. Ioan. ſerm. 53. ait. *Nam & hinc probamur chariſſimi, quia, ſi non haberemus inimicos, non eſſent, pro quibus oraremus ex præcepto Domini noſtri dicentis. Diligite inimicos veſtros, & orate pro eis, qui vos oderunt; videtis ergo, quia & mali neceſſarij ſunt bonis*: Concludendum eſt ergo cum D. Auguſt. in Pſalm. 99. in fine, & D. Gregor. Epiſt. 39. lib. 9. Primus inquit: *Scitote omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos, non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem profeſſionem habere fictas perſonas, ſunt & Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni.* Secundus ait. *Quia ergo, Scriptura teſte, cognoſcimus in hac vita bonos ſine malis eſſe non poſſe, de ſtultorum vocibus excellẽtia veſtra turbari nullatenus debet; maximè quia in omnipotentis Dei miſericordia tunc certè fiducia eſt, quandò pro bono opere aduerſitatis aliquid in hoc Mundo recipitur; vt plena merces in æterna retributione ſeruetur.*

Dices, ſi in Religione tolerandi ſunt mali, cum pondus paupertatis, caſtitatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum vnà cum auſteritatibus ſit maximum, adhibitis malorum perſecutionibus, ſit quippè intolerabile, & ſupra vires, & quis non corruet ſub tanto onere? maximè quia ferè ſemper malorum ærumnæ erunt ſuſtinendæ; quia ſemper intra quatuor parietes cum bonis morantur. Reſpond. quod diuina Ordinatio decreuit inter malos eſſe viuendum, vt conſortiũ Dei eſſe nobis eũ, vt dictum eſt ſupra, mediante eius auxilio ad feliciter ſuſtinendum grauiſſimum perſecutionum onus; vndè, ſi orationi inſtanter vacabimus, victoriã de inimicis noſtris cantabimus, dicente D. Chryſoſtom. hom. 69. ad Popul. Antioch. to. 5. *Impoſſibile eſt, impoſſibile eſt hominẽ congruo precantẽ ſtudio, Deoq́ cõtinuè ſupplicantem vnquam peccare*: & homil. in Pſalm. 95. tom. 1. ait: *Licèt enim ſuis viribus aduerſitates nullus manu cordis repellere poſſit, niſi fuerit adiutus cælitus dextera illa ineffabilis Diuinitatis; tamen neceſſaria eſt nobis inceſſabilis oratio, vt ſequamur Magiſtri, & Domini præceptum dicentis. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*: Ad illud verò quòd ſemper eſſent ſuſtinendæ malorum perſecutiones, falſum eſt, quia hoc cadit ſub menſuram diuini Iudicij, vt optimè inſinuat Iob loquens de malorum perſecutionibus hiſce verbis. *Hucuſque venies, & non procedes ampliùs*, cap. 38. ideſt inquit S. Greg. lib. 28. moral. cap. 9. *Quia nimirum diuini Iudicij occulta menſura eſt, & quandò perſecutionis procella proſiliat, & quandò conquieſcat, ne aut non exagitata electos non exerceat, aut immoderata in profundum mergat*: & S. Anſelm. in 1. epiſt. ad Corinth. c. x. *Nouit enim, ſcilicet Deus, quandò procellam tentationis exurgere ſinat, quandò exurgentem reprimat: nouit pro cuſtodia noſtra reſtringere, quòd contra nos egredi pro noſtra exercitatione permittit; vt ſæuiens nos diluat procella, non mergat.*

Dices, permixtio malorum in Religionibus ex vna parte videtur vtilis ob rationes ſuperiùs notatas; ex altera tamen negandũ non eſt aliquandò nocere iuſtis, quia miſerrimè cedunt perſecutionibus delicta committen-

mittendo, & aliquandò vſque ad habitus dimiſſionem. Pro reſponſione aſſignantur illa verba Ioan. 1. epiſtol. cap. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*; pro intelligentia eſt notandum perſecutiones, quæ à malis exeunt ad bonos exercendos à diuina Voluntate regi, & eſſe illud iudicium in hac vita diſcernens, vt ita dicam, probatum à reprobato, vt optimè notat Tertull. de fuga in perſecut. cap. 1. *Circa perſecutionem dixerim nihil fieri ſine Dei voluntate, reſpiciens eam in primis dignam Deo eſſe, & vt ita dixerim, neceſſariam ad probationem ſeruorum eius, ſiue reprobationem, quis enim exitus perſecutionis, quis affectus alius niſi probatio, & reprobatio fidei, qua ſuos vtiquè Dominus examinauit? hoc Domini iudicium eſt perſecutio, per quam quis aut probatus, aut reprobatus indicatur*: quarè dicendum eſt illos, vt ita dicam, fictos iuſtos non fore de illis tandem in æternis manſionibus collocandis, quia, ſi deſtinati eſſent ad æternam gloriam, patienter iudicium perſecutionum toleraſſent tanquã probati, & cum alijs iuſtis à peccatis abſtinuiſſent, nec habitum dimiſiſſent, ſed in bono perſeueraſſent; quarè S. Auguſtin. explicans verba Ioan. ſuperiùs relata tract. 3. cap. 2. in epiſtol. Ioan. tom. 9. hæc habet, quæ optimè trahuntur ad rem noſtram. *Hinc ergo videat caritas veſtra, quia multi, qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum ſacramenta, accipiunt nobiſcum baptiſmum, accipiunt nobiſcum, quod norunt fideles ſe accipere benedictionem, Euchariſtiam, & quidquid in ſacramentis ſanctis eſt, ipſius altaris communicationem accipiunt nobiſcum, & non ſunt ex nobis, tentatio probat, quia non ſunt ex nobis, quandò illis tentatio venerit, velut occaſione venti volant foras, quia grana non erant.*

Dices magis videtur eſſe perfecta Religio ob malorum carentiam, quia Religioſi maiori pace, ac concordia fruuntur, noui profeſſi non habent vndè arripiant occaſionem relaxatè viuendi, ac omnes maiori cum feruore regulam promiſſam, diſciplinamque regularem arctiùs obſeruãt. Reſp. ignorantiam nos priuare intelligentia diuinæ Ordinationis, quæ multa mala permittit ad maiora bona elicienda, ita totius Orbis, & Religionum vniuerſali bono petente, vt optimè notat Caietan. vbi ſupra; & ideò ſi pax inter Regulares aliquãdò conturbatur, ſine diuina Prouidentia non fit, quia patientia bonorum augetur, humilitas magis radicatur, charitas magis inardeſcit, mali pœna debita tanquam pacis conturbatores puniuntur; quarè noui profeſſi, ſi ex vna parte habent exemplum relaxatè viuendi; ex altera habent exemplum moderatè, religioſè, ac ſanctè ſe habendi, perfectionẽque acquiſitam non relaxandi, ſed magis ad eam accedẽdi, dum agnoſcunt debita punitione nõ carere malos homines, vndè Chryſoſt. in Pſalm. 8. tom. 1. ait. *Quid eſt hoc? punitis malis fiũt iuſti attentiores, proindè duo hinc bona oriuntur; nam & illi à vitio deſiſtunt, & hi ad uirtutem magis accedunt*: iſta ergo, & alia infinita bona elicit Deus ex malis in Religione toleratis quæ à nobis non percipiuntur; eliciuntur tamen ex ſequenti doctrina S. Auguſt. tract. 17. in Ioann. cap. 6. tom. 9. *Omnibus bonis Dei malè vtitur malus: contra, malis hominum malorum benè vtitur bonus: & quid tam bonum, quàm vnus Deus? quandoquidem ipſe Dominus dixit: nemo bonus niſi vnus Deus: Matth. 10. quantò ergo ille melior, tantò meliùs vtitur & malis noſtris*: quarè abſolutè negandum eſt Religionem eſſe magis perfectam abſque malorum permixtione; ideò dicebat S. Auguſtin. in Pſalm. 64. in fin. *Non opprimitur zizanijs frumentum; imò per tolerantiam zizaniorum creſcit fructus frumentorum.* Ad hoc etiam facit doctrina D. Thom. lib. 3. contr. Gentil. cap. 71. *Bonum totius præeminet bono partis: ad prudentem igitur Gubernatorem pertinet negligere aliquem defectum bonitatis in parte, vt fiat augmentum bonitatis in toto.*

Dices, ſæculares, quandò malorum Religioſorũ ſcandala penetrant, ſcandalizantur, & Religiones minùs æſtimant, retorquentes ad ſingulos homines ſcandala cõmiſſa; quarè in concionibus, & cõfeſſionibus tam vber fructus nõ habetur. Reſp. potiùs videri eſſe ſcandalum paſſiuum ex parte Religionis, quàm actiuum, quod non intelligatur in omni congregatione neceſſe eſt, vt ſint mali, ita ordinante diuina Prouidentia propter multa bona elicienda, vt optimè inſinuant ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Et S. Bonauent.

in

in epiſt. ad magiſtrum innominatum ait. *Vnius itaque delictum, ſeù indiſcretio non debet ad omnes, neque ad ſingulos retorqueri, & qui aliter ſapit, ipſe ſuam inſipientiam manifeſtat, quòd nihil omninò ſapit*: quatè ſæculares, dum in portu naufragium vident, ſuum magis exitium pertimeſcant; & ideò vbi videtur iactura, inſurgit indè maximum emolumentum.

Quamobrem concludendum eſt iudicia Dei eſſe profunda, & admirandum, quod non ſolùm in Eccleſia, ſed & in qualibet congregatione eſt malorum permixtio, & humiliter eſt ferenda, & toleranda, vt notant S. Gregor. & S. Auguſt. vbi ſupr. quòd ſimens humana neſcit ea penetrare, ſciat ſaltem alis regulæ faciem velare, eiſque reſpondere iuxta regulas à D. Gregor. lib. 28. moral. cap. 5. traditas, qui exponens illud Pſalm. 10. *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, inquit: *Palpebris quippè apertis cernimus, clauſis nihil videmus, quid ergo per palpebras Dei, niſi eius iudicia accepimus: quæ iuxta aliquid clauduntur hominibus, & iuxta aliquid reſerantur, vt homines, qui ſe neſciunt, ſibimetipſis innoteſcant, quatenus dum quædã intelligendo comprehendunt, quadam verò cognoſcere omninò non poſſunt, eorum corda ſe latenter inquirant, ſi illos diuina Iudicia vel clauſa non ſtimulant, vel aperta non inflant: hac enim interrogatione probatus Paulus, qui poſt perceptam internam ſapientiam, poſt aperta clauſtra Paradiſi, poſt aſcenſum tertij Cæli, poſt ſupernæ locutionis myſteria adhuc dicit. Ego me non arbitror comprehendiſſe: Philipp. 3. & rurſum. Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non dignus ſum vocari Apoſtolus. 1. Cor. 15. & rurſum. Non quia ſufficientes ſumus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 2. Cor. 3. apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus rectè reſpondit, qui & ſuperna ſecreta attigit, & tamen in humilitate cordis humiliter ſtetit: qui rurſum cum ſecreta Dei iudicia de repulſione Iudæorum, & Gentium vocatione diſcuteret, atque ad ea peruenire non poſſet, quaſi clauſis Dei palpebris interrogatus eſt, ſed rectum valdè reſponſum reddidit, qui Deo ſe in ſua ipſa ignorantia ſcienter inclinauit dicens. O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Eccè enim abſconſis myſterijs, quaſi clauſis palpebris inquiſitus placita, & recta reſpondit, qui ſecreti aditum pulſans, quia per cognitionẽ intromitti ad interiora non valuit, per confeſſionem ante ianuam humilis ſtetit, & quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudauit*: hæc Gregor.

Quando verò eliminandi ſint ficti homines, videatur prima obiectio dub. 49.

## DVBIVM XXXXIII.

### *An nouitij ante profeſſionem monendi ſint de malorum permixtione in Religione inuenienda, deque eorum ærumnis, ac moleſtijs ſuſtinendis.*

## SVMMARIVM.

1. *Moranti homini in hac vita, ac in virtutibus progredienti tentationes non deſunt.*

2. *Seruorum Dei ſpecialis tentatio in Religionibus ex ærumnis malorum hominum habetur, & quædam ſoluitur obiectio.*

3. *Nouitij ante profeſſionem admoneri debent de huiuſmodi tentatione ſuſtinenda.*

1. Dubium mouetur ob multos, qui, relicto probationis anno per emiſſam profeſſionem, dum agnoſcunt malos Religioſos in Religionis medio morari, eorumque moleſtijs ſe vexari ſentiunt, erumpunt in hęc verba ignorantes veræ perfectionis punctũ, O ſi non defuiſſet nobis notita talium hominum, certè in ſæculo manſiſſemus, quærendo ſalutem per alia media, ſed eis parcendum, quia ob ſpiritus debilitatem ſupremã diuini Regiminis diſpoſitionem percipere nequeunt. Legant quæſo ſequentia verba Abb. Tritem. in epiſt. 14. pag. 951. *In omni congregatione frequenter bonis mixti fuerunt etiam mali, ſi Monachorum idcircò refugis conſortia, quoniam infirmi ſunt multi, & reprobi, cur non eadem ratione ſæcularium hominum conuictum refugis, vbi multò plures ſunt mali, quam in cænobijs? an idcircò tædebit eſſe hominem, quia multi inter homines ſunt reprobi? noli paucorum crimine totam diffamare vni-*

tatem

mittendo, & aliquandò vſque ad habitus dimiſſionem. Pro reſponſione aſſignantur illa verba Ioan. 1. epiſtol. cap. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*; pro intelligentia eſt notandum perſecutiones, quæ à malis exeunt ad bonos exercendos à diuina Voluntate regi, & eſſe illud iudicium in hac vita diſcernens, vt ita dicam, probatum à reprobato, vt optimè notat Tertull. de fuga in perſecut. cap. 1. *Circa perſecutionem dixerim nihil fieri ſine Dei voluntate, reſpiciens eam in primis dignam Deo eſſe, & vt ita dixerim, neceſſariam ad probationem ſeruorum eius, ſiue reprobationem, quis enim exitus perſecutionis, quis affectus alius niſi probatio, & reprobatio fidei, qua ſuos vtiquè Dominus examinauit? hoc Domini iudicium eſt perſecutio, per quam quis aut probatus, aut reprobatus iudicatur*: quarè dicendum eſt illos, vt ita dicam, fictos iuſtos non fore de illis tandem in æternis manſionibus collocandis, quia, ſi deſtinati eſſent ad æternam gloriam, patienter iudicium perſecutionum tolerassent tanquã probati, & cum alijs iuſtis à peccatis abſtinuiſſent, nec habitum dimiſiſſent, ſed in bnno perſeueraſſent; quarè S. Auguſtin. explicans verba Ioan. ſuperiùs relata tract. 3. cap. 2. in epiſtol. Ioan. tom. 9. hæc habet, quæ optimè trahuntur ad rem noſtram. *Hinc ergo videat caritas veſtra, quia multi, qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum ſacramenta, accipiunt nobiſcum baptiſmum, accipiunt nobiſcum, quod norunt fideles ſe accipere benedictionem, Euchariſtiam, & quidquid in ſacramentis ſanctis eſt, ipſius altaris communicationem accipiunt nobiſcum, & non ſunt ex nobis, tentatio probat, quia non ſunt ex nobis, quandò illis tentatio venerit, velut occaſione venti volant foras, quia grana non erant.*

Dices magis videtur eſſe perfecta Religio ob malorum carentiam, quia Religioſi maiori pace, ac concordia viuuntur, noui profeſſi non habent vndè arripiant occaſionem relaxatè viuendi, ac omnes maiori cum feruore regulam promiſſam, diſciplinamque regularem arctiùs obſeruãt. Reſp. ignorantiam nos priuare intelligentia diuinæ Ordinationis, quæ multa mala permittit ad maiora bona elicienda, ita totius Orbis, & Religionum vniuerſali bono petente, vt optimè notat Caietan. vbi ſupra; & ideò ſi pax inter Regulares aliquãdò conturbatur, ſine diuina Prouidentia non fit, quia patientia bonorum augetur, humilitas magis radicatur, charitas magis inardeſcit, mali pœna debita tanquam pacis conturbatores puniuntur; quarè noui profeſſi, ſi ex vna parte habent exemplum relaxatè viuendi, ex altera habent exemplum moderatè, religioſè, ac ſanctè ſe habendi, perfectionẽque acquiſitam non relaxandi, ſed magis ad eam accedẽdi, dum agnoſcunt debita punitione nõ carere malos homines, vndè Chryſoſt. in Pſalm. 8. tom. 1. ait. *Quid eſt hoc? punitis malis fiũt iuſti attentiores, proindè duo hinc bona oriuntur; nam & illi à vitio deſiſtunt, & hi ad uirtutem magis accedunt*: iſta ergo, & alia infinita bona elicit Deus ex malis in Religione toleratis quæ à nobis non percipiuntur; eliciuntur tamen ex ſequenti doctrina S. Auguſt. tract. 17. in Ioann. ca. 6. tom. 9. *Omnibus bonis Dei malè vtitur malus: contra, malis hominum malorum benè vtitur bonus: & quid tam bonum, quàm vnus Deus? quandoquidem ipſe Dominus dixit: nemo bonus niſi vnus Deus: Matth. 10. quantò ergo ille melior, tantò meliùs vtitur & malis noſtris*: quarè abſolutè negandum eſt Religionem eſſe magis perfectam abſque malorum permixtione; ideò dicebat S. Auguſtin. in Pſalm. 64. in fin. *Non opprimitur zizanijs frumentum; imò per tolerantiam zizaniorum creſcit fructus frumentorum*. Ad hoc etiam facit doctrina D. Thom. lib. 3. contr. Gentil. cap. 71. *Bonum totius praeminet bono partis: ad prudentem igitur Gubernatorem pertinet negligere aliquem defectum bonitatis in parte, vt fiat augmentum bonitatis in toto.*

Dices, ſæculares, quandò malorum Religioſorũ ſcandala penetrant, ſcandalizantur, & Religiones minùs æſtimant, retorquentes ad ſingulos homines ſcandala cõmiſſa; quarè in concionibus, & cõfeſſionibus tam vber fructus nõ habetur. Reſp. potiùs videri eſſe ſcandalum paſſiuum ex parte Religionis, quàm actiuum, quod non intelligatur in omni congregatione neceſſe eſt, vt ſint mali, ita ordinante diuina Prouidentia propter multa bona elicienda, vt optimè inſinuant ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Et S. Bonauent.

in epiſt. ad magiſtrum innominatum ait. *Vnius itaque delictum, ſeu indiſcretio non debet ad omnes, neque ad ſingulos retorqueri, & qui aliter ſapit, ipſe ſuam inſipientiam manifeſtat, quòd nihil omninò ſapit*: quarè ſæculares, dum in portu naufragium vident, ſuum magis exitium pertimeſcant; & ideò vbi videtur iactura, inſurgit indè maximum emolumentum.

Quamobrem concludendum eſt iudicia Dei eſſe profunda, & admirandum, quod non ſolùm in Eccleſia, ſed & in qualibet congregatione eſt malorum permixtio, & humiliter eſt ferenda, & toleranda, vt notant S. Gregor. & S. Auguſt. vbi ſupr. quòd ſi mens humana neſcit ea penetrare, ſciat ſaltem alis regulæ faciem velare, eiſque reſpondere iuxta regulas à D. Gregor. lib. 28. moral. cap. 5. traditas, qui exponens illud Pſalm. 10. *Palpebræ eius interrogant filios hominum*, inquit: *Palpebris quippè apertis cernimus, clauſis nihil videmus, quid ergo per palpebras Dei, niſi eius iudicia accepimus? quia iuxta aliquid clauduntur hominibus, & iuxta aliquid reſerantur, vt homines, qui ſe neſciunt, ſibimetipſis innoteſcant, quatenus dum quædā intelligendo comprehendunt, quædam verò cognoſcere omninò non poſſunt, eorum corda ſe latenter inquirant, ſi illos diuina Iudicia vel clauſa non ſtimulant, vel aperta non inflant: hac enim interrogatione probatus Paulus, qui poſt perceptam internam ſapientiam, poſt aperta clauſtra Paradiſi, poſt aſcenſum tertij Cæli, poſt ſupernæ locutionis myſteria adhuc dicit. Ego me non arbitror comprehendiſſe*: *Philipp. 3. & rurſum. Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non dignus ſum vocari Apoſtolus.* 1. *Cor. 15. & rurſum. Non quia ſufficientes ſumus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis, ſe ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. *Cor.* 3. *apertis ergo palpebris Dei interrogatus Paulus rectè reſpondit, qui & ſuperna ſecreta attigit, & tamen in humilitate cordis humiliter ſtetit: qui rurſum cum ſecreta Dei iudicia de repulſione Iudæorum, & Gentium vocatione diſcuteret, atque ad ea peruenire non poſſet, quaſi clauſis Dei palpebris interrogatus eſt, ſed rectum valdè reſponſum reddidit, qui Deo ſe in ſua ipſa ignorantia ſcienter inclinauit dicens. O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Ecce enim abſconſis myſterijs, quaſi clauſis palpebris inquiſitus placita, & recta reſpondit, qui ſecreti aditum pulſans, quia per cognitionē intromitti ad interiora non valuit, per confeſſionem ante ianuam humilis ſtetit, & quod intus comprehendere non potuit, foris timendo laudauit*: hæc Gregor.

Quando verò eliminandi ſint ficti homines, videatur prima obiectio dub. 49.

## DVBIVM XXXXIII.

*An nouitij ante profeſſionem monendi ſint de malorum permixtione in Religione inuenienda, deque eorum ærumnis, ac moleſtijs ſuſtinendis.*

### SVMMARIVM.

1. *Moranti homini in hac vita, ac in virtutibus pregredienti tentationes non deſunt.*

2. *Seruorum Dei ſpecialis tentatio in Religionibus ex ærumnis malorum hominum habetur, & quædam ſoluitur obiectio.*

3. *Nouitij ante profeſſionem admoneri debent de huiuſmodi tentatione ſuſtinenda.*

1. Dubium mouetur ob multos, qui, relicto probationis anno per emiſſam profeſſionem, dum agnoſcunt malos Religioſos in Religionis medio morari, eorumque moleſtijs ſe vexari ſentiunt, erumpunt in hęc verba ignorantes veræ perfectionis punctū, O ſi non defuiſſet nobis notitia talium hominum, certè in ſæculo manſiſſemus, quærendo ſalutem per alia media, ſed eis parcendum, quia ob ſpiritus debilitatem ſupremā diuini Regiminis diſpoſitionem percipere nequeunt. Legant quæſo ſequentia verba Abb. Tritem. in epiſt. 14. pag. 951. *In omni congregatione frequenter bonis mixti fuerunt etiam mali, ſi Monachorum idcircò refugis conſortia, quoniam infirmi ſunt multi, & reprobi, cur non eadem ratione ſæcularium hominum coniunctum refugis, vbi multò plures ſunt mali, quam in cœnobijs? an idcircò tædebit eſſe hominem, quia multi inter homines ſunt reprobi? noli paucorum crimine totam diffamare vni-*

*tatem*

*tatem, nunquam enim bonorum opinio malorũ prauitate corrumpitur: quandiu in hac vita viuitur, ſemper bonis mali mixti habentur; nã & Euangelica hoc demonſtrat parabola, vbi ſagenæ miſſa in mare præſentis temporis Eccleſia comparatur, quæ piſces ex omni genere congregat, & perducit ad litus: ſed interim quo in hoc mari magno viuimus, in ſagena Domini ſumus abſconditi, cum ſagena ad finem litoris ducitur, diſcretionis examen diligenter adhibetur; vndè dicitur Matth.* 13. *quia, cũ impleta eſſet, educentes, & ſecus litus ſedentes elegerunt bonos in vaſa ſua, malos, & reprobos foras miſerunt. item ſi idcircò in ſagena monaſticæ diſciplinæ contineri metuis, quia bonos ſimul capit, & malos, quomodò in Sancta Eccleſia viuis, quæ plures ſuſcipit peruerſos? impoſſibile eſt in præſenti conuerſatione malos diſcernere à bonis.* Ad eos ergò meliùs informandos, ne in via Dei deficiant, ſit notandũ, *quòd vita hominis eſt militia ſuper terram,* inquit Iob. 7. n. 1. proindè dicebat S. Leo ſerm. 1. de Quadrageſ. *Nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deeſt obſeruantia pietatis,* quò fit: vt quantò magis homo ad Dei ſeruitutem per virtutis, ac pietatis opera accedit, tantò magis in eum ſæuiunt Diaboli tentationes, ac perſecutiones, teſt. D. Chryſoſt. hom. 31. in Geneſ. in c. 11. *Quemadmodum,* inquit, *piratæ, quandò vident nauem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tunc potiſſimum varijs moliuntur inſidijs, vt poſſint merces demergere, ac vectores illos ſpoliare; ita ſanè Diabolus, cũ viderit ſpirituales diuitias coaceruatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidiè augeri diuitias, cruciatur, & dentibus frendet, & quaſi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, vt ſi qua vel paruum inueniat aditum, nos denudet, ac ſpoliet, & quidquid in nobis eſt ſpiritualium diuitiarum deprædetur:* & in eamdem ſententiam declinat S. Leo vbi ſup. *Intelligamus,* ait, *quantò ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus, tantò nos vehementiùs ab aduerſarijs impetendos:* ſic etiam loquitur Iſidorus lib. 3. de ſumm. Bon. c. 5. *Quia Diabolus in ſanctis intrinſecus non regnat, contra eos extrinſecus pugnat, & qui intrinſecus amiſit dominium, exterius commouet bellum.*

*PRIMA CONCLVSIO.*

2\. INter omnes tantationes, quibus ſerui Dei, etiam Religioſi intra clauſtra morantes, debent probari, præſertim eſt ea, quã inſtigante Diabolo à malis hominibus ærumnis, ac moleſtijs patiuntur. Concluſio eſt ſatis probata in præcedenti quæſito ex varijs SS. PP. dictis; quibus eſt addendũ illud D. Auguſt. explicantis verba illa pſalm. 36. conc. prim. *Et adhuc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies. Quid eſt,* inquit, *locum eius? vſũ eius; habet enim aliquem vſum peccator? habet: hic vtitur illo Deus, & ad probandum iuſtum, quomodo vſus eſt diabolo ad probandũ Iob, quomodò vſus eſt Iuda ad tradendum Chriſtũ: eſt ergo in hac vita, quid agatur de peccatore: hic eſt ergo locus eius, quomodò eſt in fornace aurificis locus paleæ, ardet palea, vt aurum purgetur: ſic ſæuit impius, vt iuſtus probetur:* ideò dicebat S. Ephrem. tractat. de patient. *Qui Deo placere cupit, debet fortiter obuias quaſque ſufferre tribulationes, anguſtias, atque neceſſitates, ſiue corporales morbos, ac paſſiones, ſiue improperia, atque iniurias ab hominibus, ſiue etiam diuerſas inuiſibiles anxietates, quæ à ſpiritibus malignis inferuntur animæ.*

Dices, eſto diuina diſpoſitio ordinauerit inter malos etiam in Religionibus eſſe viuẽdùm; non ideò eorum ærumnæ, ac moleſtiæ ob omnibus, teſte experientia, ſuſtinentur. Reſp. communiter eſſe falſum dicente S. Gregor. lib. 9. reg. Epiſt. 39. *Ego,* inquit, *Abel eſſe non ſuſpicor, qui Cain non habuerit; boni enim, ſi ſine malis fuerint, perfecti eſſe boni non poſſunt, quia minimè purgantur: ipſa enim malorum ſocietas purgatio bonorum eſt: tres in arca filij Noe fuerunt, vnus irriſor Patris extitit, qui, & ſi in ſe benedictus fuit, maledictonis tamen ſententiam in filio ſuſcepit: duos Abraham, priuſquam vxorem Ceturam acciperet, filios habuit, ſed tamen carnalis eius filius eſt repromiſſionis filium perſecutus: quod magnus Doctor exponit dicens: ſicut autem is, qui ſecundũ carnẽ eſt, perſequebatur eum, qui ſecundũ ſpiritũ, ita & nũc:* quòd ſi aliquis eximitur ob virtutũ infirmitatẽ, ac debilitatẽ non eximitur tamen à malis eorũ exemplis quibus boni ad ſequenda eorum peruer-

ſa

ſa veſtigia alliciuntur, & quibus viriliter eſt reſiſtendum, audiamus D. Auguſt. de verb. Apoſtoli ſerm. 24. tom. 10. relatum à Venerab. Beda ad Timot. 2. cap. 3. prope finem; ait Apoſtolus: *Omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur; ecce quia dies mali ſunt, ſine perſecutione hic iuſti viuere nō poſſunt, qui inter malos viuūt; perſecutionē patiuntur: omnes mali perſequūtur bonos ſi non ferro, & lapidibus, ſed vita, & moribus: nunquid aliquis ſanctū Loth perſequebatur in ſodomis? nemo illi moleſtus fuit, & tamen inter impios viuebat, inter immundos, ſuperbos, blaſphemos perſecutionem patiebatur, non vapulando, ſed malos videndo; quiſquis me audis, & nondum viuis in Chriſto piè, incipe in Chriſto piè viuere, & probas, quid dico: denique Apoſtolus cum commemoraret pericula ſua: Periculis*, inquit, *in mari, periculis in fluminibus, periculis in deſerto, periculis in latronibus, periculis in falſis fratribus: cætera pericula quieſcere poſſunt: pericula à falſis fratribus quieſcere vſque in finem ſæculi non nouerunt.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. SIcut nouitij, vt cautè viam Dei mādatorum, ſemitamque ſtrictæ perfectionis progrediantur, ſunt inſtruendi ab eorum magiſtris de tentationibus, quæ oppugnare eos debent; ita ſpeciatim monendi ſunt, quòd in Religionibus mali homines morantur, ita ordinante diuina Prouidentia, & quòd eorum ærumnæ, ac moleſtiæ neceſſariæ pro vera perfectione acquirenda erunt ab ipſis ſuſtinendæ, ne in via Dei deficiant. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſuadetur ex monitu Spiritus ſancti per os Salomonis Eccleſiaſt. 2. num. 1. *Fily accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Ratio elicitur ex D. Leone ſerm. 1. de Quadrag. *Vita hæc*, ait, *noſtra intra in medio inſidiatorum, in medio præliorum eſt: ſi volumus non decipi, vigilandum eſt; ſi volumus ſuperare, pugnandum eſt; & ideò ſapientiſſimus Salomon: Fili*, inquit, *accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Vir enim ſapientia Dei plenus, ſciens ſtudium religionis laborem habere certaminis, cùm præuideret pugnæ periculum, antè admonuit pugnaturum, ne fortè ſi ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret*: elicitur etiam ex D. Auguſt. relato à Beda vbi ſupr. in princip. *Fili*, ait, *accedens ad ſeruitutem, &c. Qui enim hæc loquitur, confortat infirmum, & ex infirmo facit firmum.* Secunda pars ſuadetur ex D. Auguſt. in pſalm. 36. concion. 1. *Ad quamcumque*, inquit, *profeſſionem conuerteris, para te pati fictos*: & ſubdit rationem; *quarè para? alioquin*, (nota) *ſi te non parateris, inuenies, quod non ſperabas, & deficies, aut perturbaberis*: vnde S. Chryſoſt. hom. 31. in 11. Gen. *Neque enim*, ait, *poſſibile eſt, vt rem fortem, & egregiam quis vnquam aliter faciat, niſi antea aduerſus omnia, quæ obſiſtere poſſunt, ſe armet, & inſtruat*; ad præcauendum ergo malum declinationis, & doloris aſſumpti habitus, ſeù ad obſtandum perturbationi admonendi ſunt nouitij à magiſtro, ſeù Prælato, & ſimul obſtabit verbis, prout in principio quæſiti.

Concluendum eſt quæſitum verbis D. Auguſt. in pſalm. 55. loquentis de Iuda electo ad altum miniſterium Apoſtolatus pro bonorum Religioſorum ſolatio. *Sciens Chriſtus elegit vnum*, ideſt Iudam, *vndè tibi ſolatium faceret, neſcituro quos deuites; poterat enim ille non eligere Iudam, qui nouerat Iudam: ait quippè diſcipulis: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt? ergo & Diabolus electus eſt? aut ſi electus non eſt, quomodò duodecim elegit, & non potiùs vndecim? electus & ille eſt, ſed ad aliud: electi vndecim ad opus probationis, electus vnus ad opus tentationis; vndè poſſet tibi exemplum dari neſcituro, quos deuites malos, quos caueas falſos, & fictos incolentes, & abſcondentes, niſi vt dicat tibi: Ecce ego mecum habui vnum ipſorum? Præceſſit exemplum, toleraui, perferre volui, quod ſciebam, vt tibi neſcienti præberem ſolatium.*

## DVBIVM XXXXIV.

*An Religioſorum peccata ſint peccatis ſecularium grauiora.*

### SVMMARIVM.

1. *IN vnaquaque Religione aſſignatur triplex genus hominum, perfectorum ſcilicet, imperfectorum, & malorum.*

2. *Homo quandiu viuit, omninò diuinis auxilijs, non deſtituitur.*

3. *Clauſtrales primi, & ſecundi generis labentes in aliquod ex grauioribus peccatis grauiùs peccant, quàm ſeculares: ſecus verò ſi ex infirmitate, aut ignorãtia, cæteris tamẽ paribus.*

4. *Clauſtrales tertij generis, qui ex contemptu peccant, grauiora peccata, quàm ſeculares committunt, & fiunt peſſimi: & ſoluuntur duæ obiectiones.*

5. *Demonſtratur ignorantia illorum, qui ex Religioſorum peccatis Religiones carpunt.*

1. Cum in præcedentibus quæſitis ſatis claré ex SS. PP. ſententia demonſtratum ſit Regularium congregationes, quæ ex iuſtis formantur, & inſtituuntur, inquit Suar. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. ex intentione Spiritus ſancti, non ſolùm ad bonũ eorum, qui in eis congregantur, ſed etiam vt per eos alij ædificentur, petere pro bonorum exercitio, virtutumque augmento, vt in ipſis mali, & ficti homines includantur: hinc fit, vt maximo cum fundamento mihi aperiatur aditus tractandi huiuſmodi dubium, in gratiam præſertim aliquorum virorum, qui, quandò intelligunt nonnullos Religioſos erumpere in ſcandala, erumpunt etiam in non paruam admirationem, cum contemptu omnium Religioſorũ; ac ſi omnes illorum malorũ eſſent participes; imò paruipendunt ipſas Religiones exiſtimãtes, quòd ipſæ potius ſint ſchola vitiorum, quã virtutum; vndè ijs, qui contendunt omnia regimina regere, compati debemus, eò quòd neſciunt regere ſuas in hac materia tam graui cogitationes, quarum conceptus nihil aliud includere debent, quàm modum, quo virtutes acquiruntur, & ſolidantur in hominum animis, qui conantur per multa media viam perfectionis aggredi, & modum, quo ſe gerat Deus in fabrica ſui alti regiminis. Ad hoc ergo, vt omnem expellant admirationem, ſit prim. not. quòd triplex genus hominum in Regularium cõgregatione moratur. Prim. perfectorum, qui toto conatu viam perfectionis, omnibus ſpretis, quæ progreſſum retardare poſſunt, aggrediuntur. Secund. imperfectorum, qui, licèt in iuſtorum numero adſcribi debeant, nequeunt tamen adſcribi in perfectorum numero, quia toto conatu non quærunt perfectionem; ſed lento gradu, ac animo infirmo, & hi ſunt in maximo numero, vt praxis docet, & dixi ex mente Suar. & Medin. in dub. 38. 2. part. Tert. malorum, de quibus ſatis dictum eſt in præcedentibus quæſitis. In his omnibus aliquandò Deus permittit peccata, dico, permittit, quia, ſi Deus ſua efficaci gratia cum eis operaretur, nullum videretur peccatum: dico, aliquãdò, ad oſtendendum, quòd tam perfecti, quàm imperfecti, iuſto Dei iudicio, aliqua data occaſione, alicui peccato graui ſuccumbũt, ex quo ſumma Prouidentia Dei elicit bonũ, vt patet in Petro, quem non ſolùm permiſit Deus labi in peccatum negationis ad medendum elationis vitio, quo eius animus premebatur, vt vult S. Auguſt. ſerm. de temp. 124. tom. 10. ſed etiam ad eum inſtruendum, vt peccatoribus eſſet facilis ad miſerendum, & ad eorum peccata condonanda, vt vult Damaſcen. lib. 2. de fide orthod. cap. 29.

2. Not. ſec. quòd nullus eſt peccator in hac vita, qui omninò auxilijs diuinis deſtituatur, vt elicitur ex locis ſacræ Scripturę, ex ſententia SS. PP. ex authoritate ſacrorũ Theologorum, & ex rationibus: ex locis ſacræ Scripturę inquam, Ezech. 14. In *quacumque hora ingemuerit peccator* &c. & cap. 33. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat.* Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis*, &c. Ioãn. 1. *Illuminat omnẽ hominem*, &c. Iſai. 65. *Tota die expandi manus meas ad populum non credẽtẽ, & contradicentem mihi*: ex ſententia SS. PP. inquam. S. Auguſt. de prædeſt. ſanct. ca. 15. & 14. & lib. reſponſionum ad articulos ſibi falsò impoſitos art. 15. dicit. *Nemini correptionis viam adimit Deus, neque boni poſſibilitate ſpoliat.* & lib. de prædeſt. & grat.

grat. c.54.& 55.& habetur 23.q.4.c.Nabuchodonoſor.& lib.3.de liber. arbitr. c.19. & & ſerm.84. de temp. habet eandem ſententiam, quòd Deus neminem deſerit, niſi priùs ab illo deſeratur; quam ſententiam repetit Conc. Trid. ſeſſ.6. S. Dionyſ. in 4. de diu. nomin. ait. *Quòd ſicut Sol non eligendo omnibus corporibus lumen immittit; ita Deus omnibus, qui ſunt pro captu cuiuſque immittit radios totius bonitatis*: idem habetur ex D. Hieron. epiſt. ad Hedibiam q. 10. ex Irenæo lib.4.c. 48. ex Origen. tertio periarchō, ex Chryſoſt. in illud Ioann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. hom. 7. ex authorit. ſacrorum Theolog. inquam: videātur Antiſiodor. tract.2.q.5. Alexand. ſec. part. q. 129. S. Thom. 1.2.q.109.ar.6.& 8. Hadrian. in 4. de pœnit. q.11. magiſt. Sot. prim. de natur.& grat. c.18.& in 4. diſt.15.q.1.ar.1. Andr. Vega ſeſſ.6. ſup. Conc. Trid. c.7. & 13. ex rationibus inquā, quæ breuitatis cauſa prætermittuntur, cum poſſint legi apud citatos DD. vna tantùm hic tangitur. Homo quandiù viuit, eſt viator, & tendit ad terminum: quandiù eſt in via poteſt ſaluari, ſed non poteſt ſaluari ſine auxilio ſufficienti: ergo Deus dat auxilium, quandiù viuit, quo ſaluari poſſit: ex hac ergo ſententia tot præſidijs munita habetur malè dixiſſe nonnullos DD. vt Abulenſ. & alios aſſerendo Deum denegare induratis hominibus auxilia neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem.

### PRIMA CONCLVSIO.

3. Religioſi clauſtrales primi, & ſecundi generis, ſi aliquandò ruunt in aliquod peccatum, ita permittente Deo, ſecundum menſuram æterni iudicij, ex. gr. fornicationis, ſeù furti, grauiùs peccant, quàm ſæculares, loquendo ſemper in eodem genere peccati: ſecus ſi ex infirmitate, & ignorantia, cæteris tamen paribus. Ita S. Th. 2.2.q.186. ar.10. Valent. 2.2. eadem q. diſp.10. punct.6. Prima pars eſt clara, quia faciunt contra votum caſtitatis, & paupertatis, ad quod non ſe obligarunt ſæculares; vndè duplex malitia inuenitur in huiuſmodi peccatis; prima contra votum caſtitatis, & paupertatis promiſſum, & ſecunda contra præceptum Dei. Secund. pars habetur, quia ſi peccatum eſt veniale, multitudine bonorum operum veluti obruitur; ſi mortale, faciliùs, & citiùs Religioſus reſipiſcit per priſtinam conſuetudinem, qua eſt in recta intentione erga Deum exercitatus, propter exemplum fratrum, vt notat Origenes ſuper illud Iſai. 26. *Cum ceciderit iuſtus, non collidetur*. Limita, modò non adſit ſcādalum, quoniam ad illorum vitā plures reſpiciunt. Ita DD. citati.

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. Religioſi tertij generis, qui peccant ex contemptu, ideſt qui non curāt infringere præcepta tam Dei, quàm Regulæ, & negligunt obſeruantias regulares, & peccant maiori cum ſciētia rerum ſpiritualium, & conſequenter maiori cum libertate, & maiori cum ingratitudine erga Deum, grauiùs peccant, quàm ſæculares, & infinita, vt ita dicam, committunt peccata, & fiunt peſſimi. Ita D. Thom. vbi ſupr. ſed priuſquam afferamus verba angelici Doctoris, extendamus aliqua verba S. Auguſt. in epiſt. 137. ad plebem Hipponenſ. in fine, qui poſtquam varijs exemplis nonnullos, qui ex lapſu aliquorum hominum ſuæ Religionis ipſam totam Religionem maculabant, reprehendit: *Simpliciter*, inquit, *autem fateor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodò difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt; ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt; ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum. Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc: quapropter & ſi contriſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de plurimis ornamentis: nolite ergo propter amurcam, qua oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari, vndè apothecæ dominicæ fructu olei luminoſioris implentur*: audiamus verba D. Thom. in reſp. ad 3. *Si autem perueniant ad hoc Religioſi, quòd ex contemtu peccent, efficiuntur peſſimi, & maximè incorrigibiles ſecundum illud Ierem. 2. Confregiſti iugum, dirupiſti vincula, dixiſti nō ſeruiam. In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix, vndè Auguſt. ait, ex quo Deo ſeruire*

*cœpi, quomodò difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt; ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs eecid erunt*: & ſemper laborant Ordinem deſerere, teſte Trithemio lib. de ruin. monaſt. ord. cap. 9. *Monachi namquè diſſoluti, & regularis diſciplinæ inimici ad peiora ſemper aſpirant, & ne in ordine ſaluentur, illum deſerere laborant*. Addamus etiam nonnulla alia Caiet. 2. 2. vbi ſup. quæ ſimul eos arguunt, qui hiſce malis Religioſis præſtant auxilium. Nota ſecundò, ait, in reſponſione ad tertium, tu fauens Religioſis Prælatos ſuos contemnentibus, & à ſuis regularibus obſeruantijs recedentibus quantùm criminis incurras, cum tales experientia Auguſtini, & iudicio D. Thomæ, & authoritate Ieremiæ ſint peſſimi, & correptionis incapaces; nam ſicut fauorem præſtans Religioſis, particeps eſt bonorum, quæ ab ipſis fiunt; ita fautor malorum particeps eſt criminum eorum; quarè de his aptè dici poſſunt illa verba D. Pauli ad Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, &c.* ideſt, inquit Caiet. in eodem loco Pauli: Eccè pœna congrua; ipſi ſiquidem eleuati fuerant ad notitiam Dei, & noluerunt ſe diſponere ſecundum illam notitiam, & proptereà meruerunt ſubijci parti ſenſitiuæ; congruum ſiquidem eſt, vt qui noluerunt vti celſitudine intellectus, ſubijciantur vilitati, & ignominiæ ſenſuum: nec ſolùm ſunt derelicti in concupiſcentijs propriorum cordium, ſed quod peiùs eſt, in illis concupiſcentijs propriorum cordium, quæ tendunt ad immunditiam, quæ ſunt viliſſimæ: & meritò, vt, qui deſideria munda ex diuina notitia prodeuntia reſutarunt, in concupiſcentias immundas tradantur, vt ſubditi illis: hæc Caiet. & tam coouoluuntur in his immunditijs, vt inquinaræ ſint viæ illorum omni tempore, ita vt efficiantur peſſimi, & incorrigibiles, vt rectè loquitur S. Thom. vbi ſupr. & tandem præcipitantur in aliquod ſcandalum, quod excedit omnem humanam mentem in omnium admirationem ad inſtar Iudæ auſi illud tam execrabile peccatum tradendi Chriſtum committere, de quo loquitur S. Chryſoſt. hom. 71. in Ioann. cap. 13. exponens illa verba. *Quod tù facis, fac citius. O amentiam! quomodò non mollitus eſt? quomodò non puduit, ſed impudentior factus exiuit? illud autem verbum, Fac citius, non imperantis eſt, neque conſulentis, ſed exprobrantis & reuocantis ad emendationem, ſed, cum eſſet inemendabilis, dimiſit eum.*

Dices, ſi horum Religioſorum peccata ſunt grauiora ſæcularium peccatis, ſequitur Religioſos eſſe inferioris conditionis, quàm ſæculares; argumentum eſt D. Thom. eiuſque reſponſio tradirur in corpore, cui additur alia, quia, cum miſericors Deus nunquam omnia ſua auxilia deneget peccatoribus quantumcunque malis, vt vidimus in ſec. not. & auxilia, quibus Intendit reuocare huiuſmodi Religioſos, ſint, præter exemplum bonorum, qui inſigni virtute pollent, quotidiana exercitia ſpiritualia Religionis illis, quæ dantur ſæcularibus, efficaciora, ſequitur, quòd ſicut iſta eleuant homines ad talem perfectionem, itaut inter homines iuſtos ſemper meliores cenſendi ſint, ſicut docet Auguſtin. vbi ſupr. ſic horum quotidiana neglectio, & contemptus ſecundum menſuram iuſti diuini Iudicij præcipitat malos in homines peſſimos, & incorrigibiles, itaut meritò dixerit Auguſt. *Ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs eeciderunt*: vndè ſicut Religiones hoc ſummo bono fruuntur eleuandi homines ad talem perfectionem, ad quam ordinariè ſæculares, licèt maxima polleant ſanctitate, nō attingunt; ita hoc incōmodum patiuntur nutriēdi homines, qui malitia ducti randem inter peſſimos connumerandi ſunt.

5. Ex hoc quæſito modò cognoſcant homines, qui putant ſe eſſe inter omnes prudētiores, quàm ſint ignari regulæ diuini Regiminis, dū ex maximis ſcandalis malorum Religioſorū ipſas Religiones paruipendunt; Religionum media pro acquirenda perfectione eleuant Religioſos ad ſtatum inter omnes homines perfectiſſimum; eorum neglectio, & contemptus deprimunt hominē malum vſq; ad profundum, adeò vt amittant remorſum conſcientiæ, & ſinderesim iuxta dictum S. Hieron. in Ezech. 1. *Conſcientiā, inquit, cernimus præcipitari apud quoſdam, & ſuum locum amittere iuxta id, quod ſcriptum eſt: Impius, cum in profundum peccatorum vene-*

*uenerit, contemnit*. Hæc eſt diuini Regiminis regula in vera ſchola acquirendi perfectiones; quòd ſi quis neſciat eam penetrare, ſciat ſaltem propriam ignorantiam velare tacendo, & timendo.

## DVBIVM XXXXV.

### *An ex qualibet Religioſorum familia multa ſint excitanda ſcandala.*

### SVMMARIVM.

1. *IN Dei Eccleſia plures ſunt mali, quàm boni.*
2. *Tam in Clericorum ſtatu, quàm in quolibet Monachorum ſocietate inueniendi ſunt multi mali. & ſatisſit cuidam obiectioni.*
3. *Vbi adeſt maxima Religioſorum multitudo, non poſſunt non audiri multa ſcandala.*

Poſt diſcuſſum dubium de ſcandalorum grauitate, quæ in qualibet Religione audiuntur, non erit incongruum, imò neceſſariũ tangere quæſitum de eorum multitudine, vt magis manifeſtetur diuina Gubernatio in regendis electis, qui intra clauſtra ſub iugo diſciplinæ regularis vitam ad inſtar martyrum trahunt; & vt magis illuſtretur eorum intellectus, qui ex ipſis ſcandalis ortis paruipendunt ipſas Religiones: dilucidatio diſcurſus dependet ex numero malorum; ſi pauci in quacunque Religione, pauca ſcandala erunt in ſæculi facie; ſi multi, multa.

#### *PRIMA CONCLVSIO.*

IN Eccleſia Dei malorum permixtio cum bonis clarè dignoſcitur; imò longè maior eſt numerus malorum, quàm bonorum. Prima pars ſatis inſpicitur in ſuperioribus quæſitis; vndè dicebat S. Auguſt. in pſalm. 124. *Mali mixti ſunt bonis non ſolùm in ſæculo, ſed & in ipſa intus Eccleſia mali mixti ſunt bonis.* Secunda pars habetur ex eodẽ S. Auguſt. loc. cit. paulò ante. *Nam*, inquit, *qui pertinaces ſunt in malitia, quamuis audiant verbum Dei, ſcandalis quotidiè perturbant Eccleſiam: de talibus dicit iſte Pſalmus: ſic enim cœpit. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. Eccleſia loquitur de his, quos tolerat, & tonquam diceretur: nunquid modò & non olim eſt Eccleſia? ex quo vocantur Sancti, eſt Eccleſia in terra: aliquandò in ſolo Abel Eccleſia erat, & expugnatus eſt à fratre malo, & perdito Cain: aliquandò in ſolo Enoch Eccleſia erat, & tranſlatus eſt ab iniquis: aliquandò in ſola domo Noè Eccleſia erat, & pertulit omnes, qui diluuio perierunt, & ſola arca natauit in fluctibus, & euaſit ad ſicũ: aliquandò in ſolo Abraham Eccleſia erat, & quanto pertulit ab iniquis nouimus: in ſolo filio fratris eius Loth, & in domo eius in Sodomis Eccleſia erat, & pertulit Sodomorum iniquitates, & peruerſitates, quouſquè Deus eum de medio ipſorum liberauit: cœpit eſſe & in populo Iſrael Eccleſia; pertulit Pharaonem, & Ægiptios: cœpit & in ipſo Eccleſia, ideſt in populo Iſrael numerus ſanctorum Moyſes, & cæteri ſancti pertulerunt iniquos Iudæos populum Iſrael. Ventum eſt & ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, prædicatum eſt Euangelium, dixit in pſalmis: Annunciaui, & locutus ſum multiplicati ſunt ſuper numerum: quid eſt ſuper numerum? non ſolùm illi, qui crediderunt, & qui pertinent ad numerum Sanctorum, ſed & ſuper numerum intrarunt multi iuſti, ſed plures iniqui, & pertulerunt iniquos iuſti*: Idem habet in ſermonibus nouis ſerm. 1. de luctat. Iacob. *Quomodò ſi inueneris in area vnum granum, & paleas infinitas, difficilè inuenis duo grana ſimul iuncta; ſed inter grana palea commixta eſt; ſic inter eos, qui ſeruire volunt Deo, ſtrepitus, & multitudo eſt malorum hominum circundans illos vndiquè, quia quocumque ſe verterint, non inueniunt niſi malos ſuaſores: Eſto ergo vt granum, & noli curare de palea.*

Dicet quis, non poſſum negare plures eſſe malos, & tam plures, vt inter eos prorſus boni non appareant, quomodò non apparent grana in area, ſic loquitur Auguſt. in pſalm. 47. quò fit, vt obſcuratum ſit aurum Eccleſiæ, eiuſque ſplendor, ac decor; vndè non videtur congrua huiuſmodi multiplicatio. Da hominem inexpertum diuini Regiminis, ſic loquetur; da hominem expertem, ſcilicet Chryſoſtom. & Auguſt. aliter loquentur. Primus ait

hom. in pſalm. 94. *Iſti ergo mali homines magis ideò viuunt, vt probent bonos*. Secundus dicit in epiſt. 141. tom. 2. *Sicut ergo ipſi*, ideſt peccatores, *benignitate, & patientia ideſt bonis Dei male vtuntur, dum non corriguntur; ſic contra, Deus etiam malis eorum benè vtitur, non ſolùm ad iuſtitiam ſuam, quæ eis digna in fine retribuet, ſed etiam ad exercitationem, & profectum ſanctorum ſuorum, vt ex ipſa etiam malorum peruerſitate boni proficiant, & probentur, & manifeſtentur, ſicut Apoſtolus dicit* 1. Cor. 11. *Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis: nam ſi nullus etiam malorum bonus vſus eſſet Deo ad vtilitatem electorum ſuorum, qui etiam de malo Iudæ tantum bonum nobis præſtitit, vt Chriſti ſanguine redimeremur; poterat eos, aut naſci non permittere, quos malos futuros eſſe præſciebat, aut in ipſo eorum initio malignitatis extinguere; ſed tantùm eos permittit eſſe, quantùm nouit expedire, atque ſufficere admonendæ, atque exercendæ ſanctæ domui ſuæ; ideò noſtram de illis triſtitiam conſolatur, quia & ipſa triſtitia, quam pro illis habemus, nos releuat, illos autem in ſua peruerſitate perſeuerantes grauat*: vndè ſi eſſent pauci, non auderent bonos exercere; ideò *permittit Deus*, inquit idem Sanctus de lapſu mundi, *plures eſſe malos, quia ſi pauci eſſent, non auderent bonos exercere*: Et ſubdit tibi pro alia ratione, quòd nullus inter ſeruos Dei cõnumerandus eſt noſtris tẽporibus, niſi priùs ſuſtineat paſſiones, & perſecutiones, quas paſſæ ſunt ferro Martyres; licèt nõ ferro, ſed diluuio ſcandalorũ tot hominũ malorum, quæ fortaſsè ſeruos Dei magis vrgent, quam illæ ferro: audiamus Auguſt. verba in Pſalm. 69. *Multùm laborauerunt Martyres, & inter magnas tempeſtates odiorum in hoc ſæculo periclitati ſunt, non tam corpore, quod quandoque poſituri erant, ſed ipſa fide; & niſi ille ſemper adeſſet, qui ait, Eccè ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, vtique defeciſſent: eſt ergo in hoc pſalmo vox contribulatorum; & ideò vtiquè Martyrum inter paſſiones periclitantium, ſed de ſuo capite præſumentium: audiamus eos, loquamur cum eis ex affectu cordis, etiamſi non ſimilitudine paſſionis: illi enim iam coronati ſunt, nos adhuc periclitamur, non quia tales nos perſecutiones vrgent, quales vrgebant, ipſos; ſed fortaſsè peiores in omnimodis generibus tantorum ſcandalorum; noſtra enim tempora magis abundant illo, væ, quod clamabat Dominus; Væ mundo à ſcandalis; & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: neque enim & Loth ille ſanctus in Sodomis ab aliquo corporalem perſecutionem patiebatur, aut dictum illi erat, vt non ibi habitaret; perſecutio eius facta mala Sodomitarum erant: nunc ergo iam Chriſto in Cælo ſedente, iam glorificato, iam ſubiectis ceruicibus Regum iugo eius, & ſuppoſitis eorum frontibus ſigno eius, iam nullo remanente, qui palam Chriſtianis audeat inſultare, adhuc tamen inter organa, & ſimphoniacos gemimus, adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus, & ferro non poſſunt, eos ſua luxuria perſequuntur: atque vtinam Paganos tantùm modò toleraremus, eſſet qualecunque ſolatium expectare eos, qui nondum Cruce Chriſti ſignati ſunt; quandò ſignentur, & quandò eius authoritate alligati deſignant furere: videmus etiam in fronte portantes ſignum Crucis, portare impudentiam luxuriarum, diebuſque, & ſolemnitatibus Martyrum non exultare, ſed inſultare: & inter hæc gemimus, & hæc perſecutio noſtra eſt, ſi eſt in nobis charitas, quæ dicat: Quis infirmatur, & non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? nullus ergo ſeruus Dei ſine perſecutione; verumque eſt illud, quod Apoſtolus ait: Sed & omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur: videris, vndè videris, quomodò Diabolus biformis eſt? Leo eſt in impetu, Draco in inſidijs: Leo minetur, inimicus eſt: Draco inſidietur, inimicus eſt: quandò nos ſecuri? eccè fiant omnes Chriſtiani, nunquid & Diabolus Chriſtianus erit? tentare ergo non ceſſat, inſidiari non ceſſat; infrenatus eſt, atque illigatus in cordibus impiorum, ne ſæuiat in Eccleſiam, & tantùm faciat, quantùm vult: fremunt dentes impiorum aduerſus dignitatem Eccleſiæ, & pacem Chriſtianorum: & quia non habent, quid agant ſæuiendo, ſaltando, blaſphemando, luxuriando non impellunt corpora Chriſtianorum ſed lacerant animas Chriſtianorum.*

### SECVNDA CONCLVSIO.

2. MVlti, ac multi mali inueniendi ſunt tam in Clericorum ſtatu, quàm in qualibet Religione hominum, qui communem vitam vnà cum tribus votis ſolemnibus ſummo Deo promiſerunt. Probatio elicitur ex D. Auguſt. in pſalm. 99. tom. 8. qui modeſtis verbis arguit eos, qui ſic incauto animo laudant bonos in Clericis, aut monaſterio, vt taceant malos; & qui ſic vituperant cœco animo malos, vt taceant bonos: videantur eius verba relata in 42. dub. huius part. paulò poſt principium concluſionis, quæ non ſunt hic repetenda; ſicut ſunt dicenda ea, quæ paulò inferiùs ſcribit. *Nemo vos*, inquit, *fallat fratres, ſi non vultis falli, & vultis amare fratres, ſcitote omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos, nota, non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem profeſſionem habere fictas perſonas, ſunt Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni, quaſi plures malos vides, quia palea ſunt, & te ad grana peruenire non permittunt*: vndè hæc veritas à diuina Prouidentia emanata tam clarè cognoſcebatur ab eodem Auguſt. vt in pſalm. 54. aperto ore diceret. *In omni congregatione multitudinis neceſſe eſt, vt inueniantur mali*: & paulò inferiùs. *Vbicunque fueris, congregabunt ſe cæteri (id eſt mali) deſertum tecum petent; affectabunt vitam tuam, tu repellere non potes ſocietatem fratrum; miſcentur tibi etiam mali, adhuc tibi exercitatio debetur*: idem repetit lib. de ſanct. Virginit. c. 40. *An verò propter aliud credendum eſt permittere Deum, vt miſceantur numero profeſſionis veſtræ multi, & multæ caſuri, & caſuræ? niſi vt, his cadentibus, timor veſter augeatur, quo ſuperbia comprimatur*: huic veritati aſtipulatur S. Bernard. ſerm. 3. in cœna Domini, qui horum hominum exitum Iudæ facto aſſimilat. *Multi enim*, inquit, *falſi Religioſi, & falſi tonſurati cum ſymbolum piæ Religionis communiter dominicum corpus accipiunt, ab alijs diſcerni non poſſunt, niſi per buccellam intinctam, quæ eſt detractio, murmuratio, inobedientia, verborum laſciuia, occulta pecunia, & fortè grauiora peccata, qui talis eſt, monachus non eſt, imò Iudæ traditori conſimilis eſt? ſed quiſquis eſt miſer ille, timeat pœnitendo, quod ſequitur, ne cum Iuda traditore damnetur; ſequitur enim; tunc introiuit in illum Satanas, vt pleniùs poſſideret, in quem iã intrauerat; tũc introiuit, vt deciperet, & à conſortio Apoſtolorum extraheret, vt eo iam non in occulto, ſed manifeſtè vtens libera poteſtate in barathro perditionis mactaret, & perderet: & quod de traditore fecit, hoc de conſimilibus facere non deſiſtit: nam quem diù in monaſterio poſſederit ſeruum, ad vltimum, nec ſocium monachorum relinquit, & traditorem, quem in monaſterio tenebat iam extra monaſterium necat: Sed quoniam finem Mundi citius affuturum eſſe non dubitat, calliditatem ſuæ nequitiæ mentibus prauorum occultat, vt ex improuiſo ferias ſubita morte, quos diù tenuit alligatos in malitia prauæ actionis: & multos in monaſterio vſque ad mortem ſtare permittit, vt ex illorum peruerſitate alios corrumpere, & euertere poſſit*: hæc Bernardus.

Dices, ſi multi mali Religioſi in qualibet Religione ſunt inueniendi ad bonorum exercitium: ergo plures mali, quam boni; valet conſequentia ex prima concluſione, quæ docet; ideò plures mali, quàm boni in Eccleſia, quia aliàs mali non auderent exercere bonos. Reſp. quòd experientia docet, quòd bonorum numerus in Religionibus præcipuè reformatis eſt longè maior, quàm ſit numerus malorum. Et ratio ſuadet, quia, cum affirmet S. Auguſt. contra Fauſtum lib. 12. c. 16. *Paucos collocandos eſſe in Æternitate Dei, & in comparatione malorum paucos dici; eſſe autem per ſe ipſos conſideratos in magno numero diffuſos toto orbe terrarum creſcentes inter zizania, & cum palea vſque ad diem meſſis, & ventilationis*: & cum vocatio ad Religionem ex ſenſu SS. PP. ſit ſignum prædeſtinationis: quò fit, vt D. Bernard. in epiſt. ad fratres in eremo dicere non dubitauerit. *Moriens Religioſus, aut vix, aut nunquam aliquis à cella in infernum deſcendit, quia vix vnquam aliquis niſi in Cælo prædeſtinatus in ea vſque ad mortem perſiſtit*: ſequitur, quòd boni, ac prædeſtinati percipuè diſperguntur intra Religiones; vndè neceſſariò eſt concludendum, quòd longè maior erit bonorum numerus, quàm malorum: qui

tamen

tamen non indigent tot malis ad ſui exercitium, quia ipſorum ſpecialis charitas, patientia, & profunda humilitas non reſiſtit malorum perſecutionibus, ac ærumnis; ideò mali facilem habent aditum ad eos exercẽdos: prætetquamquòd malorum perſecutiones aduerſus bonorum Religioſorum numerum fiunt præſertim detractionibus, ac murmurationibus, vt inſinuat S. Bernard. vbi ſupr. & aliæ maioris momenti ſub ſpecie boni; ac proindè bonorum exercitium non indiget tot malis, ſicut in Eccleſia tota.

*TERTIA CONCLVSIO.*

3. IN qualibet Religione, quæ magnum numerum hominum numerat, multa ſcandala in ſæcularium admirationem ſunt audienda. Concluſio ſatis liquet ex ſuperioribus, quia multi homines moribus praui, ita ordinante diuina Prouidentia, ibi morantur, neceſſariò ex hypotheſi ſequitur audiri publica ſcandala; ideò in Euangelio habetur. *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*: hinc dicebat Cordub. in Reg. S. Franciſci ca. 2. qu. 2. in fin. Communiter videmus, quod recepti ſunt peiores quotidiè, & poſterioribus prioribus, & multiplicatis talibus, multiplicantur tranſgreſſiones, & Ordine dilatato, dilatatur & relaxatio, & ſcandala creſcunt, veteribuſque noua ſupperadduntur.

Pro fine quæſiti duo ſunt addenda. Prim. quòd illi, qui ob huiuſmodi ſcandala Religioſorum paruipendunt ipſas Religiones, ac ſi eſſent vitiorum ſcholæ, priùs paruipendant ſuam prudentiam, apertè fatentes, ſe non intelligere ſupremum Regimen in gubernando Religiones inſtitutas non ſine diuina Diſpoſitione, imò in regenda Eccleſia Dei: & quidem maius eſt, quòd in Eccleſia vniuerſali tot mali in exceſſu ſuperantes bonos videantur, quàm quòd in quacunque Religione multi mali cognoſcantur; & ſicut non parui æſtimant Eccleſiam ob infinita ſcandala, quæ quotidiè oboriuntur; ita non debent parui æſtimare Religiones, quandò mali Religioſi in ſcandala erumpunt; neceſſe eſt enim inter malos viuere in quocunq; ſtatu, & congregatione. Heù heù quantum lumen eſt hominibus neceſſarium, vt ſaltem per vmbram ſupremum Regimen in gubernando Eccleſiam vniuerſalem percipi poſſit. Secund. quòd ſi Religioſorum bonorum, qui ob ſcandala prauorum hominum à multis deſpiciuntur, opera bona ſæpius reperita quoad quartam tantùm partem ante oculos ſæcularium apparerent, vt Sancti adorarentur, vt Angeli colerentur: in hæc verba non prorumperẽ, niſi priùs eſſent prolata à D. Bernard. in pſalm. qui habitat. ſerm. 4. *Neceſſe eſt*, inquit, *abſcondere interim, ſi quid habemus boni, quoniam theſaurum Regni Cælorum, qui inuenit homo, abſcondit; propter quod etiam corporaliter in clauſtris, & in ſyluis abſcondimur: ſi ſcire vultis, quantùm in hac abſconſione lucramur, credo nullum hic eſſe, qui ſi quartam partem eorum, quæ facit, in ſæculo actitaret, non adoraretur vt Sanctus, reputaretur vt Angelus: nunc autem quotidiè tanquam negligens arguitur, & increpatur: paruumne hoc lucrum ducitis; quod non reputemini Sancti, antequam ſitis? an non timetis, ne fortè hic vili mercede hac recepta, in futurò mercedem non habeatis? neceſſaria eſt ergo hæc abſconſio, non ſolùm ante oculos aliorum, ſed etiam multò magis ante teipſum: hoc enim habet dominica illa ſententia. Cum feceritis omnia, quæ præcipiuntur vobis, dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus; væ enim nobis ſi non feciſſemus, & hæc eſt vtique magna virtus, & ſumma ſecuritas, quandò & piè viuis & tamen plus attendis, quæ deſunt tibi, quàm quæ obtinuiſſe videris, oblitus, quæ retrò ſunt, & extendens te in anteriora.*

## DVBIVM XXXXVI.

*Quæ doctrina ſit ſequenda in plectendis ſecundum iura flagitijs prædictorum Religioſorum.*

SVMMARIVM.

1. *POteſt quis ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori.*

2. *Oſten-*

2. *Oſtenditur finem rectæ politiæ eſſe felicitatem viuendi: quò fit, vt opiniones debeant ſemper prædictam felicitatem promouere, vndè in aliquibus materijs nequeunt admitti tutò probabiles, ſed tantùm probabiliores.*

3. *Iudex in criminalibus dupliciter poteſt conſiderari, vel ex parte iuris; vel ex parte facti.*

4. *Religioſorum vitia ſpeciali modo plectēda ſunt, ita poſtulante bono cōmuni Religionis.*

5. *Ex parte iuris verſantibus opinionibus, Iudex Regularis pro communi bono Religionis, relicta opinione probabiliori, poteſt vti opinione probabili: habetur limitatio, & ſoluuntur obiectiones.*

1. Dubium mouetur ob opinionem probabiliorem, & probabilem, de quibus à DD, præſertim modernis controuertitur: an, relicta probabiliori, poſſit quis ſequi probabilē. Pro intelligentia ſit prim. not. quòd duæ opiniones in hac graui materia agitantur. Prima eſt negatiua, quæ docet nullo modo licere ſequi probabilem, dum habetur probabilior, quæ ſequi poteſt. Ita docent Henric. Adrian. Maior. D. Antonin. Silu. multique alij, quos refert Paſqualig. in moral. deciſ. deciſ. 5. quibus eſt addendus nouiſſimè Candid. Philaleth. in opuſc. de opinionum praxi, qui acriter inuehitur in opinionem contrariam varijs rationibus ab ipſo exiſtimatis abſque ſolutione. Secunda eſt affirmatiua admittens poſſe etiam in praxi adhęrere opinioni probabili, probabiliori relicta. Ita Medin. Vaſq. Lorca. Maldor. Tanner. Auerſa. Sanch. plurimis iuxta ſolitum relatis. Ioann. Sanc. Caſtr. Palaus. & alij, vt ita dicam, infiniti, quos citatos ſequitur Paſqualig. vbi ſup. hanc doctrinam nouiſſimè amplectuntur Caſpenſ. in curſu Theolog. tr. de conſc. diſp. 3. ſect. 2. nu. 55. tom. 1. Baſſæus in ſumm. tit. Conſc. nu. 9. Trulleneh. in oper. mor. to. 2. lib. 8. c. 1. dub. 6. num. 5. & Stephan. Spinol. de libera, ac prudente agibilium electiō. diſp. 9. ſect. 4. qui ingenioſè validiſſimis rationibus munit opinionem communem ſoluendo argumenta citati Candidi: quorum doctrina in fauorem animæ, nec non & boni communis eſt ſequenda. Suadetur prim. qui enim iudicat ſuam actionem eſſe honeſtam per motiuū reale probabilitatis, eamq; ſequitur pro volūtatem, honeſtè quidem operatur, conſequēter non peccat: ſed talem ſe habet, quis operādo opinione probabili munitus: ergo. Nec obſtat, quòd probabilior debellat, & vincit rationem minùs probabilem, quia tantùm eam debellat probabiliùs, ſicut à minùs probabili debellatur ratio probabilioris, licèt probabiliter, vt experientia docet: quò fit, vt in hac controuerſia vſque modò non ſint inuentæ rationes tam certæ, ac euidentes, vt demonſtrent falſitatem opinionis minùs probabilis communiter: & quandò Candidus exiſtimabat ſe victoriam canere, inſurrexit Spinola, qui vnica ſpina ipſammet victoriam tranſfixit, quem ſequitus eſt poſtea Franc. Bardus de conſcient. diſcept. 4. c. 9. Secund. ſi teneris opinionem ſequi probabiliorem, mille ſcrupulis agitari debes, & ſingulis horis obligaberis eam variare, quia, quòd hodiè tibi apparet probabiliùs, cras in contrarium; & hoc ex imbecillitate intellectus humani; & hæc ratio rectè obſeruatur à Salas. 1. 2. tra. 8. diſp. vnica ſect. 6. nu. 68. & à Caſtr. Palao in oper. moral. tom. 1. diſp. 2. n. 2. de conſcient. opin. hinc optimè dixit Spinol. vbi ſup. diſp. 3. ſect. 4. verſ. Quart. probatur, quod ferè omnia agibilia poſita ſunt ſub opinionibus cōtrarijs, & ratò admodum contingit, vt vna opinio ſit notabiliter probabilior altera, præſertim in ijs, quæ etiā de pręſenti vigent controuerſa apud DD. vt patebit diſcurrenti per ſingulas materias; paucæ enim admodū quæſtiones ſunt, in qui bus clarum ſit vnam partem, ſeū opinionem eſſe notabiliter probabiliorem; vndè optimè etiam dixit Baſſæus vbi ſup. eſſet enim intolerabile onus, ac multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores inueſtigare teneremur. Sunt aliæ rationes, quæ poſſunt videri apud DD. citatos, præſertim apud Spinolam, qui etiam diſp. 3. ſect. 4. examinat dicta DD. contrariæ ſententiæ, & ſoluit omnes rationes in contrarium citati Candidi; & reſpondet ad textum Ariſt. 2. de anim. text. 153. vbi dicit: *Opinari in nobis non eſt, neceſſe eſt verum, aut falſum dicere*; reſpondet, inquam, quod textus intelligendus eſt, ſi abſque vlla ratione, ac probabili motiuo ſit; tunc enim non licèt opinari.

2. Not. ſec. quòd cuiuslibet rectæ politię, ac Reipublicæ finis eſt feliciter viuere, quia *felicitas*, ait S. Th. lib. 3. contr. Gentil. c. 39.

eſt

*eſt finis humanæ ſpeciei, cum omnes homines ipſam naturaliter deſiderent*: & alio in loco, ex Ariſtot. 3. polit. lect. 11. *Manifeſtum eſt enim*, inquit, *quòd ratio Principatus ex fine ſumitur*; *finis verò politiæ recta eſt feliciter viuere, ideò ex hoc debet ſumi ratio principatus: imò tot ſunt neceſſarij virtuoſi in Ciuitate, quot ſunt neceſſarij ad dirigendam, & regulandam Ciuitatem, vt poſſit feliciter viuere*: quæ felicitas conſiſtit in pace, & vnione ciuium; proindè à DD. pro fine regiminis ſtatuitur pax, vnitas, & tranquillitas, vt paſſim dicitur in dubijs: hinc Mirand. tom. 2. qu. 25. art. 3. optimè affirmat, quòd bonum commune dupliciter conſiderari poteſt. Prim. pro vltimo fine ſupernaturali, qui eſt illa ſumma felicitas ſupremi boni in altero ſæculo aſſequenda. Secund. pro naturali felicitate, quam ab intrinſeco omnes homines poſſidere ſummoperè cupiunt in hoc ſæculo, coſiſtente in quieto, ac tranquillo, & pacifico ſtatu Reipublicæ; & ideò omnis lex humana, quę ſancitur, ſemper debet tendere ad iſtud bonum conſequendum, vt docet S. Thom. 1.2. qu. 90. art. 2. cum omnibus DD. aliàs eſſet æſtimanda iniqua, & iniuſta; quarè idem S. Thom. 3. polit. c. 12. aiebat, quòd *lex eſt ordinatio quædam ſecundum rationem de conferentibus ad finem politiæ*. Porrò cum opiniones, quæ traduntur à DD. ſint veluti quædam ordinationes pro regulanda anima, nec non & corpore politico Reipublicæ ſecundum rectam rationē; proindè debent ſemper influere in finem regiminis ad ſemper promouendum bonum commune, nempè felicem, & pacificū ſtatum Reipublicæ: quò fit, vt ſi deturbant illum, & ſub mole inquietudinis ſtatuunt ciues, ita vt nunquam imponatur finis litibus, ac iurgijs, nequeat dici, quòd promoueant bonum commune, & propagent Regni, ac Ciuitatis felicitatem, ſed quòd confundant totum Vniuerſum, vndè conſequenter illæ, quæ ad hunc ſtatum reducunt homines, vt ſub inquietudine viuant, nequeunt iurè admitti: hinc Medicus, (ommiſſa Sacramentorum materia, de qua videndi ſunt DD.) nequit vti in curando opinione minùs probabili, hoc eſt adhibendo remedia, ſeù medicamenta, quæ minùs probabiliter arbitratur profutura, & probabiliùs eſſe nocitura iudicat; poſtulat enim bonum Ciuitatis cōmune, vt ſaluentur, & ſanentur homines omni meliori modo, quantùm fieri poteſt, & euitetur periculum interficiendi infirmos; vndè ſi poteſt Medicus vti opinione probabili in applicandis remedijs infirmis, relicta probabiliori, diceretur eum eſſe conſtitutum potiùs ad nocendum, quàm ad ſanandum, & ita optimè dixerunt Clauis Reg. Sanch. Suar. Bonac. Dian. Portel. quos citatos ſequitur Baſſæus vbi ſup. nu. 20. quibus ſunt addendi Sot. Salon. Vaſq. Villalobos citati à Caſtr. Palao vbi ſupra punct. 9. & Spinola loc. cit. diſp. 3. ſect. 9. non poſſe Medicum in applicandis remedijs, & medicinis vti opinione probabili, neglecta probabiliori, eſto eum damnēt ratione charitatis non ſeruatæ: hinc Rex, ſeù alius Princeps non agnoſcens ſuperiorem, opinione probabili munitus, nequit indicere bellum ad acquirendum Regnum, ſeù Ciuitatem, vt optimè affirmarunt Vaſq. 1.2. diſp. 64. n. 13. & c. 3. n. 17. Villalobos 1. tom. ſumm. tract. 1. diffic. 17. n. 7. Salas 1. 2. tom. 1. qu. 21. tr. 8. diſp. vnica, ſect. 13. nu. 128. Ratio eſt, quia conturbant tot calamitatibus, & miſerijs bonum pacis, & tranquillitatis totius Vniuerſi ab ipſis propagandum ex munere ob ius probabile, quod debellare nequit munus certum propagandi pacem, ſed de hoc alibi: hinc Iudici in ciuilibus tam ex parte iuris, quàm ex parte facti non eſt licitum adhęrere opinioni minùs probabili, relicta probabiliori, quia aliter bonum pacis commune ita confunderetur, vt per frequentes appellationes ſemper Ciues viuerent in litibus, diſcordijs, ac iurgijs, & nunquam daretur finis controuerſiæ, præter diſpendia facultatum; vndè rectè dixit Sot. de tegend. ſecret. memb. 1. q. 1. Natura in hoc homines produxit, vt in pace, & in tranquillitate conuiuant; eſt enim homo ſuaptè natura ciuile animal, vt eſt author. Ariſt. Ethic. 9. & ita cōcludūt, licèt diuerſa ratione ducti, Sāch. Malderus, Beccā. Tann. Layman. quos refert, & ſequitur Baſſęus vbi ſup. nu. 14. hos DD. ſequūtur Spinol. vbi ſup. ſect. 6. & Emin. Lugo de iuſt. diſp. 37. ſect. 10. qui in fine numeri addit hęc verba (nota) Quādò ex electione ſētētiæ probabilioris ſequeretur ſcandalū in Republica, vel talia incommoda, vt cēſeatur Rēpublicam maius detrimentum pati ex hoc capite, quàm ex eo, quòd eligatur ſententia minùs probabilis, non cenſetur Rempubli-

publicam obligaſſe. Iudicem ad ſententiam probabiliorem eligendam, quia, cum tota hæc obligatio ſit ex debito erga bonum Rei publicæ, hoc bonum præ oculis habendum eſt; vt cenſeatur fieri, vel non fieri contra illam Iudicis obligationem.

3. Not. tert. quòd Iudex in criminalibus poteſt conſiderari in duplici ſtatu, & in quolibet illorum dubitari poteſt; an ei ſit æquum opinionem probabilem ſectari, relicta probabiliori. Primò conſiderari poteſt Iudex, dum examinat teſtes, vel reum interrogat, delinquentem incarcerat, vel alia iudicialia agit præter hoc, quod ſit ſententiam pronuntiare; in hoc ergo ſtatu ſi dentur opiniones aſſerentes vna in tali, vel tali euentu non poſſe Iudicem Reum interrogare, quia ſufficientia indicia non præcedunt, aut infamia; docente alia opinione poſſe interrogationē fieri, quia indicia illa ſufficiētia reputantur à DD. illius opinionis; in hoc; inquam, ſtatu integrum eſt Iudici, opinionem minùs probabilem amplexari. In ſecūdo ſtatu poteſt Iudex conſiderari, dum videlicet ſententiam profert circa ius partiū ſuper aliquod factum, quod tamen non ſupponunt eſſe idem partes, ſed omninò diuerſum indè prouenięns, quod vtraque pars teſtimonijs, aut inſtrumentis ius ſibi competere probauit: in hoc ergo ſtatu tenetur Iudex meliorem probationem ſequi, hoc eſt illi rem applicare, qui melioribus teſtimonijs, & inſtrumentis probauit ſibi competere; vt diximus nu. 49. in fine: hæc verba ſunt Ioannis Sancij in ſelect. diſp. 44. n. 51. quæ hìc retuli ad oſtendendum diſcrimen inter opiniones, ſeù quæſtiones iuris, & quæſtiones facti. Videantur Sanch. in ſumm. lib. 1. c. 9. n. 44. Eminent. Lugo de iuſtit. diſp. 36. ſect. 10. n. 113. & Trullench. in oper. moral. lib. 8. c. 1. du. 6. n. 2.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. COmmune bonum Religionis poſtulat, vt in plectendis vitijs, ac flagitijs malorum Religioſorum ſpecialis modus obſeruetur. Suadetur ex indulto Bonifac. VIII. extenſo à Thom. à Ieſu de viſit. Regular. tr. 3. c. 1. in quo concedit, vt Regulares ſine ſtrepitu, & figura iudicij, rimulis, & apicibus iuris omnibus poſtpoſitis, ſuorum cauſas cognoſcant, & reddit rationem: Audiamus aliqua verba indulti. *Penſantes quoque, quòd, ſi Regularium perſonarum correctio rimas, & apices iuris ſequeretur, huiuſmodi vigor leteſceret, ac multiplici laxatione torperet. Nos veſtris pijs ſupplicationibus inclinati vobis authoritate Apoſtolica indulgemus, vt ad correctiones, ac punitiones fratrum eiuſdē Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis ſupradicti ad ea, quos ſpectare noſcūtur, rimulis iuris, & apicibus eius poſtpoſitis, liberè procedere valeant ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda Ordinis inſtituta* &c. Elicitur etiam ex doctrina Caiet. 2.2 q. 70. art. 2. Diſtinctio, inquit, illa de teſtibus, qui ſunt ſingulares, vel conteſtes regulariter habent locum, vt per ſingulares teſtes nullus damnetur, quia tamen multi ſingulares teſtes in factis iterabilibus violentem ſuſpicionem inducunt, vt ſi vnus vidit aliquem committere vnum furtum, & alius vidit eundem delinquentem commitere aliud furtum, & ſint teſtes omni exceptione maiores inter Regulares, quandò quis exiſtimatur aliàs tali vitio inuolutus, aut numerus multus talium teſtium cōcurrat, ſi arctatus non confitetur, inueniri videtur quandoque ſubſecuta condēnatio multorum Patrum conſilio fulta: & licèt hoc non ſit ſecundum iuris rigorem, vbi tamen abſque tormentis proceditur non tam ad puniendum, quàm ad ſalutem animæ, & regularis obſeruantiæ fauorem, tolerabile videtur, vt hæc probabilitas ſufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui ſunt Mūdo: qui tamen Reus non poteſt ad huiuſmodi ſententiam tolerandam cogi; deberet tamē ex huiuſmodi indicijs per tormenta, religioſa ſcilicet, veritas exquiri, vt ſententia non feratur niſi contra confeſſum, vel conuictum iuxta ſacros Canones: hæc Caiet. Cuius doctrinæ adhærent Sot. lib. 5. de iuſt. & iure q. 7. art. 2. Sanch. lib. 6. c. 5. du. 12. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 39. ſect. 3. nu. 18. Alder. de diſcipl. regular. lib. 1. c. 3. n. 18. Valent. to. 3. diſp. 5. q. 14. punct. 2. Aretin. in prax. criminal. c. 2. de numer. teſtium verſ. Tertium. Th. à Ieſu. vbi ſup. nu. 10. adhærent etiam Salon. 2.2. q. 70. contr. 1. concl. 3. art. 2. Sayr. lib. 12. c. 21. n. 19. nō tamen in delictis grauioribus, quæ afferunt ſecum infamiam, & grauem punitionem citra mortē. Et confirmatur ex

alia doctrina Aretin. & Thom. à Ieſu. loc. cit. qui eruditè quidem animaduertentes, quòd quandò numerus aliquis teſtium ſingulatium fide digniorum, putà quinquè, vel ſex conueniunt in deponendo actus quidem numero diſtinctos, ſed tamen eiuſdem ſpeciei, vt diuerſas ſollicitationes, diuerſas ſubornationes, cum huiuſmodi teſtes ſaltè in genere probent denuntiatum ſimili vitio infectum, etiam ſi ſint ſingulares, poſſunt Prælato ſufficere ad excipiendum à dignitatibus Prouincialatus, Definitoratus, Prioratus, ſiue Guardianatus, quàm quidem eſſe doctrinam communẽ docet Iul. Clar. qu. 53. ſed ſi agatur de iure communi; certum exiſtimandum eſt neminem pœna ordinaria per teſtes ſingulares poſſe damnari, vt communiter tenent DD. hæc DD. citati.

## SECVNDA CONCLVSIO.

5. IVdex regularis ad tuendum bonum commune Religionis, eiuſque decorem magis, ac magis propagandum, quandò opiniones verſantur circa quæſtiones iuris, poteſt tutè ſequi opinionem probabilẽ, relicta probabiliori. Suadetur quia ſi Medicus, Rex, ac Iudex, primus in adhibendis remedijs, ſecundus in indicendo bellum, tertius in iudicando res ciuiles, tenentur operari iuxta probabiliorem opinionẽ, ita bono communi petente, vt clarè probatum eſt in ſec. not. ergo Iudex regularis poterit vti opinione minùs probabili in quæſtionibus iuris ad tuendum commune bonũ conſiſtens non ſolùm in pacifico ſtatu, ac ſumma tranquillitate, ſed in decore perfectionis; Religiones enim ſunt ſchola perfectionis, cum ad illud propagandũ vti debent modo ſpeciali, vt habetur ex prima concl. aliàs mille delicta manerent impunita, & tandem ex delictis impunè commiſſis orirentur ſcandala illa, de quibus S. Auguſt. & S. Thom. in quæſito præcedenti.

Dices, argumentum non concludit, quia ſi Rex, Medicus, ac Iudex tenentur regulare ſuas actiones in ordine ad tuendum bonũ commune, vt dictum eſt ſuperiùs; nihilominus eligunt opiniones probabiliores; vndè nullum incommodum videtur inſurgere, quod non contingit in caſu; eliguntur enim opiniones minùs probabiles cum iniuria tertij. Reſp. quòd hæc materia opinionum, cùm ſint quædam ordinationes à DD. formatæ ſecundum rectam rationem ad inſtar legum, vt dixi ſuperiùs, ad regulandum non ſolùm bonum animæ, ſed etiam bonum totius Vniuerſi, debet regulari ad magis promouendum bonum commune; quò fit, vt modò probabiliores, & modò probabiles, ſecundum quod magis exigit felicitas & pax ſtatus, ſeligi poſſint; aliàs eſſent in deſtructionem boni communis; & cùm in caſu magis propagetur bonum commune adhærendo opinioni probabili, cum illa ſcandala, quantùm fieri poteſt, impediantur; ideò illæ poſſunt ſequi.

Suadetur ſecundò, & confirmatur reſponſio: obligatio ſeligendi opiniones probabiliores in Iudice, inquit Eminent. Lugo vbi ſupr. in ſec. not. oritur ex debito erga bonum Reipublicæ; & ideò, quandò iſtud petit, vt eligantur opiniones minus probabiles, poſſunt ſequi; & concludit Emin. Doctor, quòd præ oculis & habendum hoc bonum, vt cenſeatur fieri & non fieri: ſed in caſu bonum commune Religionis poſtulat, vt ſectentur à Iudice regulari opiniones minùs probabiles, vt patet ſuperiùs: igitur integrum erit Iudici adhærere opinioni minùs probabili. Tandem ſuadetur tertiò: nonne leges ex DD. in peccatis exceptis, ac difficillimæ probationis concedunt Iudicem multa pro veritate delicti perpetrati inueſtigare poſſe, quæ non concedunt in delictis ordinarijs? profectò videantur DD. Ratio, ne delicta impunita remaneant in læſionẽ boni cõmunis; vt ab omnibus in poſterum præcaueantur; quarè Iudex regularis per eaſdem rationes in fauorem boni communis Religionis non poterit, non dico relaxare rigorem ordinis iuris, ſed adhærere opinioni minùs probabili, præſertim ob cautionem, & circumſpectionem, qua committuntur delicta à Regularibus, quæ & poſſunt cadere ſub rationem difficillimæ probationis, vt experientia docent, & ſæpè multa ſunt in perniciem boni communis religioſæ communitatis? In hanc concluſionẽ conſpirant Ioann. Sancius vbi ſup. Sanch. in ſumm. lib. 1. c. 9. n. 43. referẽs Vaſquez, aliquo modo inclinat Sayr. lib. 1. c. 11. n. 9. Dian. verò part. 3. in additionem reſol. 13. cũ Trullench. inferiùs citand. fatetur doctrinam eſſe

pro-

probabilem; conſpirare etiam debent in noſtro caſu ferè omnes DD. in numero multi, quos citatos ſequitur Caſtr. Palaus. in opere morali tom. 1. diſp. 2. punct. 10. nu. 7. tenentes Iudicem poſſe ſequi opinionem minùs probabilem.

Quæ concluſio ſemper eſt intelligenda, quandò opiniones verſantur circa dubium iuris, non verò circa dubium facti; Iudex enim ex parte facti ſemper debet fauere Reo; ideò debet iudicare ſemper ſecundũ probabiliorem ſententiam, vt omnes DD. docent: intelligenda eſt etiam de Religioſis malis peccantibus ex contemptu, quorum malus odor ſentitur, quorumque mala vita à Superioribus dignoſcitur, licèt fortè non in iudicio; vndè exiſtimantur prudenter vitio, ſeù vitijs inuoluti: quò fit, vt hæc notitia prudens remittẽda ſit iudicio recto prudentis Iudicis: non de illis, qui aliquandò, data aliqua repentina occaſione, in aliquod peccatum labuntur, cum Religioſi fama multùm inſeruiat ad profectum ſpiritualem; & ideò, ſi non poſſunt hæc peccata celari, Iudex vtatur iure ex opinione probabiliori orto; bonum enim commune Religionis ita petit.

Pro fine concluſionis audiamus nonnulla verba Ioann. Sancij vbi ſupr. num. 52. quæ ſatis oſtendunt, vndenam conſiſtat concluſionis vis. In primo namquè, inquit, ſtatu de quo ſupr. in tert. not. opinionum varietas inuenitur aſſerentibus quibuſdam nefas fore Iudici interrogare de delinquente occulto, docentibus alijs id ſibi licere iuxta à nobis dicta diſp. 43. num. 39. in hoc igitur euentu integrum erit Iudici opinionem ſibi viſam minùs probabilem ſeligere, & iuxta illam de Reo interrogare, vel non: ſimiliter opinionem diſcrimen inuenitur: num vnicus teſtis omni exceptione maior conſtituat ſemiplenam probationem in cauſis criminalibus, docentibus quibuſdam vnicum teſtem non ſufficere, niſi coniungantur indicia, vel coniecturæ veriſimiles: alijs verò ſolùm teſtimonium vnius teſtis omni exceptione ſuperioris deſiderantibus, tunc poterit Iudex ad torturam Rei procedere, cũ vnius tantùm teſtis aſſertione quantumuis illa opinio viſa fuerit minùs probabilis: deindè opiniones circunferuntur variæ: num in cauſa capitali poſſit Iudex interrogare Reum ex præcepto illum obligando ad reſponſionem veritatis, quandò ſolùm delictum eſt ſemiprobatum iuxta dicta à nobis diſp. 34. num. 28. & 29. dicentibus quibuſdam id ſibi licere negantibus alijs: in hoc ergo euentu liberum erit Iudici interrogare Reum, quamuis illi videatur illud eſſe minùs probabile, vel è contrà, fas illi erit non interrogare, licèt oppoſitum ſibi probabile fuerit viſum: hæc Sancius.

Dices, ſunt plures iuris naturalis, & poſitiui regulæ, quæ obſeruari debent, ſcilicet in dubio fauendum eſt potiùs Reo, quàm actori; ad condemnandum Reum probationes debent eſſe luce clariores; & aliæ ſimiles, de quibus Iuriſtæ; ideò nequit Iudex, probabiliori neglecta, opinioni probabili adhærere. Reſp. cum Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 10. num. 113. illas eſſe intelligendas de dubio facti, & non de dubio iuris.

Dices, admiſſa doctrina, potius innocens, quàm nocens plectitur, quia per opinionem probabiliorem videtur innocens, licèt per probabilem nocens. Reſp. quòd probabiliter eſt nocens, idque ſufficit ad ſaluandum Iudicem, adhibita defenſione boni communis, quæ ſupplet defectum minoris probabilitatis, ſi defectus cenſendus eſt; & ideò maximo cum fundamento dixit Farinac. in prax. criminal. tom. 1. prim. part. qu. 19. de accuſ. num. 56. quòd opinio communis non attenditur, quandò contraria eſt rationabilior: præterquamquod, notã, poteſt dici, quòd probabilis opinio, quam ſequitur Iudex, ſemper erit probabilior, quia, adhibita illorum malorum Religioſorum vita, cuius malus odor ſentitur à Iudice, ex quo oritur quædam rationabilis præſumptio delicti commiſſi, adhibita illa parua differentia inter opiniones probabiles, & probabiliores, de qua Spinola vbi ſupr. adhibita etiam defenſione illa boni communis Religionis, quæ eſt propaganda à Iudice ex munere, oboritur opinionem minùs probabilẽ fieri probabiliorem, & debellare maiorem illam probabilitatem in contrarium.

Dices, Reus condemnatus poterit ſe appellare, & fortè à Iudice appellationis reuocabitur ſententia tanquam iniuſta, quia non benè fundata. Reſp. quòd, ſi huiuſmodi Iudex materiam regularem percipiet, &

intelliget, quòd opiniones ſunt quædam ordinationes ad bonum commune promouendum, vt dixi ſuperiùs, ſententiam quidem confirmabit; ſi in contrarium, lætetur Iudex inferior, quia ob bonum commune Religionis, & ob eius decorem aliquid patitur, quod meo iudicio maximi meriti erit apud Deum.

## PRO DVBIO XLVII.

*Sit praxis præcedentis doctrinæ in ſubſequenti caſu. Fuit formatus legitimè proceſſus à Iudice competenti cuiuſdam Religionis contra quendam Sacerdotem nomine N. & fuit vocata in teſtem mulier nomine Coriſca copulata in matrimonium, quæ tempore noctis in quadam domo, in qua nullus morabatur, commiſiſſe adulterium cum prædicto Sacerdote confeſſa eſt: quæritur, an dictum prædictæ mulieris ſit validum, itaut ea admitti poſsit in teſtem aduerſus Sacerdotem; ratio difficultatis eſt, quia eſt ſocia criminis; & an faciat inditium ad torturam.*

### SVMMARIVM.

1. *TEſtes inhabiles non admittuntur ad teſtificandum, in delictis tamen difficilis probationis non expelluntur.*

2. *Mulier ſocia criminis facit probationem in caſu propoſito: & quatuor diluuntur obiectiones.*

3. *Dictum prædicta mulieris non ſolùm eſt validum in caſu, ſed etiam facit indicium ad torturam: & tribus obiectionibus ſatisfit.*

Pro intelligentia nota, quòd ſumus in caſu, & quòd opinio probabilis circa dubium iuris poteſt admitti, quòdque ea vti poteſt Iudex regularis, & fortè debet, quia huiuſmodi Reus prætenſus eſt de illis, qui ex mẽdicata malitia peccant, de quibus Iudex regularis abſque indicijs proceſſus probabilẽ ſuſpicionem formare poteſt fuiſſe commiſſum adulterium.

1. Not. ſec. quòd regula generalis eſt, vt videre eſt apud Farinac. ex multis q. 62. num. 19. de teſtibus: teſtes inhabiles ad teſtificandum non admitti: hæc tamen doctrina habet limitationem, vt non procedat in factis, ac delictis, quæ ſunt difficilis probationis, prout eſt furtum, adulterium, partus ſuppoſitus, ſimulatio, fraus, & dolus, &c. vt rectè notarunt Carrer. Maſcard. & alij, quos citatos ſequitur Farinac. loc. cit. n. 28. quia in his caſibus veritas per alios haberi non poteſt. Vt autem dicatur veritatẽ aliter haberi non poſſe inquit Farin. loc. cit. n. 55. non ſolùm eſt quandò delictum, & negotiũ eſt de ſui natura tale, vt ſit difficilis probationis; ſed etiam habetur ex ratione temporis, & loci; ratione temporis, inquam, vt ſi ſit commiſſum nocturno tempore. Ita multi DD. quos refert, & ſequitur Farinac. loc. citat. num. 33. cum quadam limitatione adducta à Boſſio; vide ibi: ratione loci inquam, vt putà, ſi agatur de commiſſis in eremo, in nemore, in monte, aut in alio loco ſecreto, tunc inhabiles admittuntur ad teſtificandum eadem ratione, quia ſcilicet per alios veritas ratione loci haberi non poteſt. Ita Farinac. loc. cit. num. 55. referens Gloſſ. Hoſtienſ. Ioann. Andr. Gomez. Carrer. & alios, qui ſubdit n. 56. è cõtra, quandò ſumus in facto, ſeù delicto commiſſo de die in villa, ſeù Ciuitate, ac in via; ſeù alio loco publico, non admittuntur teſtes inhabiles, quia eadem ratione loci, & temporis non ſumus in caſu, in quo poſſit dici veritatem aliter haberi non poſſe, & citat Anton. Gomez, & facit regula, quòd contrariorum eadem eſt diſciplina: & n. 62. explicat, quomodò intelligatur, quandò dicatur veritatem aliter haberi non poſſe, quod non oritur ex eo, quod in facto, de cuius probatione agitur, alij teſtes actu non interuenerint, & niſi idem factum, vel de ſui natura, vel ratione loci, & temporis tale ſit, vt veriſimiliter alij teſtes habitu interuenire nõ potuerunt, prout in criminalibus coniuratio, conſpiratio, hæreſis, furtum, adulteriũ, & his ſimilia difficilis probationis; in ijs, inquam, caſibus admittuntur teſtes inhabiles; ſecus in alijs, in quibus & ſi alij teſtes actu nõ interuenerint; habitu tamen interuenire potuerunt, prout eſt homicidium, violentia, iniuria, & his ſimilia, & refert DD. multitudinẽ.

PRI-

*PRIMA CONCLVSIO.*

2\. Dicimus prædictæ Coriſcę adulteræ dictũ eſſe validũ, ita vt ea in teſtem aduerſus nominatũ Religioſum vocari poteſt, eſto ſit ſocia criminis. Suadetur ex hoc, quia eſt adultera, & iſtud crimen eſt de illis, quæ fiunt abditè, & occultè, & ita euenit, vt ſit difficilis probationis. Ita Maſcard. de probat. lib. 1. concl. 57. n. 7. referens textum, vnà cum multis DD. concordat ex multis Farinac. de delict. carnis qu. 36. n. 4. dum concludit, quòd adulterium, & copula carnis probatur præſumptionibus, & coniecturis, afferteque rationem, quia carnalis copula eſt difficilis probationis; idem ex Menoch. ac alijs adductis de teſtibus qu. 62. n. 28. dicit: quò fit, vt in caſibus difficilis probationis ſocius criminis admittatur in teſtem, vt multi, & multi DD. docent apud Farin. de indic. & tortur. quæſt. 43. num. 68., quod ipſe non negat, cum limitatione tamen, & Maſcard. lib. 3. de probationib. concluſ. 1152. num. 27. ex Decio teſtatur ita eſſe communem regulam; ideò rectè prædicta mulier aduerſus Sacerdotem poteſt vocari in teſtem, licèt ſit ſocia criminis: & nota, quòd delictum commiſſum non ſolùm eſt ex ſui natura difficilis probationis, ſed etiam eſt tale ratione temporis, quia commiſſum nocturno tempore, & ratione loci, quia in domo ad quam de raro homines accedunt; vndè actu teſtes habiles non fuerunt, nec habitu, quia veriſimiliter non potuerunt eſſe.

Dices, licèt veriſſimum ſit, quòd teſtis inhabilis, & etiam ſocius criminis in caſibus difficilis probationis poſſit eſſe teſtis, vt optimè probant DD. citati; nihilominus non ſunt integræ fidei, & omni exceptione maiores, & proptereà non plenam, ſed qualem, qualem faciunt probationem. Ita ex multis Farinac. de teſtibus quæſt. 62. num. 73. Reſpond. quòd pro defenſione boni communis Religionis, eiuſque decoris in caſu, de quo agitur, non mihi placet huiuſmodi doctrina, ſed cenſeo eſſe admittendã doctrinam contrariam, quam ſequuntur Dec. Gabriel. Ferran. Gaigiar. Gig. Manticell. Maſcard. Carrer. relati à Farinac. ſup. num. 74. docentes, teſtes inhabiles admiſſos reputandos eſſe integræ fidei: quæ doctrina ita explicatur à Maſcardo de probat. lib. 1. concl. 124. num. 44. & ſeq. dicit, inquam, Maſcardus, quòd ſi ſumus in facto, in quo non ſolùm teſtes alij non interuenerint, ſed de ſui natura, & ſic habitu à communiter accidentibus interuenire non potuerint, tunc inhabiles teſtes admiſſi reputantur integræ fidei, & omni exceptione maiores: ſecus ſi ſumus in facto, in quo, licèt alij teſtes actu non interuenerint, habitu tamen interuenire potuerint, tunc inhabiles non ſunt cenſendi integri omninò, ac fideles, ſed his de fide diminuendum eſt: & hanc doctrinam ante Maſcard. teſte eodem Farinac. ſup. n. 76. poſuerunt Felin. in c. Tertio loco n. 3. verſ. Sed iſtud extr. de probat. Dec. in conſ. 342. n. 32. verſ. Ex quo ampliatur. & n. 50. & ſeq. Hæc diſtinctio non placet Farinacio, vt videre eſt apud ipſum n. 78. ſed malè, quia eius doctrina pro concordia opinionum multùm laborat, vt intelligenti ſemper videbitur.

Dices, videtur magis verior opinio contraria, vt videre eſt apud DD. Reſp. quòd, licèt eſſet verum, quod dicitur, in noſtro tamen caſu erit conueniens ad tuendum bonum commune Religionis, eiuſque decorẽ, qui per huiuſmodi homines labefactatur, & poteſt magis labefactari, quia peccant ex contemptu, ſequi opinionem minùs probabilem, vt dixi in præcedenti quæſito. Dixi (quòd licèt eſſet verũ, quod dicitur) ad inſinuandum falſum eſſe, quòd ſit opinio verior; noſtra enim, quam ſequimur, verior eſt, vt videre eſt apud Sanch. in conſil. lib. 6. c. 5. dub. 15. in quo quærit Doctor: an eſſe ſocium criminis ſit circunſtantia, ob quam teſtis ſit illigitimus, vtramque opinionem tam negatiuam, quàm affirmatiuam tangit, & concludit: altera opinio verior tenet in dictis caſibus, quibus ſocius poſſit eſſe teſtis, ipſum ſocium eſſe integrum teſtem, & ſufficere ad torturam. Ratio eſt, quia defectus teſtium habentur ex ipſo iure: ergo in caſibus, quibus ius ſtatuit eſſe admittendos cum tali defectu, eſt ſignum tollere defectus, & reddere eos habiles, & legitimos. Ita tenent, ſubdit, Panorm. Cynus. Ioann. de Imola, quos refert. & ſequitur Anton. Gomez. tom. 3. variar. cap. 12.

nu.

num. 18. Ex hac doctrina optimè ſequitur, quòd huiuſmodi Coriſca, eſto ſit ſocia criminis, ſit legitimus teſtis etiam abſque tortura, quidquid dicant in contrarium multi DD. quos citatos ſequitur Farinac. de indic. & tort. q. 43. n. 134. nam, cum tortura detur ad purgãdam infamiã teſtium inhabilium, quæ infamia tollitur per ipſum ius, virtute cuius admittuntur in teſtes, conſequenter non indigent purgatione torturæ: & ita præter D.D. relatos, hanc doctrinam ſuſtinent Chaſſa. Simanz. relati à Claro lib. 1. §. fin. qu. 21. verſ. ſicut etiam & alij per Maſcard. concl. 857. n. 33. & per Decian. conſ. 18. n. 70. lib. 1. & hanc doctrinam neceſſariò debent ſequi Regulares, quia ex indulto Boniſac. VIII. eximuntur ab his apicibus iuris, ſicut notum eſt Iudicibus Religionum; vndè Franciſcus Aretin. in practic. criminal. de modo proced. c. 2. ex huiuſmodi indulto per extenſum relato, concludit hæc verba. Item poterit Prælatus virtute talium verborum admittere teſtes, & perſonas à iure reprobatas, putà relegatas, & infames, quia infamia eſt de iure poſitiuo. c. Per tuas. extr. de Simon. Ita tradit D. Antonin. & Silu. vbi ſupr. hæc Aretin. videatur Bouerius in Directorio fori iudicialis c. 21. poſt princip. & Philipp. de Bictis in comp. cauſ. iudic. Reg. qu. 39. n. 21. qui pro hac opinione refert Franc. Caſon. in trat. de tormentis cap. 11. de non torquend. Cler. n. 12. vbi teſtatur de communi, & ait, quod ita notant omnes in cap. Teſtimon. de teſtib. Farin. qu. 62. n. 370.

Dices, nequeunt admitti laici ad teſtificandum iudicialiter contra Regulares in criminal. habetur ex c. de Cętero, de teſtibus, vbi dicitur. *De cætero laicus ad accuſationem, vel teſtimonium contra Clericum in criminali cauſa non eſt aliquatenus admittendus, niſi fortè ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequatur; nec tunc etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſationem poteſt admitti*: ex c. Teſtimonium 11. q. 1. quod ſic habet: *Teſtimonium laici aduerſus Clericum nemo recipiat*: circa quæ iura notat Rodriq. inferiùs citãd. quòd, licèt ea in ſpecie loquantur ſolùm de Clericis, extenduntur tamen etiam ad Religioſos, cum ea ſint fauorabilia, & in fauorabilibus nomine Clericorum veniunt etiã Religioſi. Reſp. quòd, licèt doctrina tradita communiter ſit veriſſima, vt videre eſt apud Farinac de teſtib. qu. 61. n. 98. & apud Barboſ. in collect. DD. c. de Cætero de teſtibus. nihilominus, quandò delictum eſſet commiſſum, vbi non eſſent alij Regulares, ſiue eiuſdem, ſiue alterius Ordinis, tunc etiam laici poſſunt admitti ad teſtificãdum, ne alioquin Regulares liberiùs delinquant coram ſæcularibus commiſſi delicti impunitatem ſibi promittentes: ſiquidem ad hoc, vt veritas inueniatur, quæ alioquin non poſſet indagari; conceditur id, quod aliàs non concederetur, ſicque poteſt recedi à regulis iuris communis, vt rectè aduertit Rodriq. qq. Regular. tom. 2. qu. 10. art. 5. ex Hippolit. ad quod facit etiam doctrina, quam tradit Leſſius lib. 2. c. 30. n. 41. ex c. fin. de teſtibus dicens, teſtes minùs idoneos admitti, quam idoneos, quandò delictum eſt commiſſum eo loco, vel tempore, vbi copia teſtium haberi nequit, vt in campo, ſylua, cubiculo, mõte, vel nocturno tempore: videantur Maſcard. concl. 1358. n. 49. Farinac. de teſtib. qu. 61. p. 107. ex multis admittentes noſtram doctrinam: Idem dic de mulieribus, & videatur Barboſ. in collect. DD. de teſtibus c. Quoniam. vbi ſic habet: quòd, licèt in criminalibus mulieres, & laici non ſint idonei teſtes contra Clericos, vbi tamen ex natura negotij veritas actu, & habitu ſciri non poteſt, aliter quàm per laicos, tunc ſunt idonei teſtes, vt per Viu. tom. 1. commun. opinion. lib. 4. tit. 10. n. 131. pag. 525. verſ. Immò ſublimatur. Tiraquel. in tract. le morte. part. 6. declarat. 1. n. 14. nam mulier in criminal. cauſa in defectum probationis admittit poteſt, vt per Alex. hæc Barboſ. Concordant Riccius inferiùs citãdus, & Fregoſ. de regimin. Chriſt. Reipubl. part. 2. lib. 2. diſp. 25. §. 4. num. 3. referens Abb. & Alderet. lib. 2. c. 3. n. 14. 15. audiamus etiam Franc. Aretin. in practic. criminal. de teſtib. c. 1. verſ Quintò: Obſeruandum eſt, quòd apud Regulares nõ ſunt omnes, & ſingulæ commemoratæ conditiones neceſſariæ: cum enim huiuſmodi inhabilitates ſint, vt plurimũ inductæ à iure ciuili, & canonico, ſicque ſint iuris ſolemnitates; & huiuſmodi iuris apices, & ſolemnitates in puniendis fratrum exceſſibus non ſint obſeruandæ, vt ſupra dictum eſt in c. 2. ne huiuſmodi priuilegium aditum maiorem

vt aiunt

vt aiunt, præbeat admittendi criminaq; id totum Iudicis arbitrio erit relinquendum; vt in simili loquit. Panormit. in c. De cætero. de teſtibus, & maximè cum S. Antonin. & Silu. vt dictum fuit ſup. c. 21. de modo procedendi; hi ergo volunt, quòd Prælati poſſint admittere teſtes aliàs inhabiles, & infames; & certè ſi in Religione admitterentur huiuſmodi teſtium inhabilitates maximè mulierum, & laicorum, ferè Fratrum infinita crimina remanerent impunita; imò animum ſumerent quamplurimi Fratres perpetrandi multa crimina, præſertim carnalia, & inhoneſta in grauiſſimam perniciem tum Religionis, tum animarum ipſorum Fratrũ: hæc Aretin.

2\. Dices, prædicta mulier habetur tanquam meretrix: Reſp. quòd hoc eſt probandum: hoc etiam admiſſo, dico, quòd, licèt ob infamiam nequeat admitti in teſtem, in Religionibus tamen totum hoc pendet ab arbitrio Iudicis regularis, vt dixi ſuperiùs, vndè quandò admitteretur in teſtem in caſu, ſemper erit arbitrium regularum, quia regula illa, quòd meretrix non vocatur in teſtem, non intelligitur de peccatis, de quibus veritas per alios meliùs non poteſt, quàm per lenones, & meretrices haberi; in iis enim delictis admittuntur, vt ex multis docet Farinac. de teſtibus qu. 16. n. 369. vide etiã ea, quæ dicit idem Farinac. loc. cit. qu. 60. num. 80. & ſeqq.

Dices, à teſtibus iuramentum exigendũ eſt c. Tuis. c. Nuper. de teſtib. non enim teſti non iurato creditur, aut is vllum indiciũ in iudicio præſtat c. Hortamur 3. q. 9. Farin. de teſtib. q. 74. n. 1. cũ ergo hæc mulier iuramẽtũ nõ præſtiterit, quia Prælatus regularis nullã habet authoritatẽ ab ea exigẽdi iuramẽtum; ideò eius dictum nullius roboris videtur eſſe. Reſp. quòd, licèt veriſſimum ſit, quòd nulla fides adhibenda eſt teſti non iurato, & quòd Iudex regularis nequit exigere iuramentum à ſæculari; nihilominus ſi requiſitus iurare conſentiat, iuramentum valebit, & ipſius teſtimonium legitimum ex Iudicis acceptione cenſebitur, vt optimè putat Inciſa tract. 7. de teſtibus. c. 6. & Bouer. in direct. regular. c. 29. & ita factum eſt in caſu; imò ſub hac præſcripta forma poteſt ſubijci tormentis Regularium, quia hoc ipſo, quod vir ſæcularis in caſu permiſſo accepta teſtificari coram Iudice regulari, ſe eius iuriſdictioni ſubijcit, eique fit ſubditus ratione fori iudicialis; tum quia qui vult formam, debet velle conſequentia ad formam, tum quia qui vult antecedens, non poteſt nõ velle & conſequens neceſſariò connexũ cum eo, ſicq; non ſequitur in præſenti caſu torqueri alienum ſubditum, iuriſdictionemq. exerceri in non ſubditum, cum ſæcularis teſtificans coram Iudice regulari ei verè fiat ſubditus, licèt voluntariè.

## SECVNDA CONCLVSIO.

3\. NOn ſolùm prædictæ mulieris dictũ cenſendum eſt validum, ſed etiam aſſerendum in caſu facere indicium ad torturam. Ratio videtur clara, quia, cum in delictis occultis, & difficilis probationis, & in quibus veritas aliter haberi non poteſt, quàm per ſocios criminis, ſufficiant leuiora indicia, vt ex communi DD. ſententia tradit Farinac. de indic. & tortur. quæſt. 37. num. 150. idcircò ſocium criminis admitti in teſtem, & conſequenter ex illius dicto oriri indicium ad torturam contra nominatum per text. cap. fin. extr. de teſtib. cogend. affirmarunt poſt alios, quos allegat Mar. in l. 1. §. Diuus Antonin. in fin. num. 21. ff. de quæſt. Carrer. in pract. criminal. in 2. tract. de indic. & tortur. §. Octauum indicium num. 12. Dec. conſ. 342. num. 3. & quamplurimi alij, quos refert Farinac. loc. cit. quæſt. 43. num. 68. 69. & Carrer. loc. citat. videatur etiam Aloyſ. Riccius p. 2. deciſ. 232. num. 9. & ſeq. id ex multis probans, & in caſu criminis adulterij ſpecialiter id dixerunt Paul. de Caſtr. in conſ. 348. incip. Notandum, quòd adulterium. ad fin. num. 3. lib. 1. Io. Mar. Monticel. reg. crim. 4. num. 18. iunct. num. 30. Maſcard. de probat. lib. 1. concl. 158. num. 4. & concl. 56. num. 14. eod. lib. apud Farinac. loc. cit. num. 78. Et roboratur hæc concluſio cum omnibus alijs DD. quos ſup. retuli dicentibus, quòd ſocij criminis, cum à iure ob difficultatem probationis admittantur in teſtes, reputandi ſunt idonei, & omni exceptione maiores; & cum huiuſmodi teſtes faciant ſemiplenam probationẽ, & indicium ad torturam; ideò dictum mulieris facit indicium ad torturam contra nominatum.

Dices

Dices, dictum mulieris nequit eſſe ſufficiens ad inferendam torturam, quia, licèt opinio concluſionis pro defenſione Religionis in tali prætenſo Reo poſſit admitti, nihilominus eſt aduertendum, quòd ad torquendos Clericos, & Regulares debent præcedere indicia grauiora, & vrgentiora, quàm ea, quæ à iure requiruntur in tortura laicorũ propter illam ſpecialem bonitatis præſumptionem, quam pro ſe habent Clerici, & Religioſi. Ita Farinac. vbi ſupr. qu. 41. n. 9. referens Granuq. quod non contingit in caſu. Reſp. quòd opinionem Farinacij communiter non ſequũtur Regulares, vt videre eſt apud eorum ſcriptores ſcribentes de hac materia, vt Sanch. in conſil. lib. 6. c. 8. dub. 2. Aretin. in prax. crimin. de tortura Reorum c. 6. de cit. Rei, & incarc. ſed ſupponunt ſemiplenam probationem ſufficere ad torturam: audiamus, quæſo, Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 12. n. 32. Addunt DD. inquit, etiam inter Regulares poſſe habere locum torturam; quandò ſubditus eſt ſemiplenè non tamen plenè conuictus, & adhuc negat delictum. Ita Bernard. Diaz. dict. c. 125. & 126. ibi Salzed. D. Antonin. 3. part. tit. 9. ca. 71. §. 4. Silu. Inquiſio 2. dict. queſt. & Armill. verbo Inquiſitio. n. 12. quamuis aliqui ex his non loquantur in ſpecie de Regularibus, ſed generatim de Clericis, ſub quibus perſonas Eccleſiaſticas, & conſequenter Regulares comprehendunt: Addamus etiã ſenſum Bouetij vbi ſup. c. 36. Tertiò ait, Reis tormenta adhiberi non poſſe, niſi ſemiplena ſaltem delicti probatio; vel indicia grauia ſemiplenæ probationi æquipollentia, ac legitimè probata ex proceſſu conſtent, quæ eſt certiſſima omnium Canoniſtarum, ac Theologorum aſſertio, quam tradunt Clarus, Gomez. Miranda, Inciſa, Aretinus, Leſſius, & reliqui: ea verò ſemiplena probatio cenſetur iuxta gloſſam in l. 3. C. ad legem Iuliam maieſtat. Bartolum, Panomit. & reliquos, quæ fit per dictum vnius teſtis ſingularis omni exceptione maioris aſſerentis delictum de viſu: hæc Bouerius. Præterquamquòd poteſt etiam dici, quòd in caſu opinio Farinacij non paruipenditur; ipſe enim dicit, illa maiora indicia requiri ob ſpecialem bonitatis præſumptionem, hac ablata, quæ de facto aufertur, quia Reus prætenſus eſt de illis, quorum vita non correſpondet dignitati ſaltem quoad præſumptionem; ideò non negligitur.

Dices ad hoc, vt iuſtè torqueatur prætenſus Reus, eius infamia delicti commiſſi debet præcedere, vt dicunt multi DD. apud Farinac. de indic. & tortur. qu. 41. n. 6. & apud Sanch. in conſil. lib. 6. dub. 5. n. 8. quod non contingit in caſu. Reſp. quòd opinio iſta non eſt ſequenda, vt optimè docet Farinac. loc. cit. n. 7. & Sanch. loc. cit. ex multis n. 9. Ratio eſt, quia Clar. dicit, quòd in praxi hoc non ſeruatur, & quia nullibi legimus circa hoc Clericos eſſe aliquo priuilegio munitos: videatur etiam Aretin. vbi ſupr.

Dices (& per hoc tota machina huius conſilij in fauorem Rei deſtruitur) prædicta Coriſca exculpauit ipſum Religioſum, vt patet ex ipſo proceſſu: exculpatio enim, inquit Farinac. de indic. & tortur. qu. 43. n. 17. ſocij criminis prodeſt Reo exculpato, & eſt res apud me indubitata: & paulò inferiùs. Si verò Reus non eſt plenè conuictus, ſed tantummodò indiciatus ad torturam, tunc per iſtam exculpationem ſocij criminis pariter crederem adeò fuiſſe debilitata dicta indicia, vt torqueri ex illis minimè poſſit Reus, & refert multos. Reſponſio non eſt petenda ab alio, quàm ab ipſo Farinac. loc. cit. n. 23. qui vnà cum Felin. & Maſcard. & alijs inquit: Verùm vbi præſumptio eſt ſubornationis, prout contingit in eo, qui non exiſtens in manibus curiæ, ſed in longinquis partibus ſcribit, & fidem facit, quod putà Titius inquiſitus re vera non interuenit in delicto per ipſum commiſſo; vel quòd non Titius, ſed ipſe commiſit delictum; tunc, inquam, talis exculpatio nihil prorſus proderit ipſi inquiſito, tum quia eſt ſuſpecta, & procurata, tum quia facta informiter ſine iuramento, & extrà iudiciũ: quò fit, vt cum exculpatio mulieris non ſolùm ſit ſuſpecta ſubornationis, quia non eſt in manibus curiæ, ſed clarè procurata à parte, vt ipſa fatetur, ideò nihil debeat prodeſſe inquiſito. Quòd ſi fortè dicatur, quòd huiuſmodi exculpatio fuit facta cum iuramento; proindè depoſitioni ob iuramentũ non tanta eſt adhibenda fides, vt vult idem Farinac. de teſtib. qu. 65. n. 251. Reſp. quòd hæc diminuta fides non aufert ſufficiens fundamentum tortorandi prætenſum

Reum,

Reum, quia in caſu ob rationes ſuperiùs recitatas dictum Coriſcæ eſt omni exceptione maius, maximè adhibitis indicijs, prout in proceſſu: ſed melior reſponſio; cum iuramentum ſequatur naturam principalis, quia illi adhæret, principali corruente, acceſſorium etiam corruit: exculpatio quidem nihil prodeſt exculpato, vt dictum eſt, conſequenter nec iuramentum debet prodeſſe.

Pro fine addo, quòd, licèt doctrina poſſit tutè ſequi in Religionis fauorem; nihilominus puto pro Rei ſatisfactione, quòd non admittatur in praxi, niſi dictum mulieris adminiculetur aliquo indicio etiam remoto, & ſufficit; quòd ſit probatum ſemiplenè.

## DVBIVM XXXXVIII.

*An delicta occulta huiuſmodi hominum ſint denuntianda Prelato tanquam Iudici abſque preuia infamia, & abſque preuia correctione fraterna.*

### S V M M A R I V M.

1. *Abſque præcedenti infamia delicta occulta prædictorum Religioſorum poſſunt iuſtè manifeſtari Prælato tanquam Iudici: & propoſitæ obiectioni ſatisfit.*

2. *Non præmiſſa correctione fraterna, eadem delicta prout ſupra poſſunt à ſubditis Prælato tanquam Iudici manifeſtari: & duæ obiectiones diluuntur.*

3. *Huiuſmdi delicta, licèt non ſint plenè probata, poſſunt plecti pœna extraordinaria; & multa aduertuntur.*

Duas habet partes titulus quæſiti, quarum prima pro parte negatiua defenditur à Leſſio de iuſtit. cap. 29. num. 111. vbi dicit, quòd multi hac in re peccant per ignorantiam; non enim poſſunt delicta occulta fratris aperiri Prælato tanquam Iudici, niſi priùs præcedat infamia, quam opinionem ſequuntur Nauarr. Malder. citati ab Emin. Lugo inferiùs citando: quid ſit tenendum in caſu noſtro per ſubſequentem concluſionem explicatur, & loquimur de peccatis, licèt non ſint in damnum communitatis, vel tertij.

### PRIMA CONCLVSIO.

1. Delicta occulta prædictorum Religioſorum prout in præcedentibus quæſitis tutè poſſunt propalari Prælato tanquam Iudici abſque eo, quòd de eorum delictis infamia præcedat, vt ſecundum viam iuris ad publicam punitionem procedat. Concluſio elicitur ex Suar. 4. de Religion. lib. 10. c. 12. nu. 35 Emin. Lugo de iuſt. to. 2 diſp 37. ſect. 7. nu. 78. referente Filliuc. qui alios citat, ex Molin. tom. 5. tract. 4. diſp. 32. nu. 6. Ratio eſt, quia ſicut propter bonum cõmune quilibet fruitur poteſtate, ac facultate accuſandi iudicialiter, quæ probare poteſt; ita eadem facultate potitur denuntiandi abſque malitia detractionis; expedit enim bono publico, vt omnibus hæc poteſtas detur; generatim enim loquendo infamia, & punitio, quæ priuato infertur, abunde compenſati videtur exemplo publico, & timore, qui alijs inijcitur, per quem ſibi a peccando cauent; vndè eſſet maxime contra bonum publicum Religionis, ſi hæc poteſtas omnibus non daretur; nam huiuſmodi Religioſi mali, qui loca ſecreta quærunt ad delicta committenda, impunè peccarent, & abſque metu pœnæ, ſi ſcirent non poſſe denuntiari ſua delicta, niſi priùs eſſent diffamata.

Dices, Iudex non poteſt inquirere de occultis, præſertim quandò non ſolùm author, ſed crimen eſt occultum; niſi præcedente infamia: ergo neque ſubditus abſque præuia infamia nequit denuntiare. Reſp. habetur ex Emin. Lugo loc. cit. nu. 78. qui habet hæc verba. Maio em, inquis, habent licentiam ſubditi ad denuntiandum, quàm Iudices ad inquirendum; ſic enim, qui accipit iniuriam ab alio, poteſt ſine dubio eum accuſare; non tamen poteſt regulariter obligari à Iudice ad accuſandum: rationem autẽ à priori illius diſcriminis inſinuauimus ſupra, quia nimirum eſſet pernicioſa in Iudice illa licentia; nullum enim eſſet delictum occultum; poſſet quippè Iudex præcepto ſuo obligare, vt omnia delicta etiam occulta manifeſtarentur; hæc autem magna eſſet perturbatio in Republica, ſi omnia peccata etiam occulta punirentur; quis enim eſt innocens etiam ab occultis? hoc autem

 incon-

inconueniens non ſequitur ex eo, quòd quilibet poſſit denuntiare, quæ poſſunt probari, licèt ſint adhuc occulta, quia ex hoc non fit, quòd omnia publicentur, ſed aliqua: ſæpius enim, qui ſciunt, non denuntiant; vel quia ſunt amici; vel quia non pertinet ad ipſos ex officio; vel alijs de cauſis, quod tamen poſſint, eſt valdè vtile ad inijciendum metum ipſis delinquentibus, & ad coercendam eorum impudentiam: meritò ergo conceditur hæc licentia denuntiandi, licèt negetur ad inquirendum ſpecialiter ante infamiā: hæc Eminent. Lugo.

Secunda pars tituli pro parte negatiua defenditur à Siiu. tit. Accuſatio §. 3. à Durand. in 4. diſtinct. 19. qu. 4. Sot. de iuſtitia, qu. 5. artt. 5. & qu. 6. art. 2. ex modernis à Sanch. in conſ. lib. 6. c. 2. dub 5. num. 13. à Leſſio vbi ſupr. c. 30. dub. 2. à Filliuc. vbi ſupr. c. 7. q. 2. à Suar. dicto c. 12. num. 36. & à Trullench. lib. 8. c. 3. dub 3. nu. 3. in decal. verum quatuor vltimi authores aſſerunt non debere præmitti correctionem ex debito iuſtitiæ, ſed ex obligatione charitatis: in caſu noſtro quid ſit ſentiendum, extenditur per hanc ſecundam concluſionem.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

2. DElicta occulta prædictorum hominum abſque præuia correctione poſſunt à ſubditis propalari Prælato tanquam Iudici, vt de eis debitam ſumat vindictam. Concluſionis doctrina habetur ex doctrinis Azorij tom. 3. inſtitut. moral lib. 13. c. 21. dub. 7. & 9. Valent. in præſenti diſp. diſp. 5. q. 12. punct. 1. qu. 3. Sayr. in Clau. Reg. lib. 12. c. 10. Nauarr. in man. c. 18 nu. 30. Adrian. in 4. de correct. frat. c. 17. ad Secund. Franc. Aret. in pract. par. 2. c. 9 verſ. Secundo denuntiatio, car. 58. Emin. Lugo vbi ſupr. n. 79. aſſerentis etiam in hāc opinionem inclinare S. Thom. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. quæſtiuncula. 5. ab hac opinione non recedit Diana part 7. tract. 3. de correct. fratern. reſol. 55. dum dicit omninò eſſe videndum Emin. Lugo. Suadetur ex verbis Emin. Lugo num. 80. qui ita loquitur. Diuerſus eſt enim valdè finis correctionis fraternæ, & accuſationis, ſeu denuntiationis iudicialis; nam per correctionē ſolùm intenditur, quòd proximus emendetur; per denuntiationem verò, & accuſationem, quòd puniatur, vel ſatisfaciat Reipublicæ: ergo per ſe loquendo non habent hæc duo ſubordinationem inter ſe; vndè etiamſi per correctionem fraternam proximus fuerit emendatus, adhuc poterit accuſari, vel denuntiari ad hoc, vt puniatur; nam Iudex adhuc licitè illum punire poteſt; ergo ſic etiam poterit licitè procurari, quod puniatur, idem enim eſſet bonum, quòd intendit Iudex puniendo, & quod tu intendis denuntiando; ſcilicet, quod puniantur delicta, vt timore ſupplicij homines coerceātur, & timeant ea perpetrare: diſcrimen eſt, quòd Iudex tenetur punire, ſubditus autem non sēper tenetur denuntiare, quia ex officio non debet procurare illud bonum: cæterum vterque intendit idem bonum; quarè, cum illud ſit tale bonum, cui poſtponi poſſit fama proximi, bènè poterit ſubditus denuntiare illum non præmiſſa monitione, quia ſi hæc vtilis eſt ad emendationem fratris, poteſt adhiberi poſt denuntiationem, poterit etiam fortaſsè ſæpè omninò prætermitti, quia meliùs, & fructuoſiùs corripietur à Superiore, cui denuntiandus eſt, quàm à ſubdito: hæc Lugo, qui loquitur generaliter de omnibus, quod non audemus āſſerere, ſed tantùm de malis hominibus, prout in præcedentibus quæſitis ad obſtandum, quantùm fieri poteſt, ſcandalis illis, quę cuilibet Religioni imminent.

Dices, teneor ex charitate procurare bonum proximi cum minori eius diſpendio; ergo, ſi per monitionem ſecretam ſperatur eius correctio, nō poſſum adhibere denuntiationem. Reſp. quòd in caſu, de quo eſt ſermo, non multùm vrget obiectio, quia loquimur de Religioſis lapſis, de quibus difficilè ſperatur correctio; quò fit, vt rectè bono priuato huiuſmodi hominum bonum cōmune Religionis, cui imminet magnum detrimentū, præponendum ſit: ſed addamus reſponſionē Eminent. Lugo verè auream: Sed contra, inquit, quia hac ratione probaretur, non poſſe etiam accuſari proximum, quandò delictum eſt publicum, ſi ſperetur corrigendus per monitionem ſecretam. Reſp. ergo, quandò denuntiatio adhiberetur ſolùm ad bonum ipſius proximi, tunc ſi ſperaretur ęquè benè illud bonum per ſecretam monitionem debere quidem præmitti: cæterum in noſtro caſu denuntiatio nō cedit ad ſolū bonū proximi, ſed ad bonū cōmune, quod quidē poſſum præferre illi bono proximi, licèt non ſemper tenear, quia bonum illud cōmune nō ſemper

eſt

eſt adeò neceſſarium, vt obliget omnes ad denuntiandum, vel accuſandum.

Dices, habetur lex de præmittenda monitione à Chriſto Domino Matth. 18. Reſp. quòd ibi eſt ſermo de denuntiatione, quæ fit ſolùm ad lucrandum fratrem, in qua, vt diximus, attenditur ſolùm ad bonum illius; non tamen de illa, quæ fit propter bonum ſuperiùs, quale eſt bonum commune: præterquamquod poſſet etiam dici, quòd locus Matthæi ſolùm intelligitur de delictis contra ipſum denuntiantem, vt intelligunt multi Patres apud Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 7. a. n. 7. Adde aliam reſponſionem S. Bonau. & aliorum aſſerentium, quòd ibi non eſt præceptum, ſed conſilium illius ordinis ſeruandi: vide doctrin. apud Suar. loc. cit. n. 9.

Dices, jus canonicum prohibet admitti denuntiationem, niſi præcedente monitione, vt in c. Nouit. de iudicijs, c. Qualiter, & quandò. 24. de accuſationib. & cum res Regularium ſint regulandæ iuxta præſcriptum à iure canonico, ſequitur in quocumque caſu eſſe præmittendam correctionem fraternam. Reſp. quòd, cum hoc fuerit introductum à iure canonico, inquit Emin. Lugo loc. cit. n. 73. ad vitandas nimias calumnias in foro Eccleſiaſtico, & cum huiuſmodi finis in caſu noſtro omninò ceſſet, vt de ſe patet, quia loquimur de hominibus, de quibus facilè poteſt ſuſpicari delictum, de quo denuntiantur, ab eis fuiſſe commiſſum; ideò ius canonicum non obſtat doctrinæ traditæ.

Eſt hic aduertendum, quod Emin. Lugo vbi ſupr. diſp. 37. ſect. 7. in fin. n. 76. licèt acriter defendat opinionem prædictam, ait tamen neminem poſſe licitè iudicialiter denuntiare, niſi quod bona fide putat poſſe in iudicio legitimè probari, alioquin ſine vllo fructu infamaretur proximus per illam inutilem denuntiationem; & n. 79. confutans Thomam Sanch. lib. 6. conſil. c. 2. dub. 5. n. 13. qui affirmabat, quòd omnes DD. tenent debere monitionem præcedere ante denuntiationem: ait; Si enim id intelligat de denuntiatione iudiciali, quandò delictum probari poteſt, non eſt verum; ſi autem non poſſit denuntiator ad probationem venire, tunc verum eſt, quia fruſtra aſſumeretur illud medium ad finem, qui obtineri non poteſt. Cuius doctrina in noſtro caſu ſemper erit intelligenda non de plena probatione, vtpotè de duobus teſtibus conteſtibus; ſed de vno teſte omni exceptione maiori; vel de alia ſemiplena probatione, quæ ſimul vnita cum præſumptione delicti commiſſi à tali Religioſo ob qualitatem ſuperiùs deſcriptam, de quo fit denuntiatio, & cum parua ſpe emendationis, ſufficiens habetur probatio ad ſuccurrendũ bono communi Religionis, eiuſque damno imminenti obſtandum: & non fruſtra, & ſine vllo fructu infamaretur proximus per inutilẽ denuntiationem; nam, licèt plenè non poſſet probari delictum, nihilominus in fauorem boni cõmunis Religionis poteſt ſequi, quod optimè recitat ex Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 12. n. 33. Leſan. in q. Regul. tom. 1. c. 27. n. 16. Si verò delictum, inquit, non ſit penſatis penſandis, plenè probatũ, & Reus illud non confiteatur, tunc puniendus eſt pœna minori, quàm ſi tale delictum plenè probatum eſſet, & condẽnandus ad illam; hoc enim æquitas iuſtitiæ, & rigor obſeruantiæ regularis expoſtulat, ne ſub ſpe infimæ probationis reddantur faciles Religioſi ad crimina perpetrãda; vndè cõcludit Suar. vbi ſupr. quòd illa vehemens ſuſpicio, vel opinio ſatis eſſe debet ad aliquam pœnã imponendam: aſſentit Menoch. de præſumpt. lib. 1. qu. 92.

Nec eſt neceſſe ad hoc, vt ſequatur illa pœna mitior, quòd ſit fama ſatis comprobata de delicto, vt videtur inſinuare idẽ Suar. lo. cit. quia loco infamiæ ſuccedit denuntiatio, vt ipſemet Suar. nu. 35. docet. Vt ergo aliquis, inquit, iuſtè denuntiet iudicialiter, neceſſarium non eſt, vt præcedat infamia, vt conſtat ex teſtibus. c. Inquiſitionis. c. Qualiter, & quandò, cũ ſimilibus, & ex omnibus authoribus. Ratio verò eſt, quia in via inquiſitionis infamia requiritur, vt ſuppleat vicem accuſationis; in hac autem via denuntiator ſuſtinet vicem accuſatoris, quamuis nõ omninò ſuſcipiat onus illius, quia non ita obligatur ad probandum, ſicut accuſator: hæc Suar. Et ita Leſana agnoſcens difficultatem rectè non admittit hanc conditionem, ſcilicet, quòd fama delicti ſit probata: ad roborandam doctrinam videatur ſenſus aliquorũ DD. apud Sanch. opuſc. lib. 6. c. 8. dub. 1. o. 3.

Pro fine eſt etiã aduertendum, quòd hæc pœna nõ poteſt coactè à Iudice imponi Reo, quia, cũ nõ ſit ordinaria, ſed extraordinaria, & non cũ plena probatione delicti; ideò nõ

poteſt Reus cogi ad huiuſmodi pœnã tolerandã, vt benè obſeruat Caiet. 2.2.q.70.ar.2. dũ admittit plures teſtes ſingulares deponẽtes de diuerſis delictis eiuſdẽ ſpeciei, ſufficere inter Regulares ad imponendã leuiorem pœnam ordinaria; quò fit, vt à Reo huiuſmodi pœnam recuſante delicti veritas juxta morem cuiuslibet Religionis per tormenta exquiri debeat, vt ſententia non feratur, niſi contra cõfeſſum, vel conuictum.

His quoquè adde, quòd, ſuppoſita malorum ſocietate in quacunque congregatione toleranda, ſuppoſitis ſcandalis, in quæ progreſſu temporis erumpent, ſuppoſita doctrina opinionum probabilium, qua poteſt vti Iudex ad ea plectenda, ac in poſterum præcauenda, Religiones quoddam incommodum, clamores ſcilicet horum hominum vſq; ad ſuprema tribunalia pati opus eſt: nã ſuperbia ducti nõ curant paruipendere propriã conſcientiã, multò minùs æſtimabunt Religiones, in quibus Deo ſunt geniti, paruipendere; imò eas lacerare ſolẽt tot calũnijs, quot ſunt clamores; qui tamen clamores nõ ſunt æſtimandi. Prim. quia, duce prudentia, minùs malum eſt eis ſubiacere, quàm opprimi à tot ſcandalis, quæ fierent, ſi aliquo rigore: in opinionibus ſequendis non vteretur Iudex. Secund. quia non ſunt de illis, qui ſub onere gemituum inconſolabilium premunt Religiones ipſas, & reddunt eas minùs perfectas: *Non enim opprimitur* inquit S. Auguſt. in pſalm. 64. in fin. *zizanijs frumentum; imò per tolerantiam zizaniorum creſcit fructus frumentorum*; vt ſunt illi, in quos ambitio irrumpit; hi enim totum conturbãt Religionis corpus, idque exinaniunt vſq; ad ima: his enim euulſis à iuſtitia diſtributiua ritè adminiſtrata, vt dicam, Deo comite, in ſecund. centur. non eſt curandum de illis, nec ſunt æſtimandæ eorum calumniæ, dum corpus eſt ſanum; & quantò magis eorum maligna buccina altiùs clamabit, tantò magis Religionum gloriam exaltabit: verùm prudentia petit, vt obuiam eis eatur, vtatur ergo Iudex doctrina Nauarri dicentis in cap. Nullum. comm. in 3. de Regularibus. Non decet Regulares, & Eccleſiaſticos ita virga ferrea regere, vt eorum defectus apud ſæculares manifeſtentur: plectantur ergo mitiori pœna, quantùm fieri poteſt, ſaluo iuſtitiæ decore: & quandò in quacumque Religione erigeretur tale tribunal, vt fiducialiter poſſent ſuos clamores per appellationes deferre, data rationabili cauſa appellationis iuſtæ, eſſet tribunal sũma cum prudentia erectum, multùm dico, nihil dicendo. Multa, quæ ſunt diſperſa in opere iuxta doctrinã quæſiti poſſunt accommodari.

## DVBIVM XXXXIX.

*An Religione iam fundata, ac bene radicata, liceat Prælatis noua monaſteria exſtruere, ac ædificare: & an ſummo Pontifici aliquandò conueniat aliquam ſupprimere Religionem.*

### SVMMARIVM.

1. *Triplex ſtatus Religionum deſcribitur, augmentationis ſcilicet, conſiſtentiæ, & declinationis, & adducuntur rationes, quarè declinant à perfectione, in qua fuerunt genitæ.*

2. *In primo ſtatu augmenti perfectionis cõueniens eſt Religiones monaſterijs ampliare; verum in ſecundo lento pede eſt faciendum.*

3. *In tertio ſtatu, in quo virtutum perfectio deperditur, nequeunt Prælati tutè ædificia exſtruere.*

4. *Nequit ſummus Pontifex, nulla intercedente cauſa Religiones ſupprimere.*

5. *Dum adeſt cauſa, Pontificis poteſtas ad Religionis ſuppreſſionem extenditur: & quibuſdam obiectionibus ſatisfit.*

1. Hæ duæ materiæ ſub vnico dubio pertractantur, quia pro earum completa cognitione opus eſt in medium afferre pro prim. not. illud quæſitum iam commemoratum, & denuò commemorandũ S. Bonau. in Opuſc. ſuper regul. S. Franciſci qu. 19. in quo quæritur, vndenam oriatur, quòd Religiones ab illo primo feruore deficiant, in quo fuerunt genitæ ab Inſtitutore, eiuſque ſequacibus, & per longam annorum ſeriem nutritæ; & priuſquam rationes adducat, tradit hoc principium veriſſimum. *Omne, quod non habet eſſe à ſe, deficiendo decidit in non eſſe, niſi ſuſtentetur ab eo, qui dat ei eſſe; ſic omnis ordo, ſic omnis homo*: vnde triplex ſtatus Religio-

nis

nis aſſignari debet. Primus augumentationis. Secundus diminutionis. Tertius, in quo nec agumentatio videtur, nec diminutio perſpicitur: exempla elucefcunt in plantis, animalibus, & hominibus, quæ per aliquod tempus augmentantur, deficiunt tandem ab augmentatione ſine deperditione acquiſiti, demũ incipiunt deficere, & ad occasũ tẽdere; ſic in Religionibus in ſuo profectu ſpirituali per annos; & annos maximè nitet augmẽtatio, quæ ſiſtit per annorum ſeriẽ; tandẽ ille aureus ſtatus ad occaſum perditionis vertere incipit; ideò optimè dicebat Abb. Trithem. lib. de ruin. monaſt. Ordin c. 9. *Quãtò creſcit Religio ex tempore tantò minuitur in feruore*; vndenam huiuſmodi calamitas ſanguineis lachrymis deplotanda? ex varijs cauſis ait Bona. Prima ex multitudine intrãtium, quia multi non poſſunt tam facilè flecti, ſicut pauci; quarè S. Franciſcus ſolebat dicere, vt refert Corduba circa Regulam in introductione. Vtinam fratres mei eſſent adeò pauci, vt quandò homines viderent illos, mirarentur. Secund. quia ſubtrauntur, qui primò Ordinem inſtituerunt, & illum in ſua perfectione magno rigore, & labore ſuſtinuerunt; quarè non poſſunt iuniores ardua rigoris exempla recipere, nec excellentiſſimos virtutum actus imitari, & ſic fiunt remiſſi & intus, & foris. Tert. quia paulatim malæ conſuetudines per Ordinem ſerpunt, quæ ſtatim ab alijs trahuntur in exẽplum: aliæ aſſignantur cauſæ à Seraph. Doctore, apud ipſum eas conſulite.

Not. ſec. quòd Religiones, & varia Clericorum inſtituta, atque regulæ, licèt quoad eſſentialia, quæ in tribus votis ſita ſunt, vt loquitur Bellarm. de Monach. lib. 2. c. 4. & Suar. 3. de Relig. lib. 3. c. 2. n. 3. habeant in Euangelio fundamentum; nihilominus illa determinata ad certam regulam, ſeù certũ viuendi modum ſunt iuris poſitiui, vti ſcribunt Abb. in c. Deus qui in 2. not. de vit. & honeſt. Clericor. & in c. vlt. in 2. not. de Relig. dom. Petr. de Vlbadis in tract. de canonic. Epiſcopor. qu. 17. n. 14. copioſè Ioãn. de Selua. in tract. de benefic. part. 1. qu. 4. n. 19. & 20. Silueſt. verbo Religio 1. n. 7. nã olim ſemper regulę conſueuerunt approbari, & confirmari ab Epiſcopis; modò hoc negotium ſpectat ſolùm ad ſedem Apoſtolicam firmatum in Concil. Lateran. tẽpore Innoc. III. cap. vnic. de Relig. dom. lib. 6. videatur de hac re Trithemius libro, quem edidit de laudib. Carmelitarum ca. 4. Genebrardus in ſua Chronica lib. 4. Polydorus lib. 7. de inuentoribus rerum c. 3. Fratres Hieron. Rom. lib 6. de Republ. Chriſt. c. 5. Cardinal. Bellarm. lib. de Monach. c. 4. vbi inueniuntur plura notatu digniſſima, & Mirand. man. Prælat. tom. 1. qu. 3. art. 6. In his ergo, quæ ſunt iuris poſitiui, tradunt Abb. in c. Significaſti n. 3. verſ. nam in his de elect. Anchar. conſil. 333. n. 6. Cacialupus in tract. da penſionibus qu. 19. n. 61. Barbat. in tract. de præſtantia Cardinal. p. part. qu. 1. n. 15. Paulus de Citadinis in tract. de iure patronat. part. 7. n. 12. Menoch. de arbitr. Iudic. lib. 2. Cent. 5. caſ. 421. n. 80. & alij, quos citatos ſequitur Barboſa de iure Eccleſiaſt. c. 2. n. 95. Summum Pontificem abſolutam habere poteſtatem, & ab omni iuris vinculo liberam: hi ergo DD. & alij, qui de hac re ſcripſerunt, fuerunt fortè moti authoritate D. Thom. quolib. 4. qu. 8. dicentis, Papam habere poteſtatis plenitudinem in Eccleſia quoad ea, quæ iuris humani, & poſitiui ſunt: videatur cap. Innotuit, vbi DD. de elect. c. Per venerabilem, qui filij ſint legitim. c. Propoſuit, de conceſſ. præb. poteſt ergo Sũmus Pontifex Religioſorum regulas immutare, nouaſque eis conſtituere, quinimò ei permiſſum videtur Religionem aliquam funditus euertere, atque deſtruere, modò adſit iuſta, & rationabilis cauſa; aliàs non; vndè, licèt Summ. Pontif. ſit ſup. ius poſitiuum, & ad libitum poſſit illud abrogare; nihilominus quandò fundatum eſt in ratione, & æquitate naturali, auferre, & perimere illud non poteſt. Ita Abbas in c. Per tuas. de Arbitr. Calcaneus in conſ. 80. col. 3. verſ. & eodem modo. Ripa in l. quo minùs n. 27. de flumin. & alij, quos citatos ſequitur Crauetta in tract. de antiq. tempor. prim. part. n. 46. Menoch. vbi ſupr. n. 81. Cum ergo ius hoc poſitiuum, inquit Menoch. loc. cit. Religionum non ſolùm æquitate naturali, ſed etiam ſupranaturali, atque ita diuina nitatur, quandoquidem à fundatoribus, conſtructoribuſque illæ inuentæ, & ædificatæ ſunt, vt homines Deum colant, & beati efficiantur; & Summi Pontifices, qui eorum regulas, & conſtituta confirmarunt, non alia

ratio-

ratione ad id præſtandum permoti ſunt; eſt enim rationi naturali conſentaneũ beneſacienti benefacere l.ſed & ſi lege. §.conſuluit. ff. de pet. hæred. Si ergo Deus hominem creauit, & omnia, quæ habet, illi tribuit; iure ſuo homo agit, & ſumma æquitate ducitur ipſi Deo immortali gratias habere, & pro ſuis viribus reddere: quòd ſi commodè, & gratè fit, certè fit medio ingreſſus Religionis: non ergo ſine cauſa conuenit Pontifici Max. Religionem aliquam euertere; ne detur in deſtructionem, quod fuit in ædificationem: cum verò iuſta cauſa ſubeſt euertendi, deſtruendique Religionem aliquam, iuſtè, & ſanctè facit, ne Dei domus, quæ orationis eſt, latronum ſpelunca efficiatur: hæc Menochius.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. NEceſſarium eſt, dum Religiones in ſuo primo augmentationis ſtatu ſunt, eas ædificijs ampliare, quandò verò ampliùs non proficiunt, ſed quieſcunt in perfectione acquiſita, ita vt ſecundum ſtatum attingāt, lento pede, & matura conſideratione cœnobia ſunt erigenda. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur: Religiones, ſeù Religionum ſtatus ad charitatem, & charitatis perfectionem ordinātur; charitas verò duos habet actus, licèt ſit vna virtus, & vnicus habitus, vt docet S. Thom. 2. 2. qu. 2. & 44. per plur. articul. per primum vnitur Deo, per ſecundum vnitur proximis eorum ſalutem varijs modis anhelando: ſed ſi non multiplicarentur monaſteria, nec Religioſi multiplicarentur contra finem omnium Religionum, quia minueretur cultus diuinus, Mundique ſalus non procuraretur, imò negligeretur: ergo neceſſarium eſt in primo ſtatu Religiones ædificijs ampliare. Secund. ſi monaſteria nequeunt extrui; maximè quia id videtur eſſe in detrimentum Religionis, & nemo tenetur cum ſui damno aliorum ſalutem procurare: ſed multiplicatio cœnobiorũ tempore augmentationis non eſt in Religionis detrimentum, imò in maximum beneficium, eò quòd amplietur cultus diuinus, finiſque Religionis magis extendatur: ergo neceſſarium eſt, moderatis ædificijs, eas per Ciuitates, aliaque loca extendere. Tert. munus Prælatorum eſt Religiones ornare optimis Religioſis, qui ſuis virtutibus magis, ac magis eas exaltent, & ad ſydera ſanctitatis extollant: ſed hoc nequit fieri, niſi mediantibus ædificijs: ergo. Secunda pars ſuadetur ex eo, quòd, quandò res videtur eſſe in ſtatu, vt limites ad maiorem perfectionem extendere nequeat, prudentia petit, ne quamprimum labatur ad ſtatum perditionis, vt adhibeatur maxima cautela; aliàs ad occaſum quamprimum tēderent Religiones monaſteriorum multiplicatione.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. QVando Religiones ſunt in tertio ſtatu, & ad occaſum relaxationis tendunt, frigeſcente charitate, alijſque virtutibus decedentibus, Prælati tuta conſcientia nequeunt ædificia erigere. Prob. cooperari ruinæ alterius eſt peccatum, vt aiunt omnes DD., ſed ampliare Religiones monaſterijs in huiuſmodi ſtatu, eſt eas ampliare Religioſis hominibus, quia propter homines extruuntur; ex quo ſequitur cooperatio ruinæ Religionum, eò quòd vna ex rationibus, ob quas Religioſorum familiæ in perfectione deficiant, ait Bonau. eſt hominum multiplicatio: ergo id tuta conſcientia nequit fieri. Secund. munus Prælatorum eſt, quantùm fieri poteſt, nitorem deperditum Religionibus reſtituere, diſciplinam regularem reſtaurare, virtuteſque exemplo, opere, prædicatione augere, & ſuperſeminare, ſi deperdantur, quod munus per erectiones monaſteriorum, & conſequenter per numerum hominum ad habitum receptorum fit impoſſibile ob rationem D. Bonauent. aliamque Cordubæ in reg. S. Franciſc. c.2.q.2. in fine aſſerentis; quòd nouitij recepti quotidie à perfectione decidunt, & fiunt quotidiè peiores, & poſteriores prioribus: ergo Prælati cum detrimento animarum ſuarum deficiunt à ſuo munere, cum monaſteria in tali ſtatu multiplicant. Tert. ſi Prælati ſanctitatem deperditam Religionibus reſtituere nequeunt, ſaltem obſtare tenētur, ne quamprimùm deſtructionis totalis profundum attingāt: ſed hoc munus multiplicando conuentus nequeunt Prælati adimplere, imò

imò accelerant vltimum exitium ob rationes iam dictas: ergo abſque labe peccati nõ poſſunt cœnobia erigere.

Hæc, quæ dicta ſunt, ſunt quidem dicta iuxta impreſſionem prim. cent. ſecundum hanc dicendum eſt, non eſſe inconueniens erigere Monaſteria tam in ſecundo, quàm in tertio ſtatu (dummodò ibi poſſit morari ſufficiens numerus Religioſorum pro diſciplina regulari tuenda, & non ſit ad occaſum ſummæ relaxationis Religio, Ducor, quia Religiones ſunt à Deo inſtitutæ, & confirmatæ à S. Sede Apoſtolica in vtilitatem animarum: audiamus Diuum Bonauenturam in opuſc. *Quarè fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant* tom. 7 *Prædictis ergo de cauſis* (de quibus ſupra) *in his nouiſſimis temporibus, de quibus prædixit Apoſtol 2. Tim 3 Quòd inſtabunt tempora periculoſa ex multiplicatione peccatorum, & numeroſitate rudium populorũ, & ſeductione hæreticorum, & raritate bonorũ, & difficultate regendi, & perplexitate caſuum emergentium ex varijs euentibus, prouidit Sedes Apoſtolica ad obuiandum præfatis periculis quibuſcunq. remedium ſubuentionis animabus pereuntibus, quòd diuina ordinatione quoſdam Religioſorum Ordines inſtituit: qui officio prædicationis, & confeſſionis ſibi commiſſa ſubueniant indigentiæ populorum, & inſufficientiæ Clericorum, & obſiſtant verſutijs hæreticarum, & hoc in ſolatium. & in ſubleuamen oneris non in præiudicium Plebanorum*: hæc Bonauentura, qui paulò inferius addit. *Quòd autem quandoque Religioſi ad ſaluandas fideles in Eccleſia eſſent vocandi, oſtenditur in Euang Luc. 5: cum Dominus dixit Petro: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* Videte locũ, & paulò inferiùs: *Cum autem prædicatio, & confeſſio inter alia populo Dei exhibenda amplius indigeant ſcientia ſcripturarum, & magis periculum ſit iſta ei non miniſtrare, vt expedit, cum per prædicationem informentur, quid credere debeant, & qualiter viuere; per confeſſionem verò lapſi extrahuntur de luto peccati, iſta duo fratribus commiſſa ſunt; vt in his ſubueniant fidelibus, & ſuppleant defectum Clericorum*: hæc Bonau.

In hoc ergo præſertim dignoſcitur vtilitas Religionum in Dei Eccleſiæ. argumentum, quia quandoq; inquit Bonau. paulò inferiùs, *honeſtæ perſonæ timent ſuis Sacerdotibus confiteri, vndè oportet eas ignotos habere Confeſſores; item aliqui habent talia peccata in coſcientia. quod potius valunt non confiteri, quàm Plebanis ſuis ea pandere, qui ſemper vident eos, & coram quibus timent tota die confundi, ſicut ſæpè percepimus: his in tanto periculo ex compaſſione eſt ſuccurrendum potiùs, quàm in deſperationem ponantur. hoc tali modo aptè fit, vt confiteantur talibus quos nõ timent, vbi conſulitur ipſorum verecundiæ. & ſaluti.*

Audiamus D. Thom opuſ. 19. cap. 4. contra impugn. Relig. *Ex quo patet*, inquit, *quòd conueniens eſt, vt præter Rectores Eccleſiarum, qui reſident in ſuis Eccleſijs alijs prædicationis officium committatur, qui per diuerſa loca diſcurrant: hanc etiam neceſſitatem maximè oſtendit imperitia multorum Sacerdotum, qui in aliquibus partibus adeò ignorantes inueniuntur, vt nec etiam loqui latinè ſciant: pauciſſimi etiam inueniuntur, qui ſacram Scripturam didicerint, & tamen oportet Prædicatorem verbi Dei in ſacra Scriptura inſtructum eſſe, vnde ſatis apertum eſt multùm ſaluti fidelium detrahi, ſi ſolùm Sacerdotibus parochialibus verbum Dei relinquatur. In confeſſionibus autẽ audiendis non minor apparet neceſſitas ob multitudinem plebis, quæ interdum vni Sacerdoti gubernãda committitur, qui ſi toto tempore vitæ ſuæ nil aliud ageret, vix omnium confeſſiones diligenter audire poſſet: iterum hanc neceſſitatem oſtendit difficultas confitendi; quidam enim, vt experimento inuentum eſt, à confeſſione deſiſterent, niſi poſſent alijs, quàm ſuis Sacerdotibus confiteri, quandoque propter verecundiam, qui erubeſcunt confiteri illis peccata, cum quibus cõuerſantur, quandoq; verò, quia ſuſpicantur Sacerdotes ſibi eſſe inimicos, & propter multa alia.*

Ad ea, quæ poſſunt obijci ſuperiùs tradita, reſpondetur, quòd, cum illa deficientia ſit naturalis, ob rationem ſuperiùs traditã à D. Bonau. in prim. not & cum Deus, quandò inſtituit Religiones, id præuiderit, ideò non eſt multum curandum de illo incommodo, ob propagationem finis, ob quem fuerunt inſtitutæ Religiones, modo fiat cum recta intentione, ſummaq; prudentia: ad Dei poſtea Prouidentiam ſpectabit nouas Religiones inſtituere, aut relaxatas reuocare ad priſtinum ſtatum, vt ſemper in Eccleſia dignoſcitur mirabiliter feciſſe.

*TERTIA CONCLVSIO.*

4 SVmmus Pontifex, eſto in terra ſummam poſſideat poteſtatem, nulla interue-

teruenienre cauſa, nec vnam, nec plures euertere, ac deſtruere Religiones poteſt. Concluſio intelligitur ſatis probata in ſecũdo notando. hinc Roman. conſ. 380. Quæſtio eſt in principio, quē citatum ſequitur Barboſa de iure Eecleſiaſt. c. 2. lib. 1. n. 194. affirmat non poſſe Papam ſine iuſta cauſa ſtatuere talia, per quæ ſtatus generalis, ſeù vniuerſalis Eccleſiæ mutaretur: & nu. 3. verſ. 2. ſubdit, non poſſe etiam ſtatutum facere, ex quo vehemētèr ſuſpicari poſſet vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum perturbari, & n. 4. verſ. tertio non poteſt, nec per quod ſtatus vniuerſalis Eecleſiæ decoloretur, & n. 5. verſ. 4. nec per quod cuncti Ordines Eccleſiæ ſcandalizentur, ſeù Eccleſia periclinationem pati poſſit.

## *QVARTA CONCLVSIO.*

5. SVmmus Pontifex, iuſta interuenien- te cauſa, non ſolùm *vnã*, ſed plures Religiones ſupprimere poteſt. Ratio deducitur ex ſec not. quia, cum Religiones omnes cognoſcant propriã erectionem, & approbationē à iure poſitiuo; & cum Summus Pontifex in his, quæ iuris ſunt poſitiui, abſolutam habeat poteſtatē, ſequitur euidenter Religionē euertere, & ſupprimere poſſe. Adde, quòd poteſtas Ponteficis data, & conceſſa dicitur ad ædificationē, non autem ad deſtructionē, vt teſtatur Apoſt. 2. ad Corinth e. 10. & ideò ſic ſcribit Gregorius in e. Si ea 25. q. 2. *Si ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed euerſor eſſem*; ſed ſi non poſſet ſupprimere aliquam Religionem, dũ ſubeſt cauſa euertendi, ac deſtruendi, non eſſet poteſtas in ædificationem, ſed in deſtructionem; nam aliquandò accidere poteſt, vt aliqua Religio tãgat profundũ occaſus, de quo S. Bonau. vbi ſup. quò ſit, vt non ſolùm ſit inutilis in Eccleſia Dei, ſed etiam damnoſa: ergo poteſt, ac debet eam ſupprimere: vis argumenti tangitur a Valent. inferiùs citando: videatur Bann. 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 8. concl. 9. Azor. part. 2. lib. 5. c. 7.

2 Dices, licèt penes ſummum Pontif. dum adeſt cauſa, reſideat poteſtas Religionem delendi, non tamen eſt conueniens, quia maius eſt eam ſupprimere, quàm expurgare à malis Religioſis; ſed id non videtur expediens, vt patet ſupr. ex dictis SS. PP. ergo multò minus erit expediens ſuppreſſio, vndè potiùs toto conatu erit introducenda reformatio, exemplo petito à Baronio tom. 10. ann. 996. nu. 29. qui refert quoddam deſiderium Ottonis Imperatoris Romæ morantis delendi Monachos in Eccleſia S. Pauli prauè degentes; cumque hoc appeteret, ait Baronius, implere decretum, apparuit ei noctu per viſum Beatiſs. Apoſtolus Paulus, atque eundem Imperatorem ab huiuſmodi voluntate remouere curauit; Si verè, inquiens, zelus diuinæ ſeruitutis opus optimum te adurit; vide, ne huius propoſiti inſtitutũ præſumas in Monachis immutare expellendis; non enim expedit cuiuſque Ordinis Eccleſiaſtici, quamuis ex parte deprauati propoſitum vnquam abijci, ſeù immutari; in eo namqè vnuſquiſque iudicandus eſt Ordine, in quo ſe primitus vouit Deo ſeruire: reemendari tantùm licèt corrupto cuique in eadem propriæ vocationis ſorte; talibus quippè monitus Imperator verbis retulit ſuis, quæ audierat ab Apoſtolo, curam agens qualiter eorum ſcilicet Monachorum inſtitutum quiuiſſet in meliùs reformare, non expellere à loco, licèt immutare: hæc Baron. Reſp. quòd eſto veriſſimum ſit non eſſe conueniens expurgare Religiones à viris, qui ſuis vitijs eas labefactant, quia vbique ſunt tolerandi mali, vti dixi ſuperiùs; nihilominus quandò relaxatio, vitiaque ita creuerint, vt potiùs videantur ad deſtructionem Religionum eſſe, quàm ad bonorum exercitium, & ad delendum virtutum odorem, vt videatur fruſtrari intentio Spiritus Sancti, quæ eſt, inquit Suar. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 1. num. 12. erigi Religiones non ſolùm in bonum eorum, qui in eis congregantur, ſed etiam vt per eos alij ædificentur, tunc non ſolùm licita erit expurgatio, ſed etiam quandò quaſi tangunt profundum vltimi ſtatus, de quo ſupra, ſuppreſſio. Nec exemplum allatum obſtat reſponſioni, imò ei fauet; dicit enim Paulus Imperatori: Non enim expedit cuiuſque Ordinis Eccleſiaſtici, quamuis ex parte deprauati propoſitum vnquam abijci, ſeù immutari: quaſi dicere velit, quandò in quolibet Ordine Eccleſiaſtico in parte tantùm dominari videntur mores praui; non eſt conueniens vitioſos expellere, eorumque propoſitum immutare, multò minus Religiones ipſas euertere, ac ſupprimere; ſed in meliùs ſunt immutandi

mores,

mores, abijcienda ſunt vitia, & adhibenda eſt reformatio; quando vero ita graſſantur vitia, vt in toto, ſeu quaſi in toto dicantur relaxatæ: quo fit, vt pereat ſpes eas reducendi ad meliorem vitæ frugem, & deſperabilis cenſeatur reformatio, tunc applicetur eis & enſis expurgationis, & gladius ſuppreſſionis, quia nullum aliud videtur remedium.

Dices; quamuis hoc negotium non cenſeatur difficile circa Religionem formatam ex paruo numero Religioſorum, teſte experientia; eſt tamen iudicandum difficile circa Religionem, quæ permagnum numerum includit, ob rationes ſatis omnibus notas; in tali ergo caſu, duce difficultate, prohibenda eſt ſuppreſſio. Reſp. verum eſſe, non tamen relinquenda eſt in tam lacrymabili ſtatu huiuſmodi Religio, ſed erigenda mediante potenti reformatione: & pro meo ſenſu putanda erit optima reformatio. Prim. eam à multis, multiſque malis Religioſis expurgare; prohibendo omnem receptionẽ per aliquod tempus etiã mediocrem, ſi poſſibile erit, ita vt multitudo non obſtet ſubleuationi, quia inquit S. Bonau. vbi ſup. *Sicut pauci Religionis iugo, aſperitatibuſque ſe facile ſubijciunt; ita multi difficile flectuntur ob capita diuerſa, quæ maxima cum difficultate ad vnum ſenſum declinant*: & ita conueniens erit ſuppreſſio paruo rum conuentuum. Secund. curare, vt Religioſi vitæ probitate ornati; ſemper enim in quacunque Religione etiam collapſa aliqui virtutibus ornati morantur, ita ordinate diuina Prouidentia ob rationes nobis ignotas, vt notat S. Bonau. vbi ſupr. aſſumantur ad Præfecturas, vt ſubditi ab eorum exemplis attracti, faciliùs ad meliorem vitæ frugem ſe recipiant; vnde dicitur in cap. Magnæ de votis. *Quod agitur à Prælatis, facile trahitur à ſubditis in exemplum*. Tert. curare etiam, vt quotidie ſaltem per mediam horam vacent Religioſi orationi mentali, quia inquit S. Bonau. opuſc. de ſex alis Seraph. c. 3. *Inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ deuotæ orationis frequẽtia non compaginatur*: & S. Bernard. in lib. ſentent. moral. col. 496. *Oratio eſt neceſſaria, cuius munimine, & tutela virtutum examina proteguntur*: & S. Cryſoſt. hom. 69. ad Popul. Antioch. tom. 5. *Impoſſibile eſt, impoſſibile eſt hominem congruo precantem ſtudio, Deoque continuè ſupplicantẽ nunquam peccare*. Quart. concedere illis, ſi videbitur poſſibile, aliquod priuilegium circa paupertatem, ſi in primo rigore obſeruari nequit, vt maiori cum facilitate conſcientiæ ſecuritas habeatur.

Dices, ex loco S. Bonau. vbi ſupr. in prim. not. ſemel relaxata Religio, eius reparatio fit deſperabilis; adhæret Cordub. in introduct. Reg. S. Franc. qu. 3. vnde Gerſon. 2. p. ſumm. Alphab. 39. lit. O. de non eſu carnium Carthu. ait: Semel lapſa Religio vix, aut nunquam reparari poteſt, & faciliùs de nouo à fundamentis conditur, quàm reformetur; proinde, adhibita quacunque reformatione, nũquam huiuſmodi Religio ad meliorem erigetur ſtatum. Reſp. doctrinam eſſe veram, ſtantibus rebus prout ſunt; exiſtente enim multitudine illa corrupta intra clauſtra, impoſſibilis ſemper cenſenda erit quæcumque reformatio, ſed expulſa, poſſibilis eſt; imò facilis; & ideò optimè dicebat Cordub. vbi ſupr. Cognitis principijs malorum, & deformationis Religionis, cognoſcitur etiam, quòd ab eis eſt incipienda reformatio, non à quibuſdam ceremoniarum folijs, ſed à radice; nam ad radicem arboris explantandæ, vel recidendæ ſecuris diſciplinæ, ponenda eſt; per eaſdem etiam cauſas res decidit, per quas naſcitur, oppoſito modo illis ſe habentibus, vt Gerſon. Alph. 35. lit. X. dicit, & indè homo incipit ſurgere, vbi lapſus eſt: cognoſcitur quidem deformationem oboriri ex deprauatis moribus multorum, ac multorum Religioſorum; cognoſcitur etiam; quòd ab eis modo præſcripto eſt incipienda reſtauratio.

Dices tandem, ſi Summ. Pontif. poteſt ſupprimere aliquam Religionem, conceditur etiam, eum poſſe errare in approbandis, vel confirmandis Religionibus; ſupprimere enim aliquo modo dicit præceſſiſſe errorem in approbationibus: ſed Eccleſia errare nequit in approbandis, vel confirmandis Religionibus, vti tradunt Bann. 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 8. & teſtatur Rodriq. qq. Reg. tom. 1. qu. 1. art. 4. ad medium. Valent. 2. 2. diſp. 1. qu. 1. p. 7. §. 41. Azor. p. 2. lib. 1. cap. 7. q. 2. Suar. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17. n. 18. & de fide, ſpe, & charit. tract. 1. diſp. 5. ſect. 8. Machad. tom. 2. lib. 4. part. 7. tract. 4. docum. 5. Barboſ. de iure Eccleſiaſt. cap. 2. n. 46. igitur nequit deuenire ad ſuppreſſionẽ. Audiamus reſpõ-

Z ſionem

ſionem à Barboſ. vbi ſupr. quis ſatis explicat textum. Gregor. X. in cap. 1. in init. de Relig. dom. lib. 6. referente Concil. Later. decretũ in c. vlt. eod. tit. in Decretalibus; dum probat ex nimia Religionum diuerſitate grauem in Eccleſia confuſionẽ induci, & ſimul reſpondet Can. de locis theol. lib. 5. c. 5. qui aſſerit Papam in hoc negotio poſſe decipi, quia approbatio fit, præcedentibus probationibus circa virtutes, & merita Inſtitutoris, & profitentium, circa quę poteſt eſſe deceptio. Reſp. ergo his verbis: Aduertere oportet, quòd vel quærimus; an Eccleſia falli poſſit in approbando plures Religiones, quàm expediebat; & fatemur in eo aliquem errorem dari poſſe ex falſis informationibus, ex quibus, verbi gratia, conſtitit populum ſufficiẽtem eſſe, vt maiorem alere poſſit Religioſorum numerum, quàm poteſt in veritate; vel quandò, vt Religioſorum Ordines, vt ex nimia diuerſitate aliqua oriatur confuſio in hac, vel illa Ciuitate, quod tamen ſatis Põtifici expreſſum nõn eſt, & hoc ſolùm concludunt rationes, quas adducit text. & Can. loc. cit. aut rurſus quæſtio eſt: an errare poſſit Eccleſia in confirmãda Religione in ijs, quæ ſpectant ad veritatem doctrinæ, & instituti, aut legum, & conſtitutionum, quibus Religioſi eam profitentes viuere debent; & reſoluendum eſt minimè in hoc errare poſſe Põtificem, tradendo ſcilicet leges ſacræ Scripturæ, legibus diuinis, aut bono ſpirituali animarum contrarias; cum enim ex dictis certũ ſit Eccleſiam, ſeu Pontificem errare nõ poſſe in decretis fidei, vel morum ad ſtatum totius Eccleſiæ ſpectantiũ; & in approbatione alicuius Religionis decernat ſtatum illum bonum eſſe, & conuenientem ad ſpiritualẽ ſalutẽ, & charitatis perfectionem, iam ſequitur valdè perniciosũm fore Chriſti fidelibus hũc Eccleſiæ errorem, vt ſcilicet Religio, quam, tanquam vtilem bono ſpirituali approbauit, & ſequendam propoſuit, ſit bono ſpirituali cõtraria, vel noxia. Quòd verò adducit Can. de Ordine Fraticellorũ, & alijs, quos ſemel ab aliquo Pontifice approbatos, deindè alij damnarunt: reſpondetur iuſtè id fieri, non tamẽ ex ea ratione, quòd à principio Eccleſia, vel Pontifex inconfirmando errauerit; ſed quia poſtea Inſtitutor, eiuſque alumni; ſeù ſequaces non ſeruant ſtatum Religionis, vt debent ſecundùm formam, & modum, ſub quo à Pontifice fuit cõfirmatus: per hoc patet reſponſio ad argumentum; & per totũ quæſitum patet omnia creata decidere.

## DVBIVM L.

*An de delicto, de quo eſt denuntiatus Titius prætenſus Reus poſt teſtium examen, poſſit Iudex eum in ſpecie interrogare.*

### SVMMARIVM.

1. *QVid interrogatio in genere, & quid in ſpecie: quandò fit interrogatio generalis, non licet Iudici interrogare in ſpecie, aliàs inquiſitio nulla.*

2. *Niſi præcedat ſemiplena probatio, Iudex debet ſe abſtinere ab interrogatione Rei.*

3. *Damnantur interrogatoria ſuggeſtiua in quacunque examine.*

4. *Iudex, dum habet Reum in tortura non ſolùm ei ſuggerere nequit, ſed nec etiam minari, aut importunè ſuadere, vt confiteatur.*

5. *Iudex nequit interrogare Reum de delicto commiſſo in ſpecie, ſi contra ipſum non adſunt ſufficientia indicia: ſecus ſi adſunt, & explicatur, quæ dicantur ſufficientia indicia, præſertim inter Regulares.*

6. *Reus nequit interrogari de ſocio, niſi adſit ſpecialis præſumptio contra ipſum, & quanam cenſenda eſt talis.*

7. *Adhibita querela, de iure teſtis ſpecialiter poteſt interrogari.*

8. *Traditur forma interrogandi teſtes.*

1. Not. prim. cum Farinac. de teſtib. qu. 79. n. 78. quòd duplex eſt interrogatio; altera in genere, altera verò inſpecie: in genere ea eſt, quandò interrogatur; quis fuit ille, ex. gr. qui Seium occiderit: in ſpecie, quãdò interrogatur: an Titius occiderit Seium.

Not. ſecund. quòd, quandò fit inquiſitio generalis, nullo modo licet Iudici interrogare in ſpecie, vt admonet Boſſ. tract. crim. tit. de iudicijs n. 148. Siman. c. de cath. inſtit. tit. 65. num. 59. Menoch. de arbitr. Iudic. lib. 2. cent. 5. caſ. 429. n. 59. referẽs alios, Scaccia de iud. ciuil. & crim. c. 86. n. 7. & 40. aliàs interrogatio eſt nulla, vt ex multis teſtatur citatus Scaccia.

2. Not.

2\. Not. tert. Iudicem non poſſe interrogare Reum, niſi delictum, de quo eſt denuntiatus, ſit ſaltem ſemiplenè probatum; vel per teſtem omni exceptione maiorem; vel per indicia illi æquipollentia, vt ex S. Thom. & Caietan. docet Franciſc. Aretin. in prax. crimin. de citat. Rei, & incarcerat. cap. 2. adhærent Bouer. in direct. Regular. c. 35. verſ. delicto igitur, &c. Thom. à Ieſu de Regul. viſitation. tr. 3. cap. 8. num. 10. Philipp. de Bictis in prax. cauſ. iudic. Regul. q. 80. n. 10. referens multos alios.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3\. INterrogatoria ſuggeſtiua non ſolùm ſunt improbata, quandò Reo, aut teſti tortura infertur, ſed etiam ante, & extra eam, & in quocunque examine generaliter facto. Ita elicitur ex multis traditis à Quazzino de defenſ. Reor. diff. 20. cap. 13. & ex Farinac. de Reo confeſſo, & conuicto quæſt. 83. num. 84. & ſeq. videte loca, & ſimul videte num. 4. Quazzini demonſtrantis, quæ dicatur ſuggeſtio: Suggeſtio autem, inquit, diceretur facta à Iudice ipſi Reo, quando interrogaret Reum in ſpecie, vt putà: an vulnerauerit Titium: an fecerit talem falſitatem, vel aliquid ſimile: & paulò inferiùs, aliud genus ſuggeſtionis, nempè palliatæ, oſtendit: ea dicitur, quandò Iudex vtitur illis interrogandi modis, & ad opportunas domini interrogationes, vel opportunè interrogatus reſpondit, & non poteſt apparere, de qua re fuerit interrogatus, & refert Farinac. vbi ſupr. n. 92.

4\. Hic eſt aduertendum cum Farinacio loc. cit. n. 96. quòd Iudex (hæc ſunt verba eiuſdem Farinacij) in tortura non poteſt Reo ne dū ſuggerere, ſed nec etiam minari, aut importunè ſuadere, vt confiteatur. Ita expreſſè videtur tradere Iodoc. in pract. crimin. c. 37. Rub. de quæſt. n. 9. cuius verba ſunt hæc: Non eſt boni Iudicis, neque in ipſius poteſtate ſine authoritate maleficum, aut Reum in tormentis eo conari, inducere, & perſuadere, vt quippiam ſibi aduerſum confiteatur, neque item minis ipſū huc ſolicitare, aut terrere, aut interminari maiora ſupplicia, ſi fateri nolit, ſed æquo libramine, animoque ſedato pergat exercere cruciatum, donec ipſius prudentiæ, & iuſtitiæ ex animo vero Chriſtiano ad ſummum videbitur pœnam intenſam fuiſſe, adeò vt grauiora perpeti nequierit: quæ quidem verba valdè notanda ſunt cōtra modernos, & crudeles Iudices, qui, quando Reūm in tormento habent, & verbis, & minis, & importunis ſuaſionibus, & quod peius eſt, quādoquè etiam contumelijs, & pugnis, ſeù etiam verberibus adeò ipſum infeſtant, vt maiorem hoc pacto quodam modo inferant cruciatum, quàm per torturam ipſam pauperes iſti patiuntur: quapropter ego ſemper obſeruaui Reum in tortura pendentem nullo modo aliter infeſtare, quam cum duobus, aut tribus interrogatorijs, & monitionibus, vt veritatem, de qua aliàs fuit interrogatus, fateatur, nec ſinat ſe ampliùs in tormento cruciari, quòd ſi in negatiua perſiſtat, completa hora ad ſummum, deponendum mādaui: & aduerto, quòd, licèt Flaminius Cartar. in pract. interrogand. Reor. lib. 4. cap. 1. num. 81. & ſeq. Foller. Nouell. & Cumian. quos allegat, & in cap. 3. num. 5. in formula conſtituendi Reos ad locum torturæ, ponat etiam formam interrogatoriorum ipſi Reo faciendorum, ex quo apparet poſſe Iudicem interrogare de nouo ſuper indicijs, de quibus in proceſſu, & de quibus aliàs fuit interrogatus extra torturam; hæc tamē practica à bonis Iudicibus non ſeruatur, nec vnquam ſeruari vidi, cum antequam Reus ponatur in tortura, Iudex diligenter ſuper vnoquoque indicio Reum interroget: & in vltimo conſtituto, ſi tamen legitima præcedunt indicia, ipſum ſpecialiter interrogat: an tale delictum commiſerit, & eo negante, monetur, & ſuadetur ad dicēdū veritatē, de qua iam curię videtur ſatis conſtare ex teſtibus examinatis, iuribus productis, & alijs, de quibus in proceſſu: quæ omnia ad magis ipſum diſponendum denuò per Iudicem, ipſo benè intelligente, ſingulariter numerātur, & ſignificantur: quòd ſi adhuc in negatiua perſiſtat pro habenda veritate, fit decretum torturæ, & poſtea eleuatur, &, vt dixi, in tortura ampliùs non interrogatur, nec monetur, niſi in genere, vt veritatem liberè dicat, & hoc etiam non importunè, & inſolenter, ſed ſedato animo, & per duas, aut per tres vices; & ita, vt dixi, practicaui, & practicari vidi à Iudicibus, qui Deum, & iuſtitiam timent: hæc Farinacius

quomodò, & in qua parte corporis percuſſerit, verùm ſi à Iudice regulari fieret, non eſſent interrogatoria damnanda, tanquã ſuggeſtiua, quia Clarus indiſtinctè loquitur, & indiſtinctè eſt intelligenda doctrina; maximè quia ſi de principali poteſt fieri interrogatio in ſpecie, quarè non de acceſſorijs, modò indicia præcedant? & ita Farinac. loc. citat. loquitur tali modo, vt non videatur omninò diſſentire à doctrina Clari; hæc ſunt verba Doctoris: Quod tamen dictum Clari crederem poſſe procedere ſecundùm ea, quæ in ſimili de teſte torquendo dixi in tract. de teſt. qu. 79. n. 80. vt poſſit Reus interrogari: an commiſerit, vel non commiſerit tale delictum, prout Clarus dicit, nõ autem de eius qualitatibus; pro hac doctrina facit etiam aliquo modo, quòd inter Regulares non eſt neceſſaria inquiſitio loci, & temporis commiſſi delicti, quia procedunt ex ſtatuto derogante ſolemnitatibus iuris, & ſola facti veritate inſpecta, vt clarum eſt apud omnes, & qui procedunt hoc modo, non tenentur exprimere locum, & tempus commiſſi delicti, vt ex multis docet Farinac. de inquiſit. quæſt. 1. num. 17. vide ibi limitationes.

Pro fine quæſiti eſt aduertendum cum Claro loc. cit. & Fran. Aretino pract. crim. de citat. Rei cap. 5. quòd Iudex in interrogationibus ſuis procurare debet, vt non auferat Reo defenſiones: v. g. ſi Reus confiteatur ſe aliquem percuſſiſſe, aut vulneraſſe, non debet eum Iudex interrogare: an ille ex tali percuſſione, vel vulnere deceſſerit, neque ab eo extrahere huiuſmodi confeſſionem, quoniam iſta eſt practica diabolica, ſiquidem iſtud eſſet tollere defenſionẽ ipſi Reo, qui probare poſſet, quòd percuſſus, vel vulneratus non fuerit mortuus ex tali percuſſione, ſeu vulnere, quæ eſt maxima defenſio.

6. Quæſtio hæc perfectè nequit decidi, niſi duæ aliæ quæſtiunculæ addantur. Prim. eſt: an in caſibus à iure permiſſis, in quibus de ſocijs Iudex poteſt interrogare Reum, poſſit etiam interrogari ipſe Reus in ſpecie de aliqua perſona Dixi, in caſibus à iure permiſſis, ad oſtendendũ, quòd in hoc ſunt aduertenda multa apud Farinac. de indic. qu. 43. apud Bouetium in director. for. iudicial. c. 35. pag. 125. & apud Philipp. de Bittis in comped. prac. iudic. Reg. qu. 80. n. 34. & ſeq. Ad quæſtionem reſpondetur, quòd non licet Iudici Reum interrogare in ſpecie, ſeu in indiuiduo de ſocio, niſi adſit ſpecialis præſumptio; quòd certa perſona interuenerit; aliter enim eſſet potiùs ſuggerere, quàm interrogare. Ita Farinac. de indic. & tortur. qu. 43. n. 132. ex multis. Cartar. de interrog. Reor. lib. 2. c. 1. nu. 69. qui docet modum interrogandi, & tu vide Quazzin. vbi ſupr. def. 20. c. 13. n. 9. referens multos, Clar. §. fin. qu. 21. verſ. reterita igitur, &c. Dixi, niſi adſit ſpecialis præſumptio contra certam perſonam, ad oſtendendum, quòd, quandò eſt aliquod ſufficiens indicium ad inquirendum ſpecialiter contra aliquem, ſiue ſimus in exceptis, ſiue non; tunc in ſpecie poteſt fieri interrogatio, inquit Clar. vbi ſupr. concordat ex multis Cartar. vbi ſupr. n. 61. dicens: Si tamen contra certos ſocios, & complices aliquod adeſſet indicium ad ſpecialiter inquirendum contra ipſos ſufficiens, poterit Reus de his etiam in ſpecie interrogari; quodnam erit indicium ſufficiens? Farinac. de indic. vbi ſupr. cum Quazzin. loc. citat. ſequens ſuã doctrinam de interrogat. Reor. dicit, quòd indicium ſufficiens erit pluſquam ſemiplena probatio: pro Regularibus mihi placet doctrina Clari, & Cartar. vbi ſupr. dicentiũ ſufficere ſemiplenam probationem; ita elicitur ex eorum ſcriptis, dum dicunt ſufficere aliquod indicium: ſequitur Menoch. vbi ſupr. ita loquens: Quæ ſententia, ideſt, quòd inquiſitus debeat interrogari à Iudice in genere, non autem in ſpecie, ſeu in indiuiduo de iſto, vel de illo, locum non obtinet, quandò contra aliquem eſſet præſumptio, quòd eſſet ille talis, qui fuit ſocius criminis, vt vno verbo ſentit Blancus, & Paguet. Farinac. verò loc. citat. qui in caſu admittit pluſquam ſemiplenam probationem, vtitur verbis in fin. num. 132. non in numero ſingulari, vt faciunt DD. relati, ſed in numero plurali: Quandò adſunt, inquit, indicia particularia contra aliquam tertiam perſonam: ex hac differentia elicitur etiam ſecũdùm DD. quos nos ſequimur, ſufficere tantùm ſemiplenam probationem: laudo tamen, quòd interrogationes fiant in genere ad euitandas omnes cauillationes.

7. Secunda quæſtio eſt: an teſtes adducti

poſſint

poſſint interrogari in ſpecie de delinquente denunciato, Priuſquam reſponſio adducatur, eſt præſupponendum, quòd duplex opinio in hoc inuenitur: altera negatiua affirmans, quòd teſtis interrogandus pro habēda veritate cōtra delinquētes nō eſt in ſpecie interrogandus, ſed generaliter; aliàs potiùs diceretur ſuggeſtio, quàm interrogatio. Ita multi DD. quos citatos ſequitur Quazzin. vbi ſupr. def. 19. c. 11. n. 2. & ita ſecundùm iſtos DD. teſtis non debet in ſpecie interrogari: an Caius occiderit Seium, ſed in genere; quis fuit ille, qui Seium occidit: altera verò dicit, quòd huiuſmodi generalis interrogatio fit, quandò neſcitur author delicti; ſecus ſi eſſent ſpecialia indicia contra aliquem, quia tunc de illo teſtis in ſpecie interrogatur. Ita Bartol. in. l. 1. §. Qui quęſtionem n. 1. ff. de quæſt. Brun. de indic. p. 2. qu. 5. n. 56. Cuſſan. in tract. de torment. c. 15. ſub n. 1. Perſonal. de indic. n. 43. præſupponenda eſt etiam doctrina Scacciæ loc. cit. qu. 86. n. 15. ſic loquentis: Si verò eſt aperta via ad inquirendum ſpecialiter, in primis eſt repetenda diſtinctio, quam præmiſi de illo triplici modo inquirendi ſpecialiter ſup. c. 84. ſub. n. 3. qua præmiſſa, iuxta eam diſtinguo: aut loquimur de inquiſitione ſpeciali primo modo ſumpta, videlicet quoad interrogandos ſpecialiter teſtes contra aliquam perſonam: aut loquimur de ſpeciali ſecundo modo ſumpta, quandò ſcilicet citatur Reus cum inſerto tenore inquiſitionis: aut de ſpeciali ſumpto tertio modo, videlicet quandò Reus examinatur: ſi loquimur de ea in primo modo, rurſus diſtinguo, aut de iure, aut de conſuetudine: ſi de iure, certa concluſio eſt, quòd teſtes poſſunt interrogari ſpecialiter iuxta ea, quæ tradit Clarus lib. 5. recept. ſent. qu. 5. verſ. poterit igitur: dicens, quòd, tunc Iudex interrogat teſtes, quid ſciant de contentis in querela, & ſic intelligas aſſumi informationes contra aliquem, & procedit non ſolùm, quandò teſtis examinatur de plano in ſimplici examine, ſed quandò examinatur in tortura, quia, præcedentibus indicijs contra aliquem, poſſet de delicto nominatim in tortura interrogari, vt dixi infra ſub n. 38. ſi de conſuetudine, dico ſtylum eſſe, vt prius interrogetur in genere, & deindè in ſpecie, iuxta modum, quem docui ſupr. n. 13. quandò eſt aperta via ad inquirendum generaliter, & ita ſe habet practica, quæ tribus rationibus ſatis mihi probatur. Prim. quia euitabitur diſputatio; an eſſet aperta via ad interrogandum ſpecialiter. Secund. quia, ſi teſtis eſt ſuſpectus, vt plerumquè eſt, de celanda veritate, meliùs eſt ſumere initium interrogandi à remotis per ea, quæ dixi in examine Rei infra ſub n. 39. imò Iudex debet ſtudere, vt illaqueet interrogatorijs teſtem, quandò dubitat illum non eſſe veritatem dicturum, quæ illaqueatio fieri non poteſt, niſi interroget per circuitum etiam de circunſtantijs remotis. Tert. quia ex ea nullum Fiſco, vel Reo ſequi poteſt detrimentū: hæc Scaccia: quibus habitis, ad quæſtiūculā reſpondetur, quòd non eſt cenſendum inconueniens, neque habenda ſunt pro ſuggeſtiuis interrogatorijs; quæ fiunt teſtibus in ſpecie, ex. gr. an Caius occiderit Seium, intra Regulares, qui, de plano in iudicijs debent procedere iuxta doctrinam Clari, aliorumque DD. pro ſecuuda opinione traditorum, quæ tanquam certa de iure admittitur à Scaccia; admittitur etiam à Farinac. de teſt. q. 79. n. 79. aduertit tamen idem Farinac. ibid. num. 80. cum Quazzin. de defenſ. Reor. def. 19. c. 11. ex multis, quòd, licèt teſtis poſſit in ſpecie de delinquente interrogari, non tamen de modo, & circūſtantijs delicti, nēpè an Titius percuſſerit vel hoc, vel iſto alio modo? quia hoc erit ſuggeſtio, ſed tantùm generaliter: quo genere armorum, quandò, quomodò, & in qua parte corporis percuſſerit; hoc enim prohibitum eſt, & eſſet ſuggeſtio: quam doctrinam ſi non ſeruarent Regulares, non eſſent damnandi tanquam Rei ſuggeſtionis modò etiam de his præceſſerint indicia, ſicut de delicto ob rationes ſuperiùs dictas de Reo, & quia præſertim Clar. loc. citat. indiſtinctè loquitur.

In hanc doctrinam concluſionis inclinant Thom. à Ieſu de Regular. viſitat. tract. 3. c. 5. & Bouer. in director. Regular. in praxi prima inquiſit. denunt. & accuſat. pag. 195. dum tradunt formas interrogandi teſtes, quæ apud ipſos videri poſſunt.

## DVBIVM LI.

*An ſolicitatiò ad turpia inter Regulares ſit peccatum contra bonum publicum: & an quis teneatur ſolicitantem denuntiare Prælato, vt Iudici; & an Prælatus debeat præcipere, vt ſibi tanquam Iudici fiat huiuſmodi denuntiatio.*

### SVMMARIVM.

1. *Peccata ſe habent in triplici differentia, & qualibet explicatur.*

2. *Quid propriè ſit peccatum contra bonum publicum.*

3. *Peccata alia ſunt pernicioſa communitati Eccleſiaſticæ, & non pernicioſa communitati ſæcularium: nonnullaque alia pernicioſa communitati Regularium, & non communitati Eccleſiaſticæ: alia verò tantum pernicioſa communitati Regularium.*

4. *Frequens ſolicitatio ad turpia in quacunque communitate cenſenda eſt contra bonum commune.*

5. *Prætermiſſa correctione fraterna, huiuſmodi ſolicitatio eſt denuntianda Prælato tanquam Iudici: habetur quadam limitatio cum alia doctrina ſcitu digna.*

6. *Poteſt Prælatus præcipere denuntiationem huiuſmodi peccati, & huic præcepto tenētur parere ſubditi: habetur etiam quadam doctrina, quid ſit faciendum, quādò huiuſmodi delinquens eſt iam denuntiatus Prælato tanquàm Patri.*

1. Not. prim. quòd communis DD. doctrina eſt peccatum ſe habere in triplici differentia; quædam enim ſunt, quæ ſolùm in damnum ipſius peccantis cedunt; alia verò, quæ in damnum tertij redundant; alia deniquè, quæ in damnum, ſeù perniciem Reipublicæ, ſeù communitatis vergunt: illa dicuntur peccata cedentia in damnum ſolius peccantis, quæ tantùm peccantem lædunt, qualia ſunt conſuetudo vexandi, ebrietas, &c. illa dicuntur in damnum tertij, quæ tertium lædunt, vt adulterium, homicidium, furtum, detractio, &c. illa tandem dicuntur cedere in damnum communitatis, quæ Rēpublicam deturpant, atque offendunt, vt in temporalibus ſunt proditio, inſtitutio falſæ monetæ, ſubornatio ad officia, quatenus indignus præfertur digno, & dignus digniori; in ſpiritualibus, vt falſa doctrina, qua fides, & mores corrumpuntur: videantur S. Tho. 2. 2. quæſt. 35. art. 7. Sotus de regend. ſecret. membr. 2. quæſt. 4. Petr. Nauarr. de reſtit. lib. 2. cap. 4. num. 185. Clauis Reg. lib. 11. cap. 4. num. 5. 6. Layman. lib. 3. tract. 5. p. 2. cap 4. num. 2. Caſpenſ. in curſu theolog. 2. p. de charitat. tract. 17. diſp. 6. ſect. 4. Caſtr. Palaus p. 1. tract. 6. diſp. 3. punct. 13. nu. 2. Baſſæus in ſumm. tit. Denuntiatio num. 4. Fagundez in præcept. decal. lib. 8 cap. 7. n. 1. 23.

2. Pro ſecund. not. ſit explicatio propria peccati contra bonum publicum, quæ habetur clarè ex Soto vbi ſupr. verſ. ſed mouetur; Illa, inquit, ſola peccata cenſentur in perniciem publicam, quæ habent pro obiecto proximo bonum publicum, putà quæ ex genere ſuo contagioſa ſunt; & contaminant Rempublicam, vt hæreſes, & proditiones; nam huiuſmodi homines peruertere moliuntur populum: item ambitio, & ſubornatio ſuffragiorum in cathedris, & in alijs electionibus, & in vniuerſum, quandò quis in aliquo conuentu, aut Ciuitate ſatagit peruertere fratres: hæc Sotus: adhærent Layman, & Clauis Regia vbi ſup. Primus ait: Quædam ſunt crimina per ſe, ac directè noxia communitati, vt hæreſes, proditio, crimen læſæ maieſtatis, falſatio monetæ, ponderum, prædandi, latrocinandi conſuetudo, falſa ſubornatio in electionibus, crimen ſuſurronis, vel ſi quis alia ratione in communitate ſatagit peruertere fratres. Secundus inquit: Quoddam enim eſt peccatum occultum, quod vergit in damnum publicum, vt proditio Ciuitatis, hæreſis, crimen læſæ maieſtatis; & qui in aliqua communitate ſatagit peruertere fratres.

PRI-

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. VEriſſima doctrina eſt, à DD. non refellenda, eſſe nonnulla peccata pernicioſa communitati Eccleſiaſticæ, quæ non ſunt pernicioſa communitati ſæculariũ; nonnullaque alia, quæ ſunt pernicioſa communitati Regularium, & non communitati Eccleſiaſticæ, vt ſic; & præterea aliqua pernicioſa huic communitati Regularium, & non alteri. Ratio eſt manifeſta, quia, cum vnaquæque communitas intendat pro ſui conſeruatione propagare diuerſum bonum commune, conſequenter oboritur, quòd aliqua peccata ſint pernicioſa vni, & non alteri communitati: videatur Fagundez vbi vbi ſupr. lib. & cap. 7. n. 1. referens peccata contra communitatem Regularium, licèt non omnia illa admittam.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. IN quacunque communitate tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum, & præſertim Regularium frequens ſolicitatio ad turpia cenſenda eſt in foro rigore peccatum contra bonum publicum. Suadetur: ſatagere in quacunque communitate peruertere hominum mores ad malum eſt peccatũ contra bonum publicum, conſequenter exceptum. Ita DD. citati in ſec. not. quibus adduntur Durand. in 4. diſt. 19. quæſt. 4. in corpore: Palud. in 4. diſt. 19. quæſt. 4. Richard. in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. in corp. Adrian. in 4. de fratern. correct. in corpor. ſed frequens ſolicitatio ad turpia nonne ſatagit peruertere hominem ad malum? nemini eſt dubitandum, quin ſit peccatum contra bonum publicum; ideò dicebat S. Th. quodlibet. 11. art. 12. *Credo, quòd ſi eſſet aliquod peccatũ carnale, quod vergeret in detrimentũ multitudinis, ſtatim eſt reuelandum, cum præponderet bonum cõmune in ordine charitatis bono proximi, ſiue ſit fama, ſiue conſcientiæ.* Dixi, & præſertim Regulariũ, ad inſinuandam veritatem concluſionis præſertim ſpectare ad Regulares, quia, cum bonum eorum publicũ ſpecialiter propagetur ex optima iuuenũ educatione, ijs corruptis, corrũpitur, ac deſtruitur bonũ publicum totius vitæ regularis: hinc optimè Fagund. vbi ſupr. num. 1. huiuſmodi peccatum inter peccata excepta inter Regulares connumerauit. Dixi, frequens ſolicitatio, ad demonſtrandum, quòd ſi ſemel quis ſolicitat ad turpia, non ideò cenſendus eſt incurriſſe in peccatum exceptum, ſeu contra bonum publicum; non enim per vnam ſolicitationem bonum publicum communitatis poteſt dici notabiliter læſum, nec habetur, quòd quis per vnam ſolicitationẽ ſatagit peruertere homines, ſicut habetur per binam; nam binus actus conſuetudinem introducit, vt ex multis probat Salas de leg. q. 97. tr. 14. diſp. 19. ſect. 8. nu. 72.

Dices, ſolicitatio ad turpia eſt dicẽda potiùs contra perſonam priuatam, quàm contra bonum publicum, & ita determinat Laiman, vbi ſupr. num. 4. Reſp. Doctorem loqui de ſingulari ſolicitatione, & non de pluribus; aliàs ſibi contradiceret, vt videri poteſt in ſecund. notand.

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. HOmo frequentibus ſolicitationibus addictus, licèt occultus, ſi indicijs oſtendi poſſit, itavt denunciatori fides aliqua habeatur, prætermiſſa correctione fraterna, ſtatim denuntiari debet Prælato tanquam Iudici. Ratio eſt clara, quia S. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. Clauis Reg. lib. 11. ca. 4. num. 4. Sanch. opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 5. nu. 5. cap. 13. referens infinitos DD. docent, peccata in perniciem boni publici eſſe referenda Iudici, vt bono publico læſo punitione ſatisfaciat, non habita conſideratione famæ delinquentis, eò quòd bonum publicum bono particulari delinquentis præferri debet.

Limita, niſi denuntiator haberet certam ſpem ſe priuata monitione huiuſmodi peccatum occultum, tantum Religioni pernicioſum impedire, ac tollere poſſe; tunc enim abſtinere debet à denuntiatione iuridica. Ita apertè colligitur ex S. Thom. Clau. Reg. Adrian. Richard. Layman. vbi ſupr. à Palud. in 4. diſt. 19. qu. 4. & à Nauarr. man. c. 18. num. 56. Ratio eſt, quia peccator ſine cauſa neceſſitatis infamaretur cõtra charitatis legem, cum per correctionem frater-

nam

nam ſatis profuturam bonum delinquentis habeatur, & etiam ſufficienter conſulatur bono communi, monent tamen Valent. to. 3. diſp. 3. q. 8. punct. 5. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſtit. c. 4. nu. 186. Nau. man. 24. n. 14. Sotus de ſecret. membr. 2. q. 4. concl. 2. Caſpenſ. tr. 17. de charit. diſp. 7. ſect. 4. n. 36. Caſtr. Palaus to. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 13. nu. 4. Laymã, & Sanch. vbi ſup. ratum eſſe, vt quis, mediante ſecreta monitione, ſit ſecurus de emendatione delinquentis in his criminibus aduerſus bonum publicum; ideò abſque ſcrupulo eſt ſtatim denuntiandus delinquens Prælato tanquam Iudici.

Dixi in concluſione; ſi indiciis oſtendi poſſit, ad inſinuandum quoddam quæſitum, quo quæritur: an delicta ſecreta, quamuis in damnum tertij, ſeù communitatis, qualia ſunt, quæ ab vno præter committentem ſciuntur, ſint iudicialiter denuntianda. Prima ſententia videtur eſſe te non poſſe ad denũtiationem iudicialem deuenire, ſed ea eſſe dicenda Prælato, vt Patri, vel alijs, vt obſeruent, & poſſint eſſe teſtes in iudicio. Ita Durand. in 4. diſt. 19. quæſt. 4. Sot. de ſecretò membr. 2. q. 4. concl. 2. Petr Nauarr. lib. 3. de reſtit. c. 2. n. 358. in 2. edit. Henriq. alijs relatis lib. 13. de excommunicat. c. 18. n. 3. Ratiò eſt, quia nequit eſſe iudicium ſine ſufficienti probatione; & ideò vbi impoſſibilitas, ibi nullá obligatio. Secunda ſententia ſuſtinet te poſſe, ac debere delinquentem huiuſmodi aperire Prælato, vt Iudici; quamuis eius delicta probare non poſſis, ſed ſolus tu ſcias. Ita docent expreſsè Silu. tit. correctio qu. 5. Emman. Sà in edit. Roman. tit. denuntiatio. Valent. diſp. 3. q. 10. punct. 5. pag. 677. Villalob. tom. 2. ſumm. tract. 4. diffic. 11. nu. 2. 4. Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 30. du. 2. n. 13. & dub. 6. n. 43. Caſtr. Palaus vbi ſup n. 13. Ratio eſt eſt in promptu, quia huiuſmodi denuntiatio ordinatur non tam ad bonum delinquentis, ſed etiam ad impediendum damnum; vndè non eſt curandum de fama delinquentis, quandò tractatur de bono communi, ſeù innocentis, cum ei aliter nequit occurri: vtraque opinio eſt probabilis: videatur etiam Sanch. lib. 6. c. 2. dub. 5. nu. 8. opuſc.

*QVARTA CONCLVSIO.*

61 PRælati officium poſtulat, vt præcipiat huiuſmodi denuntiationem ſibi fieri tanquam Iudici, quandò aliter notitiam delinquentis nequit habere; cui præcepto tenentur parere ſubditi, etiamſi adeſſet iuramentum de non denuntiando. Prima pars habetur ex eo, quia omnibus incumbit onus tuendi, tanquam finem communitatis, bonum commune; ideò dicebat Caiet. 2. 2. quæſt. 90. art. 8. quemlibet teneri Reipublicæ bonum commune tutari, nec in diſcrimine ponere; idque præſertim Rectoribus, ac Paſtoribus, vt inſinuat S. Thom. 1. de regim. Princip. cap. 1. *Oportet igitur præter id, quòd monet ad bonum proprium vniuſcuiuſque, eſſe aliquid, quod monet ad bonum commune multorum, propter quod & in omnibus, quæ in vnum ordinantur, aliquid inuenitur alterius regitiuum*: igitur Prælati munus petit, vt præcipiatur huiuſmodi denuntiatio; nam cui incumbit onus finem propagandi, is obligatur etiam, inquit Sanch. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 1. ad media pro eius propagatione; alio enim modo nequit Prælatus occurrere bono publico læſo, vt ſupponitur, niſi adhibito præcepto denuntiandi iudicialiter. Secundam partem docent communiter DD. inter quos eſt Filliuc. tom. 2. tract. 4. cap. 7. nu. 122. Tolet. lib. 5. ſumm. c. 5. & c. 17. n. 2. & 4. Nauarr. c. 25. n. 23. Innoc. in c. Qualiter 1. de accuſat. Panorm. in c. Dilectus de exceſſibus Prælator. Leſſius lib. 2. c. 30. dub. 6. nu. 43. Fagund. in 8. præcept. Decal. lib. 8. cap. 51. nu. 10.

Quòd ſi huiuſmodi delinquens ſit iã denuntiatus Prælato tanquam Patri, quid in caſu poteſt faecre Prælatus? Audiamus Suar. 4. de Relig. tr. 10. lib. 10. c. 12. n. 43. qui poſtquam affirmauit præceptum Prælati impoſitum delatori paterno, vt iudicialiter denuntiet delictum ſectetum ſubditi delatum ſibi tanquam Patri, quod non vergit contra bonum publicum, & tertij non obligare, quia huiuſmodi præceptum obſtaret bono publico; nam deterret ſubditos à deferendis criminibus ad Prælatum, tanquam videntes ſe ſtatim obligari ad denuntiandum iudicialiter; poſtea n. 44. ſubdit: ſecus verò erit,

ſi delictum vergat in damnum communitatis; nam tunc obligari poteſt ſubditus per præceptum Prælati, vt ſibi denunciet iuridicè delictum fratris, vt poſſit communitatē indemnem ſeruare; nam hæc eſt legitima cauſa talis præcepti; & ideò, non obſtante ſecreto prioris denuntiationis paternæ, poteſt iuſtè illud imponere, imò ſi ſubditus ſuo præcepto nolit obedire, poteſt iudicialiter procedere, non via inquiſitionis, quia non præceſſit infamia, vt ſupponimus, ſed via denuntiationis creando Fiſcalem, qui cauſam aſſumat, & denuntiet, & tunc poterit etiā interrogare primum denuntiantem tanquā teſtem, qui tenebitur ſub iuramento veritatem dicere, quia iam legitimè interrogatur, & poſt teſtimonium eius, ſi ſit omni exceptione maius, poterit interrogari Reus, ita vt obligetur ad veritatem fatendam, & ita vlteriùs procedi: hæc Suar. cuius doctrinæ adhærent Em. Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 7. nu. 83. Caſtr. Palaus tom. 1. tra. 6. diſp. 3. punct. 11. nu. 11. Trullench. in expoſit. Decal. lib. 1. c. 5. dub. 16. num. 8. Caſpenſ. vbi ſup. ſect. 3. in fin. num. 35. & Dian. p. 7. tract. 3 reſ. 47. Fragoſ. de regim. Chriſt. Reipubl. tom. 2. part. 2. lib. 12. diſp. 74. nu. 27. in fin. §. 1. Philipp. de Bictis in comp. cauſ. iudic. Reg. qu. 16. n. 9. pag. 54.

Subdit tamen Suar. vbi ſupr. excuſabitur tamen meritò ab hoc onere ſubditus, qui paternè denuntiauit, ſi fuit complex delicti, & ob affectum Religionis, vel perfectionis illud Prælato, vt Patri manifeſtauit, fortaſſè etiam manifeſtando ſeipſum; tunc enim obligari non poteſt, vt alium denuntiet iudicialiter; vel contra illum ferat in iudico teſtimonium, quia nemo tenetur ſe iudicialiter prodere, & prodere complicem eſt moraliter prodere ſe ipſum: nemo etiam tenetur cum graui ſuo detrimento, vel infamia teſtimonium in iudicio contra alium ferre, vt eſt communis ſententia, de qua videri poteſt Couarr. in pract. quæſt. ca. 18. & D. Th. cum interpretibus 2. 2. quæſt. 70. articul. 1. hæc Suarez: cui ſe ſubſcribunt breuibus verbis Eminent. Lugo vbi ſupra num. 85. in fin. & Fragoſ. vbi ſupr.

## DVBIVM LII.

*An licitum ſit Prælatis ſubditos delinquentes arguere.*

### SVMMARIVM.

1. *Licitum, imò neceſſarium ſubditos delinquentes arguere.*
2. *In huiuſmodi reprehenſione lenitatis modus eſt obſeruandus.*
3. *Nec eſt adhibenda correctio niſi culpa probata adhoc, vt ſanet, imò aliquandò eſt differenda.*

### PRIMA CONCLVSIO.

1. Licitum eſt, imò neceſſarium ſubditos delinquentes arguere, ac reprehendere. Quæ concluſio habetur ex Concil. Trident. & ex SS. PP. inferiùs citandis, ſed præſertim elicitur ex S. Paulo 2. ad Timot. c. 4. eundem Timot. inſtruente: inter verba Apoſtoli hæc leguntur: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, increpa, obſecra in omni patientia, & doctrina*: ſuper quam monitionem Chryſoſtom. ibid. inquit: *Quid eſt opportunè, importunè? tempeſtiuè, intempeſtiuè? hoc eſt nullum habens definitum tempus, ſemper tibi tempus ſit, non ſolùm in pace, & in quiete, neque in Eccleſia tantum ſedens, verùm & inter ipſa pericula, ſiue carceri incluſus, ſiue catena conſtrictus, ſiue mortis lata ſententia ad mortem properes, ipſo etiam tempore argue, neque increpare diſſimules; tunc enim increpationis tēpus etiam eſt, cum arguendo profeceris, cum opus oſtenſum fuerit*: quæ verba, dum non parcunt increpationi neque in pace, neque in periculis, laboribus, atque ærumnis, ſatis oſtendunt Prælatis omnibus neceſſariam eſſe pro ſpirituali regimine animarum congruam reprehenſionem. Ratio etiam conuincit, quia, cum Prælati dantur in commodum, & vtilitatē non ipſorum, ſed ſubditorum, vt inquiunt S. Th. 2. 2. q. 185. & 1. de regim. Princip. c. 1. S. Antonin. 3. part. tit. 19. c. 10. & alij cōmuniter; eorū vtilitas poſtulat,

vt

vt arguantur, & reprehendantur, vt confundantur de defectibus commiſſis, & retrahantur ab eiſdem, ſeù ſimilibus denuò perpetrandis.

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

2. Esto neceſſarium ſit pro recta directione ſubditorum delinquentes arguere; nihilominus ſpecialis modus eſt ſeruandus, vt habetur ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. de reformat. dicente: *Quòd Prælati in commiſſis ſibi Eccleſijs cò libentiùs reſideant, quò faciliùs, & commodiùs ſibi ſubditos regere, & in vitæ, ac morum honeſtate continere potuerint: illos primùm admonendos cenſet, vt ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in eis dominentur, ſed illos, tanquã filios, & fratres diligant, elaborentquè, vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur, quibus tamen, ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cum ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm auſteritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm poteſtas, &c.* ad id faciunt multa SS. PP. dicta: S. Auguſt. relatus in decret. 24. quæſt. 3. ca. Corripiantur: *Corripiantur itaque à Præpoſitis ſuis ſubditi, fratres correctionibus de charitate venientibus pro culparum diuerſitate diuerſis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipſa, quæ damnatio nominatur, quam facit Epiſcopale iudicium (qua pœna in Eccleſia nulla maior eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in correctionem ſaluberrimam cedere, atque proficere: neque enim ſcimus, quid contingat ſequenti die, an ante finem vitæ huius, de aliquo deſperandum eſt? aut contradici Deo poteſt, ne reſipiſcat, & det pœnitentiam, & accepto ſacrificio ſpiritus contribulati, cordiſque contriti à reatu, quamuis iuſtè damnationis abſoluat, damnatumque ipſe non damnet? Paſtoralis tamen neceſſitas habet, ne per plures ſerpant dira contagia, ſeparare ab ouibus ſanis morbidam ab illo, cui nihil eſt impoſſibile, ipſa forſitan ſeparatione ſanandam; neſcientes enim, quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, quis non pertineat, ſic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri*: hæc Auguſt. S. Bernardus Prælatos alloquens ſerm. 23. in Cant. inquit: *Diſcite ſubditorũ matres vos eſſe debere, non Dominos; ſtudete magis amari, quàm metui, & ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica*: audiamus D. Proſper lib. 2. de vit. contemplat. cap. 5. & D. Chryſoſtom. vbi ſupr. Prim. ait: *Argue coæquales, obſecra ſeniores, increpa duriores, ſed propterea addit, in omni patientia, quia leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti; aſperitate nimia, & increpatione offenſus, neque increpationem recipis, neque ſalutem*. Secundus inquit: *Quod ſi arguas vehementer, & increpes, obſecrationẽque ſubducas, rurſus omnia perdis, quippè reprehenſio per ſe intolerabilis eſt, niſi habeat admixtam obſecrationem, ſicut & ſectio ſalutaris licèt ſit, niſi plurima dolorem conſolentur, non eam ſuſtinet languidus.*

### *TERTIA CONCLVSIO.*

3. Esto veriſſimum ſit rigorem increpationis, vt vtilis ſit, poſtulare oleum lenitatis, & obſecrationis; nihilominùs huiuſmodi increpatio ad hoc, vt ſanet infirmum, indiget culpæ probatione; imò, habita etiam probatione, aliquandò in aliud tempus eſt differenda. Duas habet partes concluſio, quarũ prima habetur à D. Chryſoſtom. vbi ſup. *Si abſque argumentis*, inquit, *increpes, temerarius eſſe videberis, nulluſque te perferet; vbi verò præceſſit probatio, tunc & increpationem faciliùs ſuſcipit, alioquin impudens fiet*. Secund. ex D. Auguſtin. lib. 1. de Ciuitat. Dei c. 9. *Nam ſi propterea quiſque obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit; vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur; vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediat infirmos alios, & premant, atque auertant à fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis*. Tandem pro fine inſtructionis legant Prælati conſilium Nazianzen. orat. 1. pag. 70. *In quibuſdam ad nonnulla conniuere ſatiùs fuerit, (ita vt videntes non videamus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici ſolet) ne alioquin eos nimis crebris obiurgationibus, tanquam fluctibus obruentes ad deſperationem incitemus, ac diſſoluto tandem pudore, quod*

*perſuaſionis pharmacum eſt, ad quoduis facinus audaciores reddamus.*

## DVBIVM LIII.

### *An Prælati in ſuorum ſubditorum redargutione verbis contumelioſis vti poſſint.*

### SVMMARIVM.

1. *Iniuria quid; & quibus modis fit.*
2. *Iniuria alia formalis, alia materialis: & explicatur, quandò ſit peccatum mortale, ſeu veniale.*
3. *Regularium ſuperioribus non videtur illicitum poſſe vti contumelijs materialibus contra ſubditos delinquentes cauſa eos corripiendi: habetur quædam limitatio.*
4. *Exceſſus in correctione non ſubiacet ſatisfactioni ex vi conſcientiæ: ſecus ex vi perfectionis.*

Pro intelligentia quæſiti not. eſt prim. quòd contumelia, quam Iuriſconſulti ſpecialiter iniuriam nuncupare ſolent, vt habetur ex tit. ff. & C. de iniurijs, ſic definitur iuxta mentem S. Thom. 2. 2. quæſt. 72. at. 1. ibi Caietan. Petr. de Aragon. Sot. lib. 5. de iuſt. qu. 9. art. 1. Nauarr. cap. 18. num. 10. 11. Clau. Reg. lib. 12. cap. 4. num. 2. Baſſæus in ſumm. tit. contumelia. Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 16. punct. 1. eſt iniuria quædam, qua quis alicui honorem aufert deducendo in notitiam eius, vel aliorũ aliquid, ex quo ille dehonoratur; quæ dehonoratio tribus modis contingere poteſt. Prim. cum quis profert verba iniurioſa in præſentia. Secund. literis, & libellis, ita vt ad iniuriati notitiam perueniant. Tert. in abſentia, cum iſta tamen intentione, vt eius notitiam attingant: verùm, vt propriè loquamur, contumelia conſiſtit in iniuria in præſentia iniuriati prolata, cuius honori officit: impropriè etiam conſiſtere poteſt in factis, quatenus ſignificant intentionem lædendi honorem alterius: videatur S. Th. cum alijs, præſertim Clauis Regia.

Not. ſecund. duplicem eſſe contumeliam; alteram formalem, qua quis cum intentione intendit notabiliter lædere honorem alterius; & hæc ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Ita DD. citati: colligitur enim euidenter ex illo Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ratio eſt, quia, cum honor, & reuerentia ſint maximum bonum, & melius diuitijs; ideò, cum læditur, læditur etiam lædentis anima graui culpa. Dixi, eſſe mortale ex genere ſuo; nam fieri poteſt, vt tantùm ſit veniale, vt contingit, quandò quis leue conuicium iacit intentione leuiter ſubtrahendi honorem. Ita Salon. 2. 2. qu. 72. art. 2. concl. 1. cum S. Thom. ibid. Baſſæo. Clau. Reg. Alteram verò materialem, qua quis profert verba ſine intentione dehonorandi, & quamuis ex ſe, & ex genere ſuo non ſit peccatum mortale, eò quòd deficit intentio dehonorandi, per quam conſtituitur formalis contumelia; nihilominus aliquandò erit mortale, aliquandò veniale tantùm, aliquandò nullum peccatum erit: mortale, quamuis non intendatur honoris læſio, ſi tamen ex ipſa prolatione verborum alter notabiliter in honore lædatur, ſiue ex ignorantia craſſa, ſiue ex negligentia aduertendi id proueniat: Clauis Regia, & Baſſæus vbi ſupr. veniale propter defectum cautelæ, vt ſolent communiter fieri inter mulierculas, pueros, & homines infimæ ſortis, qui ſe ſolent aſpergere ex animi irati promptitudine contumelijs, & conuicijs, dicendo, quidquid in ore occurrit: Bonacina de reſtit. diſp. 2. qu. 5. punct. 1. num. 4. cum alijs DD. citatis. Ratio eſt, quia huiuſmodi contumelijs non adhibetur fides, nec notabiliter læditur honor; deeſt enim, vt plurimùm, animus grauiter lædendi: ſi verò intenditur notabilis læſio, notabilis etiã culpa inſurgit, vt optimè notant DD. vltimo loco citati: tandem nullum peccatum erit, quandò quis per iocum, ſeu per correctionem proijcit conuicium, aut quandò inuincibiliter ignorat læſionem aliquam ſequuturam. Ita Bonac. referens Valentiam, & Molin.: his ſuppoſitis ſit.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

Videtur licitum eſſe Superioribus Regularium conuicijs materialibus ex ſola intentione corripiendi increpare ſubditos delinquentes. Ita docent S. Thom. 2. 2. qu. 72. art. 2. ad 3. vbi Caietan. Salon. concl.

concl. 2. Rodriq. tom. 2. qu. 41. art. 2. Bonacin. & Baſſæus vbi ſupr. Sanctorius de pœnis c. 13. p. 1. pag. 69. tum quia Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos ſtultos vocauit Luc. 14. & Paul. ad Galat. c. 3. eos nuncupauit inſenſatos, tum quia, ſi licet cauſa diſciplinæ eos verberibus afficere, ita & cōtumelijs.

Limita, modò tria obſeruentur, obſeruata, & notata à Salon. vbi ſupr. quem ſequitur Peirin. tom. 2. qu. 2. c. 3. ſ. 16. n. 148. Prim. vt dicantur ſolò animo corripiendi. Secund. vt cautè, & modeſtè, & cum magna neceſſitate, & vbi cautè ſperatur profutura fore, quæ conditio tangitur à. D. Thō. vbi ſupr. n. 2. Tert. vt Superior vtatur ſermone, ex quo percipiat ſubditus non ex ira, & paſſione, ſed ex animo, ac deſiderio ipſum corripiendi. Addi etiam poteſt quarta conditio à Nauarr. c. 18. n. 12. tradita, & valdè commendata à Rodriq vbi ſupr. vt ſolùm ſignificentur vitium, de quo prætenditur correctio, & non alia vitia correcta, & emendata, & è memoria hominum iam elapſa; vndè male faciunt Prælati decantando lytanias vitiorum.

Aduertit Salon. quem ſequitur Peirin. cum difficilè ſit illa omnia in praxi ſeruari; ideò abſtinendum eſſe ab huiuſmodi contumelijs, ne Prælati peccati culpa grauentur: Difficile enim fieri poteſt, inquit Doctor, vt honor ſubditi non lædatur, cum verba Prælatorum ſint maioris ponderis, quàm aliorum, malletque ſubditus potiùs verberibus, quàm contumelijs affici: audiamus etiam verba Caietan. vbi ſupr. & Sot. lib. 5. de iuſtit. qu. 9. art. 2. Primùs inquit: Tutiùs mihi videtur, quòd nunquam, niſi, Spiritu Sancto ſuggerente, dicantur contumeliæ; quoniam repræſentantur ſubditis, quòd non ex charitate, ſed ex paſſione procedant, fiuntque deteriores non ſuſcipientes diſciplinam, leuiúſque verbera, quàm contumelioſa verba ſuſcipiunt; vndè Tullius in lib. de officijs: *Omnis animaduerſio, & caſtigatio contumelia vacare debet*. Secundus ait: Cū tantùm ſemper fuerint homines honoris tenaces, conſultiſſimè cuique, etiam Prælatis abſtinendum eſt à conuicijs, quæ humanos animos amarulentiùs, quàm corporalia vulnera exulcerāt: quā doctrinam multis rationibus confirmat Nauarr. cap. inter verba. concluſ. 6. à nu. 127.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

QVamuis Prælatis regulares in corripiendo ſubditos delinquentes excedant metam rectæ reprehenſionis; non ideò tenentur petere veniam ab ijs, quos læſerunt. Ita Silu. tit. correctio n. 12. & tit. contumelia qu. 4. Salon. 2. 2. qu. 72. art. 2. concl. 4. Rodriq. tom. 2. qu. 41. art. 3. Nauarr. vbi ſupr. n. 129. habetur etiam ex c. Quādò diſt. 86. & elicitur ex D. Gregor. part. 2. Paſtor. c. 10. verſ. fin. *Dum*, inquit, *ad increpationem ſe mens Doctoris exaſperat, difficile eſt valdè, vt non aliquandò, & ad aliquid, quod dicere non debet, erumpat; vndè neceſſe eſt, vt exaſperatus Rector cum ſubditorum mentem plus ſe, quàm debuit, percuſſiſſe conſiderat, apud ſe ſemper ad pœnitentiam recurrat, vt per lamenta veniam in conſpectu veritatis obtineat, ex eo etiam, quod per Zeli eius ſtudium peccat*. Ratio doctrinæ deduci poteſt ex eo, quòd huiuſmodi humilitas, & ſatisfactio poteſt eſſe in damnum regiminis, & authoritatis Prælatorum.

Quæ concluſio ſemper erit intelligenda ex vi conſcientiæ, & iuſtitiæ; nihilominus ratione perfectionis inter Regulares exiſtimo eſſe rem magna laude dignam veniam petere, dicente S. Bernard. in epiſt. 72. *Pulcherrimus ordo eſt, & ſaluberrimus, vt onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcat, qualiter oporteat alijs moderari*: fateor, me vidiſſe hominem non medlocri virtute preditum huiuſmodi veniam petentem, qui tandem & Imperio, & exemplo obtinebat ea, quæ à ſubditis erant obtinenda; vndè poſt ſe reliquit exemplum ſummæ humilitatis, & ſummæ rectitudinis in regimine; quare eius authoritas non diminuebatur, imò maiores vires in regimine reſumebat, vndè ſubditi ab huiuſmodi exemplo coacti, ſigna humilitatis, & patientiæ præſtabant, & magis, ac magis diſciplinam regularem propagabant: aduertunt tamen Gloſſ. in d. c. Quandò. Angel. tit. correctio Prælatorum, & Silu. vbi ſupr. quòd, ſi Prælatus ex odio, & malignitate excederet in dicta reprehenſione, damnandus eſſet lethali

thali culpa, & teneretur veniam petere, ac honorem reſtituere, quia tunc teneretur ratione iniuriarum.

## DVBIVM LIIII.

*An Prælatus verbis contumelioſis vti poſſit aduerſus ſubditum extraneum, qui obtentis literis obedientialibus à ſuo Generali in illam Prouinciam, ſeù locum ſe tranſtulit gratia negotium pertractandi ad hoc, vt quamprimum deſerat Prouinciam, ſeù locum.*

### SVMMARIVM.

1. *Triplex genus Prælatorum communiter cognoſcuntur in Religionibus, eorumque iuriſdictio diſtinguitur.*

2. *Tranſgredi regulam non obligantem ad culpam hac intentione, vt impediatur finis regulæ, eſt mortale.*

3. *Profeſſio eſt mutuus contractus, ſeù mutua Religioſi, & Religionis obligatio.*

4. *Nequit Prælatus iuſtè denegare ſubdito extraneo commoditates, quæ alijs ſubditis conceduntur pro tractando negotio.*

5. *Neque poteſt vti verbis contumelioſis aduerſus prædictum ſubditum ad impediendam expeditionem negotij.*

1. Not. prim. quòd triplex genus Prælatorum communiter enumeratur in Religionibus, infimorum, ſupremorum, & mediorũ: infimi in Religione ſunt illi, qui conuentuales, ſeù locales nuncupantur, & præſident vni tantum familiæ, & in eam exercent iuriſdictionem ordinariam, & hi appellantur Abbates, Priores, Guardiani &c. ſupremi, qui alium Superiorem ſupra ſe non cognoſcunt, omneſque alios Superiores ſibi ſubiectos habent, appellantur communiter Generales: medij, qui Superiorem Prælatum habent, cognoſcunt tamen alios Prælatos, nempè locales ſibi ſubiectos, & hi nominãtur Prouinciales: ſcio tamen Religiones monachales non habere in vſu huiuſmodi Prælatos medios, ſicut etiam ſcio Religiones Franciſcanas vti alijs Prælatis in ſuo regimine, vt ſunt Commiſſarij ciſmontani, vel vltramontani, & Cuſtodes, ſed de his non loquor, neque de creatione Viſitatorum, quia non ſunt Superiores ordinarij; ſed extraordinarij fruentes iuriſdictione delegata, quæ expirat per mortem concedentis, ſed tantùm de illis tribus generibus Prælatorum, qui in ſubditos habent iuriſdictionem, & acthoritatem ordinariam, & non delegatam, vt certum eſt apud omnes, inquit Suar. 4. de Relig. lib. 2. cap. 2. num. 7. tract. 8. quæ iuriſdictio, inquit Suar. n. 17. hoc modo poteſt diſtingui; nam Prælatus infimus ſolùm in ſuum monaſterium, eiuſque perſonas iuriſdictionem poſſidet: medius, ſeù Prouincialis in perſonas, ſeù monaſteria ſuæ Prouinciæ: Generalis verò in omnes perſonas, monaſteria, & Prouincias Religionis: hinc idem Suar. habet hæc verba n. 22. Maior Prælatus poteſt coarctare iuriſdictionem inferioris, non tamen è conuerſo, hoc poſterius per ſe notum eſt, & colligitur à paritate rationis ex c. Nullũ. 18. qu. 2. prius autem multipliciter etiam ſequitur ex dictis. Prim. quia inferior Prælatus in ſuo eſſe dependet à Superiore: ergo in iuriſdictione: ergo in quantitate, & amplitudine iuriſdictionis. Secund. inferior Prælatus eſt ſubditus Superiori: ergo ſi Superior præcipiat, vt in hac, vel in illa re nõ ſe intromittat, tenetur illi obedire ſupponendo, nullam turpitudinem in eo præcepto includi: hoc igitur modo etiam poteſt limitare eius poteſtatem. Tert. quia Prælatus vniuerſalis poteſt immediatè præcipere omnibus ſubditis: ergo poteſt eis prohibere, ne in hac re, vel illa pareant inferioribus Prælatis: ergo etiam hoc modo limitabit facultatem illorum, quia eius potẽtia, & voluntas efficacior eſt: hæc Suarez. Ex qua doctrina oboritur, vt paulò ante idem Suar. inſinuat, voluntatem inferioris Prælati non poſſe eſſe efficacem contra voluntatem ſui Superioris, imò nec iuſtam, inquit Paſqualig. deciſ. 57. n. 7. eò quòd ratione obedientiæ ſubijcitur voluntati ſupremi Prælati.

2. Not. ſec. eſſe mortale regulam tranſgredi, ſeù præceptum, etiam ſi ad nullam culpam, vel ſolùm ad veniale obliget, quoties eam Religioſus violet, vt impediat, quãtùm in ſe eſt, finem illius legis, quod de præceptis etiam ad ſolùm veniale obligantibus tradunt Caietanus ſumm. tit. tranſgreſſio

ſio præcepti verſ. Commune eſt autem. Armill. cit. præceptum n. 4. Valent. tom. 2, diſp. 7. q. 5. punct. 6, colon. antep. verſ. tertius caſus eſt, & Vaſq. dicens id eſſe veriſſimum 1. 2. qu. 96, art. 4. diſp. 158. c. 6. n. 57. Ratio habetur à Caietan. quia hic tranſgreſſor ex contemptu ſe habet ad præceptũ ipſum; nam hic reſpuit finem, ſicut ille reſpuit præceptum: & licèt hi DD, inquit Sãch. ſumm. lib 6. c. 4. n. 22. non agant de regulis ad culpam non obligantibus, eadem tamen ratio in his militat; nam harum contemptus ſimiliter eſt malus, & mortalis; vellem autem impedire finem præcepti æquiparant quoad culpam cõtemptui DD. citati: doctrina hæc in noſtro caſu, prout infra, libenter admitto, quia efficax pro caſu.

3. Not. tert. quòd profeſſio, vt inquiũt DD. eſt mutuus contractus, mutuaque Religioſi, & Religionis obligatio; vndè ſicut Religioſus, quandò profitetur, non ſolùm ſe obligat ad inſeruiendum ſoli illi conuentui, ſeù Prouinciæ, in qua profeſſionem emittit, ſed etiam toti Religioni in cõmuni; ita è contra tota Religio in communi ſe obligat ad illum alendum, gubernandum, & retinendum, vbicunquè reſideat cum Superioris licentia; quarè Religioſi habent ius, vt inquiunt Leſſius de iuſtit. c. 22. dub. 3. n. 15. Sanch. opuſc. 1. lib. 2. c. 1. dub. 1. n. 2. Aragon. 2. 2. qu. 63. art. 2. ad omnia commoda Religionis: hinc eſt, quòd Religioſi peregrinantes, ſeù itinerantes, ac manentes in Prouincijs, ſeù locis cum ſuorum Superiorũ licentia, non debẽt recipi propriè tanquam hoſpites, ſed tanquam fratres ius habentes ad veſcendum cibis, qui comeduntur in illa communitate, in qua degunt, & ad vtendum cæteris commodis, quibus alij fruuntur, eodem prorſus modo ac fratres reſidentes de familia in conuentu, attento etiam hoc, quòd hoſpites ſunt ſubditi illorum Superiorum, in quorum conuentibus degunt ſecundum ius commune.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. PRælatus denegando ſubdito extraneo commoditates, quę ſolent alijs concedi, quibus habitis, negotium iuxta licentiam Superioris maioris facillimè pertractabit, vt mille oppreſſus moleſtijs eligat quamprimùm Prouinciam, ſeù locum deſerere, lethalis culpæ reus habendus eſt. Suadetur ex eo, quia huiuſmodi Prælatus tali modo operando aduerſùs extraneum habet voluntatem efficacẽ contra Superioris maioris volũtatẽ, quod iniuſtũ eſt: ergo iniuſta; ergo iniuſta lethaliter: antecedens cum prima conſequentia patet in calce prim. not. vltima probatur: impedire finem legis non obſeruando præceptum ea intentione, vt finis præcepti non exequatur, eſt mortale, vt inquiunt DD. prout in ſec. not. ſed huiuſmodi Prælatus denegando commoditates, &c. intendit impedire finẽ præcepti, ſeù licentiæ ſubdito conceſſæ à Generali, vt negotium non pertractet, quod fuit finis, quarè Generalis conceſſit tranſitum in illam Prouinciam, ſeù locum ſubdito: ergo lethali culpà damnandus eſt. Nec obſtat moueri Prælatum non ad impediendum finem licentiæ conceſſæ, ſed ad extraneum ſubditum expellendum, quia iſtud ſecundum moraliter nequit ſeparari à primo; nam finis licentiæ obtineri nequit, niſi ſubditus moretur in cœnobio, in quo negotium pertractandum eſt, & ex quo prætenditur expulſio; quarè grauitas culpæ ſatis dignoſcitur in hoc, quia reſiſtit authoritati Generalis, quia operatur contra ſacros Canones, qui præcipiunt hoſpites eſſe benè tractandos, vt habetur c. Hoſpitalem d. 42. c. 1. de emption. & vendit. c. Monach. de præb. & dignit. Trident. ſeſſ. 25. c. 8. quia intendit, quantùm in ſe eſt, arcere à congregatione hoſpitalitatẽ, quod cederet in maximũ damnum Religionis. Secund. ſuadetur: iuris vnitas eſt finis omnis benè regulati Imperij, vt dixi in dub. 103., cuius violationẽ in re graui concordant DD. eſſe mortale: ſed talis Prælatus operando tali arte, ac modo aduerſus ſubditum extraneum in rẽ graui diſſoluit vnitatem iuris; nam ipſe ſubditus, licèt extraneus, habet ius ad omnia commoda Religionis, ſicut alij Religioſi, qui degunt in illa Prouincia, ſeù cœnobio, ex quo prætenditur expulſio: ergo operationes eius ſemper cenſendæ erunt tanquam lethaliter malæ. Tert. quia facit contra charitatem, & religioſam ſocietatem: contra illam, impediendo ne ſubditus tractet ſuum negotium iuxta mentem Superioris; vndè non parua iniuria ei irrogatur: cõ-

tra

tra iſtam, tollendo de medio omnium Religioſorum communicationem: Quart. quia non rectè præſtat officium ſui muneris; nã Prælatus eſt datus in vtilitatem omnium ſubditorum, & nõ tantùm illorum, qui degunt in Prouincia illa, ſeù cœnobio. Quint. quia ſubditus iuſtè conqueri poteſt de graui iniuria illata, dum legitimè moratur in cœnobio ad ſuum negotium peragendum. Pro fine concluſionis addendum eſt veritatem eiuſdem concluſionis magis elucеſcere; ſi huiuſmodi Prælatus, commodis denegatis, adhiberet etiam alias mortificationes, tam apertas, quàm ſecretas; nam quippè ageret contra iuſtitiam, & charitatem.

### SECVNDA CONCLVSIO.

5. SI huiuſmodi Prælatus in publico Capitulo ad corrigendũ ſubditum extra neũ de aliqua leui culpa, vt mos eſt apud Religiones reformatas, ob prædictum finẽ verbis contumelioſis vtitur, nouo peccato mortali vincitur. Suadetur: inquantùm huiuſmodi Prælatus incolumis fit à peccato proferendo verba contumelioſa aduerſus ſubditum delinquentem, inquantùm ea profert fine illum corripiendi, vt dicunt ſuperiùs DD. ſed, dum vtitur verbis contumelioſis ad finem, prout in prima concluſione, deeſt finis corripiendi: ergo verba illa induunt rationem contumeliarum: ergo vincitur noua lethali culpa, & conſequenter tenetur ad honoris reſtitutionem: veritas doctrinæ elicitur ex DD. ſuperiùs relatis, & præſertim ex Silu. tit. correctio qu. 12. & tit. contum. qu. 3. ex Ang. tit. correctio Prælator. ſ. 2. ex Peirin. tom. 2. q.2. c. 3. n. 150. in fin.

Dicet fortè Prælatus, intendit ſubditus degere in Prouincia, ſeù cœnobio, mea reluctante voluntate. Reſpond. huiuſmodi ſermonẽ eſſe periculoſum. Prim. quia induit quandam rationem proprietatis; nam inſinuat dominium habitationis cœnobij. Secund. quia intendit ſe eximere ab obedientia Superioris maioris, & habere voluntatẽ efficacem contra ipſum, quod iniuſtum eſt, vt dixi ſupr.

Dices, aggrauat locum. Reſp. recurrendum eſſe ad Superioris maioris authoritatẽ, & non ad patientiam anguſtiati ſubditi. Generalis verò non ita facilè debet annuere petitioni, quia de medio tollitur hoſpitalitas, & Religioſorum communicatio in graue damnum Religionis; minuitur quoquè, quod eſt dignum non leui ponderatione, eius authoritas, & redditur nimis graue regimen; nam in multitudine Religioſorum inſurgunt multa negotia, quæ expediri nequeunt abſque iſta libera authoritate deſtinandi ſubditos, vbicunquè erit neceſſarium, aliàs aperitur via mille incommodis, vt per ſe patet; vndè Generalis potiùs præcipere debet, vt minuatur familia, quam petitionem admittere in diſpendium boni communis.

### DVBIVM LV.

*An Generalis, ſeù Prouincialis, aliuſue Prælatus in regiminis decurſu in nonnullis ad proprium ſtatum, officiumque ſpectantibus ignoranter errans, ſemper in lethalem culpam labatur.*

### SVMMARIVM.

1. *IGnorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti à peccato excuſat: explicantur termini, ac multa, quæ ſub huiuſmodi ignorantiam cadunt, extenduntur.*

2. *Quandò ignorantia inuincibilis dicatur.*

3. *Prælatus deficiendo in nonnullis ad proprium ſtatum ſpectantibus per ignorantiam inuincibilem à culpa eximitur: & obiectionibus ſatiſfit.*

4. *Non eſt pœna mulctandus; deſignatur etiam modus probandi ignorantiam.*

5. *Ignorantia etiam vincibilis, modò non ſit affectata, delinquentem Prælatum liberat à peccato.*

Præſens quæſitum mouetur, quia ſemper mihi viſum eſt durum illud commune dictũ, quemlibet teneri ſub mortali ea ſcire, quæ ad proprium ſtatum, officiumque pertinent, eò quòd paſſim videmus multos euehi ad dignitates, officiaque Iudicis, ac Confeſſarij non pollentes competenti ſcientia, ac doctrina, ita vt dici poſſit omnia ſcire pro ritè gerendo officio aſſumpto; imò id fortè videtur impoſſibile communiter loquendò, vt homines, attenta propria imbecillita-

te

te, præſertim Confeſſarij attingant ea omnia, quæ de ratione officij ſunt attingibilia; affirmare, quòd ſint in malo ſtatu, temerarium fortè erit, quia etiam opus eſſet affirmare, quòd omnes Chriſtiani non eſſent tuti in conſcientia; pauci enim videntur eſſe, ita in Chriſtiana doctrina verſati, vt ea, in quibus poſſunt delinquere, non ignorent, cum penè infinita ſint: pro intelligentia ſit.

1. *Prim. not.* ignorantiam inuincibilem tam iuris, quàm facti excuſare à peccato. Ita S. Tho. 1.2.q.26.ar.3. *Sanch.* ſumm.lib. 1.c.16.n.9. Nauarr. c.23.n.46. Bonacin. de peccato diſp. 2.q.8. punct.3.nu.12. Baſſæus ſumm.tit.ignorantia nu.7.2.edit. Ratio eſt, quia peccatum nullum eſt niſi voluntarium; ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti tollit omne voluntarium, cum volontarium ſupponat cognitionem actus malitioſi, qui per ignorantiam non videtur habere malitiam, quia etiam, cum conſcientia ſit regula bonitatis, ac malitiæ humanorũ actuũ inuincibiliter dictans hoc, vel illud non eſſe illicitũ, nullo modo ad peccatũ imputari poteſt: illa verò dicitur inuincibilis, quæ inuincibiliter priuat cognitione, & ſciẽtia malitię actus, quæ cognita non fieret: dicitur facti quandò adeſt ſcientia legis, ſeù ſtatuti, ſed factum ignoratur, quod à lege prohibetur: dicitur iuris, quandò ignoratur lex, ſeù ſtatutum obligans ad culpam. Porrò huiuſmodi doctrina ampliatur ad ea, quæ ſunt iuris diuini, & miſteriorum fidei; dantur enim fideles, ad quos eorum notitia non peruenit; quomodò poteſt eis ad peccatum imputari, cum de ratione peccati ſit, vt ſit voluntariũ? ampliatur etiam ad ea, quæ ſunt iuris naturalis. Ita Bonac. vbi ſup. ex conſenſu DD. Limita hoc ſecundum, quia aliqua præcepta ita ſunt communia, clara, & aperta, vt excludant omnem ignorantiam, huiuſmodi ſunt: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Colendus eſt vnus Deus: Honorandi ſunt progenitores: Malum vitandum: Bonum faciendum*; & ſimilia, quæ clarè lumine naturali cognoſcuntur. Ita Cordub. lib.2.qu.4. Salas de legib. diſp. 5.ſect.6.n. 28. Azor. part. 1. lib. 1. c. 15. qu. 1. Layman lib. 1. tract. 2. cap.4. & alij, quos citatos ſequuntur Bonac. vbi ſup.n.11. Baſſæus vbi ſupr. nu. 6.

2. Not. ſec. quòd non mediocris agitatur controuerſia inter DD. quandò ignorãtia iuris, ſeù facti dicatur inuincibilis excuſans à peccato. Prima ſententia eſt Valent. tom. 2.diſp.6.qu.6. punct.5. Zumel 1.2.qu. 76.art.3. diſp.4. Angel. tit.excomm. 7.caſu vltim. n.3. Vgolin.de cenſut.tab.1.c.9. §.8. nu.6. affirmantium tunc ignorantiam reputari inuincibilem, quandò non ſolùm excludit actualem cognitionem legis, & facti, ſed interpretatiuam, ſeù obligationem ad aduertentiam, eò quòd conſenſus interpretatiuus videatur eſſe ſufficiens ad conſtituendum peccatum. Sec. ſententia probabilior eſt, & vera, quam ſequuntur Salas 1.2.tract. 13. diſp. 8. ſect. vltim. n.87. Vaſq. 1.2.q.74. art.6.diſp.107.art.3. Aluarez p. 2.qu.54.art. 8.diſp. 144. n.6. Clau.Reg.lib. 2.c.9. n.20. Layman lib. 1.tract.2.c.4.num.6. Portell. in dub.Regulat. verb. ignorantia n.11.& verb. Prælatus n.17. Baſſæus vbi ſupr.n.10. Dian. part. 4.tract.4. miſcell. reſol.36. Sanch. vbi ſup.nu.6. quæ docet tunc ignorantiam dici inuincibilem, quandò nulla notitia, nec ſpecialis, nec confuſa, quandò nulla dubitatio, ſeù ſcrupulus expreſſus occurrit, & ita à doctrina excludunt omnem conſenſum interpretatiuum, & rectè, tum quia ſuperat humanam diligentiam expellere ignorantiam, cum nulla prorſus cogitatio, ſeù dubitatio; & expreſſus ſcrupulus de malitia obecti in mente extiterit, tum quia difficilè daretur actus humanus inter fideles, qui huiuſmodi ignorantia non laboraret, eò quòd omnia reſolui poſſunt, ſcire debebat, ac animaduertere ex ſua profeſſione tenebatur, tum quia tandem nimis durum eſt credere, quòd ſuauitas legis diuinæ hominem condemnare velit ad luendas pœnas æternas ob vnum actum, de cuius malitia nec dubium, neo ſerupulum concepit, ſed circa eum ſe habuit, quaſi naturaliter operans; vndè DD. primæ ſententiæ in ſuo rigore ſunt relinquẽdi, tanquam aperientes, imò donantes pro nihilo vnum pœnarum infernum: his ſuppoſitis.

### PRIMA CONCLVSIO.

3. GEneralis, ſeù Prouincialis errans, ſeù deficiens in nõnullis quoad propriũ ſtatum, ac officium laborans ignorantia in-

uincibili, cum nullâ ſcilicet præceſſerit de obiectorum malitia cogitatio, ſeù ſcrupulus expreſſus in lethalem culpam minime incurriſſe cenſendus eſt. Concluſio eſt expreſsè Sanch. Baſſæi, Bonac. Portell. Dian. vbi ſup. Homobon. in exam. Confeſſat. tr. 5. c. 6. q. 340. Probatur prim. ex ratione deſumpta ex Sanch. n. 27. Quicunque, inquit, tenetur ea præcepta noſſe, quæ implere tenetur, ſiue obligatio inſurgat ex generali conditione Chriſtianorum, ſiue ex ſpeciali munere, vt Confeſſarij, Iudices, ac Prælati, nil refert obligationem ex hoc, an ex illo capite inſurgere: at de primis nullus eſt, qui neget, nō dari ignorantiam inuincibilem: ergo etiam de ſecundis. Probatur ſecund. ex ratione Homobon. non omnes leges, ac ſtatuta homines ſcire poſſunt, ac tenentur: ergo tantò minùs illas, quæ non cadunt ſub cognitionem nec per dubitationem, nec per expreſſum ſcrupulum: ſed Prçlatus errans in nonnullis ad proprium ſtatum, ſeù munus ſpectantibus per ignorantiam inuincibilem, nullam de his habuit cognitionem, nec per dubitationē, nec per expreſſum ſcrupulum, vt ſuppono: ergo eſt excuſandus à labe peccati mortalis: aliæ rationes ſunt in calce ſecund. notand.

Dices, ſi in aliquibus à culpa ſit immunis per ignorantiam inuincibilem: ergo in omnibus, quia nō videtur maior ratio; & ita Prælatus ſciētiæ expers eſſet tutus in cōſcientia. Reſp. quod Prælatus ea, quæ frequenter accidere poſſunt, & de facto accidunt in ſuo officio, non ignorare tenetur, de alijs verò ſcire dubitare. Ita Coninch. diſp. 8. du. 8. n. 125. Baſſæus vbi ſup. tit. Cōfeſſat. 4. n. 7. ex communi omnium DD. ſententia: verùm particula illa; de alijs verò ſcire dubitare; ſemper debet intelligi, quòd Prælatus ſaltem ornetur quadam promptitudine ad dubitandum, quia, ſi de omnibus, quæ ei poſſunt occurrere, tenetur ſcire dubitare, nunquam excuſaretur per ignorantiam inuincibilem; nam omnia ſingillatim poſſent reſolui, tenebatur ſcire dubitare; quam promptitudinem ſemper habebit, ſi, duce timore, ac tremore errandi, partes ſuas peraget.

Dices, iura clamant patia eſſe ſcire, ac debere ſcire. Reſp. quandò adeſt aliqua actualis, plena, & ſufficiens aduertentia ad malitiam, ſeù dubium, aut expreſſum ſcrupulum. Ita Sanch. vbi ſupr. n. 24. Vaſq. ſed inferiùs meliùs.

Dices, maiori obligatione coarctātur Prælati ad non ignorandū ſpectantia ad propriū munus exequendum, quàm cōmunes Chriſtiani: ergo prima ratio nil concludit. Reſp. concedendo antecedēs, conſequentiam negando, quia maior obligatio in vno, quàm in alio tollere nequit ignorantiam inuincibilē in ſtatu maiori obligationi obſtricto.

Huic concluſioni eſt addendum, quòd ad ignorantiam inuincibilem etiam reducitur, quandò prçceſſit cogitatio aliquid faciendi, vel omittendi cōtra proprium officium, ſed, adhibita diligentia ad inquirendam veritatem, veritas comperta non fuit: quò fit, vt Prælatus excuſetur, ſi muneri non ſatisfacit: quæ autem diligentia adhibenda ſit ad veritatem aſſequendam, ſeù ad ſuperandā ignorantiam, nequit certè definiri; ſed relinquēdum prudentis iudicio, habita ratione præcepti, officij, & qualitatis perſonæ, aut circunſtantiæ temporis, & loci, ita vt tanta diligentia adhibeatur ſtudendo, aut conſulendo peritos, quæ viro prudenti ſufficiens videatur. Ita Vaſq. 1. 2. q. 76. art. 2. diſp. 123. c. 2. Sanch. vbi ſup. n. 27.

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. PRælatus cadens à ſua obligatione per ignorantiam inuincibilem non eſt pœna mulctandus. Prob. prim. ex l. ſi putatur ff. ad legem aquil. & ex c. Cognoſcentes de conſtit. & ex reg. 23. de reg. iuris in 6. ſine culpa, &c. Sec. intantùm pœna datur, & imponitur, inquantùm adeſt culpa: ſed hæc deeſt: ergo & illa infligi non debet; alias ſine cauſa, & neceſſitate medicina adhiberetur; vndè Matth. 9. ait: *Non eſt opus valentibus Medicus*. Ita tradunt Thom. de Thomas. in floribus legum 283. Bartol. Perett. ad extrauagan. ambitioſè de reb. Eccleſ. non alienand. pag. 94. nu. 30. Ioſeph Alderet. de religioſ. diſciplina tuenda lib. 2. c. 12. n. 8. Portell. tit. ignorant. n. 16. Barboſ. in collect. DD. de reg. iuris reg. 23.

Modus verò probandi ignorantiam duplex eſt. Primus ex coniecturis iuxta textum in c. Cum in tua, qui matrimonium acceu-

accuſare poſſunt: Gloſſ. ibid. & in cap. Præſumitur verſ. 3. quandò probatur de reg. iuris in 6. Bald. & Abb. in cap. Cognoſcentes de conſtit. num. 10. Felin. nu. 19. Coniecturæ verò erunt; ſi afferas probationes abſentiæ tempore publicationis, ſi morbo opprimebaris; ſi in tenera ætate eras conſtitutus, & ſimilia ex ſuprad. cap. Cum in tua. Ita Menoch. de arbitr. Iudic. lib. 2. centur. 2. caſu 186. num. 16. multos alios referēs: Tuſcus tit. ignorantia concl. 22. Homobon. vbi ſupr. Molfeſ. tract. 8. cap. 8. num. 25. Maſcard. de probat. tit. ignor. concl. 880. aduertendum tamen eſt probationem per coniecturas non eſſe plenā; in animo enim celatur; ideò conſtare certò nequit; quò fit, vt hoc negotium Iudicis arbitrio eſt relinquendum. Ita Menoch. vbi ſupr. Secund. per iuramentum, cum ignorantia in animo conſiſtat, videtur iuramento ignorantis poſſe ſtare. Ita Gloſſ. in cap. Propoſuiſti diſtinct. 82. cap. Qui diuinis verbis, & humanis. 12. quæſt. 2. cap. ſi verò el 2. de ſentent. excommunicat. verb. propr. Abbas dict. cap. Cognoſcentes num. 9. Couarr. 2. variar. cap. 10. num. 2. verſ. 3. admittenda eſt, & alij plures, quos citatos ſequitur Maſcard. de probat. concl. 881. num. 1. & 2. Menoch. vbi ſupr. num. 3. verſ. primus eſt modus. Gregor. Lopez lib. 12. tit. 1. part. 7.

Hìc oritur difficultas: an hoc iuramentum omninò cenſendum ſit ſufficiens ad legis ignorantiam probandam. Reſp. breuiter, quòd, quandò probationes afferri poſſunt præter iuramentum, conueniunt omnes inſufficiens eſſe iuramentum: colligitur ex cap. Præſertim de teſtibus cap. Ex literis de præſumptionibus. Ita Felin. multos alios referens cap. 2. num. 12. de conſtit. verſ. fallit prim. Maſcard. vbi ſupr. nu. 25. Adde, quòd iuramentum non habet vim probandi ignorantiam; ſi agatur tam de probanda ignorantia, quàm de probanda ignorantiæ iuſtitia; quarè afferre debes probitiones abſentiæ, & infirmitatis, tanquam cauſas iuſtitiæ. Ita Felin. vbi ſupr. nu. 19. Menoch. num. 15. & Maſcard. vbi ſup. eò quòd, inquiunt duo vltimi DD. actus iſti ignorantiam iuſtificantes non celantur in mente allegantis; ſed ſenſibus obijciuntur; quò fit, vt alijs teſtimonijs probare debeas. Prætereà, non probatur ignorantia ſolo iuramento ignorantis, quandò ei aduerſatur maxima iuris præſumptio; vel ex publica fama; vel ex facti notorietate; vel ex longi tēporis præſcriptione; aliaue ſimili. Ita Decius in cap. Cognoſcentes vbi ſupr. nu. 18. verſ. ſimiliter arbitror. Felin. nu. 17. Couarr. reg. poſſeſſor. 3. part. §. 3. n. 4. verſ. 18. Gratian. reg. 270. num. 7. Menoch. vbi ſupr. num. 7. 8.

Si verò loquimur de probatione ignorantiæ facti, ſtatuenda eſt regula generalis, vt poſſit ſufficienter probari iuramento ignorantis, quia ignorantia facti regulariter præſumitur, ac proindè habetur cap. Ignorantia de reg. iuris in 6. ignorantia facti, & non iuris excuſat: hæc regula colligitur ex cap. Si verò de ſentent. excomm. cap. Cum tua, qui matrimon. accuſ. poſſ. & ibi Gloſſ. & multis exornat. Maſcard. concl. 81. num. 4. vbi ſupr.

### *TERTIA CONCLVSIO.*

5. NOn ſolùm per ignorantiam inuincibilem, ſed etiam per vincibilem humanarum legum, ſeù præceptorum, modò non ſit affectata, Prælatus delinquens excuſatur à peccato. Ita Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 17. num. 18. & 20. Bonacin. vbi ſupr. num. 25. Baſſæus vbi ſupr. num. 11. Dian. loc. citat. reſol. 35. illa dicitur craſſa, & ſupina, quandò quis præcedente cognitione legis, vel obligationis ſciendi nullam, vel modicam diligentiam adhibuit morali, & humano modo ad ſciendum, quod ſcire tenetur: illa dicitur affectata, quandò quis eligit neſcire præceptum, vt liberiùs peccet. Suadetur prim. quia leges humanæ adeò ſunt benignæ, vt non intendant nimis ſtrictam obligationem inducere, ſicut exigit ius diuinum, & naturale. Secund. ad conſtituendum in voluntate peccatum requiritur plena aduertentia de obiecto malè volito: ſed in Prælato deficiente per ignorantiam vincibilem non inuenitur plena aduertentia; aliàs non diceretur ignorās; craſſa enim, & ſupina æquiparatur ſcientiæ: ergo non eſt cenſendus crimini obnoxius.

Dices, tota hæc doctrina concludit de

legibus omnibus communibus, non de particularibus, quæ pertinent ad propriũ ſtatum, eò quod maiorem obligationem iſtæ inducunt ob ſingularitatem, & ob animarum regimen. Reſp. negando, quia nulla alia differentia inter leges ſpectantes ad ſtatum particularem perſonæ, & communem deſignari poteſt, niſi ſequens, quia de primis facilè datur ratio cogitandi, aut dubitandi: an ſint aliquæ, & quales ſint: de poſterioribus veró non ita facilè dubitatio occurrit. Ita Sanch. vbi ſupr. nu. 27.

Dices, iura clamant, paria eſſe, ſcire, ac debere ſcire: ergo ſcire tenetur. Reſp. prim. id verùm eſſe in aliquibus caſibus, quoad forum externum, quod fundatur in præsumptione, & præſumitur adfuiſſe cognitionẽ; non veró in foro interno. Secund. intelligitur de ignorantia affectata, non autem de vincibili, quæ ſic explicatur à Baſſæo vbi ſupr. num. 3. Vincibilis eſt, quæ vinci potuit, ſed ignorans non adhibuit ſufficientem diligentiam iuxta qualitatem negotij.

## DVBIVM LVI.

*An negare honores, ac dignitates dignis Religioſis, quibus habitis, ab electoribus facillimè promouerentur in Definitores, ſeù Conſultores, ac Prouinciales, cenſendum ſit tutum in conſcientia.*

### SVMMARIVM.

1. *Aperitur ſenſus quæſiti.*

2. *Ad reprimendas diſcordias erecta ſunt regimina, quæ ſe diuidunt in tres ſpecies.*

3. *Bonorum communium diſtributio ex natura rei ordinatur ad magis promouendum bonum commune, quod propagatur iuſtitia, ac pace, reſecando iurgia, ac diſcordias.*

4. *In Regularium Prouincijs vtilius eſt multiplicare Definitores, ac Prouinciales; varijs rationibus ſuadetur; aliàs electores nequeunt à lethali culpa excuſari.*

5. *Negare honores, ac dignitates Religioſis idoneitate præditis, quibus habitis, facillimè ſunt promouendi ad dignitates ſupremas, non eſt tutum in conſcientia: variæ diluuntur rationes in contrarium.*

1. Triplicem ſenſum habere poteſt præſens quæſitum. Primus eſt, quandò iſti homines à Superioribus priuantur huiuſmodi honoribus, ne ſibi ipſis arripiant locum; hoc modo non videtur eſſe tutum in conſcientia, quia vtraque iuſtitia violatur, commutatiua, eò quód non fouetur bonum commune optans plures miniſtros habere, vt inſinuat Sanch. 1. opuſc. lib. 2. cap. 2. dub. 5. diſtributiua, eò quód ſicut communitas ex partibus componitur, & vnaquæque pars, quantùm fieri poteſt, incolume ſeruare tenetur bonum commune; ita bona communitatis ſecundùm proportionem meritorum ſingulis partibus ſunt diſtribuenda, & diuidenda, vt ſuperiùs pluribus in locis dictum eſt. Adde inuerti finem Prælaturæ, qui ordinatur ad ſubditos, & non ad Prælatos, nõ eſt hic ſenſus quæſiti. Secundus eſt, quandò factionarij Superiores agnoſcentes manifeſtum periculum damnationis, in quo ſunt inuoluti ob factiones, quas nutriunt, prohibent tanquam ex munere, ne alij eas dignitates adipiſcantur, per quas, ſuppoſita partialitate promouendorum, ijdem ipſi promouendi ſubirent periculum, hoc modo videtur eſſe tutum in conſcientia, quia ad Superiores pertinet proximas occaſiones peccandi à ſubditis abſcindere; ſed iſti zelatores inſtruendi ſunt primam charitatem incipere à ſeipſis, & mittendi ſunt ad ea, quæ paſſim in dubijs prim. part. ſunt diſperſa, nec hic ſenſus quæſito conuenit. Tertius eſt, quandò ſub ſpecie zeli his hominibus negantur honores, ne multiplicentur Definitores, ac Prouinciales, eò quód ſit vtilius Prouinciæ regi à paucioribus Patribus, quã à pluribus, hic ſenſus eſt germanus quæſiti; & ideò quæritur: an hoc ſit tutum in conſcientia: pro intelligentia ſit.

2. Prim. not. quòd intentio quæſiti non eſt eodem tempore eſſe ad regimen Prouinciæ plures Definitores, quàm quatuor, ſeù plures iuxta praxim cuiuslibet Religionis, & plures Prouinciales, quàm vnum ſeligendos, ſed quòd alternatim non ſemper gubernent duo Prouinciales, nõ ſemper quatuor, vel ſex officio Definitorum fungantur, ſed

ſed multiplicentur, ſi hominum idoneitas permittit multiplicationem; & ideò, ſi ea videtur eſſe vtilior Prouinciæ, negare honores, ac dignitates idoneis Religioſis non erit alienum à labe peccati.

2. Not. ſec. quòd homo à natura eſt animal ſociale, vt docet Ariſt. 1. pol. c. 5. & S. Thom. de reg. Princip. lib. 1. c. 1. cum Ægid. de reg. Princ. lib. 2. c. 1. p. 1. ideò conueniens fuit, natura cogente, in vnum homines conuenire, & quia habent à natura, vt ait Bald. in l. ex hoc iure ff. de iuſt. & iur. n. 3. vt inter ſe ſint diſcordes propter mentes diuerſas, & S. Cryſoſt. ad Rom. 13. hom. 23. ait *Libertas illa diſſoluta, ac moderamine carens vbique mala confuſioniſque cauſa eſt*: ideò natura regimina, & imperia erexit ad reprimendas diſcordias, & ad tuendam concordiam, vt inſinuat Azor. p. 2. lib. 11. c. 1. qu. 2. verſ. his igitur; quarè S. Thom. vbi ſupr. cap. 1. ait. *Naturale eſt homini, quòd in ſocietate multorum viuat, & neceſſe eſt hominibus ineſſe, per quod multitudo regatur, multis enim exiſtentibus hominibus, & vnoquoque id, quod eſt ſibi congruum, prouidente, multitudo in diuerſa diſpergeretur, niſi aliquis eſſet de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet curam habens; vnde Salomon Prouerb. 11. inquit. Vbi non eſt Gubernator, populus corruet*: Tres ergo ſunt ſpecies regiminis. Prim. appellatur Monarchia, & eſt, quandò vnus ſolus in Regno imperat. Sec. nuncupatur Ariſtocratia, quandò per paucos, & optimates Reſpublica gubernatur. Tert. vocatur Politia, ſeù Democratia, quandò multi, & populares Ciuitatem adminiſtrãt. Ita Ariſt. 8. Eth. c. 10. & 3. polit. c. 5. D. Thom. vbi ſupr. cap. 1. & 1. 2. quæſt. 95. art. 4. inter iſtas communiter docent DD. Monarchiam ſupremum tenere locum, eò quòd magis accedat ad perfectionem diuini Imperij, quod exercetur per vnum ſolum Deum; & ideò inquit Rodriq. tom. 3. quęſt. 24. art. 1. omnes Religiones per vnum Generalem regi, eique omnium ſubditorum voluntates ſubijci; & ita debere fieri docet Nauarr. 3. comm. de Reg. num. 15. in omnibus monaſterijs, ſi omnes Prælati eſſent Auguſtinus, & ſubditi Poſſidonius; ſed quia tempora mutarunt mores, & quãtò magis res à ſuo principio elongatur, tantò magis in perfectione langueſcit; ideò, vt inquit Nauarr. vbi ſupr. regimina Ariſtocratiæ, & Democratiæ ſunt meliora, & ſic multæ Religiones quaſi quartam ſpeciem regiminis tanquam maioris perfectionis inuenerunt: per vnum enim Generalem non elongatur à Mornarchia; per alia inferiora regimina reguntur ad modum Ariſtocratiæ, & Politiæ. Nauarr. vbi ſupr. Rodriq. tom. 1. quæſt. 27. art. 2. vndè Ariſt. 4. pol. cap. 12. ait. *Quantò melior eſt gubernatio temperata, tantò eſt durabilior*. & S. Thom. 1. 2. quæſt. 95. art. 4. inquit. *Eſt etiam aliquod regimen ex iſtis commixtum, quod eſt optimum*.

3. Not. tert. quòd eſt ſumma, ac naturalis creaturæ dignitas, vt docet Caietan. 2. 2. quæſt. 95. art. 8. hominem bono intellectu frui, vt ratione ſibi, & alijs prouidere poſſit, & priùs ipſo S. Thom. 1. Ethic. lect. 9. aiebat. *Quia homo naturaliter ciuile animal eſt; ideò non ſufficit ſuo deſiderio, quòd ſibi prouideat, ſed etiam quòd poſſit alijs prouidere*: & cum omnis diſtributio bonorum communium, vt inſinuat Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 2. § 3 ex natura rei ordinetur ad promouendum bonum cõmune Eccleſiæ ſequitur electores, cogente natura, ex vtroque capite neceſſitari ad diſtribuenda vota, ac dignitates, vt magis, ac magis bonum commune Prouinciç, ſeù Eccleſiæ promoueatur; & tunc videbitur id ſequi, quandò ex eorum ſuffragijs, ac electionibus erigetur tale regimen, per quod iuſtitia exaltetur, pax ſublimetur, diſcordia, ac ſeditiones reſecentur iuxta ſententiam D. Thom. 3. de reg. cap. 5. alibi relatum. *Conſonum videtur natura, vt dominium ſit conceſſum pro pace, & iuſtitia ſeruanda, & iurgijs, ac diſcordijs reſecandis*.

Ne multitudo vocabulorum lucem veritatis in oriente ſepeliat, ſit quart. not. quòd, quandò nõnulli DD. inquiunt, attentis certis temporibus, cauſis, & perſonis Ariſtocratiam, ac Democratiam eſſe meliores Monarchia, nonnullique alij inter omnia regimina illud quartũ eſſe optimum, inter ſe non diſſentire videntur, ſed cuncti in hanc conueniunt ſententiam, vt optimè cogitanti videbitur, illud eſſe optimum regimen, quòd omnes idoneitate præditos ſecundum porportionẽ meritorũ præmijs ornat quoad hono-

honores, dignitates, cæteraque bona communitatis; vndè electores ad hoc tenêtur, & ratione iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ omnes, modò ſint meritis ornati, reſpicit, & ratione fidelitatis, ac ratione etiam ipſorum bonorum poſtulantium ex propria natura in membra diuerſa diuidi. Et pro certo electores, ac Superiores habeant, quòd nunquã Religio ſumma quiete, ac pacifico ſtatu frui poterit, niſi hoc regimen in totam Religionem extendatur, quia eſt ſecundum naturã, & omnia alia contra naturam, quæ diù permanere nequeunt, vt experientia docet; & ita quandò in progreſſu diſcurſus contingit, vt modò vnum, modò alterum proferatur, nil aliud intelligitur, niſi iſtud optimum regimen; & quarta ſpecies Imperij: his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. VTilius videtur eſſe Eccleſiæ, ſeù Prouinciæ multiplicare Definitores, ac Prouinciales ſecundum rituli explicationem prout in prim. not. Quæ concluſio firmatur ob aliquos modernos pro comperto tenentes paucos eſſe eleuandos ad ſupremas dignitates, quorum doctrina nequit honeſtari conſiderando, communiter loquendo, naturam regiminis Regularium in ſe ipſa, quia eſſet eam inuertere intrinſecè poſtulantem, vt ſubditorum ius non ſit negligendum, ſed ſaltem viciſſim honoribus, ac dignitatibus ſecundum meritorum menſuram cumulandum, vt optimè inſinuat D. Thom. 4. de reg. Princ. cap. 8. *Aſſumendi ſunt*, inquit, *Rectores viciſſim in politia, ſiue Conſules, ſiue Magriſtatus vocentur, ſiue quocunque alio nomine, dummodò idonei repeniantur*: & 7. polit. lect. 2. ait. *Qui ſunt ſimiles, & æquales, & ſecundum naturam, & ſecundum virtutem, bonum eſt, & iuſtum omnes principari non ſimpliciter, ſed ſecundũ partem, puta vnum in vno tempore, alium in alio*: aliàs iniuſtum eſſet dominium, ſed cum forté contendunt honeſtare ratione damnorum, quæ ſequuntur ex multiplicatis hominibus ad illas dignitates, quorum etiam doctrina ſatis falſa oſtenditur tam ex bonis inſurgentibus ex concluſione ad praxim redacta, quàm ex incommodis, quæ arcentur à congregatione. Et primò ſuadetur ex ſentẽtia D.Greg. relata in cap. Singula Eccleſiaſtici diſt. 89. vbi dicitur. *Singula Eccleſiaſtici iuris officia ſingulis, quibuſque perſonis ſingillatim committi iubemus: neque enim vni quantumlibet exercitata perſonæ vno tempore duarum rerum officia cenſemus committenda, quia ſi totum corpus eſt oculus, vbi auditus? ſicut enim varietas membrorum per diuerſa officia, & robur corporis ſeruat, & pulchritudinem repræſentat, ita varietas perſonarum nihilominus per officia diſtributa & fortitudinem, & venuſtatem ſanctæ Dei Eccleſiæ manifeſtat*, &c. Ex quibus verbis ſic formatur argumentum: ibi viget Eccleſiæ fortitudo, vbi ſingula officia per varietatem perſonarum ſunt diſtributa: ſed ſi non multiplicarentur Definitores, ac Prouinciales iuxta meritorum menſuram, fortitudo, quæ in vnitate conſiſtit, obſtans omni malo, non eluceſceret in Prouincia, quia varietas perſonarum non eſſet dignitatibus, earum meritis ſatis debitis, honorata, ſed tantum pauci homines: ergo huiuſmodi multiplicitas ſemper erit cenſenda vtilior Prouinciæ, tanquã robur, & fortitudo eius; vndè Ariſt. 5. Pol. cap. 7. loquendo de paucorum, ideſt optimatum, & multorum gubernationibus Reipublicæ ait; *Quod tutiores ſunt iſtæ, quàm illæ*; & affert rationem, quia *fortius eſt id, quod plus eſt, & magis acquieſcunt æquum habentes*: ſed clariùs 2. Pol. cap. 1. *Æquale repenſum Ciuitatem conſeruat, quoniam inter liberos, & æquales neceſſarium eſt hoc eſſe; nam omnes ſimul magiſtratum gerere impoſſibile eſt; ſed per annum, aut per aliam præfinitionem, & tempus*. Secund. nequit negari, iuſtitiam non eſſe bonum, imò ſummum cuilibet regimini, ita tradit D. Gregor. lib. 7. regiſt. epiſt. 122. *Summũ in Regibus bonum eſt iuſtitiam colere, ac ſua cuique iura ſeruare*; imò ad hoc inſtituuntur Principatus, vt cuiuſlibet hominis ius non negligatur, vt notat Medina 1. 2. quæſt. 96. art. 2. concl. 5. certè ſicut potentiæ naturales de natura ſua inſtitutæ ſunt, vt tueantur bonum totius ſuppoſiti; ſic poteſtas publica in commune bonum iuſtitiæ eſt: Sed ſi non multiplicarentur huiuſmodi homines, nec bonum iuſtitiæ haberetur, nec finis regiminis totam coronaret Prouinciã;

nam

nam multorum merita eſſent neglecta in deſtructionem eiuſdem Prouinciæ iuxta præceptum Ariſt. 5. Polit. c. 7. *Diſſoluuntur autem maximè, & Reſpublicæ, & optimatum gubernationes propter tranſgreſſionem iuſtitiæ in ipſis factam*: ergo de neceſſitate vtilitatis iuſtitiæ ſunt augmentandi; & ideò S. Thom. 4. de reg. Princ. c. 7. exclamat. *Laudabilis eſt politia, in qua ſecundum merita vnicuique ciui diſtrubuuntur honores, vt antiqui fecerunt Romani*. Tert. nil perfectius, & vtilius regimini Reipublicæ eſt, quàm habere pacem, & concordiam inter ciues, quæ ſunt finis omnium Imperiorum, vt docent DD. præſertim D. Thom. 3. de reg. vbi ſupr. Caiet. ſumm. tit. ſedit. Azor. p. 2. lib. 11. cap. 1. quæſit. 2. & Religioni, quàm mutua charitate frui: ſed per multiplicationem illorũ Prælatorum hæc non deſiderantur, teſte D. Thom. ex Ariſt. loquendo de pace 1. 2. quæſt. 105. art. 1. *Bona ordinatio*, inquit, *Principum eſt, vt omnes aliquam partem habeant in Principatu; per hoc enim conſeruatur pax populi; & omnes talem ordinationem amant, & cuſtodiunt*; & 2. 2. q. 183. art. 2. In *Ciuitate terrena magis pax conſeruatur in quantum per hac plures ſunt, qui communicant actibus publicis*: teſte D. Cryſoſt. loquente de mutua charitate hom. 50. in Matth. qui attentè meditans illam æqualem diſtributionem cibi in deſerto factam à Chriſto ad ſubleuandam illius multitudinis neceſſitatem, prout narrat Euang. Ioann. cap. 6. ita effatus eſt. *Neque enim corporibus ſolùm, verùm etiam animis præbere alimenta volebat, ſic & à loco, & quoniam non plures panes, ac piſces propoſiti fuerant, & quoniam omnibus communiter eadem allata ſunt, & quoniam æqualiter diſtributa ad humilitatem, abſtinentiam, charitatem mutuam, & vt omnia communia eſſe putarent, eos inducebat*: ergo, vt Prouincia fruatur hac ſumma vtilitate, quam ſecum ferunt pax, concordia, & mutua charitas, plures ſunt aſſumendi homines in Definitores, ac Prouinciales. Confirmatur ex humano corpore; ſicut pace humorum fruitur corpus, quandò humores ſunt æquales, data inter eos debita proportione, nec vnus alteri, plus quam par eſt, præponderat, & dominatur; ita illa Reſpublica, & Eccleſia in pace conſeruabitur, quandò inter homines idoneos æqualitas ſecundum proportionẽ meritorum, honorum, ac dignitatum intercedet; nam tunc in vnum conueniunt voluntates, in quo conſiſtit pax, teſte D. Thom. 3. ethic. in princip. lect. 8. *Sicut ſanitas corporis hominis conſiſtit in conuenientia humorum, ita pax in conuenientia voluntatum*. Quart. nil vtilius in Eccleſia eſſe poteſt, quàm vt ſapientibus hominibus affluat, qui cõſilijs, ac ſucceſſionibus eam in perpetuum conſeruent: & cum huiuſmodi multiplicatio tales homines pariat, teſte Scriptura Prou. 9. *Da occaſionem ſapienti, & addetur ſapientia*: ergo non eſt Prouincia priuanda hac ſumma vtilitate, quæ Religioni, ac Generali ſummoperè inſeruiet: percipe candide lector rationis fundamentum ex documento D. Thom. 1. de regim. cap. 15. *Sunt autem*, ait, *tria quibus bonum publicum permanere non ſinitur, quorum quidem vnum eſt à natura proueniẽs; nõ enim bonum multitudinis ad vnum tantum tempus inſtitui debet, ſed vt ſit quodammodò perpetuum, homines autem, cum ſint mortales, in perpetuum durare non poſſunt, nec dum viuunt, ſemper ſunt in eodem vigore, quia multis variationibus humana vita ſubijcitur, & ſic non ſunt homines ad eadem officia peragenda æqualiter per totam vitam idonei*, &c. Quintò ſuadetur ex incommodis, quæ arcentur à congregatione, præſertim ex illo, nempè ſeditione, per quod corrumpuntur omnia regimina, qui eſt illud malum obſtans vnitati Imperij, per quam omnia Regna conſeruantur: iniuſtitia diſſoluit Rempublicam, excitat ſeditiones, teſte Ariſt. 5. Pol. c. 5. & Platon. lib. 1. de Rep. circa finem: Ille ait. *In optimatibus autem ſeditiones fiunt interdum quidem ex eo, quòd pauci ſint honorum participes*, & cap. 3. *Seditio fit propter contemptum, vt in paucorum potentia, cum plures ſint illi, quia à Republica excluduntur*. Hic inquit. *Seditiones iniuſtitia, inimicitias, contentioneſque parit*: imò S. Aug. lib. 2. de Ciuit. Dei c. 21. ait. *Rempublicam regi, vt ſtare non poſſe ſine iuſtitia*: ſed votis paucos extollere, multiſque idoneis ſuffragia denegare eſt maxima iniuſtitia; nam de ratione iuſtitiæ diſtributiuæ eſt nemini nocere, & vnicuique reddere, quod ſuum eſt: ergo, vt Eccleſia conſeruetur, ſeditioneſque non oriãtur, multitudine ſuffragiorum multiplicandi ſunt huiuſmodi Patres; quarè ex S. Aug. 2. de ciuit. cap. 21. habetur.

Vnita-

Vnitatem iuris, & communis vtilitatis eſſe contrariam ſeditioni. Sext. probatur ex doctrina Nauatti tom. 1. conſil. tit. de conſuetud. conſil. 2. num. 2. quam ſequitur Rodriq. tom. 2. q. 51. art. 13. §. ex quo colligitur: mea ſententia, inquit Nauat. ſecurius eſſet, quòd omnes profeſſi, & ſubdiaconatu inſigniti haberent vocem in Capitulo, quàm ſolùm quidam maiores, quo alijs ſuperbiendi, & alijs inuidendi, & omnibus diffidendi occaſio non patua datur: ergo à fortiori coarctare electiones Prouincialium, ac Definitorum ad paucos, in quibus maximè reſidet totum Prouinciæ regimen, eiuſque commoda, erit proxima occaſio omnibus alijs idoneis neglectis diffidendi, inuidendi, & murmurandi: vbinam æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, inſectationes, odia, ſubornationes, & alia genimina viperarum; niſi quia pauci illas dignitates per electionẽ obtinent, & multi negliguntur? illi ob ſui conſeruationem, iſti, ob ſui exaltationem, in enarrata vitia elabuntur; quarè Ariſtot. lib. 6. pol cap. 3. quærens rationem ſeditionum in honoribus, inquit. *Ipſi inhonorati, & alios honoratos cernentes ſeditionem aggrediuntur*. Septimò ſuadetur ex illo maximo incommodo, quod arcetur à congregatione, nempè ex tyrannide aliquorum Superiorum opprimentium ſubditos, eorumque libertatem, maximè ſpiritus: quantò magis regimen eſt naturale, inquit Auguſt. de Ancona de poteſt. Eccleſ. qu. 2. art. 3. tantò magis remotum eſt à tyrannide, & cupiditate; ſed multiplicare huiuſmodi Patres eſt ſecundum naturam talis regiminis, quia omnes homines ad illa bona habent ius ſecundum meritorum proportionem: ergo & cupiditas, & tyrannis magis arcentur à Prouincia: illam tyrannidem dico, de qua loquuti ſumus in prim. part. quam exercent illi pauci homines ob ſui conſeruationem in Prælaturis Prouinciam diuidendo, factiones nutriendo, multorumque ius negligendo; illam tyrannidem dico, quam exercere poteſt ille paruus numerus Superiorum ſub ſpecie zeli animos ſubditorum deprimendo, eoſque viles redendo, dum dicere poteſt, non eſſe aptos, neque idoneos, dum propalare poteſt ſub timida, & artificioſa voce aliquem eorum defectum, quaſi ipſe ab Angelis ſine culpa originem traheret, & ſi quis doleret de reſtricto regimine, illicò mortificationibus ſecretis occurrendo, immittendo etiam in ſubditos diffidentiam per vigiles, & cuſtodes, actiones, & verba notando, ne regimen per vnionem dilatetur; eos tandem relinquendo in propria paupertate, eiſque denegando honores, ne ſibi arripiat locum, de quo loquitur Ariſt. 5. polit. cap. 11. *Tria*, inquit, *conjectat Tyrannus, vnum, vt animos imminuat ciuium; neque enim parui animi contra Tyrannum inſurgunt; ſecundum vt ciues inter ſe diffidentes reddat, non euertitur Tyrãnus, niſi ciuium aliqui inter ſe fidem habeant; tertium eos depauperare ſatagit, atque ſic impotentes reddere, nemo enim ſibi impoſſibilia aggreditur*: & ideò idem Ariſt. vbi ſupr. cap. 8. agnoſcens hanc veritatem dixit. *In paucorum gubernationibus, & popularibus, qui maximi ſunt; vel qui maximos gerunt magiſtratus, quandò longo tempore durant, tyrannidẽ inuadunt*: & S. Ambroſ. in fine quæſiti citandus ait. *Continua, ac diuturna potentia gignit inſolentiam*. Ex doctrina ergo tradita ſatis dignoſcitur benè loquutos fuiſſe Nauarrum, & D. Thom. quandò perſpicientes ſummum bonum, quod oboritur ex rectè adminiſtrato Imperio politiæ in hæc verba proruperunt; Ille dixit meliorem eſſe Democratiam, quàm Monarchiam; Iſte inquit Imperium mixtum eſſe optimum, cuius doctrina optimè explicatur à Medina ibidem, & 1. 2. qu. 105. art. 1. Monarchia, inquit ex vi regiminis inter principatus principatũ tenet, ſed ex imperfectione, & imbecillitate hominum mixtum Imperium vtilius eſt, quoniam homines volunt Imperij eſſe participes: idem affirmare videtur Caiet. ibid.

## SECVNDA CONCLVSIO.

Hiuſmodi multiplicatio, cogente conſcientia, eſt ad praxim reducenda; aliàs electores nequeunt à labe lethalis culpè excuſari. Suadetur, quia ſuffragatores tenentur ex iuſtitia commutatiua bonum commune tueri; ex iuſtitia diſtributiua omnia membra idonea communitatis honoribus, ac dignitatibus recognoſcere; ex charitate ſeditionibus, ac rixis, quæ facillimè inter homines exoriri poſſunt, obſtare: ſed vota ad paucos reſtringẽdo bonum commune non tuentur, eò quod priuetur illa ſumma vtilita-

vtilitate in præcedenti concluſione recenſita; iuſtitiam diſtributiuam lædunt, eò quòd multi idonei negliguntur; charitatem violant, eò quòd non obſtent ſeditionibus, ac rixis, quæ facillimè ob merita depreſſa excitabuntur: ergo nequeunt electores à mortali excuſari, ſi talis multiplicatio non exigatur.

### *TERTIA CONCLVSIO.*

5. NEgare honores, ac dignitates Religioſis idoneitate præditis, quibus habitis, facillimè ab electoribus in Definitores, ſeù Conſultores, ac Prouinciales promouerentur, non videtur eſſe tutum in conſcientia. Concluſio apertè conſtat ex prima concluſione; nam priuatur Prouincia ea ſumma vtilitate ibi deſcripta; ex ſecunda etiam, quia, ſi electores, cogente conſcientia, tenentur ad promouendos homines non in paruo numero in Definitures, ac Prouinciales: ergo etiam tenentur ad media, per quæ homines diſponuntur ad huiuſmodi munus dignè præſtandum, quoniam qui tenetur ad finem, tenetur etiam adhibere media neceſſaria ad illum obtinendum. Cordub. in Reg. S. Franciſc. c. 6. quæſt. 13. verſ. tert. punct. & Sanch. 1. opuſc. lib. 2. cap. 1. dub. 12. num. 2. maximè quia ex natura poſtulant media, vt diuidantur in plura membra communitatis; imò natura talis regiminis talem diuiſionē petit. Prætereà, docet Peirin. de Subdito qu. 1. cap. 31. §. 5. in fine eſſe peccatum maximæ malignitatis impoſſibilitare naturales per ſubtractionem ſtudiorum, & aliarum commoditatum ad ſtudendum requiſitarum, ne habiles fiant ad Prælaturas, & hoc modo in poſſeſſione Prælaturæ ſe conſeruare; imò id eſt tyrannicum iuxta S. Th. 5. pol. lect. 11. *Tyrannus eſt, qui ad ſaluandum principatum in ſemetipſo facit, vt ſubditi ſint ignorantes, & pauca ſcientes*: idem elicitur ex Bartol. in tract. de Tyrann. qu. 8. & ex Greg. de Rep. lib. 6. cap. 18. nu. 28. & nihilo inferius malum eſt nolle ad habitum naturales recipere, & ſi quoſdam nonniſi indoctos, ne eos iure dominij, cum in numerum creuerint, priuare attentent; nec ſcio quomodo Generales, has res permittentes, poſſint excuſari à mala adminiſtratione ſui officij, & à grauiſſima culpa: hæc ille. Ergo negare hominibus ſtudium, aliaſque dignitates, ac honores, quibus habitis ad primas dignitates ob idoneitatem eleuabuntur, nonniſi ad peccatum imputandum eſſe videtur.

Dices, licèt multi ſint, qui præſeferunt aptitudinem pro ſupremis regiminibus; nihilominus laborant nonnullis defectibus, ob quos dignè excludūtur ab honoribus. Reſp. eſſe velamen ad celandam ambitionem, quæ ſemper vult frui Prælatura, eiuſque bonis: quæſo, quis eſt, qui non opprimatur ab aliquo defectu? imò ob eaſdem rationes, & fortè maiores, quibus illi excluduntur ab honoribus, excludentes dignè poſſunt etiā excludi: credite mihi, quòd ex hoc capite ſequūtur bella, ac ſeditiones in quacunq; multitudine, & ſi non vultis mihi pręſtare fidem, eā pręſtate verbis S. Chryſ. ſuper verba Paul. ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, &c. ſic loquentis. *Quoniam fieri non poteſt, vt homo viuat abſque defectu, admonet, ne rigidi ſint expenſores alienorum delictorum, ſed tolerent etiam proximorum defectus, vt & ipſorum delicta tolerentur ab alijs: ſicut & in ſtructura domus non omnes lapides eundem locum habent, ſed hic quidem in angulum eſt commodus, ad fundamenta non item; ille contrà ad fundamenta commodus eſt, non item ad angulum; itidem ſanè eſt in corpore, quòd eſt Eccleſia; quin & in noſtra carne licet idē cernere, attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requirimus: nam ex communi facta collectio, & corpus, & ædificium conſtituit, & ſic adimplete legem Chriſti, non dixit, implete, ſed adimplete, hoc eſt, ſimul omnes implete, vos inuicem ferendo: velut ille eſt iracundus, tu ſonolentus, tolera igitur illius acrem impetum, vt viciſſim ille tuam ferat ſegnitiem; ita fiet, vt nec ille peccet, dum abs te toleratur: neque tu, dum in his, in quibus moleſtus es, ſuſtineris à fratre tuo: ad hunc modum vobis inuicem, vbi lapſus imminet periculum manum porrigentes mutuis officijs implete legem, ſic vt vnuſquiſque, quod proximo deeſt, ſua tolerantia ſuppleat: porrò niſi ſic egeritis, ſed quiſque,*

*proximi vitam tendat excutere , nunquam inter vos fiet quicquam eorum , quæ fieri decet : vt enim in corpore ſi quis ab omnibus membris eundem poſtulet vſum , nunquam conſtiterit corpus ; ſic & inter fratres graue bellum erit , ſi ab omnibus omnia requirimus .*

Dices , huiuſmodi multiplicatio Patrum potiùs ambitionem fouet , quàm extinguat. Reſp. obiectionem potiùs oſtendere ignorantia regiminis , quàm demonſtrare eius intelligentiã , quæ tria ſemper , vt optimum inſtituatur regimen , inſpicero debet , nempè quod bonum eſt promouendum, malum tam præſens , quàm futurum debellandum, nec non & aliquid permittendum ad maius præcauendum : *Sapientis legislatoris* , ait S. Thom. 1. 2. qu. 101. ar. 3. ad 2. eſt *minores tranſgreſſiones permittere , vt maiores caueantur* . Primò . quòd bonum eſt promouendum ; nam duplex bonum in religioſo regimine debet aſſignari; alterum perfectionis , ad quam quilibet ordo ſecundum proprium inſtitutum eſt ordinatus ; alterum regiminis , nec illud ſine iſto poteſt promoueri , quia eſt eius baſis , & fundamentum , vndè bonum regiminis eſt vnitas , & pax, vt docent DD. præſertim Caiet. ſumm. tit. ſeditio : per iſta ergo duo propagatur bonum Imperij , & conſeruatur , nec conſeruatio obtinetur , niſi per iuſtitiam diſtributiuam, vt habetur ex D.Thom.4. de reg. Princ.cap 3. *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum vnicuique tribuens , quæ quidem ſiue legalis , quæ dominatum iuſtum vocatur à Philoſopho , ſiue diſtributiua , ſiue commutatiua , quæ partes iuſtitiæ omnes ſunt politiæ , in Ciuitatibus ſunt præcipuè neceſſaria , imò ſine ipſis exerceri non poſſunt , vt Philoſophus tradit 5. Ethicor. nec etiam Ciuitates conſeruari* : & cum per multiplicationem prædictorum Patrum ſecundum merita conſecutio habeatur iuſtitiæ diſtributiuæ , conſequenter non deſideratur neque conſeruatio regiminis , neque promotio boni perfectionis . Secundò , quòd malum eſt præcauendum ; nam duplex etiam malum deſignatur , directè deſtruens bonum vnitatis , & pacis , alterum ſeditionis , & factionis ; alterum oppreſſionis , & tyrannidis , quæ omnia à regimine per multiplicationem Prælatorum arcentur , vt clarè probaui in prima concluſione : quòd ſi ex iſta multiplicatione aliqua ambitio foueatur , erit naturalis , & diſſimulanda ob maius bonum , quod fouetur , & promouetur ; quòd ſi etiam fortè ex iſto iuſtè adminiſtrato Imperio excitetur aliqua ambitio vltra terminos naturæ , ſciant Prælati , cunctique omnes , quòd res humanæ , vt inquit Suar. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 1. num. 12. huiuſmodi ſunt , vt nunquam omnibus incommodis careant ; & ideò , quandò hæc ſequuntur , non ex re ipſa , vel actione , ſed ex infirmitate , vel malitia hominum , nec ſunt propter iſta omittenda bona maiora , ſed adhibenda remedia , ne illa mala ſequantur , potiſſimum autem eſt charitas ; quarè remedium eſt apponendum ambitioſis , & non regimini, quod ſecundum æquitatem , & iuſtitiam ita debet regi , & adminiſtrari ; per hoc patet reſponſio ad argumentum . Cui etiam addi poteſt alia magis clara ; vel enim loquimur de ambitioſis , qui naturaliter feruntur in amorem proprię excellentię, & cupiunt inter omnes apparere magni : vel de illis, qui minùs ambitioſi ſunt , ſeù à natura , ſeù à virtute ; ſi loquamur de primis ; aliquo modo videtur eorum ambitionem fouere , ſed illa inextinguibilis ſitis gutta aquæ extinguitur ; ſanatur tamen totum corpus Prouinciæ , teſte Ariſt. vbi ſupr. à ſeditionibus , rixis , iurgijs , alijſque malis ; quarè nequit dici , quòd ambitio nutriatur , ſed quòd corpus à malo præſeruetur ; imò dico , quòd illa ambitio, quæ in multis ſouetur , non videtur eſſe illa, quæ diuidit in factiones , ac ſeditiones totam Prouinciam ; ſed ea eſt , quæ in ſolo capite, vel paucis inſpicitur erecta , quæ pro ſui conſeruatione tertiam partem ſtellarum ſecum trahit : vndè dicebat Caſſiodorus lib. 3. epiſtol. *Publici decoris mater eſt mens regentis , & quale fuerit dominantis arbitrium , talem parit libertatis aſpectum : faciliùs eſt quippè , ſi dicere fas eſt , errare naturam , quam diſſimilem Princeps poſſit formare Rempublicam* : Et ratio huius ruinæ habetur ex D.Greg. in paſtoral. par.1. *Nemo plus in Eccleſia nocet, quàm qui peruersè*

*agens*

*agens nomen, vel ordinem ſanctitatis habet; delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum vehementer culpa extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur:* quarè multiplicando huiuſmodi Patres reſecatur illud, quod eſt cauſa tot malorum deſcriptorum in prim. part. ſi verò de ſecundis, virtus huiuſmodi muneribus ornatur, quæ de iuſtitia, & ſecundum naturam talis regiminis, quod ſine læſione nequit immutari, debentur.

Dices, digniores tantùm ſunt promouendi, tales cenſentur, qui aliàs Eccleſiam rexerunt, & propter experientiam in negotijs pertractandis, & propter cognitionem ſubditorum: ergo pauci ſunt promouendi, quia pauci ſunt, qui munera Definitorum, ac Prouincialium adminiſtrarunt. Fateor, hanc obiectionem eſſe illam petram ſcandali, ex qua tot mala inſurgunt, vndè ſimplices, & ignorantes neſcientes, vndè dignioritas perſonarum deſumatur, ab ignorantia ducti incidunt in gurgitem omnium malorum. Reſp. ex Sigiſmund. à Bononia de elect. dub. 32. num. 2. referente duas Rotæ deciſiones, ex Paſſæo ſumm. tit. electio. num. 10. ex Samuelho de can. elect. tract. 1. diſp. 6. contr. 3. ex Lauorio de elect. tit. 4. cap. 19. num. 64. demonſtrare hoc ſufficientiam perſonarum eligendarum, & non dignioritatem, ita vt in concurſu hi ſint promouendi, alijs neglectis (dummodò electio non fuerit cæca, ideſt à ſimplicibus, & ignorantibus celebrata) nam maior dignitas deſumenda eſt à maiori vtilitate Eccleſiæ, vt dictum eſt multis in locis; cum ergo iſta multiplicatio ſine dubio cenſeatur Prouinciæ vtilior, de neceſſitate eſt facienda, eis prætermiſſis, qui talia munera iam obierunt; quarè Emin. Lugo cognoſcens incommoda, quæ ſequuntur ex paucis electis ad munera Prælatorum dicit non expedire, vt Prælaturæ præſcribantur apud quoſdam paucos.

Dices, huiuſmodi doctrina non videtur eſſe admittenda in Religioſorum congregatione, eò quòd declinet à perfectione, ad quam homines tendere debent. Reſp. ex Nauarr. vbi ſupr. ſi omnes Prælati eſſent Auguſtinus, & ſubditi Poſſidonius fortè fruſtra eſſet quæſitum agitatum, quia omnes omnia, licet iniuſta, æquanimiter tolerarent; ſed quia tempora mutarunt mores, & in vnaquaque congregatione pauci ſunt, vt dicit Suar. vbi ſupr. maxima pollentes virtute, ſed multi infirmi, & regimen omnes amplecti debet iuxta menſuram deſcriptam in dub. 131. ideò neceſſarium fuit quæſitum pertractare, & veritatem doctrinæ tradere; aliàs ſub ſpecie zeli, ſeù potiùs ignorantiæ ſemper vitia proſilient, & pax, & concordia à Prouincia, ſeù Religione recedet, ignorando à qua radice: regimina enim ſemper ſunt inſtituenda, vt maius malum ſpirituale ſemper euitetur à congregatione, vt inſinuat Caiet. 2.2. qu. 63. art. 2. hiſce verbis. Communis vtilitas, ad quam principaliter ordinantur miniſteria Eccleſiaſtica, non eſt vtilitas corporalis, ſed ſpiritualis; quoniam regimen Eccleſiaſticum in hoc differt à ſæculari; quòd hoc ordinatur ad commune bonũ exterius, puta ad pacẽ, &c. illud verò ad interiorem animæ pacem ſed quidquid ſit de hoc, ſit dictum gratis, quia eſt argumentum patientiæ; vedeantur ea, quæ dicta ſunt in 3. dub. 1. partis.

Dices, ſumma pax habetur ex reſtricto regimine ad paucos; nam experientia docet, quòd multi Religioſi ſub hoc Imperio vixerunt, & viuunt magna cum laude, ac tranquillitate. Reſp. duplicem pacem eſſe deſignandam; alteram regiminis, quæ inſurgit ex rectè adminiſtrato dominio, alterá voluntatum, quæ excitatur ex hominum voluntatibus cedentium iuri meritorum; & inter vtramque duplex differentia dignoſcitur; prima quippè eſt durabilis, quia fundatur in iuſtititia; vndè S. Augſt. ad fratres in Eremo ſerm. 2. ait. *Si fratres, homines pacem amant, ament & iuſtitiam, quia duæ ſunt amicæ chariſſimæ, iuſtitia enim, & pax, ipſæ ſe oſculantur:* Et in Pſalm. 83. inquit. *Fac iuſtitiam, & habebis pacem, ſi enim non amaueris iuſtitiam, pacem non habebis.* Secunda minùs durabilis; & ideò in Religionibus ſolet elucеſcere in primo, & ſecundo ſtatu ex tribus aſſignatis in dub. 49. huius partis, quia omnes cedunt iuri meritorum; in tertio verò difficilè poteſt cõſeruari, quia, frigeſcente charitate, ac ſpiritu, omnes habere cupiunt, quod ſuum eſt; ideò ſeditiones, rixæ, &c. excitabuntur, vt optimè inſi-

nuat D. Chryſoſt. citatus in 6. dub. 1. part. altera differentia eſt, quia prima à Superioribus debet procurari ex officio, ſecunda verò cohortationibus promoueri, non tamen poſitiuè honores denegando, &c. quia non ſunt Domini moritorum ſubditorum, nec poſſunt eos cogere, vt cedant iuri meritorum; vndè ad argumentum patet reſponſio; quòd illa pax eſt voluntaria; & ideò parum durabilis; maximè quia nequit à Superioribus actionibus, atque omiſſionibus incendi, niſi cohortationibus.

Dices, ſi multiplicatentur, terminato officio, per cœnobia ſunt diſpergendi, vndè propter authoritatem nequeunt, niſi difficilè regi ab illis Superioribus, ſub quorum cura morantur, & ſubditi ægrò ferunt videre illos tot commoditatibus abundare. Reſp. quòd remedium eſt ipſa multiplicatio, quia ſicut paucorum diuitum authoritas multùm in populis valet; ita, his multiplicatis, experientia teſte, illa multùm diminuitur; ſic erit in Religionibus; augmententur ergo Patres ad hoc, vt diminuta eorum authoritate, augmentetur illa Prælatorum localium, & ita commodè regi poterunt. Addo, quòd, ſi iſti Patres abſque officio ſuam vellent conſeruare authoritatem in cœnobijs, omninò, dicit Peitin. de Prælato qu. 1. cap. 5. num. 16. eſſent frenandi, & potiùs prudenter cõtemnendi, quàm æſtimandi, vt humilientur; imò etiam addo, quòd, ſi propter lucra, & commoda, quæ in officio, & abſque eo præ cæteris poſſidere intendunt, iniuſtum deberet eſſe regimen, paucos homines, alijs neglectis, ad illas dignitates eleuando, pacem conturbando, ambitionem ob ea conſequẽda excitando, nec poterunt ipſi Patres tuta conſcientia ſua officia, ac bona poſſidere, aut à Superioribus tolerari, aut denuò ab electoribus eligi, quia bonum commune ſub coloratis rationibus grauiter læditur; quarè Ariſt. 5. Pol. cap. 8. monet. *Maximum verò illud eſt, in omni Rempublica omni diligentia cuſtodiendum, ne ex magiſtratibus lucra proueniant.* O quot Religiones in hoc indigent reformatione.

Dices, maxima vis eſt in doctrina tradita, vndè clarè videtur neceſſariam eſſe huiuſmodi multiplicationem prædictorum Patrum; ſed non eſt obſeruatum, quòd *Ille*, inquit, S. Thom. 5. Ethic. lect. 2. *qui eſt Princeps, iam ſe habet in communicatione ad alterum, quia ad eum pertinet diſponere ea, quæ ordinantur ad commune bonum*: & ideò iuſtitia, quæ conuenit Præſidentibus pro propagando bono communi, eſt ad alterum, vt ex Ariſt. notant S. Tho. vbi ſup. & Alb. Magn. 5. ethic. tract. 1. cap. 4. num. 13. vndè *Complures*, tradit S. Thom. ex Ariſt. vbi ſup. vnà cum Alb. Magn. vbi ſupr. *in proprijs quidem vti virtute poſſunt, ſed in ijs, quæ ſunt ad alium, nequeunt*: & ideò pauci ſunt eleuandi, quia pauci ſunt apti ad vtendum virtute, quæ tota eſt ad alterum, quia eſt opus difficillimum, ait idem S. Thom. Reſp. quòd totum ædificium regiminis fundatur ſupra prædictam virtutem, qua deſtructa, corruere rectũ regimen opus eſt, & erigitur quoddam ædificium iniuſtum, cuius ingreſſus, & egreſſus non ſunt niſi tyrannici; ideò ſi pauci ſunt, qui poſſunt vti hac virtute, pauci ſunt aſſumendi ad munera prædicta, ſi multi, multi; idque intendo dicere in hoc dubio, ſicut in tota doctrina, quam trado de regimine.

Benigne lector, veritas, quæ plurimis verbis à me traditur à D. Amb. lib. 5. Exa. cap. 15. paucis cumulatur; imò exemplis valdè commendatur. *Quid hoc pulchrius? & laborem omnibus, & honorem eſſe communem, nec paucis arrogari potentiam; ſed quadam in omnes voluntaria ſorte transferri; antiquæ hoc Reipublicæ munus, & inſtar liberæ Ciuitatis eſt, ſic ab initio acceptam à natura exemplo autem politiam homines exercere cœperunt, vt communis eſſet labor, communis dignitas, per vices ſinguli partiri curas diſcerent, obſequia, Imperiaque diuidere, nemo eſſet honoris exors, nullus immunis laboris: hic erat pulcherrimus rerum ſtatus, nec inſoleſcebat quiſquam perpetua poteſtate, nec diuturno ſeruitio frangebatur; quia & ſine inuidia erat ordine muneris, & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur, quæ communi cadebat ſorte cuſtodia; nemo audebat altum ſeruitio premere, cuius ſibi ſucceſſuri in honorem mutua forent ſubeunda faſtidia, nemini labor grauis, quem dignitas ſequutura releuaret.*

Audiamus etiam aurea verba nouiſſimè tradita ab Emin. Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 35. ſect. 5. n. 58. aſſerente multùm expedi-

re ad

re ad bonum commune, vt Prælaturæ regulares non maneant inter aliquos paucos, ſed multi apti fiant ad regendum, & varientur perſonæ, adhoc autem oportet probare hos, & illos, an apti ſint, quod vix ſine aliqua experiētia cognoſci poteſt, quarè poteſt, imò aliquandò debet prætermitti ſenior ille qui diu gubernauit, & ſe probauit dignioꝛē, & eligi alius iunior, tū vt Prælaturæ nō præſcribantur apud quoſdam paucos, tum vt alij paulatim apti fiant; alioquin deficientibus illis ſenioribus, Religio non habebit alios, qui ſuccederet illis poſſint, niſi de nouo fiant, quod ſolet grauiſſima incommoda afferre.

## DVBIVM LVII.

*Quæ diuiſio bonorum communium inter ſubditum, & ſuperiorem ſeruanda ſit, quæ tuta in conſcientia iudicari poſſit.*

## SVMMARIVM.

*1. AD Abbatem ſpectat tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus gubernandi poteſtas, cuius munus eſt vti iuſtitia diſtributiua in omnibus.*

*2. Communitatis bona alia immobilia, alia mobilia ſunt.*

*3. Refellitur quædam opinio Nauarri dicentis Prælatos de monaſterij bonis poſſe ſibi quandam partem aſſignare.*

*4. Religionis bona ſunt inter ſuperiorem, & ſubditum iuxta menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ diſpenſanda: habentur duæ limitationes, & cuidam ſatiſfit obiectioni.*

*5. Prælati inter ſe diuidentes meliora bona communitatis in proprium commodum non ſunt tuti in conſcientia: diluitur quædam obiectio, & ſoluuntur multi caſus.*

*6. Communitatis bona nequeunt diuidi inter Superiorem, & ſubditum ſecundum iuſtitiæ diſtributiuæ menſuram, dum viget ſtatutum cuncta diſtribuendi ad perfectam arithmeticam æqualitatem.*

1. Not. prim. quòd omnis poteſtas gubernandi monaſterium tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus ad Abbatem ſpectat, vt fuſiùs Nauarr. 3. com. de Regular. num. 14. & Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 4. probant; non ideò huiuſmodi poteſtas in eo reſidet, tanquam in abſoluto Domino, ſed vt in fideli diſpenſatore, qui præ oculis ſemper diſtributiuam debet habere iuſtitiam, cuius munus eſt diſtribuere, & conferre præmia, dignitates, officia, cęteraque bona Religionis iuxta qualitatem, & merita perſonarum, vt benè tradunt Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 5. punct. 1. Bonac. de reſtit. diſp. 1. punct. 2. n. 8. q. 1. Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 1. dub. 4. & omnes alij DD. Ratio eſt, quoniam Reſpublica nil aliud eſt, quàm collectio ſuarum partium; & cum bona videantur eſſe partium, iuſtitia poſtulat, vt bona diuidantur in ſuas partes, & vnicuique ſua portio tribuatur; cum iſta tamen limitatione, vt diſtributio recognoſcat omnium partium conditiones, & gradus; quò fit, vt non ſolùm, quantò magis partes Reipublicæ multiplicantur, tantò magis bonorum communium portio pro ſingulis diminuatur, ſed etiam vt, exiſtente tali numero partium, ſingulis ad æqualitatem expenſam non arithmeticè, ſed geometricè; ideſt ſecundum dignitatem, & conditionem propriam portionem habeāt. Ita Molin. de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp. 12. verſ. Differunt verò, &c.

2. Not. ſec. bona communitatis ſe habere in duplici differentia; quædam ſunt immobilia, de quibus modò non eſt ſermo; quædam mobilia, quæ diuiduntur in ea, quę permanentem habent durationem cum ipſo vſu, vt ſunt veſtes, libri, & ſimilia; & in ea, quæ vſu conſumuntur; quæ rurſus diuiduntur in ea, quæ ſpectant immediatè ad conſeruationē vitæ, vt ſunt eſculēta, & poculēta, & in ea, quæ mediatè, vt pecunia; præſens quæſitum non ſolùm tangit Religioſos huiuſmodi bona habentes tanquam ex proprijs redditibus, ſed etiam illos, qui mendicitate ea colligunt iuxta vniuſcuiuſque modum, & menſuram.

3. Not. tert. quòd hic non loquimur de illis Religioſis, quorum Religio neceſſaria pro victu, & veſtitu, neque per redditus, neque per mendicitatem ſuppeditare poteſt, vndè coguntur peculium poſſidere, quia de illis eſſet inſerenda peculiaris quæſtio; neque de

illis

illis, quorum Religio omnia, & quoad victum; & veſtitum abundè, atque in exceſſu Monachis præſtat, quia, vt benè notat Nauarr. vbi ſup. n. 6. & Emin. Lugo de iuſt. tom. 2. diſp. 3. ſect. 8. Append. num. 183. grauiter peccant tanquam voti deſertores; ſed de illis viuentibus in congregatione maximo cùm rigore, & diſciplina regulari, quorum cœnobia ſeù per redditus, ſeù per mendicitatem habent, vndè Religioſis prouideant, vt poſſint orationi vacare abſque rerum tēporalium penuria intra proprij ſtatus terminum.

3. Not. quart. Nauarr. vbi ſupr. num. 6. opinari iuxta doctrinam Abbatis in cap. De his de Eccleſ. ædificat. poſſe Prælatum de bonis monaſterij quandam ſibi partem aſſignare, imò primam de quinque ab ipſo diuiſis; ſed fallitur, vt benè notat Suar. vbi ſupr. num. 10. cum in hac materia longè diuerſa ſit ratio, quia tractatur de hominibus Deo conſecratis, quorum cœnobia obſeruantiam ſtatus, & rigorem diſciplinæ ſeruant; vbi non eſt, nec debet eſſe (ſecluſis abuſibus) certa portio ad ſuſtentandum Prælatum, ſed ſunt omnia deſtinata indiuiſe pro omnibus alendis, & ſuſtentandis, nec vllus ordo in hos aſſignari poteſt; niſi quem neceſſitas exigit, quæ interdum patit obligationem, vt Prælatus priùs alijs, quàm ſibi ſubueniat, & è conuerſo; vndè ſicut munus Prælatorum eſt curare, ne Monachi in victu, & veſtitu excedant ea, quæ ſunt regulæ conſentanea, ſtatutis, ac ſanctæ conſuetudini tot laboribus, & annorum ſerie à ſenibus introductę; ita in ſemetipſo hoc multò magis præcauere debet, tum propter exemplum, quod eſt maximè neceſſarium ad inſtruendam religioſam vitam, tum propter periculum exceſſus, quod ex propenſione, quam vnuſquiſque habet ad ſeipſum, oriri facilè poteſt. Ita Suar. vbi ſupr. per ſe loquendo æquè primò ad alendum totum conuentū tenetur, in quo tanquam caput ipſe connumeratur: verum tamen eſt poſſe illum cedere iuri ſuo, non verò aliorum, & ſicut non debet terminos regulæ, aut modeſtiæ religioſæ cùm alijs excedere; ita nec ſecum, vt dixi. Nec doctrina Panorm. vllo modo poteſt opinioni fauere, quia loquitur de Clericis ſæcularibus beneficia habentibus in aliqua Eccleſia, de quibus ait eos non teneri ex fructibus ſibi neceſſarijs Eccleſiam ædificare, vel inſtaurare. Ita Suar. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. BOna communitatis benè regulatæ Religionis inter ſubditum, & Superiorem diuidi debent iuxta moderatæ iuſtitiæ diſtributiuæ menſuram intra regulæ, & rectæ rationis terminos. Concluſio ſatis intelligitur probata in prim. not. & in dubijs prim. part. quarè optimè dicebat S. Thom. ex Ariſt. 5. Ethic. lect. 11. *Princeps, ſi eſt iuſtus, nihil plus attribuit ſibi de bonis, quàm alijs, niſi fortè ſecundum debitam proportionē diſtributiuæ iuſtitiæ: indè eſt, quòd Princeps non laborat ad vtilitatem ſuam, ſed aliorum; & propter hoc ſupra dictum eſt, quòd iuſtitia legalis, ſecundum quam Princeps gubernat multitudinem, eſt alienum bonum*; quod priùs docuit Albert. Magn. lib. 5. Ethic. tract. 3. c. 1. *Eſt enim Princeps cuſtos iuſti, nec eſt cuſtos iuſti, niſi quia eſt cuſtos æqualis ſecundum proportionem accepti, vndè ſi quis Princeps eſt iuſtus, tunc videtur Principi, quòd nihil ſibi ipſi attribuendum ſit, quod ſit plus in lucro: Princeps enim nunquam ſibi plus tribuit, niſi proportionale ſit ad ipſum*: hinc Suar. vbi ſup. rectè occurrens Nauarri doctrinæ, concludit ſuam doctrinam non eſſe ita ſeuerè intelligendam, vt excludat proportionalem diſtri burionem, imò hanc commendat, innixus verbis in Act. Apoſt. cap. 4. & ſic explicatis à Baſilio, Auguſtino, alijſque Patribus. *Diuidebant ſingulis, prout cuique opus erat*: vndè Ariſt. 5. pol. cap. 1. ait: *Omninò enim quærentes æquum in ſeditiones incidunt*; & S. Thom. lib. 3. contr. Gentil. cap. 142. *Talis*, inquit, *eſt æqualitas diſtributiuæ iuſtitiæ, vt inæqualia inæqualibus reddantur*.

Limitanda primò videtur concluſio circa illa exiſtimata bona communitatis, vt ſunt Lectoratus, Doctoratus, Magiſterium, & pulpita in locis inſignibus, quæ omnia pro ipſorum digna diſtributione primò, & principaliter non poſſunt reſpicere dignitates, ſed merita, idoneitatem in talibus officijs, ac magiſterijs; vndè Prælati ita diuidentes huiuſmodi bona, vt Superiores præferantur alijs dignioribus in ſcientia, & idoneitate

fiunt

fiunt acceptatores perſonarum, quia tunc committitur hoc vitium, quandò in conferendis bonis communitatis attenditur aliqua alia circunſtantia, quæ non ſpectat ad merita, per quæ conferuntur dignitates, ſeù officia. Ita omnes DD.

Limitanda videtur ſecuodò concluſio, quia illa portio, quam præ alijs præſtare poteſt iuſtitia diſtributiua, à ſe excludit vaſa aurea, gemmas, annulos, ſerica, pretioſas picturas, ſcriptoriola curioſa, & alia ſimilia ex Clement. 1. de ſtatu Monach. vbi Regularibus ioterdicitur omnis cultus, & ornatus pretioſus, ex decreto Clem VIII pro reformat. Reg. in 3. tom. Bull. inter Bullas huius Pontificis: nuper approbatum, & innouatum eſt à ſacr. Congregat. Concil. authoritate S. D. N. Vrbani VIII. in decretis de Apoſtatis, & eiectis per hæc verba. Fratrũ veſtitus, & ſupplex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò vniformis ſit fratrum, & quorumcunque cæterorum, ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat, ita vt nil ſuperflui admittatur, nil etiam quod ſit neceſſarium, alicui denegetur: imo ipſum votum paupertatis vnà cũ Summ. Pontif. verbis alienat à Religioſis quodcũque ſuperfluum. Ita Nauarr. comment. 4. de Regul. n. 27. Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 41. dub. 9. n. 79. & alij inferiùs citandi. Vndenam metiendus ſit exceſſus in rebus, quæ Religioſo conueoire poſſunt? pro ſubbito ſtandum eſt arbitrio Superioris niſi de exceſſu arbitrij conſtiterit: Barboſ. ſuper Cooc. Trid. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 2. pro Superiore ſtandum eſt vſui communi Religioſorum timoratæ conſcientiæ; & ideò portio Prælati parum poteſt excedere portionẽ aliorum Religioſorum, quia iſta tantùm neceſſaria conſideratis perſonis, naturis, circunſtantijs temporum, & locorum concedit; aliter periculum eſt ob propenſionem, quam vnuſquiſque ad ſe ipſum habet, in ſuperfluitatis exceſſum incidere. Ex qua doctrina colligitur Prælatum ſuam portionem ſibi tribuendo, alijſque denegaodo ſuam reũ eſſe peccati mortalis, quia grauiter offendit iuſtitiam, paupertatem, & charitatẽ: iuſtitiam, quia denegat alijs, quod ſibi concedit, & quod de iuſtitia omnibus præſtare debet; paupertatem, quia tanquam Dominus id facit, eò quòd Religio, quæ ei pro bonorum diſtributione iuriſdictionem conceſſit, non intendit hanc partialem diſtributionem: charitatem, quia plus vni, quam alteri, & vni, & non alijs tribuere, charitati grauiter opponitur. Ita colligitur ex Suar. 4. de Relig. lib. 2. cap. 26. num. 11. tract. 8. & lib. 8. cap 7. num. 18.

Dices, contra concluſionem magis laborant Prælati, quàm ſubditi: ergo maiori mercede digni ſunt. Reſp. adducendo doctrinam Ariſt. 5. Ethic. c. 11. cum explicatione S. Thom. ibidem lect. 11. *Merces*, inquit primus, *danda eſt Principi, ea eſt honor, & gloria, cui vero hæc ſatis non ſunt, ij Tyranni efficiuntur. Manifeſtum eſt enim*, ait ſecundus, *quòd quilibet debet dare mercedem ei, qui pro ſe laborat, quia ergo Princeps laborat pro multitudine, danda eſt merces à multitudine, ſcilicet honor, & gloria, quæ ſunt maxima bonorum, quæ ab hominibus dari poſſunt, ſi autem ſunt aliqui Principes, quibus iſta non ſufficiant pro mercede, ſed quærunt lucra, iſti ſunt iniuſti, & Tyranni, & ſuper hanc mercedem ab hominibus exhibitam bonis Principes expectant mercedem a Deo*: idem repetit breuibus verbis ad Rom. cap. 3. lect. 1. *Proprium enim præmium Principis eſt laus, & honor, vt Philoſ. dicit 5. Ethic. & cui hoc nõ ſufficit, Tyrannus fit*: audi etiã Albert. Magn. lib. 5. Ethic. tract. 3. c. 1. *Merces quædam danda eſt Principi, & eſt honor, & gloria, & quibus honor, & gloria non ſunt ſufficientia ad mercedem, ſed ſtudent vtilitatibus proprijs, iſti fiunt Tyranni, & cadunt à vera ratione Principis*: hæc dicta ſunt de Principe ſæculari; quid dicerent hi DD. de Prælato regulari? heù, heù.

Iterũ dices, obiectio propoſita maiori indiget ſolutione, quia tã Principibus ſęcularibus, quã miniſtris Eccleſiæ præter laudẽ, & gloriã debetur merces pro laboribus, quos impẽdũt in adminiſtrandis eorũ miniſterijs in omniũ ſubditorum vtilitatem, & pro ſuſtinenda dignitate: de illis ita loquitur S. Thom. ex D. Paul. ad Rom. c. 13. lect. 1. *Miniſtri Dei ſunt, &c. Quaſi dicat, vnuſquiſque de ſuo miniſterio viuere debet ſecundum illud 1. ad Corinth. cap. 9. Quis paſcit gregem, & de lacte eius non edit? & ideò cum Principes noſtri ſuo regimine Deo miniſtrent, à populo debent tri-*

buta

*buta ſuſcipere, quaſi ſtipendia ſui miniſterij*: videantur Leſſ. de iuſtit. lib. 2. cap. 33. d. 1. nu. 5. Molin. de iuſtit. diſp. 667. tom. 3. & Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 36. ſect. 1. nu. 5. de his ſic habet idem S. Thom. ex illo Paul. c. 5. 1. ad Timoth. *Qui bene præſunt preſbiteri, dupliti honore digni habeantur: quorum vnus eſt in miniſtratione neceſſariorum, alius in exhibitione reuerentiæ*: & S. Anſelm. ibid. *Vt in præſenti accipiant honorem ſtipendiorum à ſubditis ſuis, & in futuro à Deo honorem gloriæ perennis*. Reſp. quòd merces, ſeù tributum, quod datur Principibus ac Prælatis pro laboribus, & pro ſuſtinenda dignitate, re funditus conſiderata, potiùs oboritur ex debito iuſtitiæ diſtributiuæ, quàm commutatiuæ, quia, cum ſint perſonæ publicæ in ſupremis dignitatibus conſtitutæ in commodum, ac vtilitatem ſubditorum, quorum merita omnibus ſunt nota, ſequitur omnia ſingularia bona ſubditorum reſpici debere tamquam communia, ex quibus vna congrua, & ſpecialis portio eſt aſſumenda pro ſuſtinenda dignitate, & pro laborum merito, quæ portio nullam iuſtè poteſt habere proportionem niſi datam à iuſtitia diſtributiua, quia inquit S. Tho. contr. Gentil. lib. 3. c. 142. *Talis eſt æqualitas iuſtitiæ diſtributiuæ, vt inæqualia inæqualibus reddãtur*: quæ portio à nobis non negatur, vt patet ex concluſione; ideò reſponſio ad obiectionem optime ſubſiſtit.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. Prælati, qui ferè omnia meliora bona, ſeù commoda Religionis in proprium vſum, & ſatisfactionem cõuertentes diuidunt, ita vt illis, vt ita dicam, quæ ipſis ſuperfluunt, gaudeãt ſubditi, lethali culpæ obnoxij cenſendi ſunt. Probatur primò: omnia bona, ſeù commoda ſunt partium, ex quibus collectis reſultat religioſa Reſpublica, & iuſtitia diſtributiua poſtulat, vt ſinguli homines ſecundum conditiones, gradus, & merita his fruantur, cum diminutione tamen, augmentato Religioſorum numero: ſed huiuſmodi Prælati omnia bona meliora inter ſe diuidunt cogentes alios penuriam pati, nec, creſcentibus Religioſis, diminutionem ſentientes: ergo mortalis culpæ rei tanquam iuſtitia diſtributiua abutentes habendi ſunt. Sec. qui fruuntur aliorum partibus, votum paupertatis frangunt, quia eas tanquam proprias ſibi vſurpant, tãquam Domini eis vtuntur: ſed tales Prælati, dum gerunt ſe ſicut in concluſione, fruuntur aliorum partibus: ergo tanquam proprietarij reſpiciendi ſunt. Tert. de ratione charitatis, deque eius neceſſitate eſt, vt interdum Superiores diſtribuendo bona communitatis incipiant ſubuenire prius alijs, quàm ſibi, & interdum è conuerſò, vt ſuperiùs dicebam: ſed à Prælatis talis conditionis huiuſmodi obligatio negligitur, pro certo tenendo in bonorum diſtributione à ſibimet ipſis eſſe incipiendum: ergo tanquam à cœnobijs charitatem abijcientes, in ſui fauorem eam grauiter offendentes, lethali culpæ obnoxij putandi ſunt.

Dices, in tali diſtributione aliquis ordo eſt ſeruandus, & charitas id poſtulare videtur, quia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: ergo incipiendum eſt à Prælatis tanquam ab hominibus præ alijs dignioribus, & excellentioribus. Reſp. falli, quia in reformata Religione, vbi rigor diſciplinæ ſtrictè obſeruatur, vnumquemque reſpicit charitas, & ille ordo principaliter admittendus eſt, qui emanat à charitate, cui omnes alij inſeruire debent, vt rectè attingit Suarez vbi ſupt. quò fit, vt melior veſtis, cella, cibus, potus, & ſimilia interdum priùs ſint diſtribuenda ſubditis, quàm Prælatis ob neceſſitatem, ob infirmitatem, & ob alias cauſas paſſim inſurgentes: & in hoc maximè eſt inſiſtendum, quia ruina Religionum reformatarum ſemper incipit à commoditatibus Prælatorum; nam Prælati facillimè labuntur in tyrannidẽ, dum gubernant, vt inquit Ariſt. 3. pol. cap. 5. ad opulentorum commodum, & omnes ſubditi cupiunt eis frui; vndè ſequuntur mille incommoda factionum, ſeditionum, ſubornationum, aliorumque malorum.

Ex hac doctrina multi caſus in particulari ſoluuntur. Prælati, qui expẽdunt pecuniã monaſterij abſque honeſto titulo, peccant contra proprium officium, & votum paupertatis, quia ea abutuntur tanquam Domini, & non tanquam fideles diſpenſatores. Ita Suar. vbi ſupr. num. 11. Lugo de iuſt. tom. 1. diſp. 3. ſect. 8. Append. n. 183. idẽ eſt

eſt dicendum, quandò fideliter non diſtribuunt manuſcripta, quæ poſt mortem Religioſi relinquunt Religioni, ſed ſuo arbitrio amicis ea tradunt, quia ſunt bona Religionis; dic etiam idem de alijs rebus.

*TERTIA CONCLVSIO.*

6. Bona Religionis non poſſunt ſecundum proportionem iuſtitiæ diſtributiuæ diuidi inter Superiorem, & ſubditũ, quandò ſtatutum habetur in Religione, cũcta diſtribuenda eſſe à minimo laico vſque ad Superiorem ad perfectam arithmeticam æqualitatem. Suadetur prim. non poteſt Prælatus bona monaſterij ad libitum in proprios vſus, ſiue in quos voluerit, expendere, niſi in conuentus vtilitatem, & in vſus à iure, vel conſuetudine præfixos, quia eſt adminiſtrator, & non Dominus. Ita Mirand. tom. 1. quæſt. 28. art. 12. concl. 1. & 2. Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 11. & omnes alij DD. at ſi, ſtante ſtatuto, vnam maiorem partem bonorum præ alijs ſibi aſſignaret, expenderet in proprios vſus, quod fidelitas diſpenſationis ei commiſſa prohibet: ergò abſque labe peccati eius portio nequit eſſe maior portione aliorum Religioſorum. Secund. bona, quæ videntur eſſe ſuperflua, nullo modo conuenire poſſunt ſtatui Religioſo, vt docent S. Antonin. Silu. Maior, quos citatos ſequitur Azorius part. 1. lib. 12. cap. 12. quæſt. 5. ſed ille exceſſus præ alijs conuenire nequit Prælato, niſi ratione iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ pro maiori perfectione non ſeruatur in Religione: ergo talis exceſſus adſcribi debet inter res ſuperfluas. Tert. de ratione legis eſt, vt ſit iuſta, ideſt vt promulgetur, vt omnes liget. S. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 4. Silu. tit. lex. quæſt. 5. Carbo lib. 6. de legib. diſp. 10. Suar. lib. 1. de legibus c. 2. n. 14. Layman de leg. tract. 4. c. 1. quarè ſi lex ſtatuat pretium olei, ita vt vna pars Ciuitatis teneatur ſeruare huiuſmodi pretium, altera verò minimè, cenſenda eſt iniqua, niſi aliqua cauſa tale diſcrimen poſtulet: ſed, ſi poſſet Superior de bonis communibus ſuam augere portionẽ, ſtante ſtatuto prædicto, eſſet iniquum ſtatutum, quia abſque cauſa tale diſcrimen poneretur inter Superiorem, & ſubditum: ergo tuta conſcientia Superiores nequeunt huiuſmodi exceſſu frui. Quart. cenſendus eſt Prælatus lethali culpa obſtrictus, ſi bonũ ſubditis non præbeat exemplum, vt DD. affirmant, quarè S. Thom. lect. 1. in cap. 10. Ioann. ait, quòd quatuor ſunt actus boni Paſtoris. Prim. quòd oues cognoſcat. Secund. quod eas ſegreget è ſocietate impiorum. Tert. quòd iam eductas ab impijs, & inductas in ouile, iterum educat eas ex ouili. Quart. quòd eas præcedat exemplo bonæ conuerſationis: ſed ſi præcedat eas maiori portione, præcedet etiam malo exemplo, ita vt quilibet præſertim in hac materia dicere poſſit verba illa Auguſtin. lib. de Paſtor. cap. 4. *Si Præpoſitus meus ſic viuit, ego quid ſum, qui non faciam, quod ille facit*: ergo tenetur eas præcedere bono exemplo iuſtæ diſtributionis iuxta legẽ aritmeticæ iuſtitiæ. Quint. vel bonorum proprietas ſpectat ad communitatem Religionis; vel ſpectat ad ſedem Apoſtolicam; illa certè non intendit diſpenſare legi, quia eſſet in ſui damnum, & incommodum; neque iſta, quia ſemper intendit diſciplinam regularem conſeruando leges, optimaſque ordinationes augere: ergo Prælatus tribuẽs ſibi vnam maiorem portionem præ alijs, putandus eſt illorum bonorum proprietarius.

Animaduertendum eſt, quòd hic damnatur præ alijs quaſi quotidianus exceſſus, nõ tamen negatur, ne interdum tam ſubditis, quàm Prælatis aliqua maior portio tribuatur, quia nimis durum eſſet ſtatutum; ſeu lex, & leges humanæ ferè ſemper ſecundum benigniorem partem ſunt interpretandæ.

Dices, huiuſmodi lex cedens iuri meritorum nequit fieri, quia videtur eſſe debitum iuſtitiæ. Reſp. quòd, ſi lex eſſet ſancita à Generali vnà cum Conſultoribus votum, deciſiuum habentibus, nullius valoris eſſet; quia Prælatus, inquit Suar. vbi ſupr. nu. 10. cedere poteſt iuri ſuo, non verò ſubditorũ; ſi autem eſſet ſtatuta à Capitulo generali, in quo omnes, vel actualiter, vel virtualiter conueniunt, foret valida, quia tunc cedunt iuri ſuo, ac meritorum virtuti.

Pro fine quæſiti duo ſunt adnotanda cum Emin. Lugo. Prim. in tom. 1. de iuſt.

ſtiſp. 3. ſect. 8. append. num. 188. vbi dicit Prælatum in ijs, quæ ſpectant ad victum, & veſtitum ſubditorum, retenta ſemper decentia, & obligatione paupertatis religioſæ, magis debere inclinare ad liberalitatem, quàm ad parſimoniam, cum certiſſimum ſit illud Bernardi pronuntiatum. *Vbi non eſt abundantia, non eſt obſeruantia*: & quidem maximum eſt inobſeruantiæ, & relaxationis periculum, ſi communitas non prouideat abundanter ſubditis intra limites paupertatis religioſæ; ſinguli enim ſtatim attendunt ad prouidendum ſibi, & ſub ſpecie neceſſitatis incipit natura noſtra quærere etiam commoditates; quarè multò melius eſt alere competenter, & ſufficienter, centum Religioſos, quàm 150. minùs ſufficienter, quia illi centum conſeruabunt diſciplinam, & obſeruantiam regularem, quam plures alij omninò euertent. Secund. in tom. 2. de iuſt. diſp. 35. ſect. 5. num. 55. vbi habet electores teneri conſulere votis bono communi, & damna cõmunitatis impedire; ex qua doctrina oboritur, quòd ſuffragatores nequeunt denuò ſeligere illos Prælatos, qui ſolùm ab imperio, & poteſtate ducti bonorum communium portionem præ alijs ſibi aſſignant, eaque frui volunt violando iuſtitiam. *Nam iuſtitia eſt*, inquit S. Ambroſius relatus à D. Thom. 2. 2. quæſt. 58. art. 11. *quæ vnicuique, quod ſuum eſt, tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem cuſtodiat*. Prim. quia id tutò fieri nequit, & electores tenentur arcere à Prælaturis malos Prælatos. Secund. quia non præcauent mala, quæ ex hoc ſequuntur; nam Prælati ob iſtud commodum quærunt in Prælaturis ſe conſeruare in damnum totius communitatis, & ſubditi ab exemplo ducti incipiunt in hac materia relaxatè viuere, & ambire Prælaturas ob commodum conſequendum, vt tandem, eo conſequuto, pro conſeruatione ab authoritate defendantur.

## DVBIVM LVIII.

*An in Religionibus quodcunque delictum occultum ſine præuia correctione fraterna deferri poſſit Prælato tanquam Patri: & an delinquens emendatus de delicto poſſit etiam Prælato tanquam patri denuntiari, vt ſit ſecurior à recidiuo.*

### SVMMARIVM.

1. *Recitantur opiniones circa titulos quæſiti.*

2. *In Religionibus abſque præmiſſa correctione fraterna delictum occultum fratris poteſt denuntiari Prælato tanquam Patri: habetur quædam limitatio, & enodatur quædam obiectio.*

3. *In Religionibus non eſt admittenda doctrina docens, quòd occultum delictum fratris poſſit denuntiari Prælato, tanquam Patri, vt ſit ſecurior à recidiuo.*

1. Not. prim. extare duas opiniones circa primam partem tituli; alteram negatiuam, quæ defenditur ab his DD. Adrian. 4. quæſt. de correct. fratern. §. pro huius deciſione. Sot. de ſecret. membr. 2 q. 4. dub. 3. Nauarr. c. inter verba 11. qu. 3. in 2. edit. concl. 2. col. 44. n. 113. Tann. 2. 2. q. 5. dub. 5. dub. 106. Lorca 2. 2. ſect. 3. diſp. 47. nu. 9. Becan. 2. 2. c. 21. dub. 4. Sayr. lib. 11. c. 4. nu. 10. Petr. Ledeſm. to. 2. ſumm. tra. 4. fol. 292. diffic. 6. concl. 24. Diana in dub. Reg. tra. 2. 3. part. reſol. 37. Rationes poſſunt eſſe, quia habetur præceptum à Chriſto Domino de præmittenda correctione ante denuntiationem: ergo nullo modo poteſt deferri delictum occultum fratris abſque præuia correctione Prælato tanquam Patri, quia etiam charitas poſtulat, vt frater noſter corripiatur cum minima iactura ſuæ famæ: alteram affirmatiuam, quam ſequuntur D. Bonau. in illud Lucæ 17. *Si peccauerit*, &c. Ricard. 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. Gerſon. 2. part. 1. de correct. fratern. alphab. 34. litt. T. verſ. quarè ſciendum. D. Anton. 2. pa. tit. 9. c. 6. §. 4. Sãch. in ſumm. to. 2. lib. 6 c. 18.

num.

num. 46. Suar. tract. de charit diſp. 8. ſect. 6. num. 22. Turrian. tom. 1. in 2. 2. diſp. 89. dub. 4. Philipp. de Bictis in comp. cauſ. iudic. Reg. quæſt. 16. num. 1. & alij apud Turrian. & Sanch. quæ opinio mihi videtur probabiliter defendenda, & amplectenda iuxta primam concluſionem.

Not. ſec. duplicem ſententiam agitari circa quæſitum ſecundum. Prima aſſerit fratrem emendatum de delicto poſſe Prælato denuntiari tanquam *Patri*, vt ſit ſecurior à recidiuo, quæ videtur eſſe Richard. 4 diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. in corp Gabriel. in canone Miſſæ lect. 78. lit. V. Roſell. tit. inquiſitio. Angel. tit. denunt. num. 10. & aliorum apud Caſtrum Palaum p. part. de charit. 6. diſt. 3. punct. 12. Ratio eſt, quia talis manifeſtatio poteſt prodeſſe, & non obeſſe; prodeſt enim, vt Prælatus occaſiones iterũ ruendi in culpam abſcindat, & ex alia parte parum, & nihil obeſt, cum ſcientia illius delicti inſeruire nequeat pro punitione imponenda. Secund. negat eſſe denuntiandum. Ita Adrian. quæſt. de correct. § pro deciſione. Sotus reſol. de ſecret. membr. 2. qu. 4. concl. 4. Nauarr. ſumm. cap. 24. num. vlt. fine. Arag. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. Valent. diſp. 3. quæſt. 10. part. 5. §. ſed rectiùs hoc negant. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 4. p. 2. dub. 12. num. 120. D. Thom. Antonin. Silu. & alij, quos citatos ſequitur Sanchez ſumm. lib. 6. cap. 18. nu. 49. & num. 60. Emm. Sà tit. corr. num. 4.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. IN Religionibus ſine præuia correctione fraterna peccatum occultum fratris poteſt quis denuntiare Prælato, tanquã Patri, quãdò eſt vir prudens, & diſcretus, vt ab ipſo corrigatur. Pro probatione nõ ducor efficaciter ab illa ratione Sãchez licèt aliqualiter bona, quia fructus vberior ſpiritualis magis ſperatur a Prælato, quàm à ſubdito; & meritò præponderare debet iacturæ famæ, quia non videtur licitum lædere famam proximi propter maius bonum ſpirituale, vt rectè notat Diana vbi ſupr. aliàs multa eſſent perpetranda, ac prætermittenda, quæ propter hoc non fiunt, nec prætermittuntur, quia etiam Chriſtus Dominus apertè dixiſſet, denuntia Superiori, etiam tanquam Iudicij, quia fructus ſpiritualis, ſeù per correctionem, ſeù per diſciplinam præferendus eſt iacturæ famæ. Nec ducor, quia in Religione ex malitia lapſi difficilè corriguntur, vt probat Sanch. vbi ſupr. nu. 50. ex Caiet. & Ouado, quia, licèt ex altiori, nobilioriq; ſtatu deijciantur; non ideò ſpes emendationis deperditur ob tot bona ſpiritualia, & exempla aliorum, quæ ſemper lapſos ad pœnitentiam alliciunt, ob tot Sacramenta, quæ frequenter ſunt coacti recipere ſecundum ſanctas ordinationes Religionis; aliàs tanquam homines perditiſſimi, eò quòd ex plenitudine malitiæ lapſi ſunt, reſpici debent, quod abſurdum videtur eſſe, imò impium cenſendum eſt. Sed ducor, quia, quandò peccatum ſubditi eſt notum Prælato ob verecundiam, & ruborem maiori facilitate reſurgit, ac maiori difficultate in recidiuum incidit; ſed ducor, quia ad Prælatum ſpectat omnes occaſiones iterum relabendi præcauere, quod facillimè habetur à paterna Prælati correctione; nam eius authoritas remedia, vt ita dicam, infinita, ac ſecreta præſtare poteſt.

Limita, modò Prælatus ſit diſcretus, quia ſi eſt vir imprudens, violentus, & parum diſcretus, vel ſubditis non benè affectus, nullo modo occulta delicta ſunt ei tanquam Patri reuelanda, vt rectè notat Diana cum alijs DD. vbi ſupr. modò etiam non dubitetur de prudentia, & vt procedat, vt Pater, vt benè obſeruat Sanchez vbi ſup. num. 7. quia in hoc dubio valet poſſeſſio iuris propriæ famæ, quod ſubditus habet; modo delicta nõ ſint contra communitatem, & tertium, quia in hoc dubio eſſent denuntianda; præualet enim bonum commune, & poſſeſſio iuris tertij, vt à damno ſibi imminenti præſeruentur: addi etiam poteſt, modò non ſit periculum, vt recidat, & relabatur, & æſtimetur emendatus; nam præceptum correctionis fraternæ non obligat in tali caſu, vt rectè docent Reginald. lib. 4. cap. 25. num. 232. Abulenſ. in cap. 8. Matth. quæſt. 83. Silu. tit. correctio. quæſt. 1. in fine. Turrian. 2. 2. diſp. 86. dub. 2. Layman. lib. 2. tract. 3. c. 7. n. 2. quia finis denuntiationis ceſſat; vide dub. 80. prop. finem.

Dices, pluris ſubditum ſuam famam face-

re apud Prælatum, quàm apud alios, quia Prælatus poteſt ei maius damnum inferre, atque ita famæ detrimentum non eſt cenſendum modicum, ita vt concedat delationem delicti abſque præuia correctione. Reſp. Sanch. vbi ſupr. imprudentem eſſe hanc tanti famæ æſtimationem, ſi Prælatus ſit ita prudens, vt ſupponitur; cuius reſponſio non mihi placet, quia Religioſus, fama amiſſa maximè apud Prælatum, bonũ omne amiſit, quia in Religione loco diuitiarum fama habetur, imò nil remanet amittendum, eò quòd abſque fama nil aliud ſit Religioſus, quàm viuum cadauer; ideò reſpond. quòd leges ex ſententia Ariſt. 2. Reth. cap. 9. interpretari magis debeant ex vtilitate Reipublicæ, quàm ex legis impoſitione, quæ in literis eſt, maior vtilitas delinquentis, & Reipublicæ habetur ex correctione Prælati, vt dictum eſt in concluſione, quàm ſubditi; ideò huiuſmodi bona bono famæ delinquentis anteponi poſſunt: per hoc patet reſponſio ad duo argumenta in contrarium in ſecund. not. notata.

Ex hac doctrina deducitur, quòd peccata contra bonum commune, licèt occulta, vt ſunt hæreſes, proditiones, malæ ſubornationes in electionibus, &c. & contra tertiũ, vt ſunt homicidia, furta, adulteria maximo cum fundamento, vt inquiunt S. Tho. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. Vega 1. p. cap. 71. caſu 35. Ledeſma 2. p. ſumm. tract. 4. cap. 4. concl. 21. Peirinus de ſubdito quæſt. 1. cap. 16. §. 2. concl. 2. & alij, deduci poſſunt ad Prælatum abſque correctione fraterna.

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

3. NVllo modo aſſerendum eſt poſſe delictum ſubditi emendari Prælato tanquam Patri denuntiati, vt ſit ſecurior à recidiuo. Probatur prim. ex verbis Chriſti dicentis. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: quaſi dicat, ibi eſt ſiſtendum, cum ad lucrum fratris correctio ordinetur. Secund. ordo correctionis, & denuntiationis Prælato in delictis occultis eo tendit, vt frater plenè emendetur: ergo, quandò conſtat de emendatione, ad quid denuntiatio Prælato? nonniſi ad auferendam famam. Tert. pluris denigratio famę apud Prælatum æſtimatur à ſubditis, & ægrius fertur propter dependentiam eius, quàm apud plures ſocios: ergo ob ſolam maiorem ſecuritatem talis infamatio honeſtari nequit. Quart. non eſt licitum auferre à proximo diuitias, & pauperibus diſtribuere, vt pro illo preces effundant Deo, vt ex Adrian. infert Valent. diſp. 3. qu. 10. pag. 5. §. ſed rectiùs hoc negant: ergo nec famam auferre, &c. Limita cum Sanch. vbi ſupr. temperante cõtrariam ſententiam, modò non ſit probabile recidiui periculum. Ad argumentum pro contraria ſententia reſp. ex Euang. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: & ex læſione famæ, quia multùm obeſt, eò quòd nequit honeſtari huiuſmodi infamatio.

Pro fine eſt addendum, quandonam erit probabile periculum relabendi? cum delinquens ita proximis occaſionibus eſt implicatus, vt moraliter loquendo iudicetur caſurus, niſi ab illis diuertatur; verùm de periculis remotis non eſt curandum, cum ex fragilitate humana vnuſquiſque eis ſubiaceat. Petrus verò de Ledeſma to. 2. ſumm. tract. 4. concl. 24. diff. 5. pag. 290. loquẽs magis in particulari dicit, quod, ſi ſcias Religioſum incidiſſe in peccatum luxuriæ ex conſuetudine, eſt denuntiandus Prælato, quia raro præſumi poteſt emendatus, ſed potiùs in morali periculo iterum relabendi verſari, ſecus ſi ex fragilitate humana propter occaſionem ſibi oblatam.

## DVBIVM LIX.

*An Religioni vtilius ſit ferè ſemper in opinionibus DD. partem inclinantem ad mortale, vt à ſubditis precaueatur, docere, quàm partem docentem nullum eſſe peccatum.*

### SVMMARIVM.

1. *NIl vtilius hominibus, quàm rerum veritas, quæ eis innoteſcit; ideò pro ea inuenienda orta ſunt infinita opiniones.*

2. *In huiuſmodi opinionibus ſumma Dei prouidentia enitet ad liberandos homines à peccatis.*

3: *Si-*

*3. Singulis hominibus, & maximè communitati interdum concedenda eſt aliqua honeſta recreatio.*

*4. In cœnobijs nonnulli ſunt verſati in doctrina, nonnulli alij in ſpiritu probati; alij verò debiles, & infirmi.*

*5. Religionibus non eſt vtilius pro earum gubernatione ſæpè rigidas amplecti opiniones: & ſatisfit obiectionibus.*

1. Præſens quæſitum mouetur ob nõnullos recentiores, qui ex DD. infinitas penè opiniones ſpectantes ad Religioſorum ſtatũ, in vnum collegerunt, eaſque pro illa parte, quæ ad mortale peccatum inclinat, typis mandarunt, & ob nonnullos alios, qui ferè ſemper verbis ſtrictiorem, & duriorem docent. Sit ergo prim. not. quod nil vtilius eſt homini, quàm rerum veritatem habere, vt rectè ait Vict.Philoſ. lib. 2. de anima. *Nullæ duæ res inter ſe ſe tam amicæ, & concordes, quàm virtus, & veritas: nempè germana à Deo genita, & humanis mentibus ſicut vtiliſſima; ita etiam integris iucundiſſima*: & S. Auguſt. de agone Chriſti ait. *Qui veritatẽ occultat, & qui mendacium prodit, vterque reus eſt; ille, quia prodeſſe non vult; iſte, quia nocere deſiderat*: & de lib. arb. dicit. *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur*. idem affirmat S.Ephrem de virtutibus, & vitijs, lib. 1. fol. 37. *Veritatis ſtudioſus, ſemper Deo placet, & cunctis hominibus vtilis eſt*. Verùm ignorantia, delictorũ noſtrorũ pœna, ex humanis mẽtibus ipſarũ rerum veritatem expulit; non ideò tamen, quod intrinſecè eſt proprium hominis, ſcilicet, vt inquit Cicero 3. offic. veri inueſtigationem, & inquiſitionem, extorſit: quarè dicebat B. Laurent. Iuſtin. de caſto connubio Verbi, & animæ c. 6. *Ex appetitu namque veri ſcientia, & cognitionis deſiderio fatigamur, ob hoc quoquè cogitationes in animo verſamus multiplices, conſilia adinuenimus, leges ſtatuimus, occulta rimamur, ignorata quærimus, & ſecreta etiam Dei myſteria, atque profunda iudicia penetrare contendimus*: quò fit vt DD. ſemper rerum moralium veritatem inquirãt, vndè sũt ortæ tot opiniones ob varias rationes, quæ probabilem illius rei inquiſitæ reddũt veritatem; & quantò magis rationes inuentæ ad veritatem accedunt, tantò magis expoſitio illius doctrinæ vtilior erit Reipublicæ: & cum prudentia ſit regula humanarum actionum, affirmari non poteſt, vtilius eſſe Religioni ſententiam ſemper proferre pro parte duriore, eò quòd veritas in ipſa aſperitate, & duritie eluceſcat; maximè quia multæ opiniones ſæpè ſolidantur ſola authoritate duorum, vel trium DD.

2. Not. ſec. immeritò aliquos dolore cõmoueri, & triſtari, quòd tot reperiãtur opiniones in rebus moralibus, quia in eis maxima Dei prouidentia enitet; nam ex opinionum varietate iugum Chriſti ſuauiter ſuſtinetur, quia plures homines infirmi, ac debiles in virtute, ſi ad vnam tantùm opinionem ſequendam tam in omittendo, quàm in poſitiuè eligendo aliquid eſſent coacti, facilè in peccatum ruerent, quia, quod placet, difficilè relinquerent, & quos diſplicet, difficilè vellent; ideò diuina Bonitas hominum imbecillitati ſuccurrens, diuerſa ingenia eis contulit, quibus diuerſa inter ſe iudicia ferrent, & ſe rectè opinari arbitrentur; & ita multi, & multi his opinionibus muniti ſe alienarent à peccatis; Deo namquè nullum emolumentum accreſcit, quòd quis operetur iuxta vnam, vel aliam opinionem, ſolùm deſiderat mandatum ſuum non infringi: cum ergo iuxta opinionem probabilem operans Dei præceptum non infringat, Dei non intereſt quidquam, iuxta vnã, vel alteram opinionem operationem deduci, vndè DD. decipiuntur putantes ſecuriùs ſe gerere, dum id, quod ſub opinione habetur, an ſit peccatum, tale eſſe decernunt, quia, cum de veritate dubitetur, non eſt maior ratio, cur pro peccato, quàm contra ipſum reſpondeatur; quarè hoc videtur eſſe vtilius hominibus, quia magis placet Deo eos excuſare à peccato, quàm eos obnoxios conſtituere. Ita Ioann. Sancius in ſelectis diſput. 44. num. 70. 71. referens ſententiam Henriq. in proemio ſummæ docentis, quòd errare cum Platone, aut inſigni Theologo, dum latet ignota veritas ſpeculatiua, non nocet in praxi, in quo Theologus differt à corporali Medico, quia, ſi morbi vim, quamuis ſine culpa ignoret, necis occaſio eſſe ſolet, ſed qui ſapientum, ac prudentum ſententiæ probabili acquieſcit, nullum

nullum patitur periculum conſcientię: Deus autem ita nobis ignorantibus indulget, vt eã ſententiam confirmet ad ſalutem, vt per medium ſpirituale ſanet etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota ſunt: hæc Hẽriquez. Doctrinæ Ioannis Sancij ſe ſubſcribunt doctus Caramuel. in ſuo tract. ſuper regulam D. Benedicti n. 60. & Baſſæus in ſumm. tit. Conſcientia. n. 25. in fin.

3. Not. tert. quòd Suarez. 4. de Relig. lib. 8. cap. 8. num. 18. docet neceſſariò aliquam ſingulis hominibus intermiſſionem eſſe tribuendam (ſcio Suarez loqui de honeſta recreatione, applicari tamen poteſt, & optimè fini noſtro) tàm quoad labores corporis, quàm ſpiritus, vnde tantò magis id concedendum eſt toti communitati, quę tota nequit eſſe perfecta, & fortis in ſpiritu, ſed plures in ea debiles, ac infirmi morantur; & ideò nequit in perpetuo rigore contineri ſine magna violentia, & coactione, quæ nec durabilis eſt, nec tantum fructum ſpiritualem afferre ſolet.

4. Not. quart. quòd homines in cœnobijs degentes in triplici differentia ſe habẽt; aliqui ſunt in doctrina verſati; nonnulli alij in ſpiritu probati; alij verò debiles, & infirmi in ſpiritu, & hi ſunt maiores numero illis, vt dicit Suarez vbi ſupr. & inſinuat Sotus de iuſt. lib. 1. q. 6. art. 2.

Not. quint. quòd ferè idem eſt condere leges, ac eas opiniones ſtatuere pro parte ad mortale peccatum obligante, quia, quantùm in ſe eſt, imponuntur onera, vbi non ſunt, dum altera pars benignior ſe habet liberando homines ab huiuſmodi oneribus.

*CONCLVSIO.*

5. RELigioſorum congregationi nequit eſſe vtilius ſæpè ſententiam in varijs DD. opinionibus pro parte inclinante ad mortale peccatum proferre. Suadetur primò: ideò ſtatuitur huiuſmodi doctrina ad mortale obligans, quia cenſetur fore vtilior Religioni: ſed in ſuo rigore decipiuntur: ergo: minor probatur, quia tunc doctrina putanda eſt vtilior, quantò magis accedit ad rei veritatem, vt ſuperiùs dicebam: ſed firmando eam pro parte ad mortale obligante, potiùs eſt ferre ſententiam pro rigore, ac authoritate, quàm pro rei veritate, quia prudentia nequit iſtam ſuppeditare veritatem, quod rerum veritas conſtituta ſit in illo rigore, cum iugum Domini ſit ſuaue, & leue, & cum opiniones claſſicorum DD. à rationibus coactorum modò declinent in partem benigniorem, modò in rigidiorem: ergo huiuſmodi doctrina vtilior congregationi nequit eſſe. Secund. firmans Prælatus talem doctrinam, vel intendit onerare conſcientias pro vtilitate hominum ſcientia præditorum; vel illorum, quia in via ſpiritus probati ſunt; vel imbecillium, & infirmorum: non primos grauat, quia doctrina eorum talia onera ab humeris deponit; non ſecundos, quia tanquam nimis grauati conſulunt DD. timiditatemque conſcientię ſubleuant, oppreſſionemque ſpiritus deponunt; non tertios, quia facillimè paruipendunt doctrinam; vel à ſcientia propria inſtructi; vel aliorum, quos conſuluerunt; imò nonnullis tanquã alijs infirmioribus eſt ſcala potiùs ad ruinam, quàm ad ſubleuandam imbecillitatem; vnde Mirand. to. 2. q. 25. art. 9. ex illis conditionibus legis (neceſſaria, & vtilis) reprehendit quorundam Iudicum, & Prælatorum facilitatem ad condendas leges, quarum prouidè obſeruatio quaſi impoſſibilis redditur, quæ ad nihilum deſeruiunt, niſi vt paruipendãtur, ſeù efficiantur aranearum telæ, quibus non Leones, ſed tenues muſcæ capiantur. Tert. timor Dei, & humana poſſibilitas reſpuunt duriora præcepta; at docere opiniones ſubditos pro parte duriore eſt imponere duriora præcepta: ergo aliquid præſtatur contra timorem Dei, & humanam naturam labilem, & infirmam: minor clara, quia rigidiorem opinionem docere eſt ſecundum ſe duriora præcepta ſtatuere: maior habetur ex D. Ambroſ. in Pſalm. 118. Octon. 5. verſ. 6. *Initium, inquit, ſapientiæ eſt timor Domini, dicit Propheta, quid eſt autem initium ſapientiæ, niſi ſæculo renuntiare, quia ſapere ſæcularia ſtultitia eſt; denique ſapientiam huius mundi ſtultitiam eſſe apud Deum Apoſtolus dicit, ſed & ipſe timor Domini niſi ſecundum ſcientiam ſit, nihil prodeſt, imò obeſt plurimum, ſiquidem Iudæi habent Zelum Dei; ſed quia non habent ſecundũ ſcientiam, in ipſo Zelo, & timore maiorem contrahunt diuinitatis offenſam, quòd circumcidunt*

*dunt infantulos ſuos, quòd ſabbatha cuſtodiunt, timorem Dei habent; ſed quia neſciunt legem ſpiritualem eſſe, circumcidunt corpus, non cor ſuum; & quid de Iudæis dico? ſunt etiã in vobis, qui habent timorem Dei, ſed non ſecundum ſciẽtiam ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana cõditio ſuſtinere: timor in eis eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere, ſed inſcitia in eis eſt, quia non compatiuntur naturæ, nec æſtimant poſſibilitatem: non ſit ergo irrationalis timor: etenim vera ſapientia à timore Dei incipit, nec eſt ſapientia ſpiritualis ſine timore Dei, ita timor ſine ſapientia eſſe non debet*: hæc Ambroſ. Quart. non poſſunt in perpetuo rigore contineri ſine magna violentia, & coactione, quæ experientia teſte, nequit in longum limites protrahere, non ſolùm ſingulæ perſonæ, ſed multò minùs tota communitas, in qua plures debiles in ſpiritu, quàm fortes connumerantur ſine aliqua intermiſſione; ideò S. Baſil. in oration. 6. de inſtit. & admonit. aiebat. *Nam ea diſciplina, quæ violenta eſt, diuturna eſſe non ſolet; at ea, quæ cum delectatione quadam, & iucunditate percipitur, neſcio quo modo firmiùs animis noſtris inhæret*: ſed nulla videtur eſſe maior violentia, & coactio religioſis hominibus, quàm in omnibus actionibus tam pro earũ executione, quàm pro omiſſione ferè ſemper præmi à lethalis culpæ pondere: ergo, vt rigor obſeruantiæ, & fructus ſpiritus habeatur durabilis, vtilis intermiſſio, quæ nõ rigidas opiniones doceat, communitati eſt concedenda; & ideò Iſidorus lib. 5. Ethymol. cap. 3. relatus à Gratiano in decret. diſt. 4. in cap. Erit autem lex, inter conditiones, quæ vtilem faciunt legem, connumerat, quod ſit poſſibilis ſecundum naturã, ideſt vt rectè notat Mirand. vbi ſupr. quod præcipit lex, debet eſſe factibile, & non nimium difficile ſecundum naturam eorum, quibus leges imponuntur. Quint. legum multitudo vtilis putanda non eſt communitati, vt docet Azorius lib. 5. cap. 5. qu. 7. punct. 1. ſed proferre ſententiam in ferè infinitis opinionibus DD. pro parte ad onus culpæ mortiferæ ligante, eſt multitudinem legum condere, quia, vt dicebam in quint. not. nulla videtur eſſe differentia inter condere leges, & rigidioribus opinionibus adhærere: ergo illa vtilitas à Prælato intenta in huiuſmodi opinionibus in ipſa aſperitate moritur; vndè Iſidorus ab Azorio vbi ſupr. relatus dicebat. *Non ſunt legibus porticus implendæ, ſed ciuium animi iuſtitia, & virtute imbuendi, homines benè inſtituti paucis legibus facilè diriguntur, improbi omnes leges facilè contemnunt*: & ſic concludit Azorius: Bonis igitur paucæ leges ſufficiunt, malis innumeræ ſatis non ſunt. Sext. Bonitas diuina, quæ ſemper intendit ſaluti hominum conſulere, pro eorum vtilitate, & Eccleſiæ voluit varia ingenia Reipublicæ chriſtianæ præſtare, vt varias opiniones ederent, vt infirmi, ac debiles in lege ſua, modò adhærendo vni, modò alteri, præcepta ſua non infringant; ergo etiam in Religioſorũ congregatione tam pro illis, qui in via ſpiritus feruentes ſunt, quàm pro infirmis, ac debilibus in virtute, illis, ne oneribus opprimantur, iſti, ne regulam, & legem infringant, vtilius erit moderatam libertatem in opinionibus concedere. Vltim. probatur, quia opponitur ſuauitati Chriſti, cuius iugũ ſuaue eſt, & onus leue, reddens legem grauem, & oneroſam: ergo ſemper erit vtilitatis expers huiuſmodi doctrina: antecedens probatur ex doctrina S. Auguſt. epiſt. 129. cap. 19. tom. 2. quam ſequitur D. Thom. 1. 2. quæſt. 107. art. 4. aſſerentis in lege moderationẽ eſſe attendendã, ne conuerſatio fidelium oneroſa reddatur. Dicit enim ad inquiſitores Ianuarij de quibuſdam, quod ipſam Religionem noſtram, quàm in manifeſtiſſimis, & grauiſſimis celebrationũ ſacramentis Dei voluit miſericordiam eſſe liberam, ſeruilibus premunt oneribus, adeò vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui legalibus ſacramentis non humanis præſũptionibus ſubijciuntur: vndè Conradus in D. Thom. vbi ſupr. inquit: Noua lex pauciſſima præcepta habet à Chriſto, & Diſcipulis ſuis inſtituta, & alij Prælati debent attẽdere diligenter, ne reddant Religionem chriſtianam oneroſam. Medina verò ibid. grauiora verba habet: Noua lex, inquit, pauciſſima moralibus præceptis ſuperaddit, eaque actu facillima, propter quod D. Auguſtin. admonet in epiſt. ad inquiſitores Iannuarij cauendum eſſe, & quidem maximè Prælatis Eccleſiæ, Concilijs, & Sum-

mis Pontificibus, ne multitudine præceptorum, & legum onerofum reddant ſuaue iugum Euangelij, quod Chriſtus impoſuit ſalubriter: & Ioann. Sãcius in ſelectis in præfatione ad Lectorem ait: Placuit opiniones releuantes eligere, vt indè à fidelibus periculum incidendi elongaremus, cum conſultiùs ſit liberãtem opinionem conſulere, dũ condemnantem difficilè amplexandam timetur, & quia maximè attendendum eſt, legem Chriſti oneroſam non reddere, vt ait S. Auguſt. & S. Thom. vbi ſupr. ne fidelibus odioſa efficiatur.

Dices, ergo docendæ ſunt laxiores opiniones in maximum Religionis damnum. Reſp. obiectionem non obſtare concluſioni, quia in quæſito quæritur: an ſtrictiores, & duriores ſint typis mandandæ, & ore docẽdæ, & non an laxiores, vel ſtrictiores; & fortè hoc vltimum diſputare non eſſet niſi vtile; verùm modò meum non eſt, ſed tantùm dicere, prudentiam eſſe illam regulam, per quam DD. opiniones ſunt in Religioſorum mentibus imprimendæ; & cum dictum ſit nil eſſe vtilius veritate, illæ, quæ ſecundum probabiliores rationes veritatem oſtendunt, ſunt amplectendæ, conſiderando ſemper, quod dicitur in l. ſi ſeruum §. ſequitur, ff. de verb. oblig. illa ratio dicitur efficacior, quæ ſecundum æquitatem eſt, quàm quæ ſecundum rigorem.

Dices, illæ opiniones ſunt eligendæ, quę ſunt ſecuriores, & tutiores, tales ſemper ſunt cenſendæ, quæ & materialiter, & formaliter peccatum vetant, quia in iure habetur. *In dubijs id, quod tutius eſt, teneamus.* cap. Iuuenis, de ſponſ. Reſp. id non eſſe verum, quia ſufficit opinionem probabilem ſequi; vt docent 31. DD. apud Dianam part. 2. tract. 13. reſol. 1. part. 4. miſcellan. reſolut. 4. videatur Ioannes Sancius in ſuis ſelectis diſp. 44. vbi multa dicit, & nouiſſimè Paſqualig. deciſ. 5. & Spinola de liber. ac prudent. agibil. elect. diſp. 9. ſect. 4. tum quia operans ſecundum opinionem probabilem non eſt iudicandus temerarius, neque imprudens, in quo conſiſtit peccatũ, tum quia, cum omnimoda certitudo in rebus agendis haberi nequeat, pro ſecuritate à peccato ſufficit operari cum probabili certitudine, tum quia non tenetur quis ſemper ſequi, quod perfectius eſt, tum quia maximis angeremur ſtimulis in indaganda probabiliori, ac tutiori opinione, & eſſet onus grauiſſimum, quod non creditur à Deo fuiſſe hominibus impoſitum. Ad textũ reſp. ibi eſſe ſermonem de vero dubio, quod intercedit, quandò intellectus non magis inclinat in vnam partem, quàm in alteram, & non de opinione, quæ adhæret vni cum formidine de oppoſitio. Ita Azorius p. 1. lib. 2. cap. 12. in fin. Bonacin. de peccatis diſp. 2. quæſt. 4. punct. 9. Paſqualigus deciſ. 5. imò addo, quòd non ſemper quis tenetur in dubijs tutiorem partem ſequi, ſed tãtùm ex conſilio, niſi fortè in aliquo caſu, iuſta interueniente cauſa, vt quandò adeſt iuris diſpoſitio. Ita Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 9. num. 16. Reginald. lib. 15. num. 94. Filliuc. tract. 21. cap 4 quæſt. 4. num. 126. Bonac. vbi ſupr. tandem dico tutiorem partem eſſe ſequendam, quandò dubium non ſolùm eſt ſpeculatiuum, verùm etiam practicum. Ita Bonac. tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. num. 4. de peccat. & Ioann. Sancius in ſelectis diſp. 42. num. 11. alios referens.

## DVBIVM LX.

*An Superior poſſit ſecretò, ſeù palam Religioſum priuare voce actiua, ſeù paſſiua non citata, & inaudita parte.*

### SVMMARIVM.

1. *Citatio Rei pro imponenda ſententia ita eſt neceſſaria, vt ſi omittatur, nulla, atque irrita cenſenda ſit ſententia.*

2. *Pendente accuſatione, ſeù denuntiatione nequit denuntiatus ad aliquam dignitatem promoueri, modò delictum ſit probatum ſaltem per vnicum teſtem, & ſit infamatus apud bonos, & graues viros.*

3. *Nequit Superior, inaudita parte, voce actiua, & paſſiua Religioſum priuare.*

4. *Eiuſdem Superioris mandatis contra inauditum, & non citatum non tenetur obedire elector.*

1. Not. prim. quod in omni recto iudi-

cio citatio Rei pro pœna imponenda ita videtur eſſe neceſſaria, vt ſi omittatur, amittatur etiam validitas ſententiæ, quia ipſo iure eſt nulla, irrita, & nullius roboris, vtpote contra ius naturale, & diuinum, vt decernitur in Clement. Paſtoralis, §. Cæterum de re iudicata, & in cap. Deus omnipotens, 2. quæſt. 1. & ita vniuerſi DD. in hanc veritatem conſpirant. Vant. de nullit. & defect. citationis num. 10. Felin. in c. Conſuluit. n. 16. de offic. deleg. Gregor. deciſ. 46. n. 6. Aloyſ. Ricc. in collect. deciſ. collect. 1470. Soncin. conſil. 87. poſt n. 19. verſ. cupio ſextum lib. 3. Clarus in practic. q. 30. Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 2 concl. 3. imò addunt Nauarr. man. cap. 25. n 13. & Aretin. in pract. crim. cap. 2. de Reis Iudicem manifeſtè peccare, ſi ad condemnationem abſque Rei citatione procedat. Ratio eſt, quia, cum defenſio ſit de iure naturali, vt inquiunt DD. ideò citatio protſus cenſetur neceſſaria, vt Reus inquiſitus ſuas defenſiones proferre poſſit; quarè Deus, qui ſciebat peccatum Adæ, primùm vocauit eum dicens, vbi es? ſimiliter fecit de Cain, & de villico prout in Euangelio.

2. Not. ſec. quòd accuſatus, ſeù denũciatus de aliquo delicto, pendente accuſatione, ſeù denuntiatione non debet, nec poteſt promoueri ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam. l. Reus. ff. de muneribus, cap. fin. de teſtibus, & cap. Omnipotens de accuſatione. Ita Nicol. Garcias p. 7. c. 5. n. 6. de beneficijs, referens Abb. Ann. Felin. & alios. Barboſa in collect. DD. in dict. cap. Omnipotens, qui multos, ac multos citat. Nauarr. in conſil. tit. de accuſat. conſ. 6. & 7. Lauor. variar. lucubrat. tom. 1. tit. 4. c. 16. n. 103. Cunha in coment. ad cap. 3. diſt. 18. Zerola in prax. Epiſcop. p. 2. tit. Ordo, §. 1. Couarr. lib. 1. var. cap. 16. n. 11. verſ. quart. Roman. ſing. 438. Selu. de benef. p. 3. q. 5. n. 31. Samuell. de elect. canon. diſp. 6. contr. 1. n. 2. tra. 1. & Bordon. in conſ. Reg. reſol. 26. n. 22. Aretin. in pract. crim. pag. 190. valdè enim graue eſt, vt de quo tanta nuntiantur ante diſcuſſionẽ, & inquiſitionẽ honoretur. Limita, modò delictũ probetur ſaltem per vnum teſtem omni exceptione maiorem. Ità Bordon. & Samuell. vbi ſupr. & denuntiatus ſit infamatus apud bonos, & graues viros; aliàs denuntiatio non impedit promotionem. Ita docent Abb. Felin. Romanus, Selua, Baiſius, Nauarr. & Cerola cum Hoſtienſe, & Ioann. And. in cap. Meminimus de accuſat. quos citatos ſequitur Garcias vbi ſup. n. 7. Lauor. loc. cit. n. 114. referens Maior. Biax, & alios. Barboſ. vbi ſupr. n. 3. cum Cunha ab ipſo relatu; vndè ſubdit Barboſa, pendente accuſatione, ſeù denunciatione, interim, dum deuenitur ad ſententiam, denunciatus dicitur infamis infamia facti, quæ incurritur, cum quis notatur de aliquo crimine apud bonos, & graues viros ſuper aliquo crimine, ſeù peccato; & citat Garciam, & alios: hæc verò infamia facti repellit quemuis à dignitatibus habendis, non tamen ab obtentis, vt docent Garcias, & Barboſa vbi ſupr. Henriq. lib. 13. cap. 38. §. 3. in med. Campan. in diuerſorio iuris canonici rubr. 11. cap. 18. num. 33. infamia iuris, quæ inſurgit per ſententiam declaratoriam de crimine famoſo, quod infamet l. furti ff. de his qui not. infamia, impedit non ſolùm præfici dignitatibus, ſed etiam remoueri ab ipſis habitis facit l. infamia C. de decurionibus lib. 18. Couarr. pract. cap. 19. nu. 5. concluſ. 5. Barboſ. & Garc. nu. 33. vbi ſupr. qui multos refert. Nec obſtat, quòd nemo poteſt priuari iure ſuo, etiam lite pendente, vt ex multis docet Caſtellinus de elect. canon. cap. 5. nu. 1. quia hæc regula fallit in hoc, vt optimè elicitur ex DD. citatis. Pro fine not. eſt aduertendũ, quòd huiuſmodi querelatus ad ſe purgandũ nequit diem pręfixum electionis, vel Capituli impedire, ſeù prorogare. Ita Bordon. nu. 23. & Samuell. nu. 9. vbi ſupr.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

3. FIrmiter eſt aſſerendum Superiorem nullo modo poſſe voce actiua, & paſſiua Religioſum, ipſo inaudito priuare. Quæ veritas, præterquamquòd ſufficienter intelligitur probata ex prim. not. aliàs indefenſus condemnaretur, quod eſt cõtra omne ius; probatur etiam, quia omnis ſententia lata contra inauditum, & non citatum, eſt ipſo iure nulla, vt habetur cap. Nos in quemqnam 2. q. 1. vbi dicitur. *Nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut cõuictũ, aut ſpontè confeſſum*: & in cap. 1. de cauſa poſſeſſionis, vbi dicit Papa ſe contra



inau-

inauditam partem nihil poſſe definire. Ita præter DD. citatos ſentiunt Rodriq. tom. 2. q. 51. Portell. 2. p. caſus 6. Sigiſmund. à Bonon. de electionion. dub. 95. Samuell. de electionion. canon. tract. 2. diſp. 7. controuerſ. 6. 2. concluſ. 5. referens varias deciſ. Rotæ: quæ doctrina eſt tanti roboris, vt, ſi commiſſio eſſet Papalis, & in commiſſione haberetur clauſula, ad arbritrium Præſidis priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ committi; nihilominus talis commiſſio ſemper erit explicanda, ſeruato iuris ordine. Ratio eſt, quia, cum citatio partis, & defenſio ſpectent ad ius naturale, quælibet ampliſſima commiſſio tale ius tollere nequit.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Elector capitularis Superioris mandatis contra inauditũ, & nõ citatũ obedire non tenetur. Ita Rodriq vbi ſupr. quia ſunt iniuſta, & nemo tenetur cooperari alterius iniuſtitiæ, & ita habetur in decret. cap Inter quatuor, de maior. obed. vbi dicitur: *Iuris namque ratio poſtulat, vt in eorum præiudicium nihil ordinemus, cum neque citati ſint, neque conuicti, neque per contumaciam ſe abſtineant*: imò licet ea mandarent ſub pœna excommunicationis, adhuc præfati electores eis parere non tenentur, quia, ſacri Canones inſtruant nos ſententiam excommunicationis, ſeù iuſtam, ſeù iniuſtam eſſe timendam; nihilominus, cum ipſa ſit nulla, minimè obligat, vt reſoluunt Gutier. Sanc. Cordub. quos citatos ſequitur Rodr. vbi. ſupr. Nec. obſtat atteſtatio Superioris dicentis ſe hoc facere ex iuſta cauſa, quia, vt benè ait Nauarr. de ſpol. Cleric. §. 2. nu. 78. & lib. 3. conſil. de Regul. conſil. 56. nu. 2. Superiori etiam non recognoſcenti alium Superiorem dicenti ſe facere aliquid ex iuſta cauſa, non creditur, niſi conſtet de illa, ſi id nequit facere ſine cauſa. Nec obſtat, quòd Præſes dicat ſe habere commiſſionẽ Papalem abſque limitatione, quia, vt dixi ex mente Rodriq. cui addo Portell. vbi ſupr. ſemper intelligenda eſt, ſeruato iuris ordine, eò quòd defenſio eſt de iure naturali. Nec obſtat dicere in Religione hanc vigere conſuetudinem, vt Prælatus habeat excluſionem liberam, vel poteſtatem liberam excludendi, quẽ voluerit, quia, vt rectè dicit Portell. vbi ſupr. potiùs eſt corruptela contra ius naturale, quàm ius acquiſitum.

Dices, nonnulli DD. vt Paulus de Caſtro in l. admon. 107. ff. de iureiur. & l. Lucius de his, qui notantur infam. Bartol. ibid. & Soncin. conſ. 37. aſſerunt Iudicem rationabilibùs de cauſis poſſe vni teſtimonio plenam fidem adhibere, præſertim ſi vir adeò inſignis, ac bonæ famæ ſit, vt nefas videatur de ipſius dicto dubitari: ergò tantò magis Iudex ad ſuam ſcientiam certam poterit Religioſum ſuffragio priuare. Reſp. doctrinam DD. eſſe intelligendam de his, quæ iuri nõ ſunt contraria; de his verò, quæ iure diuino, ac naturali, ac iure humano ſtatuta ſunt, Iudex ſecundum illa procedere debet. Ita ſentiunt communiter DD. S. Thom. 2. 2. quæſt. 67. art. 2. vbi Caiet. Bann. Salon. Aragon. imò addit Clarus qu. 8. verſ. ſed pœnæ, & qu. 66 Iudicem non poſſe condemnare Reũ, niſi delictum ſit legitimè probatum.

## DVBIVM LXI.

*Quæ doctrina Iudex regularis vti debeat in imponendis priuationibus vocis actiuæ, & paſſiuæ Religioſis delinquentibus.*

### SVMMARIVM.

1. *Religioſorum peccata, alia ſunt leuia, alia verò grauia.*
2. *Religioſi ſunt domini propriæ famæ.*
3. *Quinque, vel ſex teſtes omni exceptione maiores in genere non probant quempiam eſſe furem, ſeu homicidam.*
4. *Quandò teſtes actoris, & Rei ſunt æquales numero quoad facti ſubſtantiam, ſtandum eſt pro Reo.*
5. *In delictis denigrantibus famam nequit imponi priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ niſi per duos teſtes conteſtes: repelluntur quidam DD. aſſerentes Religioſorum peccata per teſtes ſingulares poſſe probari: habetur etiam quædam limitatio concluſionis.*

6. In

*6. In deliſtis leuibus, quæ famam non lædunt, non videtur inconueniens vti doctrina pro imponenda pæna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ de teſtibus ſingularibus.*

1. Not. prim. quòd delicta Regularium ſe habent in duplici differentia: quædam ſunt leuia non lædentia notabiliter propriã conſcientiam, & communiter in Prælatis ſunt ea, quæ committuntur in regiminibus in exceſſu, & receſſu à diſciplina regulari: quædam ſunt grauia, vt ſunt delicta carnis, malæ ſubornationis, percuſſionis, &c. de quibus omnibus imponi poteſt priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ.

2. Not. ſec. Religioſos per profeſſionẽ non renuntiare propriæ famæ; quarè, eſto non ſint ſui iuris, quoad ea, quæ vouerunt, ſunt tamen ſui iuris quoad conſeruationem propriæ famæ, vt benè notat Sayrus lib. 11. cap. 4. num. 5. vndè miror, quomodò iſte Doctor affirmare potuerit cap. 7. num. 15. Prælatum, inuito ſubdito infamato, remittere poſſe famam, ſi loco citato docuit ſubditum Dominum eſſe ſuæ famæ: licèt ergo verum ſit, quòd Religioſus honoretur per habitum Religionis aſſumptum; non ideò hoc habet totum à Religione, ſed à perſona, quæ voluntariè eius iugum aſſumpſit, eiuſq; aſperitatibus corpus conſecrauit; quarè rationi Petri Nauarri à Sayro pro ſua opinione relati, quæ videtur eſſe, quia Prælato conuenit actio, facilè reſpondetur, conuenit quidem ei actio bonorum, quæ per profeſſionem nequeunt poſſidere Religioſi, non verò eorum, vt eſt fama, quibus non renuntiarunt; videantur Leſſius de iuſt. cap. 11. dub. 28. num. 124. 129. lib. 2. & Peirin. tom. 2. de Prælato quæſt. 2. cap. 3. §. 11. num. 109. Concluditur ergo, quòd à Religioſorum domibus prorſus eſt eliminanda opinio DD. dicentium Prælatum eſſe Dominum famæ ſubditorum, eò quòd apud multos alienaretur & ordo correctionis fraternæ, & ordo modi procedendi in delictis, ex quo multa, & infinita incommoda ſequerentur ſub prætextu boni communis, & dominij famæ ſubditorum.

3. Not. tert. controuerti quæſtionem inter DD. an quinque, vel ſex teſtes ſingulares omni exceptione maiores in genere probare queant quempiam eſſe hæreticum, furem, homicidam, &c. e. g. ſi agatur de probando Petrum eſſe furem, ſatiſne ſit, ſi per teſtes ſingulares de diuerſis furtis, licèt in diuerſis locis, & diuerſis temporibus teſtimonium habeatur? Affirmatiuè reſpondent multi DD. apud Philipp. Portium lib. 1. commun. opinion. reg. 34. verſ. contrariam opinionem, Franciſc. à Pegna in coment. diſcut. Inquiſit. p. 3. ad 9. quæſt. 72. comment. 221. Sayrum lib. 12. cap. 21. nu. 16. 17. Farinac. de teſtibus quæſt. 64. nu. 112. quæ opinio refellitur à Pegna, Sayr. Farinac. citatis, multos alios referentibus, à Petro de Aragon. 2. 2. quæſt. 70. art. 2. ab Antoni. Gomez tom. 3. variar. de probat. delicti cap. 12. num. 12. à Iulio Claro lib. 5. ſent. §. fin. quæſt. 53. num. 18. aſſerente etiam num. 20. ex multis ſtatutum factum ab Epiſcopo, quòd crimen vſurarium poſſit probari per teſtes ſingulares, non valere; vix enim intelligi poteſt aliquem eſſe delinquẽtem in genere, cum genus quid confuſum, incertum, & indeterminatũ ſit; vndè, quod in genere probatur, nullum certum indiuiduum demonſtratur; implicat enim plenè probari Petrum eſſe furem, abſque eo, quod eius aliquod furtũ pluribus teſtimonijs probetur; in ſpecie verò duo conteſtes requirũtur; in genere ergo ſingulares plenè probare nequeunt.

4. Not. quart. quòd, quandò teſtes actoris, & Rei in ſpectantibus ad facti ſubſtantiam diſcordes ſunt; ſi ſunt æquales numero, & dignitate ſtandum erit pro Reo. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 2. vbi Salon. Arag. Menoch. lib. 2. cent. 1. de arbitr. iudic. caſu 98. Ratio eſt, quia tunc iura ſunt æqualia, & vbi iura ſunt æqualia, potior eſt ratio poſſidentis reg. 11. de reg. iur. in 6. Reus autẽ eſt in poſſeſſione vitæ, & famæ, vel bonorũ. Amplia, licèt teſtes actoris eſſent in aliquo maioris dignitatis, vtpotè duo Clerici teſtificantes Titium commiſiſſe furtum, duo laici contrarium affirmantes, eò quòd tali tẽpore aſſignato ab illis teſtibus Clericis in alio loco morabatur, in quo delictum ex ſententia aliorum duorum teſtium non fuit commiſſum, affirmant Gloſa cap. Cleric. diſt. 81. Panormit. in cap. Ex literis num. 11 Decian. ibid. Menoch. vbi ſupr. caſu 98.

num. 5. Saynis lib. 11. cap.' 20. nu.3. alios referens, Reum debere abſolui, quia iuris præſumptio in dubio ſtat pro Reo.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

5. PRiuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ Religioſo ob delicta eius famam denigrantia nonniſi per duos teſtes concordes, & conteſtes imponenda eſt. Probatur prim. de iure habetur, vt nemo condemnetur niſi de delicto conuicto c. Nos in quempiam 2. quæſt. 1. teſtes ſingulares non conuincunt, vt ex multis probat Farinac. vbi ſupr. & Arag. vbi ſupr. quæſt. 70. art. 2. verſ. illud autem: ergo: vndè in Concilio Narboneſ. C. 23. habentur hæc verba. *Ad nullius verò condemnationem procedatis ſine confeſſione propria, vel probationibus dilucidis, & apertis, ſatius enim eſt relinquere facinus impunitum, quàm innocentem damnare.* Secund. ſi Reus per teſtes ſingulares ſecundum opinionem illorum DD. pro vt in ſec.not. pœna ordinaria mulctaretur, cum ei nomina teſtium, vt mos eſt apud Regulares, ob pacem, & quietem, nonniſi in grauiſſimo delicto publicentur, nec videatur per omnia concedi pleniſſimus defenſionis ordo, & facultas, eſto teſtes ſint ſingularis probitatis, ſemper timendum eſſet, ne innocens damnetur; maximè quia ſemper erit ignotum Iudici, quod poſſit Reus obijcere teſtibus, per quod eorum dictum repelleret, vel ſaltem infirmaret: ergo, ne innocens per teſtes ſingulares putatus nocens pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ damnetur, per duos conteſtes teſtes Iudex regularis omnem timorem in imponenda pœna repellere à ſe debet. Tert. ſi quandò teſtes actoris, & Rei ſunt pares in numero, & licèt illi eſſent in aliquo maioris dignitatis; quàm iſti, ob poſſeſſionem famæ, quam adhuc poſſidet, Reus à Iudice eſt abſoluendus: ergo tantò magis abſoluendus eſt Reus à pœna ordinaria per teſtes ſingulares eius delictum probantes, quia eum non expellunt à famæ poſſeſſione, vt dicunt omnes. Quart. ſi inter Regulares opinio illa eſſet ad praxim reducenda, maioris æſtimationis eſſet fama ſæcularium, quàm Religioſorum, quod abhorrent aures; maximè quia tantò creſcit fama, quantò perfectior eſt ſtatus; ſed, experientia duce, doctrina illa à mentibus Iudicum ſæcularium eſt prorſus expulſa: ergo, vt fama Religioſorum tanquam res ſacra diſtinguatur à fama ſæcularium, huiuſmodi doctrina à Regularium iudicijs eſt abijcienda. Quint. ſi fama Epiſcoporum, & Cardinalium ratione eminentioris gradus, & perfectionis, vt ius petit, & conſtat ex ca. Præſul. 2. q 8. nõ amittitur niſi per multos plures teſtes, quàm duos; quomodò ergo poterit Religioſorũ fama periclitari per teſtes ſingulares, cũ eorũ ſtatus eminentior ſit, quàm ſtaſtatus ſæcularũ? vndè clarè videtur, quàm malè loquuti ſint Alderet. de diſciplina tuẽda lib. 1. c. 3. n. 18. Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 14. part. 2. ad finem, tentantes defendere in Religioſis omnia delicta per teſtes ſingulares poſſe probari. Ab eis peto; quarè Religioſorum famam ita contemnitis? quarè contenditis, ne iura pro ipſis ſint ſcripta? quarè eorum ſtatũ ita deſpicitis? quarè vos ipſos ita exinanitis? an quia hoc incumbit ad bonum commune? minimè quidem, quia meliùs fauet Reipublicæ religioſæ conſeruatio famæ, quàm punitio delictorum per teſtes ſingulares: an quia id fit in fauorem animæ? nequaquam, quia potiùs eſt in deſtructionem, eò quòd, ablata fama à Religioſo, maiori facilitate in grauiora delicta, experientia teſte, prorumpit: an quia non periclitatur innocentia ob teſtes ſingulares omni exceptione maiores, in quibus falſitas non præſumitur? haudquaquam, quia magis videtur eſſe credendum Reis religioſis negantibus, quàm alijs affirmantibus; maximè quia ſũt in poſſeſſione famæ, & nequeunt teſtibus obijcere ea, quæ fortè eſſent obijcienda, vt dictum eſt ſupr. abijciatur ergo huiuſmodi doctrina à iudicijs Regularũ, ſed tẽperata ſeruetur, prout in ſequenti cõcluſione, parcendo eis DD. qui potiùs loquuti ſunt pro rigore, quàm pro veritate, nolentes ſcire, ſicut multi alij faciunt, regimen poſitum eſſe in ſuauitate, & amore, imò eſſe eius eſſentiã, vt dicunt DD. quòd ſi conſiſteret in aſperitate, & rigore, eſſet probandum, quod non video exequi niſi per iſta verba, ita poſtulat bonum commune. Quæ concluſio ſemper erit intelligenda de pœna ordinaria: an poſtea huiuſmodi pœna

poſſit

poſſit imponi in pœnam extraordinariam, vide ea, quæ dixi in fine quæſiti 48. ſub hoc titulo. An huiuſmodi hominum delicta occulta ſint denuntianda Prælato tanquam Iudici abſque præuia infamia, & abſque præuia correctione fraterna.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

6. PRo priuationibus vocis actiuæ, & paſſiuæ imponendis in delictis leuibus, pro vt in prima acceptione prim. not. nullum videtur inconueniens doctrina de teſtibus ſingularibus in genere delictum probantibus vti. Probatur ex Caietan. 2.2. qu. 70. art. 2. doctrina, inquit, de teſtibus, qui ſunt ſingulares, vel conteſtes, regulariter habet locum, vt per teſtes ſingulares nullus damnetur, quia tamen multi ſingulares teſtes in factis iterabilibus violentam ſuſpicionem inducunt, vt ſi vnus vidit aliquem committere vnum furtum, & alius vidit eundem delinquentem committere aliud furtum, & ſint teſtes omni exceptione maiores inter Religioſos, quandò quis exiſtimatur aliàs tali vitio inuolutus, aut numerus multus talium teſtium concurrat, ſi arctatus non confitetur, Inueniri videtur quandoque ſubſequuta condemnatio multorum Patrum conſilio fulta; & licèt hoc non ſit ſecundum iuris rigorem, vbi tamen abſque tormentis proceditur, non tam ad puniendum; quàm ad ſalutem animæ, & regularis obſeruantiæ fauorem, tolerabile videtur, vt hæc probabilitas ſufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui ſunt Mundo: quam doctrinam ſequuntur Sotus lib. 5. de iuſt. qu. 7. art. 2. Salon. 2.2.q.70.cōtrou. 5. concl. 3. art. 2. Bannes 2. 2. quæſt. 70. art. 2. Sayrus lib. 12. c. 21. n. 19. adhæret etiam opinioni Clarus vbi ſup. q. 53. Petrus in ſuo formulario lit. T. cap. 5 num. 3. Thom. à Ieſu de Regular. viſit. tract. 3. cap. 7. num. 10. Rationes videntur eſſe, tum quia huiuſmodi pœna datur in fauorem animæ, tum quia imponitur in fauorem diſciplinæ regularis, quæ difficilè abſque aliquo rigore conſeruatur, ſed labefactatur; tum quia minori ſtrepitu, & figura iudicij inter Regulares proceditur, tum quia in his delictis probandis, quibus infamia non eſt annexa, non deſideratur, tam exacta probatio iudicialis, tum quia maiori facilitate capita factionum partes, & diuiſionem nutrientia exterminantur; in hoc præſertim inſiſtere debet Generalis, quia, vt benè dicit Chryſoſt. hom. 11. ad Epheſ. *Nihil Eccleſiam aquè poteſt diuidere, vt ambitio, & amor imperij, & gerendi magiſtratus.*

Dices, priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ inter Regulares grauis pœna putatur: non debet ergo imponi niſi ob delictum plenè probatum, & graue. Reſp. eſt pœna grauis, ita vt ſecum afferat infamiam, vt eſt carcer, & ſimilia; nequaquam: eſt grauis inter alias pœnas imponendas delinquentibus ſine ſtrepitu iudicij, admittitur; & ideò non eſt imponenda per ſingularem teſtem, niſi eius dictum firmetur aliquo alio indicio, & non pro quacunque re leui, ſed graui, non tamen famam denigrante.

## DVBIVM LXII.

### *An Prælatus nimia facilitate in iudicando ſubditorum actiones eſſe grauiter peccaminoſas ſuam prudentiam denigret.*

SVMMARIVM.

1. *SVam maculat prudentiam Prælatus, qui facilè Religioſorum actiones tanquam lethaliter peccaminoſas damnat.*

*CONCLVSIO.*

1. PRælatus facilè condemnans Religioſorum actiones lethalis noxæ, parum prudens iudicandus eſt. Suadetur; de ratione prudentiæ eſt in rebus arduis, & difficillimis in proferenda ſententia lento pede progredi; vndè Sapiens Prouerb. 20. ait. *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri, ſed homo ſapiens exhauriet illud:* idest vt optimè explicat Homobonus de præcept. decal. tract. 5. cap. 7. quæſt. 95. verùm conſilium non facilè inueniri, niſi diù, & attentè cogitando; ſiquidem illi, qui ſtatim ad interrogata reſpondet, facilè decipiuntur;

tur, quia optimi conſilij eſt inimica celeritas: ſed nimia facilitas in actionibus condemnandis, tanquam grauiter peccaminoſis eſt de rebus arduis, ac difficillimis, quarè Gerſon. 3. part. lect. 4. de vita ſpirituali lit. O hæc dolenda perſpiciens ſic affatus eſt. Doctores Theologi non debent eſſe faciles ad aſſerendum aliquas actiones, vel omiſſiones eſſe peccata mortalia, præſertim ſub verbo vniuerſali, maximè cum obſeruatio cummunis obnititur, obuiatque, vbi non ſunt certiſſimi de re ipſa, nec talia ſunt prædicanda populo tanquam certa; nam per huiuſmodi aſſertiones voluntarias rigidas, duras, & nimis ſtrictas in rebus incertis nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, ſed in illud profundiùs, quia deſperatiùs demerguntur; hinc etiam generantur ſcrupuli inquietant ſimplicium, vt eis ſit ſolidum nihil; nam, & ſi Beatus vir, qui ſemper eſt pauidus, & veretur peccata ſua; obſeruandum tamen eſt ſummoperè illud Terentianum, ne quid nimis, & ne in ſcirpo nodum quærant: demum quid prodeſt, imò quid non obeſt coarctare plus iuſto mandatum Dei, quod eſt latum nimis, quid inſuper expedit, amariùs, grauiùſque reddere illud Chriſti iugum, quod ſuaue eſt, & onus eius leue? nam & ſi contemptus ex hac laxatione, & dulcedine apud aliquos improbos maior oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem, at ab alijs benè inſtitutis gratiarum reſonabunt actiones, præſtabitur etiam ſeduliùs ſeruitiũ Domino, cuius mãdata grauia non ſunt, quippè qui non vult nos tentari, & grauari ſupra id, quod poſſumus: hæc Gerſon. & S. Thom. quodlib. 9. art. 1. inquit. *Omnis moralis quæſtio, in qua de lethali culpa quæritur, periculoſè determinatur, niſi expreſſa veritas habeatur*: ergo parum prudens Prælatus, qui in huiuſmodi determinationes, facillimè ruit, cenſendus eſt: quarè duæ regulæ ad maturè proferendas ſententias à Sanch. lib. 1. cap. 1. num. 4. ſum. aſſignãtur. Prima eſt, ea ſunt mortalia ex genere, quæ charitatem Dei, & hominis grauiter offendunt; ſecus venialia ex genere ſunt, conſentit Azorius p. 1. lib. 4. c. 9 qu. 8. dicens communem Theologorum doctrinã eſſe. Secunda eſt, quandò aliquid tanquam valdè graue, & neceſſariũ præcepto aliquo humano præcipitur, eius tranſgreſſio eſt mortalis; itaque requiritur & materiæ grauitas, & legislatoris grauiter præcipiendi animus ex legis tenore deducendus.

## DVBIVM LXIII.

*An vtilius ſit Prouinciæ, ſeù Religioni, Superiorem potius partem benignitatis, & clementiæ, quàm rigoris ſequi.*

### SVMMARIVM

1. *Prælatus poteſt conſiderari in ordine ad ſe, & in ordine ad Religionem, pro cuius propagatione multa debẽt conſiderari.*

2. *Paſtoris amor erga oues ſummam ſubleuat difficultatem regendi animas.*

3. *Iuſtitiæ rigor cum miſericordiæ lenitate in Regularium Prælatis enitere debet.*

4. *Vt plurimum Prælati inclinare debent in miſericordiam.*

5. *In nonnullis caſibus vti magis debent iuſtitia, quàm miſericordia.*

1. Not. prim. quòd Prælatus duobus modis reſpici poteſt. Prim. in ſeipſo, ideſt ſecundum naturam, & qualitates naturales. Secund. in ordine ad alia, ideſt, vel in ordine ad Religionis fundamenta, per quæ conſtituitur, & conſeruatur, & videntur eſſe tria vota eſſentialia; addi etiam poſſunt conſtitutiones tribus votis tanquam ſepes inſeruientes, ac conſuetudines tot laboribus, & ſudoribus à ſanctis ſenibus introductæ, & per longiſſimam annorum ſeriem maxima cum laude ad praxim redactæ; vel in ordine ad Religioſos, illis largiendo commoda, quæ ex neceſſitate debentur, & etiam ſecundum propriam ſatiſfactionem; vel in ordine ad delicta diabolica manu per Religionis campum ſeminata; vel tãdem in ordine ad petitiones, ac interceſſiones à Principibus factas, nec non & Prælatis, alijſque ſecularibus in ipſorum fauorem, vel aliquorum eiuſdem Religionis hominum [illegible]

Not. ſec. quòd Nazianz. in apol. ait. *Reuera mihi videtur ars artium, & diſciplina diſciplinarum hominem regere, qui eſt inter omnes animantes maximè & moribus varius, & voluntate diuerſus*: quò fit, vt lux, quæ ſecurum pedem abſque periculo in præceps ruendi figere finit, eſt amor; iuxta ſententiam Mirandæ man. Prælat. tom. 2. qu. 23. art. 22. concl. 3. ideò dicebat Gregor. Toloſan. de Republ. lib. 11. cap. 13. n. 2. *Pax, & concors animus Principis cum ciuibus præcipuum eſt fundamentum politicum*: & Homobonus tract. 7. de 4. præcept. decal. c. 16. qu. 78. ex conſenſu omnium DD. affirmabat bonam gubernationem tam ex parte Superioris, quàm ſubditi poſitam eſſe potiùs in amore, quàm in ſeueritate, & timore: ex hoc enim ſequuntur duo. Prim. reuerentia erga Regentem, vt tangit Iſidor. lib. de ſinonymis c. penult. in init. *Talem te reddes ſubditis, vt magis ameris, quàm timearis: reuerentia enim ex amore procedit, odium verò timor efficit*. Secund. Imperij conſeruatio, vt inſinuat Arn. ferren. lib. 3. *Rerum omnium nihil commodius eſt ad principatum tuendum, ac conſeruandum, quàm ab his, quibus imperamus, amari potiùs quàm metui, rectè enim prudentiſſimis hominibus dictum, malum eſſe cuſtodem diuturnitatis metum, contraque beneuolentiam fidelem, vel ad perpetuitatem*: vndè ſumma Regentis prudentia ſemper erit iuxta monitum Senecæ lib. 1. de clement. c. 19. ſibi conciliare ſubditos, eoſque in amore conſeruare. *In hoc conſiſtit*, inquit, *vera Principis prudentia, vt ſciat conciliare ſibi populum, & conciliatum tenere in amore ſui cum optimis legibus, modeſtia ita, & patientia ab initio eſt neceſſaria, vt quod ſtatim populus non poteſt pati, paulatim aſſueſcat*.

### PRIMA CONCLVSIO.

3. IN Prælatis, ſeù Iudicibus Regulariũ multùm expediens eſt, vt lenitas miſericordiæ cum ſeueritate iuſtitiæ miſceatur. Ita Red. de maieſt. Princip. verb. ſeuerum num. 7. Menoch. inſtit. lib. 2. cap. 12. §. 3. Bellarmin. de Princip. Chriſtian. lib. 1. cap. 10. Rodriq. tom. 3. quæſt. 34. art. 7. cum ſuo compendio reſol. 114. num. 7. Mirand. tom. 2. quæſt. 5. art. 3. Petrin. tom. 2. quæſt. 2. cap. 3. §. 15. num. 141. Suadetur primò ex Script. Eccleſ. 7. *Noli eſſe iuſtus multùm, neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt*: id eſt Iudex non poteſt ſeparare miſericordiam à iuſtitia. Ita Rodriq. vbi ſupr. & ex Iob. 29. habetur. *Cum ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentiũ conſolator*: ad quem locum S. Gregor. *Diſciplina, vel miſericordia multùm deſtruitur, ſi vna ſine altera minuatur*: ex concil. Trident. ſeſſ. 13. de reformat. cap. 1. *Sin autem*, ait, *ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeueritas adhibenda eſt*, &c. ex ſacr. Can. cap. Ponderet diſt. 50. c. Omnis. &c. Vera diſt. 45. Sec. probatur ex S. Auguſt. lib. 5. hom. 4. *Benignitas, & facilitas ſine diſciplina mater eſt vitiorum; diſciplina ſine bonitate triſtis quædam amaritudo viuendi*. Tert. ex ratione: munus Prælatorũ eſt in pace congregationem ſeruare: ſed huiuſmodi bonum habetur ex iuſtitia ſimul cũ miſericordia, teſte Scriptura iuxta explicationem Mirandæ vbi ſupr. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt*: ergo vtraque virtus in Prælatorũ regimine enitere debet.

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. PRælatus, ſeù Iudex, vt plurimùm, inclinare debet in miſericordiam, & pietatem, non in iuſtitiam, & ſeueritatem. Prob. ex S. Auguſt. ſermon. ad fratres in Eremo 26. tom. 10. *Melius eſt, vt redarguamur de miſericordia, quam de crudelitate in die nouiſſimo; ſuperexaltat enim miſericordia iudicium*: ex D. Bonau. de ſex alis Seraph. cap. 7. *Ad benignitatis partem plus declinet, per quam reddatur ſubditis magis amabilis, & ob quam libentiùs ei obtemperent, & audaciùs ad eum recurrant in neceſſitatibus, et alacriùs eum imitentur*: ex ratione: exordiũ totius boni reguminis, & rectæ gubernationis eſt amor, vt ait Mirand. vbi ſupr. ſed huiuſmodi amor reconciliatur miſericordia, & beneuolentia, vt affirmat Bonauenti. ergo Prælatus propenſior debet eſſe in partem benignitatis; & ita teſtatur S. Chryſoſt. orat. in Petrum, & Eliam, Petrũ à Deo eſſe permiſſum, vt peccaret, vt huius permiſſio eru-

diret

diret Prælatos ad clementiam, & pietatem. *Ideò*, inquit, *Petrus eſt lapſus, quia eius fidei populus multus cōmittendus erat, ne ſi cum ſeuerus eſſet etiam à peccatis abeſſet, in fratres implacabilis fieret: prolapſus eſt igitur in peccatū, vt ſuū ipſe peccatum, ac Domini benignitatē cogitans, clemens erga conſeruos fieret: ſic namque ex diuina quadam diſpenſatione permiſſum eſt, vt ille peccaret, cui erat gubernatio Eccleſiæ credenda. Columna illa Eccleſiarum, fidei portus Petrus, ille magiſter Orbis terrarum, vt peccaret permiſſum eſt, vt eius permiſſio erga alios clementiæ exhibendæ fieret occaſio*: videatur etiam Rupertus lib. 2. ope. Spirit Sanct. c. 28. hinc eſt, quòd Gulielmus Pariſienſis in ſuo tract. de motib. cap. de zelo, inquit. *Quoniam parcere, & punire contraria ſunt, erit diſciplina eadem, & eadem virtus; quarè, qui neſcit parcere, neſcit & punire, & ſicut eius non eſt parcere, ſic nec punire; quarè non miniſtri Dei ſunt, qui punire ſolummodò & norunt, & volunt; falſò ergo Zelatores nominātur quidam, quorum totum ſtudium, & officium eſt punire, qui non deberent eſſe niſi in inferno, vt eſſent adiutores miniſtris tormentorum, vbi nemo eſt, qui de manu torquentium quempiam eripiat, aut qui eis reſiſtat*: hinc eſt, quòd Rodriq. vbi ſup. audet affirmare electores teneri maximam curam, diligentiamque adhibere, vt illi, quos ad Prælaturæ munere cupiunt promouere, ſint à natura benigni, & manſueti, vt eorum benignitate, ac manſuetudine à rigore iuſtitiæ, quandò opus fuerit, deflectant, ad intentionem benigni Legiſlatoris recurrendo: hinc eſt, quòd Mirand. tom. 2. qu. 16. art. 9. ait: Prouincialem, quantùm tuta conſcientia fieri poterit, ſubditos conſolari debere præbendo illis congruam habitationem, ipſorumque neceſſitatibus conuenientem, magniſque feſtiuitatibus concedendo ſuos caſus, vt plenariè poſſint abſolui ſua authoritate: hinc eſt, quòd Hieron. Rodriq. vbi ſupr. inquit: Prælatos in paruis, & vulgaribus culpis eſſe debere procliuiores in partem miſericordiæ, & pietatis; in peccatis dubijs ait Mirand. vbi ſupr. quæ non poſſunt ſatis, ac benè probari, partem meliorem, & benignitatem ſemper amplecti debere ſecundum ſententiam D. Thom. & etiam in leuibus culpis, vt ait Rodriq. vbi ſupr. art. 9. cum aliquibus diſſimulatione vti, de quorum emendatione, & correctione ſpes certa moraliter habetur. Nec huic doctrinæ obſtare debet illud vulgare dictū, multùm intereſſe Reipublicæ, ne delicta maneant impunita, quia in his exceptionē patitur; cum aliquibus enim magis operatur oleum miſericordiæ, quàm rigor iuſtitiæ; non enim parua pœna, dolor, & verecundia peccatorum, à ſacr. Canon. reputatur: hinc eſt, quòd Mirand. vbi ſupr. ait: in gratijs ab illis, qui ſunt in dignitate, ſeù Eccleſiaſtica eminentia conſtituti, poſtulatis, modò ſint licitæ, & honeſtæ, Prælatos ſe gerere de bere maxima humanitate, ac liberalitate; aliàs periculum eſt in eorum odia incidendi, vel ſaltem diſſoluendi, aut minuendi amicitias in damnum Religionis. Fateor hoc negotium maxima indigere prudentia, quia, ſi omninò gratiæ negātur, mala enarrata inſurgunt, maximè ſi huiuſmodi interceſſiones ad inſtantiam ſubditorum fuerunt interpoſitæ, quia hi non ita ſpiritu, & mortificatione præditi, manifeſtare ea ſolent, quæ celare deberent, & quæ Religio euellere ſtuderet: ſi magna liberalitate cōcedantur, eneruatur diſciplina religioſa cū non paruo Religionis diſpendio: quid ergo faciendum in tam arduo negotio? in gratijs parui momenti maxima vtatur liberalitate Prælatus, vt poſſit in grauioribus interceſſioni obſtare, adducendo incommoda, & inconuenientia, quæ poſſunt exoriri, ſi gratiæ concedantur: verùm tamen eſt ponendam eſſe differentiam inter interceſſores; ſi ſunt magni benefactores, vel ab eis multùm pendet Religio, bonum publicum poſtulat, vt petitionibus annuāt Prælati; aliàs in mille incommoda Religio incidet, duce experientia; ſi non ſunt tales, menſura prudentiæ iuxta perſonarum qualitates, ac neceſſitates expoſitas eorum petitiones regi debēt. Audiamus, quæſo, vtramque concluſionem à B. Laurent. Iuſtinian. de regim. Prælat. c. 9. *Paſtores, qui præſunt dominico gregi, ipſum Dominum imitantes non vt Principes, neque ſicut Domini, ſed ſicut Patres, & Paſtores verſe habere debent, compatiendo cadentibus, & firmos æquanimiter ſupportando, conſiderantes vtique infirmitatem propriam, quoniā & ipſi vicini ſunt caſui, & ad omne perpetrā-*

dum

*dum facinus proni; ſic Apoſtolus admonet dicens. Vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris: Nempè ſi ipſe Dominus, cuius vniuerſa ſunt oues, compatitur delinquentibus, & ad ſe per pœnitentiam redeuntibus, nunquam miſericordiæ clauſit viſcera; poterit ne ſubſtitutus, & ſeruus cum auſteritate, humanitate poſtpoſita, gregem ſibi creditum diſperdere, opprimere, dilaniare, atque necare? talibus quippè comminatur Dominus per Prophetam pſ. 13. dicens. Nonne ſcient omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis? Reprehenſibile prorſus eſt, vt ſub pio Patre, & Domino dominari debeat durus ſeruus, ſceleribusque repletus: non enim pariformiter Paſtores animarum, & Reges gentium, ac ſæculares Principes ſubditos gubernare oportet: ſanè Principibus cum terrore licet regere; Eccleſiaſticis Præſulibus cum caritate, & lenitate; illis tanquam Dominis; iſtis autem vt Patribus; illis cum ſeueritate punire; iſtis verò cum moderatione, & mentis compaſſione corrigere; illis iugulare, & perimere; iſtis autem, omni crudelitate ſemota, delinquentes reuocare ad vitam, non vt liberiùs peccent, ſed vt emendentur, & viuant in ſpiritu, ſaluique fiant. Regibus quippè, atque Principibus corporum, Vrbium, ac populorum data eſt à Deo poteſtas; viris verò Eccleſiaſticis animarum iniuncta eſt cura: Circa igitur profectum animarum, reformationem morum, vitæque emendationem eorum, quibus ſpiritualiter præſunt, Paſtores inuigilent nunc minis terrendo, nunc demulcendo ſermonibus blandis, interdum ratione perſuadendo, interdum authoritate mandando, aliquandò puniendo nonnunquam parcendo miniſterium perficiant; ita tamen, vt non quod ſibi placeat, ſed quod commiſſo ſibi gregi ſit vtile pio ſemper quærant fraternæ charitatis amore: hoc profectò tunc Chriſti ſecum cooperante virtute agere valebunt, cum plebem fidelium in viſceribus ſuſcipient charitatis, & vnumquemque amplectendo compaſſionis brachys tanquam fratrem, & filium diligent, & veluti cohæredem, & comparticipem futurum cæleſtis Regni fouere, atque adiuuare curabunt; maximè verò in hoc charitatis, & compaſſionis affectu neceſſe eſt illis vti prudentia, ne facilitas veniæ ſubditis occaſionem tribuat delinquendi; nam quemadmodum peccanti compatiendum eſt, atque humanæ fragilitati miſericorditer ignoſcendum; æquè ſunt ſcelera punienda, ac corrigenda errata; alioquin ſub velamine pietatis, compaſſioniſque ſpecie periclitaretur iuſtitia, quæ viriliter ab ijs, qui præſunt, exerceri debet, ac diligi, ſicut in libro legitur Sapientiæ. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram: debent itaque Paſtores animarum ſemper miſericordiam ſeruare in corde, & iuſtitiam miniſtrare in opere, iuxta tamen qualitatem perſonarum, grauitatem criminis, intentionis peruerſitatem, conditionem temporis, ac perſeuerantiam mali; ſic itaque ſe habere debet in cunctis, vt nec iuſtitia compaſſionem repellat, neque compaſſio iuſtitiæ regulas prætermittat; nam iuſtitia ſine compaſſione crudelitas eſt, & compaſſio abſque iuſtitiæ rectitudine ignauia, & puſillanimitas iudicanda; ambæ quippè cohærent ſimul, ambæ in Præſidente ſunt neceſſaria; adeò vt ſi altera ipſarum deſit illi, nequeat eſſe perfectus.*

### *TERTIA CONCLVSIO.*

5. LIcèt præcedens concluſio ſit vera, in nonnullis tamen caſibus magis expedit vti ſeueritate, & iuſtitia, quam miſericordia. Probat. ex Prælatorum munere, cuius eſt ſemper promouere bonum commune, maioremq; Eccelſiæ vtilitatem, vt docet Rodriq. tom. 3. quæſt. 34. art. 5. ſed in nonnullis caſibus magis conſulunt vtilitati Eccleſiæ Prælati, & magis promouent bonum commune adhibendo rigorem iuſtitiæ, quàm oleum miſericodiæ: ergo: minor pobatur ex eo, quod DD. dicunt: ſi eſſentialis obſeruantia Religionis periclitatur, maxima tenentur Superiores vti ſeueritate, ſi opus erit ad hoc, vt Religio non labefactetur, & incolumis ſeruetur, quia, vt aiunt multi DD. quos citatos ſequitur Rodriq. vbi ſupr. tenetur Prælatus pro obſeruantia Religionis vitam in periculis, ſi opus erit, conſtituere; ſi ob culpam

leuẽ ſubditorum grauiter dãnificatur regularis obſeruantia,tenetur Prælatus ſiniſtrã iuſtitiæ manũ adhibere pro remedio, vt illa culpa à Religionis corpore abſcindatur, quia docent Mirand.de ordin.iudic.tom.1.quæſt. 10. art. 1; concl. 5. Tannet. 2.2. diſp.2. qu. 5. dub. 4. num. 76. Villalob. in ſumm. tom. 2. tract. 4. difficult. 2.num.5. Prælatum ſub mortali teneri peccata venialia corripere, ſi aliter faciendo regularis obſeruantia minuatur, eò quòd eius munus ſit toto conatu diligentiam adhibere ad obſeruantiam conſeruandam, vt eius ſplendor magis, ac magis eluceſcat; item ſi peccatum eſſet de grauioribus, & enormibus, præſettim ſi eius notitia eſſet apud ſæculares, multo rigore contra delinquentem eſt procedendum. Ita Leſſius de iuſtit. lib. 4. cap. 4. num. 41. Peirin. de Prælato quæſt. 2. cap. 3. nu. 227. Rodriq. tom. 3. qu. 34.art.7.cum ſuo compendio reſol. 14. num. 7. item ſi peccatum committitur à perſona in dignitate conſtituta, quia ab inferioribus trahitur in exemplum, cap. Præcipuè cauſ. 11. quæſt. 7. vbi Barboſ. in collect. multa dicit referens multos DD.vndè S. Aug. qu. in vet. teſt. qu. 16. *Quantò enim perſona ſublimis eſt, tantò magis graue delictum erit, quod ergo à ſummo viro, vtpotè à Ductore populi fit, accerbiſſimum eſt peccatũ*. item ſi ſubditi ſunt maligni, & refractarij, qui aliter in officio contineri non poſſunt, ſi delictum videtur eſſe non ex fragilitate, ſed ex pura malitia. Leſſ. vbi ſupr. item ſi ſubditi ſunt iuuenes; nimia enim licentia in iuuenili ætate conceſſa ſolet ſemper afferre maximum damnum Religioni. Rodriq. cum ſuo compendio vbi ſupr. denique ſeueritate vtendum, quandò id magis iudicatur expediens; vel ad emendationem delinquentis; vel ad publicam diſciplinam ſanciendam, hic eſt punitionis finis, ac proindè ab eo menſura vindictæ eſt deſumenda. Ita Leſſius vbi ſupr.

## DVBIVM LXIV.

*An in inquiſitione generali Iudex regularis monere teneatur ſubditos, ne occultum delinquentem propalent, maximè cum imponitur obedientiale præceptum.*

### SVMMARIVM.

1. *VT ſuo fungatur munere Iudex regularis in generali inquiſitione, non eſt opus, vt aliqua præceſſerit infamia, nec ſubditus in tali caſu poteſt delinquentem occultum manifeſtare.*

2. *Recitantur opiniones: an quandò notorium eſt crimen, & ignoratur author, poſſit Iudex, quis illud commiſerit, inquirere.*

3. *In viſitationibus generalibus Iudex ſub mortali tenetur ſubditos inſtruere, quòd non poſſunt manifeſtare occultum delinquentem: habetur limitatio, & duabus obiectionibus ſatisfit.*

4. *In viſitatione mixta non tenetur Prælatus ſubditos de cautione monere.*

1. Not. prim. quòd generalis inquiſitio eſt, quandò in genere inquiritur: an ſubditi ſeruent leges: an non committantur crimina: an de nullo ſit fama, vel ſuſpicio alicuius criminis: ſicut ergo in generali inquiſitione non eſt neceſſe, vt aliqua infamia præceſſerit, vt Iudex ſuum inquirendi munus exerceat, vt communiter docent Molina to. 4. tract. 3. diſp. 47. Sotus 5. de iuſt. q. 6. ar. 2. concl. 6. Reginald. lib. 25. nu. 647. Leſſius de iuſt.lib.2.cap.29.dub 13. Bonac. in 8. decal. præcept. diſp. 10. qu. 2. punct. 5. num. 7. & alij, quia huiuſmodi inquiſitio cenſenda eſt prorſus neceſſaria ad purgandam Rempublicam à delinquentibus, & à peccatis, tum quia nulli fit iniuria, cum de ſpeciali perſona non fiat inquiſitio, tum quia bono publico vtiliſſimum eſt, vt peccatores puniantur ad aliorum terrorem, & exemplum; ita ſubditus in eadem inquiſitione etiam interrogatus ſub iuramento non tenetur manifeſtare delin-

delinquentem, quandò non laborat infamia, tum quia Iudex nequit interrogare de tali perſona: ergo neque ſubditus tenetur reſpondere illam perſonam manifeſtando, tum quia peccatum adhuc eſt occultum, & poteſtas Iudicis non ſe extendit ad elicienda occulta; aliàs maxima in Republica ſequerentur incommoda. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. ibi Caietan. Sotus de tegend. ſecret. membr. 2. quæſt. 6. Nauarr. cap. inter verba concl. 6. num. 21. & in rubricis de iudicijs num. 87. Leſſius vbi ſupr. num. 109. & Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 11. num. 7. Duo tamen ſunt excipienda ſecundùm D. Thom. vbi ſupr. & alios. Prim. quandò delictum vergit in damnum communitatis, vt eſt hæreſis, proditio Ciuitatis, & alia ſimilia. Secund quandò eſt in damnum tertij: videatur Sanch. opuſc. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 19.

2. Not. ſecund. extare duas opiniones: an quandò notorium eſt crimen e. g. furtū, ſeù homicidium, & ignoratur author, poſſit Iudex inquirere, quis illud perpetrauerit, & habetur pro accuſatore euidentia criminis, non deſcendendo ad perſonam particularem. Prim. eſt negatiua, quæ videtur eſſe Soti de ſecr. membr. 2. quæſt. 6. dub. 4. & lib. 5. de iuſt. quæſt. 6. art. 2. Caiet. 2.2. quæſt. 69. art. 2. Silu. tit. correct. qu. 8. Armill. tit. Accuſatio. num. 28. Secund. affirmatiua, & defenditur à Claro lib. 5. qu. 6. num. 1. Nauarr. man. cap. 18. num. 38. Cordub. in ſumm. caſuum vulgari ſermone quæſt. 64. S. Antonin. part. 2. tit. 9. §. 2. Tabien. tit. Inquiſitor. quæſt. 7. & 8. Mol. tom. 3. tract. 3. diſp. 47. num. 2. Salon. 2. 2. quæſt. 69. art. 2. controu. 7. Aragon. ibid. quæ videtur probabilior, & tenenda, tum quia cap. Euidentia de accuſatoribus, & cap. Manifeſta, apertè dicitur, quòd euidentia criminis non indiget accuſatore, tū quia multa, & ferè omnia delicta manerent impunita contra bonum publicum, tū quia eſt praxis omnium Iudicum tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum, quæ non eſt condemnanda, eò quòd nulli fiat iniuria: verùm ſi quis optat videre rationes contrariorum conſulat Salon. & ſimul reſponſiones videbit: videantur DD. apud. Dian. part. 2. tra. 15. reſol. 63. circa manifeſtationem authoris delicti, quandò non eſt diffuſa eius fama.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. IN viſitationibus generalibus Prælatus regularis ſub labe peccati mortalis tenetur inſtruere ſubditos, ſe nolle ſcire delicta occulta, quandò adeò eſt occulta perſona, vt nulla infamia laboret, eò quòd ſubditi nequeant delinquentem propalare Prælato, tanquam Iudici. Ita Nauarr. corollat. 47. num. 179. cap. inter verba, & tom. 3. in rubricis de iudic. num. 88. qui ait ſe fuiſſe proteſtatum in viſitatione duorum monaſteriorum, quæ viſitauit ex cōmiſſione ſibi facta. Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 7. Portell. in reſp. aliquorum caſuum caſ. 20. num. 3. p. part. Thom. à Ieſu de viſitat. Regul. tract. 1. cap. 1. num. 5. Villalob. tract. 14. diff. 7. num. 4. tom. 2. videatur etiam doctrina Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 6. num. 19. Probat Nauarr. ex eo, quòd iſte modus interrogationis abſque monitione eſt contra ius in cap. Qualiter, & quandò, de accuſat. vbi Innoc. III. proponit formam ſeruandi in huiuſmodi viſitationibus, vt iurent ſubditi, quòd ſuper his, vel ſciunt, vel credunt in ſua Eccleſia eſſe reformandum tam in capite, quàm in membris, exceptis occultis criminibus, meram, & plenam dicant inquiſitori veritatem. Secund. probatur: ad officium Prælati præſertim regularis non ſolùm ſpectat delicta punire, ſed illa etiam præcauere, & ſubditos inſtruere: ſed ſi non admoneret ſubditos non poſſe ipſos crimina occulta reuelare, deficeret à ſuo munere, & officio in re graui: ergo.

Limitatur doctrina dupliciter à Suar. vbi ſupr. Prim. quandò ſubditi ſunt indocti, & non ſatis prudentes, & ſubditi ſunt coacti ad reſpondendum, cautio à Prælatis eſt adhibenda. Secund. licèt ſint indocti, & non coarctentur ad ſtatim reſpondendum, vt frequenter fieri ſolet in illis viſitationibus generalibus, quibus datur locus, vt etiam ignorantes poſſint conſulere doctos ad prudenter reſpondendum, cautio, inquit Suarez, tunc abſque peccato prætermitti poteſt. Prima limitatio, ſeù confirmatio confirma-

firmatio concluſionis videtur optima, ſecūda non debet admitti, eò quòd multi rudiores ſunt, qui accepto iuramento abſque vllo ſcrupulo etiandi, vt experientia docet, exiſtimant omnia Superiori eſſe aperienda, & ita de facto crimina occulta propalant; & ideò limitatio Salonij 2. 2. quæſt. 69. art. 2. controu. 5. mihi placet, & eſt admittenda: quandò, inquit, inquiſitio generalis fit in loco, vbi ſunt ſubditi periti, vel valent ingenio, vel habeot frequenter Confeſſarios, & Doctores, quos conſulunt, non tenentur id exprimere, ſed ſubintelligitur; quandò verò fit in loco, cuius ſubditi ſunt ſimplices, & ruſtici, raròque conſulunt Confeſſarios, & Doctores, à quibus facilè admoneantur, tenentur Superiores illud exprimere.

Dices, Iudex vtitur iure ſuo interrogando, & admonendo daret ſuſpicionem, quòd faueret criminoſis: ergo cautio non eſt adhibenda. Ita Leſſius de iuſtit. lib. 2. cap. 29. dub. 14. num. 155. Filliuc. tract. 30. cap. 6. quæſt. 9. num. 188. Bonac. vbi ſupr. Reſp. apud Iudices ſæculares hiuſmodi opinio non eſt ſpernenda, præſertim ob ſecundam rationem, quia facilè homines haberent pro ſuſpecto Iudicem, quòd criminoſis faueret; ſed in Religionibus omninò non eſt ad praxim reducenda, eò quòd, licèt Prælatus poteſtatem habeat iure ſuo vtendi, habet quoquè officium, vt ius naturæ à ſubditis obſeruetur, quod nō fieret, ſi rudiores, & indocti non eſſent inſtructi, vt peccata occulta non manifeſtentur, aliàs in maximum boni communis detrimentum cederet, vt notat Bann. ne lædatur ſubditorum fama, vt probat Peirin. de Prælato quæſt. 2. c. 3. num. 107. vt doceat, & inſtruat ſubditos, vt communiter volunt DD. vndè illa obligatio vtendi iure ſuo non æquiualet alijs muneribus, vt per ſe patet; nec ſecunda ratio vllam habere poteſt vim in Religionibus, quia ſuſpicio illa facilè amouetur à ſubditis, quia non ignorant ſe eſſe inſtruendos à Prælatis, & firmiter credunt cautionem eos adhibere, vt muneri, officioque Prælati ſatisfaciant.

Dices, licitum eſt ſubditis manifeſtare peccata quantumcumquè occulta Prælato tanquam Patri: ergo Prælatus poteſt præcipere abſque vlla cautione, Reſpond. conceſſo antecedente iuxta ea, quæ dicta ſunt in ſpecialibus dubijs, negatur conſequentia, quia in viſitatione generali intenditur criminum punitio. Ita Suarez vbi ſupr. n. 8.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. In viſitatione mixta, quandò delictū eſt notorium, vt homicidium, furtū, &c. & author ignoratur, Prælatus regularis non tenetur ſubditos admonere, vt cauti ſint, &c. Suadetur prim. quia Iudex ob notorium crimen habet ius interrogandi ſubditos, quis delictum commiſerit, vt dictum eſt in ſec. not. ergo ſubditus tenetur ſuum teſtimonium ferre: ergo fruſtra illa cautio. Sec. ideò inſtruuntur ſubditi à Superiore, vt fama proximi ſeruetur: ſed in caſu prædicto non tenentur famam conſeruare; eò quòd notorietas loco accuſatoris habetur: ergo non eſt monitio adhibenda: videatur Azorius p. 3. lib. 13. cap. 16. 4. difficult. à quo deſumpta eſt hæc doctrina, & etiam Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 25. loquens de temporis ſpatio, quo durant edicta Superioris eum vi obligandi ad denuntiandum, cuius doctrina facilè poteſt applicari ad præceptum obedientiale Prælati regularis: lege quoquè ea, quæ ſunt notata in fine dub. 126.

## DVBIVM LXV.

*An Monachus regularis poſſit plures dignitates, ſeù officia poſſidere.*

## SVMMARIVM.

1. *Differentia inter dignitatem, perſonatum, & officium.*

2. *Referuntur opiniones. an nomine beneficij intelligantur Prioratus, Prouincialatus, & Generalatus.*

3. *Varijs rationibus ſuadetur non poſſe Monachum regularem eodem tempore plura officia regularia poſſidere.*

4. Per

*4. Per nullam conſuetudinem nequit introduci, vt plura beneficia eiuſdem Eccleſiæ vni conferantur.*

1. Not. prim. hæc tria inter ſe differre, ſcilicet dignitatem, perſonatum, & officiũ ſecundum Archidiac. in cap. 1. de conſuetudine in 6. Dignitas enim propriè eſt adminiſtratio cum iuriſdictione, etiam in modicis cauſis. Ita Hoied. de incompatib. benef. part. 1. c. 7. num. 1. Moneta de conſeruat. cap. 5. num. 84. Barboſ. de iure Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 20. num. 21. cuiuſmodi ſunt omnes Prælaturæ Regularium, e. g. Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Abbatia, Guardianatus: Perſonatus verò eſt præeminentia, ſeù præcedentia ſine iuriſdictione, qualis eſt, quæ reperitur in aliquibus Clericis, qui præcedunt canonicis in Eccleſijs cathedralibus, ſeù collegiatis, & in Religionibus Definitoratus. Ita Rodriq qu. 23. art. 2. tom. 2. Magiſtri in Theologia, Lectores iubilati. Portell. tit. officium in addit. Officiũ autem eſt adminiſtratio ſine præeminentia, ac iuriſdictione, tales ſunt in Religione Procurator conuentus, Sacriſta, Ianitor, Vicarius conuentus in præſentia Prælati. Silu. tit. dignitas. Rodriq. & Portell. vbi ſupr. Nomen verò Prælaturę coincidit cum dignitate; honorum cum perſonatu; vndè lex priuans honoribus eſt de iſtis intelligẽda. Ita Portell. vbi ſupr. num. 2. Graduum, vt ſunt Doctoratus, Magiſterium, &c. etiam cum perſonatu; Prępoſituræ cum dignitate, ſi ſecundum communẽ vſum accipiatur, quia importat munus Prælationis, ſi tantùm dicat munus præcedendi, vt notat Rodriq. vbi ſupr. cum perſonatu.

Not. ſecund. quòd hæc omnia recenſita pro diſtributione ſunt ſecundum iuſtitiam diſtributiuam metienda iuxta DD. ſententiam; & quamuis officia potiùs inter onera, quàm inter honores connumerentur; menſura tamen eiuſdem iuſtitiæ attingere ea debet, vt docet Leſſius de iuſtit. lib. 2. cap. 32. dub. 2. vndè natura ipſorum bonorum communium poſcit, vt inter Eccleſiæ mẽbra diuidantur. Caiet. in ſumm. tit. elect. verſ. & hæc quod, &c. non ideò ita diuidi debent, vt plura cumulentur in uno, quia eſſet potiùs eorũ naturæ iura frangere, quàm ſeruare; ſed regulare eſt, ſic loquitur Caiet. tit. multiplic. benef. in ſumm. vt vnum vni detur: hinc eſt, quòd S. Thom. quodlibet. 9. art. 15. Adrian. in 4. de reſtit. § quia in præmiſſis, de dubio. Maior in 4. diſp. 24. quæſt. 12. Caiet. vbi ſupr. tit. benef. Azorius p. 1. lib. 6. cap. 10. q. 2. & 7. Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 8. inquiunt ordinariè non eſſe licitum plura beneficia vni conferre, quorum vnum ad honeſtam ſuſtentationem vitæ ſufficit. Ratio eſt multiplex, quia Eccleſiæ redditus malè, & inutiliter diſpenſantur, minuitur cultus diuinus, numerus operariorum reſtringitur, fundatores ſua pia intentione fruſtrantur, & tandem naturali iuſtitiæ iuri aduerſatur: dicitur, ordinariè, eò quòd non ſit intrinſecè malum, neque omninò indifferens, ſed ſpeciem mali præſeferens; non ita tamen, vt, accedente iuſta cauſa, nõ poſſit cohoneſtari. Leſſius de iuſt. lib 2. cap. 34. dub. 27. Layman., & Caietan. vbi ſupr. Cauſæ ergo ad tria capita reuocantur, ſcilicet ad neceſſitatem Eccleſiæ; ad vtilitatem eiuſdem; & ad euidentiam meritorum, quæ omnia ſunt ſufficienter explicata à Layman vbi ſupr. huiuſmodi reſolutio ſeuerè aduerſatur pluralitati beneficiorum habentium curam animarum, & poſtulantium reſidentiam, quamuis non habeant annexam animarum curam. Ita ſtatutũ eſt in Concil. Lateran. ſub Alexand. III. c. 13. & à Gregor. 9. in cap. Dudum de elect. & in Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 4. Ratio eſt, quia petunt perpetuam reſidentiam, quæ videtur eſſe de iure diuino: aduerſatur etiam pluralitati beneficiorum ſimplicium, quamuis hoc eſſet vſu, & probata conſuetudine receptum; quandò indignis conferuntur, aut digni negliguntur. Ita Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 7. punct. 2. §. 4. concl. 4. Sot. de iuſt. lib. 3. qu. 6. art. 3. Nauarr. man. cap. 25. n. 128. S. Thom. quodlibet. 9. art. 15. tandem ſeueriſſimè aduerſatur pluralitati beneficiorum Regularium, quia vnum eorũ vnum tantùm Religioſum dignificare poteſt. Ita deciditur in cap. Cum ſingula in principio, de præbendis in 6. Sanch. in ſumm. lib. 7. cap. 29. num. 78. Rodriq. tom. 1. quæſt. 34. num. 9. Nauarr. comment. 4. de Regular. num. 23. Layman. vbi ſupr. n. 8. quarè ad poſſidendam huiuſmodi pluralitatem neceſ-

ſariò

ſariò requiritur etiam in ſimplicibus, vt ait Rebuff. in prax. de benef. tit. diſpẽſat. authoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ non ſolet diſpenſare, vt Religioſus duo beneficia habeat in titulum; ſed vnum in titulum, alterũ in commendam. Ita Layman vbi ſupr.

2. Not. tert. quòd nomine beneficij apud mendicantes intelliguntur officia, vt ſunt Prioratus, ſeù Guardianatus, Pronincialatus, Generalatus, &c. Caiet. in ſumm. tit. excomm. cap. 72. Rodriq. tom. 1. qu. 20. art. 13. Suar. 1. de Relig. c. 57. num. 47. Armill. tit. excomm. num. 59. Reginald. in prax. lib. 23. n. 182. quia, inquiunt, licèt non ſint beneficia, ſunt tamen officia Eccleſiaſtica, quæ beneficijs æquiparari videntur: huic verò opinioni non adhætent Nauarr. man. cap. 23. num. 111. ad 14. verſ. 7. & lib. 5. conſil. de ſimon. conſ. 98. Angel. verb Simon. 6. num. 9. Roſell. eod. tit. num. 13. in fine. Azorius part. 3. lib. 12. cap. 21. Peirin. de ſubdito quæſt. 1. cap. 31. §. 9. dico 21. ſed quidquid ſit de eorum controuerſia, ipſis relinquo; meum modò eſt dicere, ſi inclinare cupiam in partem affirmatiuam, cum textu duo officia regularia non poſſe vni Religioſo conuenire, ſi in partem negatiuam, idem ſtatuam cum textu. Rodriq. tom. 1. qu. 23. art. 9., quia de intrinſeca natura bonorum communium eſſe videtur, vt ſingula ſingulis membris diſtribuantur; & ideò ſi apud Minores ſimul in vno poſſunt eſſe & Guardianatus, & Definitoratus, habetur ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ. Ita Rodriq. vbi ſupr. cum ſuo compẽdio reſol. 52. n. 14.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Monachus regularis eodem tempore nequit plura officia regularia, vt ſunt Guardianatus, ſeù Prioratus, Prouincialatus, Definitoratus, & Cuſtodiatus, addit Bordonius in var. reſponſ. reſol. 26. num. 15. poſſidere. Suadetur prim. ex textu in 6. vbi ſupr. id prohibente, & præſertim loquitur de Regularibus. Secund. communia Eccleſiæ bona iuſtè diſtribui debent partibus ipſius Eccleſiæ, vt docet Caiet. in ſũm. tit. multiplicatio benefic. at certè nequit hoc iuſtè fieri, niſi ſaluetur, quod eſt de eorum intrinſeca ratione, vt ſingula ſingulis concedantur, vt habet textus vbi ſupr. & vt vnum vni detur, ſicut affirmat Caietan. vbi ſupr. vt inæqualitas diſtributionis tollatur, ſicut etiam vult Layman. vbi ſupr.: ergo nullo modo vni plura officia conferri poſſunt. Et cõfirmatur, tunc iuſtè nequit fieri, quãdò incommoda ſequuntur, quæ videntur eſſe: quandò vnus occupat loca multorum, & alij eſuriunt, vt notat Caietan. vbi ſupr. ſed meliùs S. Thom. in c. 8. D. Dioniſ. Areop. de diuin. nominib. lect. 8. *Vt diſtribuantur*, inquit, *diuerſa diuerſis ſecundum eorum dignitatem, atque etiam vt ſeruentur huiuſmodi diuerſa inconfuſa; ne ſcilicet vnus, id, quod eſt alterius, ſibi vſurpare præſumat:* nec non quãdò multi carent proemijs ſibi ex iuſtitia debitis; quandò Eccleſia deſtituitur multis operarijs; quandò vitium ambitionis fouetur, vt inquit Bordonius vbi ſupr. imò ei datur anſa, eò quòd nunquam dicat ſufficit, vt alios ab honoribus expellat ſub varijs, & coloratis rationibus, quæ poſtea reſoluuntur, ne conſeruatio amittatur, & ne locus arripiatur; quandò tandem ordo gubernationis peruertitur, dum vnus plurimum perſonas induit, & aliorum miniſtrorum officia vſurpat, cum ratio doceat, vt vnicuique officio ſuus proprius deputetur miniſter, vt optimè inſinuat Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 2. dub. 5. num. 2. Tert. plura beneficia ſimplicia non poſſunt vni conferri, quandò alij digni negliguntur, & poſtponuntur, vt docet Valent. vbi ſupr.: ergo multò minùs id nequit fieri circa beneficia regularia, quia, vt experientia docet, in Religionibus multi digni negliguntur, quandò vnus pluribus honoribus cumulatur, ex quo ſequuntur multa incommoda, prǽſertim factiones, & ſeditiones, vt inſinuat D. Antonius telatus in dub. 3. 1. pat. quia, inquit Nauarr. comm. 4. de Regulat. num. 24. nimis durum eſt in Religionibus omni honore, ac officio priuari, & opus eſt maxima patientia, cuius tei æquanimis patientia non eſt omnium, ſed paucorum, *quos Iuppiter æquus amat, & ardens euexit ad æthera virtus*. Quart. ſi pluralitas beneficiorum in vno expedire videtur, maximè ob vtilitatem Eccleſiæ, quæ rarò etiam in beneficijs ſæcularium exoriri poteſt, vt inquit Valent. vbi ſupr. ſed huiuſmodi vtilitas

tas

tas ratiſſimè eſt cenſenda in Religioſis, quorum volontates ſemper ſub iugo obedientiæ viuunt, quorum ius ad omnia bona Religionis nequit negligi abſque manifeſta eorum iniuria, imò Religionis, quia, quandò iniuſtè læduntur Religioſi, prius, ac magis læditur ipſa Religio, eò quòd in cuiuſcumque profeſſione ſe obligauit ad ſeruanda ea, quæ fuerunt ex conſenſu partium contracta, & ad ſtãdum pro eorum iure conceſſo, ne negligatur: ergo nullo modo Monachus plurium beneficiorum commodis vti iuſtè poteſt.

Dices, tunc pluralitas cohoneſtatur, quandò fit in vrilitatem Eccleſiæ, quæ inſurgit, dum multorum ambitio non fouetur. Reſp. eſſe velameo ad celandam ambitionẽ illorum, qui iniuſtè volunt frui tali pruralitate; magis enim nocet Religioni maiorum ambitio, quàm aliorum; nam ambitio primi Angeli traxit ſecum tertiam partem cæleſtium ſpirituum. Secund. talis diſtributio debetur ex iuſtitia, & ad remouenda incommoda ſuperiùs recenſita, nec non & ad introducenda commoda deſcripta; ideò nequit cohoneſtari per quamcumque ambitionem præcauendam, ſed per maiorem deſtruentem Religionis fundamenta, quæ nõ videtur poſſe ſequi in tali diſtributione; imò gutta aquæ extinguitur, & regimen magis ſuaue, & pacatum habetur, quod optari debet, eò quòd ſit eſſentia gubernationis, & grauiſſimũ onus patientiæ ſubleuatur, quod tantùm pauci ferre poſſunt, inquit Nauarr. vbi ſupr.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

Plura officia, quæ propriè ſunt talia, vt Procorator conuentus, Sacrira, &c. vni, eidemque Religioſo nequeunt conferri. Suadetur prim. ex eod. textu de præb. in 6. ſuperiùs relato. Ita Rodriq tom. 1. qu. 27. art. 9. Secund. vel connumeranda ſunt inter onera Religionis, vel inter dignitates; ſi inter iſtas, idem eſt dicendum, quòd in præcedenti concluſione; ſi inter illa, ſecundum menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ ſunt conferenda, quia iniuſtum eſt multis oneribus vnum grauare, alioſque eximere. Ita Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 32. n. 3.

*TERTIA CONCLVSIO.*

4. Per nullam conſuetudinem videtur poſſe introduci, vt plura beneficia eiuſdem Eccleſiæ vni conferantur. Probatur ex cap. 1. de conſuetud. in 6. vbi omnis conſuetudo etiam immemorabilis deteſtatur, quia per eam, vt Gloſſ. ibid. ait, numerus miniſtrorum Eccleſiæ minuitur, cultuſque diuinus nõ augetur. Ita Nauarr. cõſ. 24. de præbend. num. 5. Garcias de benef. part. 11. cap. 5. num. 187. Layman. vbi ſup. Nec obſtat textum loqui de beneficijs ſæcularibus, quia verba ſunt generalia; & ideò extendi debent ad beneficia regularia; maximè quia eadem incommoda præcauentur, & commoda excitantur, quæ in beneficijs ſæcularibus.

Hic cupio eſſe moniros electores materiam hanc eſſe grauem; & ideò facilè grauare poſſunt ſuam conſcientiam, ſi ſuffragijs pro honore, ac dignitate omnes idoneos non recognoſcant, iuxta dicta in quæſito, quia ex hoc præſertim dependet pax, & quies Religioois, ac proindè ſacr. Canon. hoc ſtatueruot.

## DVBIVM LXVI.

*An de incommodis, quæ rarò accidunt, pro remedio ferendæ ſint leges, ſeù ſtatuta.*

### SVMMARIVM.

1. *In Regularium regimine directiua poteſtas inſpicitur, quæ ferre poteſt leges, & duplex deſignatur titulus.*

2. *Inter legem, & ſtatutum nulla dignoſcitur differentia; dignoſcitur tamen inter legem, & præceptum.*

3. *De incommodis, quæ rarò accidunt, non ſunt ferendæ leges.*

1. Not. prim. quòd in omni regiminè neceſſaria eſt poteſtas directiua, quæ ferre poteſt leges, & ſtatura, ſeò præcepta; vndè Prælatus Religionis (omitto, an ſolus, vel ſimul cum alijs iuxta conſuetudinem, & inſtitu-

inſtitutionē Religionū) per ea omnia, modò ſint iuſta, ligare poteſt ſubditum. Ita Suar. 4. de Relig. lib. 2. ca. 8. n. 2. tr. 8. ex ſententia omnium DD. Duplex tamen titulus huius poteſtatis aſſignatur; alter eſt votum obedientiæ, per quod ſubditus voluntati Superioris ſubijcitur; alter eſt ius Eccleſiaſticum, per quod Prælati iuriſdictionem habent iuſtas ſanciendi leges, ac præcepta. Suarez vbi ſupr. & fortè alius titulus foret aſſignabilis, nempè ius diuinum, ſecundum Mirand. tom. 1. qu. 13. art. 4. ex multis, quod non eſt concedendum ob rationes à Suar. vbi ſupr. aſſignatas. Et quamuis huiuſmodi poteſtatem habeant, non tamen abſolutè, & indepēdēter à recta cauſa, & neceſſitate, ſed dependenter, ita vt ſi leges condāt, neceſſitas, & recta ratio eum impellere debeant, quia legis conditio eſt, vt ſit neceſſaria, & vtilis, ideſt, vt notat Mirand. tom. 2. quæſt. 25. art. 9. quòd non ſit ſine cauſa, & neceſſitate, ac ſine euidenti vtilitate, & ita leges debent fieri, & ſtatui hoc modo.

2. Not. ſec. legem eſſe menſuram, & regulam humanarum actionum, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 90. art. 1. vndè illud, quod eſt directiuum, plurium debet eſſe directiuum; ſi ergo tot eſſent regulæ, quot menſurata, ac regulata, ceſſaret vtique vtilitas regulæ, ac menſuræ, quæ eſt, vt ex vno plura cognoſcantur, & dirigantur. Ita S. Thom. vbi ſupr. quæſt. 96. art. 1. Sotus de iuſtit. lib. 1. quæſt. 6. art. 1. Mirand. tom. 2. q. 25. art. 11. Ex qua doctrina duo vltimi DD. eliciunt illud axioma Theologorum, & Iuriſperitorum, quòd leges non reſpiciunt ea, quæ particularia ſunt, ſed quæ communia, & non quæ ratò, ſed quæ ſæpè, atque vt plurimùm contingunt; & ſic concludit Sotus eos peccare contra naturam legis, qui ſingulis caſibus occurrere contendunt; & ſic concludit Mirand. eos eſſe grauiter reprehendēdos, qui ſingulis caſibus occurrentibus pro reformatione leges ſtatuūt, cum huiuſmodi caſus non per nouas, ſed per antiquas leges, & per prudentiam reformandi ſint.

Not. tert. nullum eſſe ſecundum rē diſcrimen inter legem, & ſtatutum; ſed ſolo tantùm nomine differre. Ita Mirand. tom. 2. quæſt. 24. art. 4. ſicut maximum videtur eſſe inter legem, ſeù ſtatutum, & præceptum, quia illa debet eſſe perpetua, modò fiat à Superiore authoritatem habente leges condendi, & ſtatuendi: iſtud terminatur morte præcipientis, vel officio terminante. Ita Portell. tit. ſtatutum num. 2. Aliud etiā diſcrimen aſſignari poteſt; nam lex multitudini imponitur, præceptum vni ſoli; quādò verò communitati traditur, videtur rationem legis induere, vt tradit Baſſæus in ſūm. tit. præceptum num. 3. ex multis.

*CONCLVSIO.*

3. NVllo modo de incommodis, quæ rarò accidere ſolent, ſunt leges, ſeù ſtatuta ferenda pro eorū reformatione. Ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 96. art. 1. Sot. lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. art. 1. Mirand. tom. 2. quæſt. 25. art. 11. Azor. part. p. lib. 5. qu. 6. cap 5. Suadetur prim. ex ſententia Pomponij iuriſc. in l. iura. ff. de legibus à DD. citatis relata; vbi inquit, iura oportere conſtitui in his, quæ accidunt (hoc eſt in his, quæ vſu euenire ſolent, vt explicat Mirand. vbi ſupr.) non tamen in his, quæ præter opinionem, & inſperato contingunt; nā de his, quæ fortè vno caſu accidere poſſunt, iura non conſtituuntur. Secund. ex Theophraſto citato in l. iura. ff. de legibus, vbi ait, quæ ſemel, aut bis contingunt Legislatores contēnere. Tert. ex ratione D. Thom. prout in ſec. not. de ratione directiui eſt, vt ſit plurium directiuum; quarè, cum lex ſit directiua, ſequitur, quòd debet eſſe plurium directiua, & non paucorum; aliàs directè peccatur contra naturam legum, vt rectè inſinuat Sot. vbi ſupr. Confirmatur ex dicto Soti, & Mirand. vbi ſupr. dicentium, quòd accidentales circunſtantiæ nequeunt ſub lege concludi, ſed ſunt per prudentiam perpendendæ; & ſicut in ſpeculatiuis, vt olim dicebat Plato, & modò docet Ariſt. in ſpeciebus intellectus quieſcere debet, quia de ſingularibus, quæ caduca ſunt, non datur ſcientia, ſed experientia; ita in practicis, & moralibus, quæ caſu ſolent accidere, nulla poteſt dari lex, ſed ſola prudentia. Quart. multitudo legum, ſeù frequentia eſt omninò à congregatione abdicanda, vt inquit Azorius

Azorius vbi ſupr. quæſt. 7. ex authoritate Socratis, quia facilè contemnitur, eò quòd ciues grauiter onerentur, quia etiam præceptorum nimietas deſtruere ſolet Religionem, vt ait Guillielmus Pariſ. in ſumm. virtut. & vit. com. 2. §. antepenult. contra nimietatem præceptorum cap. 38. cum Petrino de ſubdito q. 2. de paupertate cap. 2. §. 2. in fine: ſed ſi leges conderentur ſuper his, quæ raro accidunt, daretur legum multitudo, & hominum multitudo, cuius maior pars ſemper eſt minùs imbuta virtutibus, in varijs rebus delinquere ſolet, vt experientia docet: ergo.

Dices, dum feruntur leges, hominum multitudo maxima vtilitate fruitur, eò quòd mala oritura ex malo exemplo orto præcaueantur. Reſp. ad dirigendos huiuſmodi actus malos dari ſingularia præcepta prudentum, vt ait S. Thom. vbi ſupr. ad 2. hiſce verbis. *Ad ſingulares actus dirigendos dantur ſingularia præcepta prudentum*. Addo, vis mala præcauere? adhibe pœnam, quia ad vnius dolorem aliorum culpa reprimetur: vereor, ne huiuſmodi leges potiùs ſanciantur ob debilitatem, quàm ob rationem pertimeſcendo potentes, & amicos.

## DVBIVM LXVII.

### *An vtilius ſit Religioni Prælatorum defectus diſsimulare, quàm corrigere.*

### SVMMARIVM.

1. *Quid Religio, & in ea ordo deſignatur triplex.*

2. *Tria requiruntur ad rectè gubernandũ, præſertim iuſtitia, qua deficiente inter Superiores maiores, deficit Religio.*

3. *Varijs rationibus ſuadetur vtilius eſſe Religioni, Prælatorum defectus publicè arguere, quàm diſſimulare: & duabus ſatisfit obiectionibus.*

Hic non loquimur de illis defectibus, ſeù criminibus, quæ grauiora nuncupantur, propter quæ regularis Prælatus deponi poteſt, & officio, quo fungitur, priuari; quæ ſunt. Prim. ſi eſt dilapidator bonorum monaſterij. Secund. ſi incontinentet viuit. Tert. ſi regulam deſtruit, eamque relaxat in ſe ipſo, & in alijs, de quibus Panormitan. in cap. Monach. de ſtatu Monach. num. 5. & 6. & in cap. Vt ſi Clerici, & in cap. Cum non ab homine, de iudicijs. vide prædicto cap. Monach. fin. habetur, quia clarum eſt nullo modo celari poſſe; aliter Religio quamprimùm euadet hominum relaxatorum Babilon; ſed loquimur de illis defectibus, qui diſciplinam regularem in ſe ipſis, & in alijs aliquantulum labefactant, vt nimius feruor in corripiendis ſubditis non ſine aliquo grauamine, vt nimia licentia tam ſibi, quàm alijs conceſſa exeundi foras, vt nimia indulgentia in diſſimulandis ſubditorum defectibus; de illis, inquam defectibus loquimur, quibus per exceſſum, ſeù receſſum diſciplina regularis non ita benè obſeruatur, quos omnis reformata Religio moderari intendit, vt magis, ac magis ſemper reformatio propagetur; quæritur ergo: an iſti defectus in omnibus Prælatis inuenti publicè corrigi debeant; vel in viſitationibus culpis publicis, vt mos eſt apud multos Regulares; vel in fine anni poſt completum officium, an diſſimulari ob maiorem Religionis vtilitatem: dubium mouetur, quia apud multos pro comperto habetur, quòd hi defectus, præſertim illi, de quibus ob aliquod grauamen ſubditi conqueri poſſunt, ſaltem publicè diſſimulari debent, ne Superiorum authoritas diminuatur, & ſubditi arrogantes fiant; ita dicunt ipſi.

1. Not. prim. quòd Religio poteſt hoc modo deſcribi: eſt ſtatus fidelium ad chriſtianæ charitatis perfectionem tendentium per tria vota perpetuæ paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ ſtabilis in communi modo viuendi. Ita Bellarm. lib. 2. tom. 2. de Monach. cap. 2. initio. Sanch. in ſumm. lib. 5. cap. 1. nu. 14. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 1. num. 1. Baſſæus in ſumm. tit. Religio num. 2.

Ex quibus verbis deducitur ad eius ſtatum requiri, vt ſit quædam congregatio ſub alicuius iuriſdictione, ac poteſtate, quia, cum tendentia ad perfectionem ſit finis Religioſorum, opus eſt, vt ipſi directionem alicuius ſequantur, iuxta cuius arbitrium inſtruantur, vel excitentur, vt ad intentum perueniant finem. Ita S.Th. 2. 2. quæſt. 86. art. 5. quæ iuriſdictio, vel inſurgat ex vi, & natura votorum, per quæ verus Religioſus tranſit in ius, & poteſtatem Superiorum Religionis, & quorum ratione aſſequuntur Superiores iuriſdictionem in ipſum, vt vult Azorius par. 1. lib. 12. cap. 6. quæſt. 6. vel deriuetur à Pontifice erigente, & approbante Religionem, nil refert, cum vtraque opinio probabilis videatur: vnum tamen eſt verum neceſſariò exigi Superiorem habentem legitimam poteſtatem in ſubditos, & ſubditos promptam obedientiam Superiorum iuriſdictioni præſtantes; vndè aſſignari debet ordo triplex. Prim. eſt Religio ſub ſe amplectens & Superiores, & ſubditos; ideò dicitur ſacra congregatio fidelium ad chriſtianam perfectionem tendentium. Secund. ſunt Superiores ſupra ſubditos iuriſdictionem poſſidentes. Tert. ſunt ſubditi effectus iuriſdictionis exequentes.

2. Not. ſec. quòd ad rectè imperandum tria requiruntur, vt docet Ariſt. 5. pol. cap. 9. *Primùm, vt imperantes ament præſentem ſtatum Ciuitatis. Secund. vt habeant potentiam ad ea exequenda, quæ magiſtratus requirit. Tert. vt habeant virtutem, & iuſtitiam ad Rempublicam regendam neceſſariam*: quarè, ſi deficit in dominante iuſtitia, deficit etiam, & diſſoluitur Reſpublica, imò etiam parua domus, teſte Rodriq. tom. 3. quæſt. 34. art. 5. ex ſententia Platonis, & Macrobij, ſine iuſtitia non ſolùm Reſpublica, ſed nec exiguus hominum cœtus, neque parua domus conſtabit; & S. Bernard. ſermon. ad Paſtor. in ſynodali congregatione. *Sine iuſtitia*, inquit, *non ſolùm Reſpublica, ſed nec parua domus ſubſiſtere poteſt*: vndè id experientia teſtatur, quandò inter Optimates dominium poſſidentes, qui, cum ſint eiuſdem conditionis, non ſibi miniſtrant iuſtitiam, quandò, & ſicut oportet; lupus enim, vt inquit Plinius, in lupum non ſæuit, delicta impunè committuntur, ſiunt diſſoluti, plebi ſecundum totum rigorem miniſtrant iuſtitiam, ſi delinquat, & pro ea ſunt leges; ipſi verò ſe tanquam legibus non ſubiectos habent; vndè Ariſt. 4. pol. cap. 4. aiebat. *Vbi leges non præualent, non eſt Reſpublica; nam lex dominari omnibus debet*: & Cic. lib. 3. de legibus. *Quòd vnuſquiſque in ſuo delicto plecti debet, noxæ pœnam parem eſſe debere, & in ſuo vitio oportere quemquam plecti, ita vt vis alteri illata capitis pœna auaritia pecuniæ mulcta, & immodica honorū cupiditas ignominia, & dedecore ſancietur*: quarè ſententia illa Putei, à Rodriq. vbi ſup. art. 6. relata, eſt memoriæ mandanda: Qui Rempublicam, inquit, tuebuntur, in primis operam dabunt, vt iuris, & iudiciorum æquitate ſuum quiſque retineat, ne tenuiores propter vtilitatem quiſque circumueniat, neque locupletioribus ad ſua tuenda, vel recuperanda obſit inuidia.

*CONCLVSIO.*

3. Vtilius erit Religioni Prælatorum defectus, prout in tituli explicatione publicè arguere, quàm prudenti (ſic ab aliquibus puratur) diſſimulatione eos prætenire. Suadetur prim. ex multis capitibus, quæ affert Gratianus 2. quæſt. 7. cap. Præſumunt. cap. Quapropter. cap. Siquid. cap. Metropolitanum, &c. vbi dicitur. *Sicut laudabile, diſcretumque eſt reuerentiam, & honorem debitum exhibere Prælatis; ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi qua inter eos correctione indigent, nulla diſſimulatione poſponere, ne totum, quod abſit, corpus incipiat morbus inuadere, ſi languor non fuerit curatus in capite*: ergo hi textus volunt à maiori vtilitate inſtructi, quòd Prælatorum defectus correctione puniatur. Nec obſtat verba non ſat explicare publicè, aut ſecretò, quia, cum delicta punitione expientur ad aliorum exemplum, & id volunt illa verba, ne totum corpus, &c. ſequitur, quòd

quòd publicè ob maiorem vtilitatem Religionis ſint corrigenda. Nec obſtat, verba intelligi de delictis grauioribus, quia, cum totum corpus Religionis etiam inficiatur ex neglecta diſciplina in capite, ſequitur etiã, quòd de leuioribus intelligantur. Secund. diſſimulando huiuſmodi defectus priuatur Religio timore inter ipſos Superiores, quòd ſi ſalubriter ab aliquorum pœna pereiti concutiantur, magis, ac magis diſciplinam regularem obſeruabunt, & propagabunt, vt inquit Rodriq. tom. 2. quæſt. 47. art. 3. priuatur beneficio terroris ſubditorum, qui intra ſe dicent, ſi hoc fit in viridi, quid fiet in arido? ideſt, ſi in Superioribus pœna videtur, ſanè in ſubditis, ſi diſciplina negligetur, maiori vi ſentietur: ergo tanquam res maioris vtilitatis Religioni Prælatorum publica punitio non poteſt negligi. Tert. cum Religio iuſtitia, & miſericordia amplectatur & ſubditum, & Superiorem, præbere vni, ideſt ſubdito iuſtitiam, alteri verò, ideſt Prælato miſericordiam, eſt declarare ſe matrem partialem, quod valdè abſonum eſt aduerſus filios propria, ac libera voluntate ipſorum genitos: ergo, vt tam indignum partialis matris nomen abſit à Religione, Superiores pariter, ac ſubditi ſuis defectibus expurgari punitione debent. Quart. admittendo eiuſmodi doctrinam, fierent Superiores nimis audaces, atrogantes, ſubditorum contemptores, quos tanquàm Domini peſſundarent, atque calcarent, nimium ſibi indulgentes, ſubiectæque familiæ de ſua fauſtitate facientes inuidiam; ſubditi verò ad hæc commoda conſequenda inhiarent Prælaturis, nec Religionẽ, in qua ipſi onera, alij ſolos honores gererent, debito amore proſequerentur, dictitarentque identidẽ; lupus de lupo non comedit; ſed quod peius videtur, amor mutuus inter Superiores, & ſubditos bono regimini tam neceſſarius ob tam malè adminiſtratam iuſtitiam plane frigeſceret; ex quibus omnibus ſequitur, quòd Religio paulatim ex debili hac, & apparenti ratione deſtruetur, & in profundum hominum de ſtatu Religionis aſſumpto dolentium rueret, in magnam ſanè boni publici, ac ſpiritus hilaritatis perniciem: ergo. Sext. priuaretur Religio ſumma vtilitate, quia ex reprehenſo vitio, & virtute laudata in Superiore monentur cæteri, quid ſit pro Religionis bono amplectendum, quidue fugiendũ, cum qua ſuauitate, & rigiditate regimen ſit regulandum, qua prudentia in qualibet materia vtendum ſit iuxta doctrinam Taciti alibi relatam 1. hiſt. in orat. Galbæ ad Piſ. *Vtiliſſimus, ac breuiſſimus bonarum, malarũque rerum delectus cogitare quid aut volueris ſub alia Principe, aut nolueris*: priuatur quoquè Religio eorum, qui eligendi ſunt, vitæ cognitione, tam pro conſeruatione electorum in dignitate aſſumpta, quàm pro eorũdem ad maiorem dignitatem exaltatione, nec non & pro depoſitione, ſi quorum mores tali vltione digni ſunt: ergo vtiliſſimum erit Religioni huiuſmodi punitionem, ſicut in ſubditum; ita & in Superiorem exercere; quarè præceptum eſt Ariſt. 7. Pol. cap. 4. *Ad magiſtratus demandandos ſecundum dignitatem, neceſſarium eſt, vt ſe inuicem cognoſcant ciues, quales ſint; quarè vbi hac fieri non contingit, neceſſe eſt, vt malè res procedant circa magiſtratus demandandas, & circa iudicia*. Sept. quia adminiſtrando hac notabili partialitate iuſtitiam fit contra finem intentum ab ijs, qui Prælatis iuriſdictionem tribuerunt; vel eis tribuatur à ſummis Pontificibus Religiones approbãtibus, qui ſicut ſummè optant, vt diſciplina regularis conſeruetur in ſubditis, prohibendo ab huiuſmodi pœnis appellari ob maiorem quietem Religionum, ita eſt ab ipſorum mente alienum, vt ipſa diſciplina in Superioribus relaxetur, maximè ob illatum graua men ſubditis, quia experientia docet, quòd pax conturbatur, & quies deperditur; vel eis concedatur à ſubditis obedientiæ voto, qui murmurationibus, querelis, aliiſque modis declarant, hoc commodum illis nunquam fuiſſe conceſſum, vt nempè immunes eſſent ab huiuſmodi correctione, ſed propria ab eis authoritate vſurpatum: ergo diſſimulatio defectuum Prælatorum nullo modo vtilis Religioni cenſenda eſt.

Dices, fortitudo eſt neceſſaria Prælatis, vt poſſint rumpere iniquitates, vt docent Rodriq. tom. 3. qu. 34. art. 6. & Mirand. tom. 2. quæſt. 5. art. 4. vndè dicitur Eccleſ. 7. *Noli quærere fieri Iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates*: quæ ob tale iudicium timida fiet, & langueſcet, & ſubditi

rebelles fient; vndè ex timiditate eorum, & inſolentia iſtorum diſciplina regularis maximam patietur iacturam. Reſp. prim. quòd aliqua timiditas regere debet Prælatorum actiones erga ſubditos, vt temperet deſpoticum dominium bono communi tam præiudiciale, ſubditiſque voluntatijs inimicum; quarè dicebat S. Tho. 1. de reg. Princip. cap. 6. *Sic eſt diſponenda Regni gubernatio, vt Regi iam inſtituto tyrannidis ſubtrahatur occaſio; ſimul etiam ſic eius temperetur poteſtas, vt in tyrannidem de facili declinare non poſſit*: & Tacit. lib. 2. ann. monet. *Superbire homines etiam annui magiſtratus deſignatione, quid ſi honorem per quinquennium*: quòd ſi in ipſis ita præualet timiditas, vt nō valeant ſubditorum iniquitates reſecare, propriam legāt ſententiā. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrūpere iniquitates.* Secund. ſi Prælati gratia Dei non erunt deſtituti, & omnia prudenti conſilio, matura deliberatione, charitatiua executione mandare curabunt, non eſt cur timere debeant; quarè Rodriq. vbi ſupr. inquit: In Prælatis timor mundanus dominatur, quia gratia Dei ad omnia confortante ſunt deſtituti: Non ignorent ergo Prælati, quòd ſicut ſubditorum actiones à regula diſciplinæ regularis poſſunt deficere, & de facto ſæpè deficiunt; ita eorum regimina à vera prudentia, & regula, cum ſit ars artium, deflectere poſſunt, & de facto nonnunquam deflectunt; & ſicut illi publicè arguuntur ad aliorum exemplum; ita ipſi argui debent ad aliorum moderationem; & monitionem. Ad illud verò de audacia ſubditorum dicitur, vel ſubditi, qui fuere grauati, enumerantur inter eos, qui toto conatu perfectionem anhelāt, at certè de horum grauamine nec vna querela auditur; hi namque aſſidua humilitate, & obſequio ſuum Prælatum proſequuntur; vel ſunt de illis, quorum paſſiones adhuc ſunt fluctuantes, & hi, licèt aliquas querelas per cœnobia ſpargant; non ideò honorem debitum Prælatis, tanquàm rem illis ex iuſtitia debitam negant; vel ſunt de illis, qui fuere grauati, & ob timorem Dei à ſe excuſſum in audaciam, & contemptum Superiorum irrumpere poſſunt; ſed iſti, ſi, accedente Superiore maiori, certi erunt debitam ſibi iuſtitiam non denegandam, & ipſorum iniurijs publicè ſatisfactum iri, intra patientiæ limites ſe coercebunt expectantes iudicium, vt docemur experientia; aliàs eſt periculum incidendi in grauiora mala, imò deueniendi ad manus violentas, quod nil magis obſtare videtur regulari diſciplinæ, nec per aliud magis ſubditorum inſoleſcit audacia, nec magis Superiorum fortis animus hebetatur: heù, heu! quanta opus eſt prudentia Prælatis præcipuè ſupremis.

Dices, ex ſententia Rodriq. vbi ſupr. debent defectus Prælatorum diſſimulari, vt à ſubditis vnà cum ipſis obſeruantia conſeruetur, & vbi collapſa fuerit, reſtauretur, quæ conſeruatio, & reſtauratio difficillimè habētur, niſi ſuauiter cum ipſis agatur Prælatis, aliqua permittendo. Reſp. prim. quòd nō excludit omnem cenſuram, ſed vult, vt agatur cum ipſis mitiùs, vt ex contextu habetur, & ita dictum eſt ſupr. quod triplex ordo aſſignatur. Prim. eſt Religio. Secund. Prælatus. Tert. ſubditus. Religio petit iuſtitiam tam in ſubdito, quàm in Prælato, cum iſta tamen differentia, vt aliqua reuerentia Prælato exhibeatur, non tamen perſundando ſubditum, vt habetur ex Concil. Bracchar. 45. diſtinct. cap. Cum beatus, dicente. *Non eſt dignum, vt paſſim vnuſquiſque Prælatus honorabiliora membra ſua, prout voluerit, eique placuerit, verberibus ſubijciat, & dolori.* Secund. reſpond. ſententiam Doctoris non mihi placere, eò quòd ſupponat relaxationem Religionis ortum ducere à ſubditis, quod ipſa experientia docetur falſum, quia vt plurimùm incipit à Prælatis negligentibus ea, quæ ſunt pro conſeruatione diſciplinæ regularis, & ita habetur ex cap. Exemplum. cauſ. 12. qu. 1. ex quo colligitur vulgatum illud axioma: Superiorum actio noſtra eſt inſtructio: videatur Ferrer. in conſtit. Cathalon. Gloſſ. 6. num. 21. vbi adducit illud Claudiani in paneg. 4. cōſ. Honor. *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*: ſimul cum Barboſ. in collect. DD. in citato cap. & Tiraquell. de pœnis temp. cauſ. 31. num. 38. cum ſeq. & de nobilit. cap. 30. num. 136. vbi oſtendit peccata nobilium, & in dignitate conſtitutorum trahi ſolere ab inferioribus in exemplum; quarè dicebat D. Naz. orat. 20. in funere Baſilij mag. *Vno homine rectè, aut malè ſe gerente,*

*nihil*

*nihil hinc Reipublica portenditur; at Republica hoc, & illo modo ſe habente, ſingulos etiam eodem modo affici neceſſe eſt*: & Theodoricus Rex Gothorum apud Caſſiod. 3. var. epiſt. 12. dicebat. *Faciliùs eſt errare naturã, quàm diſſimilem ſui Principis poſſit Rempublicã formare*: idem dicit Plato. *Nemo nobis perſuadeat, ò amici, vlla ratione citius, aut faciliùs Ciuitatem, leges, moreſque immutare, quàm Principum exẽplo praeunte, neque aliter nunc eſſe, nec in poſterum vnquam futurum*: quarè concludendum eſt, vt diſciplina regularis conſeruetur, & reſtauretur non eſſe diſſimulandos Prælatorum defectus, quia iuxta eorum actiones erit ſubditorum Inſtructio. Hic obiter addo, quòd ſequitur ex ſententia Cõcilij ſupra citati. *Ne dum incautè ſubdita percutiat membra, ipſe quoque debitam ſibi ſubditorum reuerentiam ſubtrahat*: iuxta illud, quod quidam Sapiens, inquit Rodriq. vbi ſupr. dicit: Leuiter caſtigatus reuerantiam exhibet caſtiganti, aſperitatis nimia increpatio, nec increpationem recipit, neque ſalutem.

## DVBIVM LXVIII.

*An, quandò varietas opinionum verſatur inter Superiorem, & ſubditum, teneatur ſubditus Superiori præcipienti iuxta propriam ipſius opinionem obedire.*

### SVMMARIVM.

1. *INter opinionem, & dubium differentia: opinio oboriri poteſt ex triplici capite: an præceptum ſit impoſitum; an res præcepta ſit licita; & an illam poſſit præcipere Prælatus.*

2. *Poſſunt conſiderari Prælati, vel inclinantes ad pietatem; vel ad rigorem.*

3. *Data opinione probabili, non tenetur ſubditus obedire Prælato; nec etiam tenetur, quandò adhibita diligentia de impoſitione præcepti ſub opinione tamen latet.*

4. *DD. rationes, quibus probant teneri ſubditum Prælato parere, quandò dubitatur: an res præcepta ſit licita, non videntur efficaces.*

5. *Subditus opinione probabili munitus credens rem præceptam eſſe illicitam, eximitur ab obedientia Prælati, ſicut quandò dubitat de eius poteſtate.*

6. *Si Superior qualitatibus ad pietatem inclinantibus ornatus præcipiat aliquid ſecundũ opinionem probabilem licitam, eſto ſecundum ſententiam ſubditi illicitam, tenetur hic obedire: ſecus ſi declinat in rigorem.*

1. Not. prim. quòd maxima differentia eſt inter dubium, & opinionem, vt ſæpè dixi, quia dubiũ, vt rectè notat Bonac. de reſt. diſp. 1. qu. 2. p. 2. eſt, quandò intellectus non magis inclinat in vnam partem, quàm in aliam: opinio verò, quando intellectus adhæret vni parti non certò, & firmiter, ſed cum formidine de oppoſito; hic non loquimur de dubio, quia aliter eſſet dicendum, ſed de opinione, & id maximè eſt aduertendum.

Not. ſec. opinionem poſſe otiri ex triplici capite. Prim. ex parte ſolius præcepti, quandò nimirum certum eſt de authoritate præcipientis, & de honeſtate rei pręceptæ, ſed opinatur: an res ſit præcepta, nec ne. Secund. ex parte rei præceptæ, quandò nimirum conſtat de authoritate præcipientis, ſed opinatur: an res præcepta ſit illicita, ideſt contra Deum, ſeù Eccleſiam, ſeù regulam, &c. Tert. ex parte Prælati, quia ſcilicet eſt varietas opinionum: an Superior poſſit hoc, vel illud præcipere, & vocatur in dubium eius poteſtas, vt ſi opineris Superiorem non eſſe legitimum, eò quòd ſit malè electus, ſeù malè confirmatus.

2. Not. tert. duo qualitatum genera in perſona Prælati reſidere poſſe. Prim. earum, quæ ad pietatem ſpectant, prudentiam, ac ſpiritualitatẽ, de quibus loquitur S. Thom. quodlibet. 11. ad vltim. dum affirmat, quòd delictum occultum fratris deferri poteſt abſque præuia monitione Prælato, vt Patri (vide ea quę dico in dub. 80.) dummodò ſit pius, diſcretus, & ſpiritualis non habens rancorem, &c. de quibus loquitur Rodriq. tom. 3. qu. 47. art. 3. verſ. Dices innumerę, &c. vbi dicit: Debent enim, ſcilicet Prælati, inſtruere ſubditos in ſpiritu lenitatis conſiderantes ſe ipſos, ne & ipſi tententur; non enim Deus dedit illis ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis; nec

ſubditi

ſubditi acceperunt ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore, ſed acceperunt ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamant Abba Pater: de quibus inquit S. Bonau. in opuſcul. de ſex alis Seraph. cap. 6. *Sit etiã Prælatus humilis affabilitate, vt ſubditi facilem acceſſum ad eũ habeant, & fiducialiter ei loqui poſſint de ÿs, quorum indigent, & patienter eos audiat, & deniquè eis ſatisfaciat, & ſtudioſè inſtruat, & alacriter exhortetur: ſtudeat magis amari, quàm timeri, quia libentiùs ei obeditur, qui diligitur, quàm qui timetur*: de quibus etiam loquitur Rodriq. vbi ſupr. quæſt. 34. art. 7. quarè electores tenentur non minimam apponere diligentiam, vt promouendi à natura ſint manſueti, & benigni, conſiderando, quòd Deus primum Principem populi ſui Moyſem conſtituit, qui erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines habitantes terrã. Secund. earum, quæ ad ſeueritatem inclinãt, atque rigorem, de quibus inquit Auguſt. citatus à Rodriq. vbi ſup. ar. 7. *Illi enim robuſti dicuntur, qui de ſua iuſtitia præſumunt, miſericordiam peccantibus negandam putant, & impendentes reprehendunt, vnde à Domino percuſſi intereunt, quia iudicium ſine miſericordia erit illis, qui nolunt facere miſericordiã delinquentibus, quibus per Salomonem dicitur, Noli eſſe nimis iuſtus, qui eſt nimis iuſtus, perit in iuſtitia ſua*: de quibus dicit Rodriq. tom. 2. qu. 1. art. 4. ex Valerio max. non debere eos eſſe rigidos, & minaces; & qu. 21. art. 1. vbi habet. Prælatus, qui quærit timeri potiùs verberibus, quàm verbis, ab officio eſt deponendus.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Inter DD. controuerſum non eſt, ſed indubitatum, data opinione probabili pro ſubdito, non teneri illum obedire Prælato, & licere ipſi vtramque partem ſequi, etiãſi aduerſum ſe haberet magis probabilem. Ita Sanch. in ſumm. lib. 6. cap. 3. num. 7. Clauis Reg. lib. 1. cap. 12. num. 6. Torres de iuſt. diſp. 50. num. 9. Ioan. Sãcius in ſelectis diſp. 33. num. 28. Petrus Nauarr. lib. 3. de reſt. part. 3. dub. 13. num. 239. fin. Caſtrus Palaus part. 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 6. num. 1. Nec obſtat dicere Superiorem iuſtè præcipere; vndè obedire illi tenetur ſubditus, quia nõ omninò iuſtè præcipit, eò quòd eſt opinio fauens ſubdito in contrarium: probabiliter iuſtè tantummodò Superior præcipit, & probabiliter ſubditus tenetur obedire, & probabiliter non tenetur; non eſt nouum ratione ignorantiæ dari ex vtraque parte litem iuſtam.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

Adhibita ſufficienti diligentia: an ſit poſitum præceptũ, ſeù lex in aliquo caſu obligans ad mortale, veritas non habetur, ſub opinione tamen latet, ſubditus non tenetur ad obſeruantiam legis, ſeù præcepti. Ita Suar. 5. tom. in 3. p. diſp. 40. ſect. 15. num. 15. Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 45. num. 3. in comment. lit. P. Emman. Sà tit. dubium. num. 2. Sanch. in ſumm. cap. 10. n. 32. lib. 1. & de matrim. lib. 2. diſp. 41. num. 36. contra Armill. tit. dubium. num. 3. Vaſquez. 1. 2. diſp. 65. toto cap. 3. Salaſ. 1. 2. qu. 21. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 25. num. 258. Tabien. tit. dubium. num. 3. Petrin. tom. 1. quæſt. 1. cap. 7. Ratio videtur eſſe, quia in dubio tota poſſeſſio videtur eſſe pro voluntatis arbitrio: ergo tãtò magis id dicendum eſt de opinione, tũ quia nemo obligatur legi, niſi ſit illi ſufficienter propoſita; opinanti verò legem, ſeù præceptum non eſſe impoſitum, nondum eſt ſufficienter propoſitum: ergo is ſeruare talem legem, aut præceptum non tenetur.

*TERTIA CONCLVSIO.*

4. Rationes, quibus Sanch. in ſumm. lib. 6. cap. 3. num. 6. Azot. p. 1. lib. 2. cap. 17. quæſt. 9. Anton. Perez certam. 10. Scholaſtic. num. 1. 123. Vaſq. 1. 2. diſp. 62. cap. 6. Cordub. lib. 3. quæſt. 9. initio. Silu. tit. conſcientia. qu. 3. & alij nituntur probare, teneri parere ſubditũ, quandò dubitatur, licitane ſint præcepta, an verò illicita, parui roboris eſſe videntur. Prima ratio eſt Sanchez vbi ſupr. num. 6. Torres de iuſt. diſp. 50. dub. 5. num. 9. Iacob. Granad. 1. 2. tract. 12. diſp. 4. ſect. 3. nu. 7. Lorc. 1. 2. diſp. 41. §. ex quo infero, quia, cum Superior ſit in poſſeſſione præcipiendi ea, quæ apertè non ſunt mala, ſed

etiam

etiam ea, de quibus vertitur opinio: an ſit mala, nec ne, illa minimè eſt ſpoliandus, licèt ſpoliari poſſit, quandò opiniones circumferuntur: an Superior poſſit aliquid præcipere, & indè: an ſubditus teneatur parere; nam Superioris poſſeſſio vocatur in dubium; & ideò poſſeſſio non eſt certa, nec præponderat contra ſubditi libertatem, & tunc non eſt magis certa Superioris poſſeſſio ad præcipiendum, quàm ſubditi libertas ad non parendum: hanc tamen doctrinam fateor ſimul cum Salas. 1. 2. tom. 1. tract. 8. diſp. vnica ſect. 8. num. 76. me non intelligere, quia Superior non poſſidet præcipere illicitum: ergo dubitatur de poſſeſſione, quoad id præcipiendum: ergo idem erit opinari: an res præcepta ſit licita, vel non; ac opinari: an Superior poſſit aliquid præcipere; & an teneatur ſubditus in illa re obedientiam præſtare. Secund. ratio: ſi admittenda eſſet contraria opinio, daretur anſa ſcandali, & magna oriretur inter Regulares cõturbatio, & nulla communitas gubernari poſſet, ſi ob probabilem opinionem ſubditus excuſandus eſſet ab obedientia. Sed cõtra: nullo modo datur anſa ſcandali; nam ſcandalum inſurgit, quandò quis actionem malam agit, aut mali ſpeciem habentem ſine cauſa, ex qua alij arripiunt exemplum ad iniquè agendum: at quandò ſubditus agit ſecundum opinionẽ probabilem, nec rem malã, nec ſpeciem mali habentem agit, cõſequenter alij arripere nequeunt occaſionẽ rem iniquam agendi, ſed ſolùm operandi rem iuxta proprium ius. Ita Sancius vbi ſup. num. 41. nec conturbationes ſuſcitabuntur, ſi notæ erunt opiniones Superioris, & ſubditi, quia quilibet iure proprio vtitur, & communitas poterit gubernari; aliàs veritas primę concluſionis ab omnibus admiſſa ſubſiſtere non poſſet, quia eadem incommoda ſunt aſſignanda; & licèt caſus primæ concluſionis non ita frequenter accidant, ſicut accidere poſſunt in ſecunda opinione, experientia tamen teſte, nec ita frequenter contingit probabile eſſe rem imperatam illicitam eſſe, vel excedentem Superioris iuriſdictionem, vt poſſit ſubditus ab obedientia excuſari. Ita Caſtr. Palaus vbi ſupr. num. 4. Ratio tertia eſt: Superior non tantùm habet ius præcipiendi ea, quæ non ſunt illicita, ſed etiam ea, quæ non cognoſcuntur à ſubdito euidenter illicita: ergo ſubditus tenetur obedire legi Superioris etiam ſub opinione probabili illicitæ: at nec ratio iſta ſubſiſtit, vt benè notat Sancius vbi ſupr. n. 32. quia vera eſſet, quandò ineuidentia rei illicitæ oriretur ex dubio, eò quòd in dubijs melior ſit conditio poſſidentis, ſed quandò ineuidentia, ſeù incertitudo naſcitur ex opinione probabili, ſubditus habet ius nõ parendi. Quarta ratio: Superior habet ius præcipiendi rẽ ſub opinione probabili licitam, eſto ſub alia opinione probabili videatur illicita: ergo ſubditus tenebitur obedire præcipienti. Nec valet huiuſmodi ratio; nam Superior habet ius imperandi, & ſubditus habet ius non parendi; nec eſt inconueniens dari litem ex vtraque parte iuſtam, vt communiter probant DD. Quinta: ſubditus non parendo Superiori ſuo iure eum ſpoliat, quod habet ad imperandum ea, quæ ſecundum opinionem ſunt illicita, conſequenter affert illi iniuriam, ex qua oboritur peccatũ: ergo: nullius roboris, ſicut & aliæ eſt ratio hæc, quia illa priuatio iuris nõ ſequitur per ſe, ſed per accidens, & non poteſt ei imputari ad peccatum, eò quòd ſubditus nolit cedere iuri ſuo, quod habet ex opinione probabili: & deindè quęro, quarè magis peccabit ſubditus ſpoliando Superiorem iure ſuo, quàm Superior priuando iure ſuo ſubditum? Sexta: ſubditus tenetur ea omnia exequi, ſi imponerentur, quæ exequi ſine peccato poſſunt: ſed poteſt ſine culpa operari inhærendo opinioni probabili Superioris: ergo. Confutatio huius rationis habetur à Thom. Sãch. vbi ſupr. num. 7. nam ſubditus tenetur exequi omne illud, ſi imponeretur, quod ſine peccato abſolutè efficere poteſt; non verò quod tantùm probabiliter, quia cuicumque licet vti opinione probabili, nec Superior ius habet imperandi, vt ſubditus adhæreat opinioni Superioris, vt benè notat Io. Sancius vbi ſupr. num. 44. Septima ratio: & ſi probabile ſit coniugis matrimonium bona fide contractum inualidum eſſe, at probabile nõ videtur negare poſſe petenti debitum, niſi admittatur poſſe ſpoliari poſſidentem iure acquiſito ob probabilem opinionem, quod non eſt concedendum; ita in præſenti; & ſi probabile ſit rem imperatam illicitam eſſe,

vel excedentem limites terum, quas præcipere poteſt Superior; at non videtur probabile ſubditum liberum eſſe à non parendo, ſpoliando Superiorem iure acquiſito. Facilè eneruatur vis argumenti, dicendo poſſe admitti coniugem probabiliter opinari de valore matrimonij, & non teneri ad reddendum petenti debitum, licet poſſit, quia tam opinatur de matrimonij valore, quàm de legitima poſſeſſione alterius, cum nullus in poſſeſſione habere poſſit alienum, ſed proprium coniugem tantùm, ac proindè ſi alicui coniugi probabile eſt ſe nõ eſſe coniugẽ alterius, probabile eſt alterum ab ipſo non legitimè poſſideri, & conſequenter negari debitum poſſe, & ita eſt dicendum de ſubdito, &c. Ita Caſtr. Palaus vbi ſupr. num. 6. Ex his, quæ dicta ſunt, manifeſtè apparet rationes non eſſe magni momenti, vt contendunt DD & ideo firmatur ſequens concluſio.

## *QVARTA CONCLVSIO.*

5. Svbditus opinione probabili fultus, credens illicitam eſſe rem à Superiore præceptam, poſſidet libertatem ei nõ parendi. Ita Ioann. Sancius in ſelectis diſp. 33. à n. 32. Ledeſma tract. de los eſtados, vbi de Religioſos en comun, c. 4. Caſtrus Palaus part. 1. tract. 1. diſp. 2. p. 6. num. 5. videtur conſentire Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 41. num. 76. in fine, ſicut in parte eõ ſenſit Suar. 5. tom. in 3. part. diſput. 4. ſect. 6. in fine. Probatur prim. quia vnuſquiſque poteſt ſe probabili ſententiæ conformare, nec tenetur aliorum opinionem ſequi, & propriam deſerere, quia ad hoc non adſtringitur neque per votum, neque per iuramentum, neque per legem diuinam, aut naturalem: ergo nec per præceptum Superioris: ergo integrum erit ſubdito propriam opinionem ſequi, nec operari iuxta Superioris opinionem. Reſpondent fortè aduerſarij, ex voto obedientiæ, & ex ipſomet præcepto conſtringi ſubditum obedire, & obligari ad Superioris opinionem ſequẽdam; verùm hoc eſſet probandum, quod non faciunt aduerſarij, vt optimè inſinuat Sancius vbi ſupr. imò videtur eſſe impoſſibilis probationis, quia obedientia ſubditi eſſet ipſi in laqueos; nam poſſet Superior ei imperare, vt ſemper adhæreat opinionibus, quæ ad mortale obligant, & ita miſer ille ſubditus ſe vinciret mille laqueis pro certitudine æternæ damnationis: videte ea, quæ dico in dubio 74. huius partis. Secund. nunquam Superior fuit in poſſeſſione imperandi illicitum, nec rem extra propriam iuriſdictionem, vt claré ex terminis habetur: ſed eſt probabile rem præceptam eſſe illicitam, vel excedentem propriam authoritatem: ergo probabile eſt deficere ius in Superiore ad id præcipiendum: ergo liberum eſt ſubdito non parere, quia poteſt amplecti opinionem ſibi fauentem. Tert. Reus, cuius delictum eſt ſemiplenè probatum in cauſa graui, veritatem delicti Iudici interroganti aperire non tenetur, vt docent. P. Nauarr. lib. 2. de teſtit. cap. 4. num. 32. 34. Rodriq. tom. 2. qu. 19. art. 4. Leſſius verò de iuſtit. lib. 2. cap. 31. num. 6. putat idem eſſe probabile, eſto contrariũ ſit probabilius. Salzedo in pract. crimin. cap. 29. §. non illud. Reginald. 2. tom. lib. 24 n. 37. Sotus in 4. diſt. 15. quæſt. 4. in tert. membr. Petrinus de ſubdito qu. 1. cap. 16 ſ. 1. Sanc. vbi ſupr. n. 29. eò quòd opinio probabilis illi fauet, & eſt illa, quæ excuſat à peccato, & non timor in grauem pœnam incidendi: ergo nec ſubditus tenebitur ſequi opinionem Superioris, dum tamen fultus erit opinione probabili docente illicitum eſſe, quod præcipitur. Confirmatur ex Nauarr. lib. 2. de reſt. cap. 1. dub. 13. in fine, in noua edit. num. 237. Sanch. de ſtatu Religioſo lib. 6. cap. 3. num. 7. Cordub. in ſumm. quæſt. 95. ad prim. dub. Leſſius vbi ſupr. cap. 33. dub. 8. n. 67. aſſerentibus non teneri ſubditum ſoluere tributum Regi, quandò munitus opinione probabili credit eſſe iniuſtum: ergo nec ſubditus conſtringetur ob opinionem probabilem ſibi fauentem Superiori parere. Quart. non tenetur quis ſubmittere confeſſioni peccatum, quod probabiliter credit non eſſe mortale, vel ſe iam confeſſum eſſe, vt, alijs relatis, docet Thom. Sanch. in ſũm. lib. 1. cap. 10. num. 76. quia, licèt præceptum de confeſſione integrè facienda habeat; nihilominus ab illo ob probabilem opinionem ſoluitur: ergo etiam ob probabilem opinionem liberatur ſubditus ab obe-

dientia

dientia Superiori præſtanda; aliàs ſtrictiùs obligaret præceptum Superioris, quàm Chriſti Domini, & Eccleſiæ præcipiens integram confeſſionem; quare Sanchez, ſi hãc ſuam doctrinam conſideraſſet, non tàm fortiter inclinaſſet in opinionem contrariam; ſed opus eſt ei parcere, quia ferè ſemper obligationibus ſubditos opprimit, ac ſi tota reformatio Religionis ab ipſis, eorumque obligationibus eſſet petenda. Quint. quandò adeſt opinio probabilis, non teneri ſubditum obedire, liberatur ab obedientia præſtanda Superiori in ſentẽtia Sanch. & Sayr. vbi ſupr. quia poſſeſſio Superioris in illa materia vocatur in dubium: ſed ſimiliter vocatur in dubium poteſtas Superioris, dũ probabilis opinio adeſt illicitum eſſe, quod præcipitur: ergo integrum erit ſubdito non parere. Sext. probatur ex doctrina Suar. vbi ſupr. ait enim liberum eſſe ſubdito legi Superioris non parere, ſi eam eſſe iniuſtam ſit manifeſtè probabiliùs: ergo ſubditus habens opinionem probabilem de iniuſtitia legis, ſeu præcepti parere non tenebitur: cõſequentia probatur, quia, cum maior probabilitas euidentiam iniquitaris legis non conſtituat, intra latitudinem dubij remanet ſẽper iniuſtitia legis, & tamen Suarez admittit ſubditum non teneri legi obedire: ergo ſubditus habens opinionem probabilem de iniuſtitia legis non poteſt adſtringi ad parẽdum legi Superioris, eò quòd minor probabilitas non concedat legi euidentiam iuſtæ legis, ſed etiam ſub dubitatione eam relinquit; quare Garcia tom. 2. de benef. part. 3. cap. 2. n. 28. impugnans doctrinam Rebellij de obligationibus 1. part. lib. 2. q. 14. à num. 28. aſſerentis in materia dubij attẽdendum eſſe maximè: an dubium ſit æquale, nec ne, vt liberetur quis ab obligatione operandi, vel conſtringatur ad operandum, inquit, exceſſum illum probabilitatis concedentem poſſe operari, non eximere rem à dubio; & ideò, licèt vna opinio ſit probabilior altera, poteſt quis iſtam minùs probabilem ſequi, quia minor probabilitas non dat ei improbabilitatem, ſicut maior probabilitas non præſtat alteri veritatem rei, ita vt conſtringatur ad eam ſequendam. Tandem probatur ſept. quia ſi admitteretur aduerſariorum doctrina, mille incommoda ſequerentur in Religionibus; nam Prælati ſemper non ſunt, vt benè notat Iacob. Granad. 2. 2. de charit. controuerſ. 7. tract. 12. diſp. 5. ſect. 5. pietate, diſcretione, ac ſpiritualitate ornati; ideò poſſent præcipere aliquid durum in ſubditorum præiudicium; imò ſub prætextu boni communis non intelligentes illud, quod propriè ſit de ratione boni communis, & ſic illud damnificarent: Adde, quòd poſſent etiam præcipere ſubditis, vt in omnibus opinionibus DD. ſequantur tantùm vnam partem in præiudicium animarum, & contra ritum Eccleſiæ venerabilis permittentem varietatem opinionum, tanquam rem magis animarum ſaluti accommodatam: ergo.

## *QVINTA CONCLVSIO.*

QVandò ſubditus opinione probabili fultus dubitat de poteſtate Superioris: an legitimè ſit electus, vel legitimè confimatus parere ei non tenetur. Ita Ioann. Sancius vbi ſupr. num. 31. Caſtrus Palaus vbi ſupr. num. 7. Leſſius vbi ſupr. Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 8. num. 78. aduerſus Thom. Sanch. vbi ſupr. n. 29. ſequentem ſuum rigorem erga ſubditos, tum quia non eſt poſſeſſio certa Superioris, cum eius poſſeſſio mediante opinione probabili vertatur in dubium, tum quia, licèt ſubditus probabiliter non poſſit iure ſuo imperandi ſpoliare Superiorem, poteſt tamen illum ea ſpoliare ob opinionem probabilem ſibi fauentem, & conſequenter poteſt, & probabiliter non obtemperare. Rationes verò in contrarium remanent ſolutæ ex doctrina ſuperiùs allata.

## *SEXTA CONCLVSIO.*

6. SI Superior qualitatibus pietatis, diſcretionis, & ſpiritualitatis inſignitus non inclinans ad multiplicanda præcepta, neque ad conſcientias ſubditorum duris mandatis onerandas, præcipiat rem probabiliter licitam, licèt in ſententia ſubditi illicitam, tenetur ſubditus, propria opinione depoſita, exequi, quod præcipitur: ſe-

cus quandò qualitates Superioris ſunt rigidæ, atque aſperæ, ferè ſemper inclinantes Superiorem ad onerandos ſubditos, vt dictũ eſt in tert. not. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur; & prim. ex doctrina Menochij ex coniecturis, & præſumptionibus maximè perſonarum habetur rei veritas, ita docet ille, alijs relatis, conſ. 195. num. 23. hiſce verbis: Expreſſum illud dicitur, quod ex præſumptionibus, & coniecturis colligitur: ſed qualitates talis Superioris ſunt præſumptiones, & coniecturæ, quæ faciunt expreſſum, quòd neceſſitate conſcientiæ, & ad ſuccurrendum bono communi Religionis in tali caſu periclitanti præcipiat illud, quod aliàs non præciperet: ergo ſubditus tenetur rem præceptam exequi, licèt habeat per opinionem probabilem eſſe illicitam; maximè quia vnuſquiſque tenetur bono communi conſulere. Secund. ex doctrina Leſſij vbi ſupr. aſſerentis ſubditum non teneri obedire, quandò opus præceptum probabile eſt illicitum eſſe; verùm ſi per extrinſeca principia ſibi iudicium prudens de opere licito formare poteſt, opus impoſitum eſſe de neceſſitate conſcientiæ, quia aliàs bonum commune in magno diſcrimine poneretur, non ſolùm poterit obedire, ſed etiam tenebitur: ſed in caſu extrinſeca principia, quæ ſunt qualitates benignæ Superioris præſtant, vt poſſit ſubditus formare iudicium prudens, quod opus impoſitum ſit ex neceſſitate conſcientiæ ad ſuccurrendum bono communi: ergo, neglecta opinione probabili rei illicitæ, tenebitur obedire. Tert. ex doctrina Rodriq. tom. 3. quæſt. 20. artic. 3. dicentis, ſubditum peccare mortaliter, quandò præſtat obedientiam Superiori præcipienti aliquid, quod ſubditus rationabiliter dubitat, ſe peccare mortaliter exequendo, quia Prælatus in eo diſpenſare nequit, eò quòd ſine vrgenti cauſa exponat ſe periculo mortaliter peccandi; ſecus verò ſi diſpenſare poteſt; nam credere debet in eo caſu illum ſuam diſpenſationem interponere: ergo, præſuppoſitis benignis Superioris qualitatibus, credere debet, dum ipſe aliquid durum contra opinionem ſubditi ordinat, id facere diſpenſando benignitati, & ad rigorem inclinando neceſſitate cogente: ergo ei obedire neceſſarium erit; aliàs coram Deo lethalis culpæ reus cenſendus erit. Secund. pars ſuadetur; nam præſumptiones, ac coniecturæ, quæ ſunt Superioris rigidæ qualitates dant expreſſum, quod opus impoſitum non habeat neceſſitatem niſi illam ab opinione probabili præſtitam, nec prudens iudicium dant poſſe formari tale opus tanquam neceſſarium imperari: ergo ſubditus non tenebitur obedire, ſed poterit ſtare pro ſuo iure, per quod certum eſt neminem teneri aliorum opinionem ſequi, & propriam deſerere; quarè concludit Sancius vbi ſupr. num. 43. non poſſe Superiorem iuſtè ſubditum ſuo præcepto non parentem aliqua pœna plectere, dum operatus eſt iuxta opinionem probabilem; nam pœna ſine culpa imponeretur. Concludo ergo quòd, licèt opinio tertiæ concluſionis ob multiplicitatem DD. ſit probabilis, quarta tamen probabilior ob validiores rationes videtur; & ideò hanc libenter amplexus ſum potiùs ad obſtandum incommodis, quæ ex præceptis rigidis oriuntur, quàm ad fauendum ſubditorum libertati: quarè, quandò aliquid durum à Superioribus ſub prætextu boni communis ſubditis imponitur, amplectantur opinionem quartæ concluſionis; quandò verò nulla ſequitur conturbatio ex præcepto impoſito, ei ſubijciant voluntatem poſtponendo propriam opinionem.

Recordentur Prælati doctrinas rigidas difficilè poſſe promouere bonum commune, quia obſtant ſuaui, & pacato regimini.

D V-

## DVBIVM LXIX.

*Quidam ſubditus bona fide fregit præceptum ieiunij credens habere iuſtam cauſam non ieiunandi; & etiam bona fide ex mala intelligentia doctrinæ aliud præceptum ſuæ regulæ tranſgreſſus eſt: quæritur, an in vtroque caſu peccauerit mortaliter, & Prælatus cum poſſit punire.*

## SVMMARIVM.

1. *Impoſſibilitas dupliciter, ſimpliciter, & moralis, ideſt cum difficultate: neceſſitas etiam dupliciter, abſoluta ſcilicet, & moralis, ideſt accommoda, & opportuna.*

2. *Superiori præcipienti aliquid impoſſibile quocunque modo non tenetur ſubditus obedire: neceſſitas etiam excuſat cum à præcepto ſeruando.*

3. *Subditus bona fide frangens ieiunij præceptum putans ſe habere veram cauſam à labe peccati eximitur.*

4. *Itidem ſubditus, qui bona fide ex mala intelligentia doctrinæ infringit aliquod præceptum, non peccat; nec eſt à Prælato puniendus.*

1. Not. prim. quòd impoſſibilitas duobus modis attenditur. Prim. ſimpliciter, ideſt quòd Cœlum ſit terra. Secund. quòd res fieri quidem poſſit, ſed cum difficultate, ideſt quòd claudus velociter currat. Ita Silu. tit. impoſſibile, quæ doctrina alijs verbis, ſeù terminis explicatur à Rodriq. tom. 3. quæſt. 64. art. 2. logicè, ſeù metaphyſicè, & moraliter: illud dicitur logicè, & metaphiſicè impoſſibile, quod nullo modo fieri poteſt: moraliter tale, quod non denotat omnimodam impoſſibilitatem, ſed tantùm difficultatem pro rei executione; fundatur in Ariſt. 1. de Cœlo; quarè Sotus de iuſt. lib. 5. quæſt. 5. art. 2. quem ſequitur Mirand. tom. 2. quæſt. 25. art. 9. explicās illam conditionem legis ab Iſidoro tetatam, quòd ſit poſſibilis, dicit accipi pro eo, quod non eſt valdè difficile, non ſolùm pro eo, quod non eſt ſimpliciter impoſſibile: idem affirmat Iacob. Granad. de legib. contro. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 8. poſſibilis, ideſt quæ à ſubditis impleri poſſit, quod non eſt intelligendum de potentia phyſica, ſed de morali, vt nimirum non ſit multùm difficilis, & quæ, attenta humana fragilitate, alijſque circunſtantijs, credatur ſeruari non poſſe: videatur Salas de legib. quæſt. 90. tract. 14. diſp. 1. ſect. 9. n. 56. Dupliciter etiam accipitur neceſſitas. Prim. abſolutè, & metaphyſicè, vt cibus eſt neceſſarius ad viuendum. Secund. moraliter, ideſt accommoda, & opportuna ad conſequendum finem intentum, vt eſt equus ad ambulandum. Ita Rodriq. vbi ſupr.

2. Not. ſec. quòd, quandò Superior præcipit aliquid impoſſibile logicè, ſeù metaphyſicè, ſubditus non tenetur obedire, quocunq; modo ſit impoſſibilitas, vel ex parte rei, vel ex parte perſonę, quia impoſſibiliū nō datur obligatio, leg. impoſſibilium. ff. de reg. iuris: ſic etiam impoſſibilitas moralis excuſat ſubditum ab obligatione præcepti. Ita Rodriq. vbi ſupr. referens authoritatem Caietani iuxta explicationem Soti, & aliorum DD. in explicatione conditionis legis, de qua ſupr. quarè idemmet Rodriq. loc. cit. probans hanc veritatem inquit: Licèt lex generalis impoſita ad mortale obliget; non ideò eius obligatio extenditur ad omnes caſus particulares, quia ita poſſunt eſſe talibus circunſtantijs muniti, vt eorum vis ad lethale adſtringere nequeat; maximè quia Legiſlator omnes caſus particulares præuidere nequit, quòd ſi eſſent præuiſi, quòd moraliter videtur eſſe impoſſibile, non eandem regulam ſtatuiſſet; vndè per epijcheiam ad mentem Legiſlatoris benigni, vt rigor legis benignitate miſericordiæ leniatur, eſt quotidie recurrendum: hinc S. Thom. 2. 2. q. 120. art. 1. ait. *In aliquibus caſibus tenorē legis ſeruare eſt contra æqualitatem iuſtitiæ, & contra commune bonum, quod lex intendit*: nec non & Silu. tit. ſcrupulus. aliam benignam rationem adducit, quia nec Deus, nec Eccleſia intendunt obligare ad vix poſſibile, quod moraliter, & ciuiliter habetur per impoſſibile, vt dictum eſt ſupr. quòd ſi aliquis vellet in contrarium aſſerere, iniuriam

affert Chriſti doctrinæ dicentis. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*: nec non & Dei bonitati, quia non eſſet Deus homine benignior, ſed durior, quod nefas eſt dicere. Deniquè quod dicitur de impoſſibilitate morali, dicitur etiam de morali neceſſitate, ideſt quòd, ipſa interueniente, non infringitur præceptum ex mẽte Rodriq. vbi ſupr. Sanch. ſumm. lib. 1. c. 8. num. 16. Filliuc. de præcept. ieiunij tra. 27. p. 2. c. 6. alios referentis. videatur etiã Caſtrus Palaus p. 2. diſp. 2. p. 6. de horis canon.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Svbditus, qui bona fide præceptum ieiunij fregit, e. g. die Veneris, putans ſe habere cauſam illud frangendi, à lethali culpa alienus cenſendus eſt. Probatur prim. impoſſibilitas, vt dixi, excuſat: talis verò ſubditus putans ſe habere cauſã nõ obſeruandi legẽ ieiunij; vel propter debilitatẽ; vel propter laborẽ laborat morali impoſſibilitate: ergo reus mortis ęternæ infringendo ieiunij præceptum non eſt habendus Nec obſtat, quòd neceſſitas moralis debeat eſſe certa, & euidens, & nõ putata talis ex proprio iudicio, quia ad non labendum in peccatum ſufficit putata, vt rectè docent Palud. 4. diſt. 15. q. 4. ar. 1. S. Antonin. 2. part. tit. 6. c. 2. Silu. tit. ieiuniũ q. 21. Gabriel. 4. diſt. 16. q. 13. Armill. tit. ieiun. n. 3. & 6. Caietan. 2. 2. q 147. ar. 3. & in ſumm. tit. ieiunium. & tit. præcept. Nauarr. cap. 21. n 20. Cordub. in reg. S. Franc. c. 10. q. 3. p. 1. Filliuc. vbi ſupr. verùm huiuſmodi doctrina limitatur à Cordub & à Rodriq. vbi ſup. qui loquẽdo de Religioſis aſſerũt tantùm fauere animabus illorũ, qui ſunt ſoliciti de propria ſalute; nõ verò illorũ nõ ita reformatè viuentium: ſi loquantur de Religioſo ad inſtar peccatoris ſæcularis, qui ſemper, aut ferè ſemper malè viuit, verum dicunt, quia huiuſmodi homo habet iudicium adeò obſcurum, & deprauatum, vt cauſa ab eo putata excuſans, putanda ſit obſcura, & deprauata ad menſuram iudicij: ſi verò loquantur de illis Religioſis, qui aliquandò à miſeria, & fragilitate propriæ naturæ ſubduntur iugo lathalis culpæ, & non ita reformati inter alios reformatos viuunt, eorum limitatio non eſt admittenda, quia non ſunt ita alieni à propria ſalute, vt de illis non queat affirmari non fracturos ieiunium, niſi crederẽt iuſtè in tali caſu ſe excuſari à peccato. Secund. prob. concluſio: docet Caiet. tit. præcept. tranſgreſſio. obſeruationem, ſeù vim præcepti impoſiti dependere ab intentione præcipientis, quæ, ſi sciri poteſt, ſufficit; intentio autem legis in communi certa eſt, quod eſt facere homines virtute prędditos; vndè leges Eccleſiaſticę ex ſua primaria intentione non intendunt inijcere laqueos animabus, ſed ad ædificationem corporis Chriſti myſtici promouere: ſed, ſi moralis impoſſibilitas, ac neceſſitas non excuſarent homines à tranſgreſſione humanorũ præceptorum, & conſequenter ſubditus à transgreſſione præcepti ieiunij non liberaretur, mille, & mille laquei quotidiè vincirent miſeras animas pro quaſi certitudine æternæ damnationis contra benignam Eccleſiæ mentem: ergo. Nec obſtat, leges Eccleſiæ vniuerſalis benignè hoc beneficium conferre animabus; non ita leges alicuius particularis, vt ſunt leges omnium Religioſorum dependentes ab eorum Fundatoribus, qui ad ſtrictiùs eas conſeruandas, vt conſeruentur Religiones, ſemper intẽdunt à ſuis legibus benignam abijcere interpretationem, quia eſt error in principijs regiminis velle, vt Religiones conſeruentur, maximè in illis, quæ ſpectant ad conſcientiam per rigorem, & auſteritatem; nam ſequitur relaxatio tam ex parte nimij rigoris, quàm ex parte nimiæ benignitatis; & ideò Rodriq. vbi ſupr. intelligens mentem Fundatorum Religionum inquit: Religioſos à proprijs legibus non adſtringi, vt ſuperent benigna vincula legis diuinæ, naturalis, & humanę, ſed ſufficit, vt ad modũ ipſarum viuant. Ex qua doctrina ſequitur, quòd in omnibus caſibus, niſi lex particularis aliter explicet, in quibus lex diuina, humana, & naturalis excuſat homines à peccatò, in his omnibus etiam præcepta Regulæ Religioſos excuſabiles reddunt; quarè Cordub. vbi ſupr. excuſat fratres Minores à mortali tranſgredientes præcepta de non equitando, vel de non portandis calceamentis ex ratione putata ſufficienti; poſſunt

poſſunt tamen peccare venialiter ex non bene perpenſis rationibus, vt notant Ciet. & Filliuc. vbi ſupr. non verò quia auſi ſunt ſuum ſequentes iudicium legem tranſgredi, vt inſinuat Rodriq. vbi ſupr. quia benigna interpretatio legum habetur à conceſſione Legiſlatoris, qui ſicut liberat à mortali, intendit etiam eos à veniali eximere: quarè concludendum eſt leges ſingularium hominum iuxta interpretationem omnium aliarum legum eſſe explicandas; aliàs non haberent vim ligandi, quia eſſent iniuſtæ, & impoſſibiles. Tertiò ſuadetur: Silu. referens alios tit. ſcrupulus quæſt. 4. aſſerit. Quandò cæteris paribus habentur duæ opiniones, altera benignior, altera verò durior, ſemper inclinare debet interpretatio in mitiorem, & benigniorem partem. Ratio eſt verè aurea; quia præcepta Dei, & Eccleſiæ non imponuntur ad tollendam ſpiritualem dulcedinem, ſicut rigida, & ſcrupuloſa interpretatio præſtat: ſi verò iſte ſubditus non excuſaretur à peccato ob fractionem legis ieiunij innixus rationi benignitatis, dulcedo legis contra intentionem Legiſlatoris è medio tolleretur; ſcrupuloſa, & rigida ad oppreſſionem miſeræ naturæ humanæ admitteretur: ergo.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Hviuſmodi ſubditus, qui bona fide ex mala intelligentia doctrinæ infringere aliud præceptum ad mortale obligans auſus eſt, non debet iudicari lethali culpæ obnoxius; nec eſt à Prælato pœna plectendus. Prima pars ſuadetur ex Nauarr. lib. 5. conſil. de ſentent. excomm. conſil. 29. num. 24. referente Innoc. in cap. Per tuas, de ſimonia, quem cum alijs ad id opportunis refert. Felinus in cap. Fin. de te iudicata, tum quia in fractione non adeſt voluntas malitioſa radix malitiæ peccati, tum quia tranſgrediens præceptum bona fide putans ſe habere iuſtam cauſam, excuſatur à peccato, vt dicebam: ergo mala intelligentia bona fide concepta excuſare debet. Nec obſtat, quod debebat conſulere viros doctos, quia, ſi dubitaſſet de vera intelligentia, accedere debebat pro illuminatione ad eorum doctrinam; ſi verò certitudinem moralem de rei veritate habebat, minimè quidem. Secunda pars ſuadetur, tum quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet, cap. 2. de conſtit. tum quia ex reg. iuris in 6. reg. 23. habetur. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt quis puniendus*: tum quia iniquum videtur eſſe punire eum, qui probabili ratione munitus actum virtuoſum operatus eſt. Ita Ioann. Sanctius in ſelectis diſp. 44. num. 27. Thom. de Thomaſſet. Bartol. Perret. Ioſeph. Alderet. quos citatos ſequitur Barboſ. in collect. DD. ead. reg. iuris.

## DVBIVM LXX.

*An, quando quis habet conſuetudinem tranſgrediendi regulas, ſeù conſtitutiones, quæ non obligāt ad mortale, cum propoſito etiam non ſeruandi eas, ſit culpæ lethalis Reus.*

SVMMARIVM.

1. *DD. rationes confutantur, quæ probare contendunt Religioſum habentem conſuetudinē tranſgrediendi regulas, ſeù conſtitutiones eſſe in æternæ damnationis ſtatu.*

*CONCLVSIO.*

1. NVlla ratio DD. aſſerentium huiuſmodi Religioſū eſſe in ſtatu peccati mortalis ad hoc affirmandum nos cogit, eſto multi ex illis in affirmatiuam ſententiam peracriter inclinent; ſed opus eſt eis parere, quia, quandò loquuntur de ſubditis, rigidè loquuntur, aliqua prætermittendo, quæ eſſent examinanda. Prima ratio videtur eſſe Sanch. ſumm. lib. 6. num. 15. cap. 6. Caſtr. Palai p. part. de peccat. eſſent. tract. 2. diſp. 2. p. 9. §. 4. ob ſcandalum aliorum, & ſpecialem ruinam Religionis dicunt ipſi: ergo quælibet conſtitutio ex hoc capite obligat ad mortale; & ideò infinitæ regulæ, ſeù conſtitutiones, quæ regulam eſſentialem, maximè in Religionibus reformatis conſpire ſolent, infinitæ erunt obligationes, & quis ſub tanto onere non corruet?

corruet? quis ſaluabitur? probatur conſequentia: maius, & minus detrimentum graue, & mortifere peccaminoſum inter ſe nõ differunt, niſi ſecundum magis, & minùs: ſed ſi conſuetudo tranſgrediendi regulas, ſeù conſtitutiones conſtitueret Religioſum in ſtatu æternæ damnationis, vnius etiam regulæ, & conſtitutionis, quia, vt vult, prout infra, conſenſus omnium DD. Superior negligens, & permittens, vt in deſuetudinem abeat vna tantùm regula alicuius momenti ob damnum graue, quod toti Religioni infert, culpa graui damnandus eſt: & cum maius, & minus damnum non differant inter ſe, niſi ſecundum magis, & minùs: ergo quælibet conſuetudo infringendi regulam vnam, tanquam grauiter damnoſam conſtituit Religioſum in ſtatu damnationis, & ita concedit Sanchez vbi ſupr. num. 19. & tenetur concedere Caſtrus Palaus. O miſeri Religioſi conſtituti per ferè infinitas conſtitutiones, quæ eſſentialem regulam circunſepire ſolent, ſub tot oneribus, & quid erit? non niſi vt ab ipſis opprimantur. Nec obſtat dicere, vt dicunt aliqui, magnum damnum haberi ex omnium tranſgreſſione, non verò ex conſuetudine tranſgreſſionis huius, quia, vt dicebam, neglectio vnius regulæ eſt mortiferè peccaminoſa: & dato, & non conceſſo, quod non eſſet talis, grauiſſima iactura inſtaret Religioni, quia ſinguli poſſent habere in deſuetudinem vnam, & diuerſam regulam, quæ ſimul cumulatæ magnum ſcandalum parerent, ac magnam iacturam inferrent Religioni, & ita cogeretur Superior ad illas reprimendas, nec non & ſubditi ad illas temperandas. Fateor, me non intelligere in Religione reformata tantam ruinam orituram ex modo viuendi vnius, quia relaxatio erit tantùm venialis, & fortè ſine culpa, vt dicam inferiùs; & ſi aliqui ad eius imitationem parum iuſta veſtigia ſequerentur, quod difficile, imò impoſſibile erit, & propter vigilantiam Paſtorum, & propter zelum aliorum non permittentium talem viuendi modum, non erit niſi relaxatio venialis, & paucorum, & remota ab inferenda graui iactura Religioni; quarè damnum congregationis ſemper cenſendum erit parui momenti. Probatur ſecundò: ergo conſuetudo committendi venialia peccata in quacumque materia erit peccatum mortale: probatur, quia non videtur maior ratio, quarè frequentes tranſgreſſiones regularum, ſeù conſtitutionum affe-ant ſcandalum, & Religioni inferant ruinam, quàm frequens repetitio peccatorum vnialium? imò magis iſta, quia ex natura ſua ſunt mala, & illorum carentia maiorem affert Religioni decorem, quàm illæ, quia intrinſecè non ſunt malæ, imò ex intentione Religionis ordinariè ad nullam culpam obligant, & ita qui habent conſuetudinem iocoſè mentiendi, otioſè loquendi, vanis rebus aures præſtandi, & infinita alia, erunt peccata mortalia, & quis ſaluus fiet? & quis ſæpè, ac ſæpius non periclitabitur? & quis poterit Religioſorum habitum aſſumere abſque lethali culpa ob proximum periculum ruendi in peccatum? & quis audebit alicui ingreſſum perſuadere? profectò Religio potiùs erit peccatorum congregatio, quam iuſtorum collectio, cum in die ſepties cadat iuſtus. Probatur tertiò: ergo totus Mundus eſſet in ſtatu æternæ damnationis: probatur: homines degentes in ſæculo mille conſuetudines habent labendi in peccata venialia, & ſi quis quærat, vndè nam iſtud malum? non aliundè, niſi ex malo exemplo eorum inter ſe, & ipſi tenentur, licèt non ita ſtrictè ad conſeruandum candorem chriſtianæ Religionis, ſicut Religioſi ad conſeruandam ſanctitatem ſuarum Religionum. Quamobrem Iacobus Granad. de peccatis controu. 6. tract. 2. diſp. 2. ſect. 7. tangens difficultatem tituli, & tangens doctrinam Sanchez, argumentum ipſius Doctoris non proponit, quaſi dicere velit, ratio Sanchez nihil aliud concludit niſi mille, & infinitos laqueos pro Religioſorum animabus, quos fragilitas humana pati non poteſt, quæ periculum quotidiè labendi in lethalem culpam reſpuit, quos benignitas Eccleſię à filijs ſuis, quantùm fieri poteſt, alienat iuxta ſententiam Caiet. tit. præcept. tranſgreſſio dicentis: Intentio legis in communi certa eſt, quoniam eſt facere homines virtuoſos, & legis Eccleſiaſticæ intentio eſt non inijcere laqueos animabus, ſed ad ædificationem corporis Chriſti myſtici promouere; & hinc fit, vt non tam lata multitudo præceptorum obligantium

tium ad mortale in iure interpretanda ſit, ne laqueus multiplicatus contra animas cēſeatur: & Silu. tit. ſcrupulus quæſt. 4. ait: Deum, nec Eccleſiam intendere obligare ad vix poſſibile alicui, vt putà nimiam habens difficultatem; alioquin non eſſet verum illud Matth. 11. *Onus meum leue*; nec Deus eſſet homine benignior, ſed durior, quod eſt nefas dictum: Et Baſſæus Capucc. in ſumm. tit. epijcheia num. 4. inquit: Neque Deum, neque Eccleſiam intendere ſuis præceptis nos obligare ad vix poſſibile, & nimis difficile in ſe. Ratio eſt, quia piè credendum eſt, neq; Deum in lege gratiæ velle, neque Eccleſiam imponere nobis iugum vix poſſibile, & difficillimum ſaltem ſub pœna peccati mortalis; neque enim Deus, vt homo quærit occaſionem ad calumniandum, cum Sapient. 1. legatur. *Sentite de Deo in bonitate*. & S. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 2. quem ſequuntur DD. inquit: Ille, qui profitetur aliquam regulam, non vouet obſeruare omnia, quæ ſunt in regula, ſed vouet regularem vitam, quæ eſſentialiter in votis eſſentialibus conſiſtit obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis. Ratio eſt aurea, & ad rem noſtram notata in quolib. 1. art. 20. quia, ſi omnia voueret ſub peccato, quæ ſunt in regula, ſtatus Religionis eſſet Religioſis in laqueum peccati mortalis, qui vix, aut nunquam declinari poſſet: huic rationi adhærent Rodriq. tom. 3. quæſt. 50. art. 1. & Suar. 4. de Relig. lib. 1. c. 4. nu. 10. 12. tract. 8. Ex iſtis ergo confutationibus, adhibita illa vltima in fine dub. 74., apparet rationes prædictorum DD. eſſe parui momēti, & niſi ad illaqueandas animas pro æterno ſupplicio. Nec obſtat, ex confutatione doctrinæ DD. ſequi non paruam relaxationem in Religionibus, quia relaxatio eſſentialis magis oritur ex rigida eorum doctrina, quàm ex alio, quoniam, cum in Religionibus maior pars hominum imperfectorum moretur, vt experientia docet, & inſinuāt DD. eſſet eis injcere laqueos, & dare manus eorum ruinæ in eſſentiale damnum, & relexationem congregationis. Secunda ratio eſt Vaſquez 1. 2. quæſt. 96. diſp. 158. cap. 6. num. 60. qui dicit: Licèt veriſſimum ſit apud omnes DD. peccatum veniale per quamcunque multiplicationē non fieri mortale, quia eius grauitas non intenſiuè, ſed tantùm extenſiuè augetur, vt videre eſt apud Suarez. lib. 3. de legibus cap. 28. num. 9. & apud Azorium part. 1. lib. 4. cap. 9. quęſt. 11. nihilominus admittendum illam frequētem legis tranſgreſſionem eſſe mortalem, quia læditur notabiliter finis Legiſlatoris, & quantùm in ſe eſt, eum impedit: eius doctrina, præterquàmquod poteſt confutari eiſdem ferè argumentis cōtra doctrinam Sanch. allatis; ſpecialiter tamen, & magis immediatè his rationibus confutatur. Prim. ſequeretur magna conturbatio in Religioſis, quia opus eſſet quærere, quot actus, & quanta temporis diſtantia requiratur ad hoc, vt finis dicatur neglectus; ita vt tranſgreſſores incidant in lethalem culpā. Secūd. quandò finis Legiſlatoris non magis læditur actibus repetitis, ac ſi repetiti non eſſent, frequens tranſgreſſio legis nequit imputari ad mortale: quælibet autem quaſi continuata tranſgreſſio legis per venialem culpam offendit finem, ac ſi non eſſet repetita, quia illi actus, vt ſupponitur, non vniuntur in ſe, neque in obiecto: ergo non videtur ſufficiens ratio ad probandum, quòd illa repetitio conſtituere poſſit peccatum mortale: ratio verè efficax, & eſt Caſtr. Pal. vbi ſupr. num. 3. Tertia ratio eſt D. Antonin. 3. part. tit. 15. c. 1. § 9 Silu tit. Relig. 1. quæſt. 12. Val. 2. 2. diſp. 10. quæſt. 4. p. 5. col. penultim. verſ. atque ita eſt, aſſerentium ratione contemptus ſaltem interpretarium tranſgreſſionem cōſuetudinariam regularum, ſeù conſtitutionum eſſe peccatum mortale: quorum doctrina infirmatur ſequentibus rationibus, eo præſuppoſito, quod DD. de contemptu dicunt apud Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 5. num. 8. &c. quos ipſe ſequitur: duo requiruntur ad verum, & formalem contemptum, tranſgreſſio præcepti, & cauſa eius, ideſt nolle regulæ, ſeù Superiori præcipienti ſubijci, & proindè quādò violatur aliquod præceptū, quia præceptū, nō adeſt contēptus, ſed quandò violatur, quia non vult quis regulæ, ſeù Superiori ſubijci; & ita in quolibet actu violationis dari poteſt contemptus; vndè ſic firmo rationem: ille tepidus, defetuoſus procedendi modus Religioſi non continet in ſe contemptum; nam frequentia, vt eſt frequen-

tia

tia, non affert legi contemptum, quia vnico actu poteſt compleri, nec ille tepidus Religioſus ita frequenter labitur in tot tráſgreſſiones legum, quia eius voluntas nolit regulis ſubijci; ſed quia non habet tantam perfectionem ad ferenda tot onera legum: ergo ratio contemptus non eſt efficax ad probandam prætenſam veritatem rei: hæc ratio adducitur à Sanchez vbi ſupr. num. 18. Addo frequentiam violationis legum terũ minimarum etiam ſub ratione, quod nolit ſubijci, &c. non eſſe mortale: cum ergo tranſgreſſiones in caſu ſint de culpa veniali, quæ leuiter lædunt: ergo: hæc doctrina eſt Iacob. Granad. 1. 2. de peccatis controuerſ. 6. tract. 2. ſect. 7. referentis Caieran. & Sot. inquit ergo: duplicem eſſe contemptum, vnum ſimpliciter, alterum ſecundum quid: tunc ſimpliciter peccatur ex contemptu, quandò quis vult peccare, vt nullo modo ſubijciatur diuinæ legi, & hoc eſt ſemper culpa mortalis: tunc verò ſecundum quid, quandò quis vult leuiter peccare, quia non vult ſubijci legi in ijs, quæ non obligant grauiter, & hoc eſt culpa venialis. Quarta ratio eſt ratione proximi periculi ruendi in labem mortalem, quæ ſequenti dubio confutabitur.

Aduertendum tamen eſt, quòd non intendo affirmare, ſcandalum non eſſe mortale, ſimiliter & contemptum, exiſtente ratione ſufficienti, ſed demonſtrare intendo rationes, per quas DD. relati ſuam probant ſententiam, non eſſe ſufficientes; ac proindè nil aliud præſtant ſub zelo, quam illaqueare animas tot vinculis, quot ſunt conſtitutiones, & quid erit? non niſi vt à vinculis trahantur in infernum.

Videatur Franc. Bardus de conſcient. diſcept. 7. cap. 6. §. 6. qui, me citato ſub nomine Io Franc. Giragi, multa dicit circa hanc materiam.

## DVBIVM LXXI.

### *An voluntas committendi omnia peccata venialia ſit culpa mortalis.*

SVMMARIVM.

1. *Tres opiniones circa titulum propoſitum.*

2. *Peccatum veniale ratione periculi proximi labendi in peccatum tranſit in mortale: & explicatur in quonam conſiſtat periculum.*

3. *Voluntas committendi omnia venialia in quocunque homine non eſt damnanda tanquam lethaliter mala: & multa diluuntur obiectiones.*

4. *Eadem voluntas in luxuria materia lethalis culpæ rea eſt damnanda: & eidem obiectioni ſatisfit.*

1. Not. prim. hanc quæſtionem non ſolùm amplecti ſæcularem, ſed etiam Religioſum, mouetur tamen ſub hac forma, quia cenſetur neceſſaria ad rei veritatis explicationem. Tres opiniones inuenio. Prim. Caſtri Palai vbi ſupr. aſſerentis non eſſe peccatum in homine ſæculari propoſitum committendi quodcunque veniale, quod ſibi vtile ſe obtulerit; verùm tamen eſt, quòd ratione, ſub qua ſaluat ſæcularẽ, ſaluat & Religioſum, eſto hunc damnet ſub alio capite ſuperiùs relato. Secund. eſt Sanchez ſumm. lib. 1. cap. 5. num. 4. quem ſequitur Bonacin. de peccatis diſp. 2. quæſt. 3. punct. 5. num. 17. affirmantis de quocunque ſeù ſæculari, ſeù Religioſo propoſitum committendi omnia venialia ad mortale adſcribi; imò etiam in materia periculoſa, ſcilicet luxuriæ, (ſi in hoc datur paruitas materiæ) vt propoſitum admittendi confabulationes, aſpectus tactus, quoties venialia ſunt. Tert. eſt Iacob. Granad. de peccatis controu. 6. tract. 2. diſp. 2. ſect. 7. aſſerentis non eſſe peccatum mortale in homine tam ſæculari, quàm Religioſo decretum committendi omnia venialia, quæ ſibi offeruntur referentis pro ſe. Silu. tit. peccatum, quæſt. 4. Caietan. 2. 2. qu. 182. artic.

artic. 2.& Salas t. 2.tom. 2. tractat. 3.diſp. 16. ſect. 26.

2. Not.ſecund. quòd veniale peccatum, ſeù res indifferentes trāſire poſſunt in mortale ratione periculi moralis, & proximi labendi in mortale,vt cōmuniter tradūt DD. quia ſicut teneris vitare peccatū lethale, teneris etiam & proximum periculum nō admittere, quia ſi admittis, conuinceris ſanè amare peccatū illud,cuius periculum amas. Ita Suar.to.5.in 3.par.diſp. 18.ſect.3. nu. 16. verùm tamen eſt,quòd DD.diſtingūt; aliud eſſe periculum proximū;aliud remotū; proximum videtur eſſe ſecundum ſententiam Sanch.ſumm.lib. 1.cap.8. n. 1. quem ſequitur Baſſæus in ſumm.tit.peccatum 1. quādò contingit occaſionem ex genere ſuo eſſe talem,vt frequenter homines ſimilis conditionis ad mortale inducantur, vel experimēto conſtet in hoc homine talem effectum habere Caſtrus Palaus part. prim. de peccat. eſſent. tract.2.diſp.2.p.9. §.3. ita loquitur: Periculum proximum, & morale peccandi eſt, quod frequenter ad peccatum inducit, vel, attenta hominis fragilitate, in peccatū eum inflectit; remotū verò ſi ſemel,aut iterum homo peccauit,pluries verò reſtitit.Ita colligitur etiam ex Ioann.Sanc. diſput. 20. in ſelectis nu. 17. ex Ant.Fernand. in inſtit. Confeſſar. document.6.nu. 1.fol.29. verùm Iacob.Granad.vbi ſupr.vtrumque periculū ſic explicat: Periculum proximum eſt illud, quod ita parùm diſtat à culpa mortali, vt ipſum periculum mortale dicatur, & ſit grauis iniuria Deo illata, ac proindè culpa mortalis; periculum verò remotum eſt illud,ratione cuius, licèt interdum homo labatur in culpam mortalem,non tamen parùm diſtat ab illa, vt tale periculum, inquantùm tale eſt, ſit grauis iniuria Dei,quod ſanè arbitrio prudentum iuxta varias circunſtantias perpendendum eſt.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. VOluntas,ſeù decretum committendi omnia peccata venialia in quocunque homine, ſiue ſæculari, ſiue Religioſo non eſt ita peccaminoſum,vt præcisè peccato mortali damnetur. Ita habetur ex Caietan.& Iacob.Granad.vbi ſup.Suadetur primò: vbi ſeruatur dilectio Dei ſuper omnia, ibi nequit eſſe lethalis culpa: ſed in intentione committendi omnia venialia, & à cęteris grauibus peccatis ſe ſe uandi, ſiſtitur intra limites dilectionis Dei ſuper omnia; nam eius amicitia per peccatum mortale diſſoluitur: ergo huiuſmodi decretum tam in Religioſo, quàm in laico non eſt damnādum tanquam mortaliter peccaminoſum. Secund. malitia humani actus voluntatis deſumitur ab obiecto propoſito à ratione,nam bonitas, aut malitia actus interni non elicitur niſi ab obiecto, prout à ratione propoſito, vt dicitur in materia de actibus humanis: obiectum verò illius voluntatis ſunt omnia peccata venialia, quæ ex ſe, & præcisè excludunt lethalem culpam: ergo ex eo, quòd homo habet decretum committendi omnia venialia,non habet malitiam mortaliter peccaminoſam, quia eius obiectum tantam non inuoluit malitiam. Tert. ſequeretur noſtram ſalutem non ſolùm eſſe petendam ab obſeruantia diuinorum pręceptorum ad mortale obligantium, ſed etiam ab obſeruantia obligantium ad veniale,quatenus eſſet neceſſaria ad non infringenda præcepta ſub mortali imperata; benignitas autem diuina noluit tantum onus fragilitati humanæ imponere; maximè quia, licèt venialia animum labefactent, iiſque charitas tepeſcat, hominemque in interitum adducant, attamen firmum propoſitum non committendi mortalem culpam, exercitium operum, pietatis, & Religionis detinēt animū,ne corruat;& ita quod ex vna parte deperditur,ex altera reparatur. Quartò,experiētia duce,habetur,quòd multis,ac infinitis hominibus in ſęculo degentibus non offertur peccatum veniale, quod ab ijs non committatur; nihilominus rarò in mortale labuntur: ergo ſignum eſt tale decretum præciſè, & formaliter non eſſe occaſionem labendi in mortale: verùm tamen eſt, vt benè notat Caſtr. Palaus vbi ſupr. fatendum eſſe habentem longo tempore tale, vt ita dicam, venenoſum propoſitum quæcunque venialia committendi, fore tandem à Deo deſpiciendum, necnon & negligendum, & ſic miſerrimè lapſurum in mortale, maximè Religioſum, cuius vita

non debet eſſe alia, niſi continua pugna aduerſus has imperfectiones, vt verè dicatur diſtingui à laico non per habitum aſſumptum, ſed per intentionem acquirendæ perfectionis.

Dices, manifeſtum periculum ruendi in mortale eſt huiuſmodi propoſitum, eò quòd dicunt omnes SS. ex illo Eccleſiaſt. 19. *Qui modica ſpernit, paulatim decidet*: peccata venialia diſponere hominem ad mortale; vndè D. Gregor. 3. part. paſtor. admonit. 34. *Qui minima*, inquit, *peccata flere, & deuitare negligit, à ſtatu iuſtitiæ non quidem repentè, ſed paulatim totus cadit*: quarè illo decreto nil eſt, quod magis diſponat ad mortale, & conſequenter videtur eſſe illud periculū proximum, de quo in Eccleſiaſt. c. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*: vndè Sotus 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 1. non longè à fine, §. hic animaduertendum eſt, ait: Fortè eſſe mortale contemnere omnia venialia ratione imminentis periculi. Reſpond. duplex eſſe periculum; aliud remotum; & aliud proximum; falſum eſt enim propoſitum committendi omnia peccata venialia eſſe illud proximum Spir. Sanct. ſed tantùm remotum; & ita SS. Patres de iſto loquuntur, & ſic Granad. Caſtrus Pal. Salaſ. 1. 2. tom. 2. tract. 3. diſp. 16. ſect. 24. ad obiectionem reſpondent.

Dices, huiuſmodi decretum continet in ſe contemptum interpretatiuum: ergo mortaliter peccaminoſum. Reſponſio eſt deducenda ex præcedenti quæſito.

Dices, Religioſus tenetur in via perfectionis progredi, cui aduerſatur propoſitum illud; vndè S. Thom. 2. 2. quæſt. 184. ar. 5. ait: Tunc à Religioſo peccatum ſimulationis, vel mendacij committitur, quandò ab intentione perfectionis animum reuocat; & quæſt. 186. inquit: Ille, qui ſtatum Religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hanc tendere, & operam dare, vt habeat perfectam charitatē. Reſpond. Religioſos habere obligationē tendēdi ad perfectionē, nec vnquam animū ab illa reuocandi, & teneri quidē in via perfectionis progredi; non ita tamen vt omnia ſub mortali teneantur obſeruare, ſed ſolùm vota, & alia præcepta, ſi ſunt in regula ad mortale obligātia; reliqua verò minimè, niſi quandò imminet aliquod periculum proximum ruendi in lethalem culpam, quod quidem impoſſibile eſt inueniri in violatione regularum, & conſtitutionū, prout præciſè, attentis omnibus circunſtantijs, non obligant ſub mortali; nec S. Th. vnquam dixit, vt rectè notat Caietan. ibidē: obligari ſub mortali ad omnia, ſed quæſt. 186. loquitur generaliter: doctrina partim elicita à Sanchez in ſumm. lib. 6. cap. 5. & tota à Iacob. Granad. vbi ſupr. imò habetur à Gerſone dialog. de perfection. cordis part. 2. Alphabet. 68. lit. H. qui etiam addit (poſtquam ſtatuit Religioſum, qui firmiter ſeruat præcepta, & nō conſilia, non eſſe in ſtatu peccati mortalis, quia nemo conſilijs ligatur) hęc verba: Quàuis raró fiat, vt homines ſtrenuè præcepta compleant, quin quodammodo ſuperogent, & miſceantur conſilijs: videatur Suar. 4. de Relig. lib. 1. cap. 4. num. 12. tract. 8. Aduertāt tamen Religioſi, quòd, licèt doctrina hominum tendentium ad perfectionē tradita ſit maximæ reſpirationis, & non nimis rigida; verùm tamen eſt, quòd, ſi reuocabunt animū ad non attingendum vitæ Religioſæ perfectionem, ſeù finem per illa media intentum, à lethali culpa non excuſabuntur. Ratio eſt, quia, eſto non teneantur attingere, tenentur ſaltem non habere animum in contrarium; nam fruſtra adhibetentur media cum intentione repugnante fini. Sanchez ſumm. lib. 1. cap. 4. num. 10. referens Cordubam in regul. S. Franciſc. c. 1. quæſt. 3. punct. 3. verſ. ſed vtrum ſimiliter, qui non ſatis explicat, quòd ſit mortale. Quamobrem concludendum eſt iuxta doctrinam Sanchez lib. 6. cap. 4. num. 18. ſi poſſibile eſſet id, quod moraliter impoſſibile eſt, inquit ipſe (& ego dico, quòd moraliter poſſibile, & de facto eſt) nullam ſequi ex frequenti regularum tranſgreſſione vnius, vel paucorum Religioſorum ruinam Religioni nullum proximum periculum peccandi, neque vllum contemptum, tale decretum non eſſe mortaliter peccaminoſum, quia non videtur, ex quo capite poſſit damnari: timeat tamen Religioſus tali tepiditate oppreſſus, ne deſpiciatur à Deo in pœnam ingrati animi, quia, eſto Deus fragilitati Religioſorum compatiatur, forſan non tantæ malitiæ.

S B.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Quamuis veritatem rei in præcedēti concluſione tradiderim cum Iacob. Granad. in hac verò parte recedo ab eius doctrina, & adhæreo ſententiæ Sanchez vbi ſupr. aſſerendo propoſitum committendi omnia venialia in materia pericu-loſa, vt potè Luxuriæ (ſi in hoc datur par-uitas materiæ) id eſt admittendi aſpectus, tactus, &c. intra limites peccati venialis, eſſe prorſus lethaliter peccaminoſum. Probatur. Granad. dicit, ideò propoſitum committendi omnia venialia non eſt periculum proximum lethaliter peccandi, quia obiectum eius à ratione propoſitum non eſt niſi intra limites peccati venialis, & malitia voluntatis deſumitur ab obiecto propoſito: in caſu verò propoſitum obiectum includit in ſe aliquid mortaliter peccaminoſum, nempè addit aliquid ſupra periculum remotum, proximum ſcilicet ob noſtram inclinationem, & propenſionem ad illam, & ob noſtram fragilitatem, vt experientia docet, quia, qui propriæ concupiſcentiæ nimis indulget in tali materia, maxima facilitate cadit, & id videtur eſſe illud periculum, quod mortale dicitur, & eſt grauis iniuria Deo: ergo propoſitum committendi omnia venialia in materia periculoſa adiectibi debet ad mortale. Confirmatur: conſuetudo iurandi inaduertenter verum, vel falſum, conſtituit laborantem tali morbo in ſtatu peccati mortalis, quia proximo, & morali periculo periuriorum ſe exponit, &, licèt aliquandò iuret verum, eſt per accidens, & præter iurantis intentionem, cum ille vſus æqualiter ſe habeat ad veritatem, & falſitatem affirmandam, ſeù negandam. Ita Arag. 2. 2. quæſt. 89. art. 3. dub. vltim. Petrus de Ledeſma tom. 2. ſumm. tract. 11. cap. 15. dub. 4. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 3. quæſt. 3. Sanch. ſumm. lib. 3. cap. 5. num. 13. ergo conſuetudo committendi peccata venialia, addita ſimul cum noſtra fragilitate, & propenſione ad illam materiam periculoſam, æquiualet vſui committendi periuria; ac proindè proximè ſe exponit periculo peccandi mortaliter: ergo.

Dices; vel periculum proximum ruendi in mortale oritur ex omnibus venialibus ſimul ſumptis; vel ex aliquibus; non ex omnibus, quia nunquam datur caſus, in quo omnia venialia committantur; non ex aliquibus, quia nequit aſſignari, quæ requirantur: ergo. Reſp. obiectionem multum fauere primæ concluſioni, non verò ſecundam proſternere, quia periculum proximū non deſumitur ex numero peccatorum venialium præcisè, ſed etiam ex ipſa materia periculoſa, quæ, attenta noſtra fragilitate, & propenſione ad illam, ſecum portat periculum proximum; qua è peccatum mortale cum illa parum honeſta, ac debili voluntate poteſt committi in primo veniali, vel in quarto, &c. per hanc quæſtionem patet reſponſio ad rationem Sanch. in fine præcedentis quæſiti.

## DVBIVM LXXII.

*Mos eſt apud nonnullas Religiones reformatas tenere ſyndicatum de Superiorum regimine, & ita Prouincialis ſemel, aut bis omnia cœnobia viſitat, & de defectibus non grauiter famam lædentibus in publicis Capitulis eos arguit: idem fit de Prouinciali, ſeù Generali perfunctis ſuo officio: quæritur, an Superiores, quibus hoc onus incumbit, id negligendo, & per cæremonias, ac laudes exequendo peccent mortaliter.*

### SVMMARIVM.

1. *Recitantur opiniones: an quis ſub veniali teneatur corrigere proximū conſtitutum in periculo peccandi venialiter; & defenditur negatiua.*

2. *Prælatus, qui negligit corrigere ſubditos ob malas conſuetudines Religioni contrarias, & diſſimulando permittit ordinationes abire in deſuetudinem lethaliter peccat; præſcribuntur etiam ordinationes: & habetur quædam limitatio.*

3. *Dicitur relaxata Religio non ſolùm in*

*tribus votis, ſed etiam quandò cadit à ſuo feruore, & fine ſibi proprio.*

*4. Lethali culpa damnantur Superiores, qui inter ſe ſe negligunt tenere ſyndicatum de proprijs defectibus; ſicut etiam ſi non conentur eum Religioni reſtituere?*

1. Not. prim. extare duas opiniones inter DD. an ſub veniali teneatur quis ad corrigendum fratrem conſtitutum in periculo repetendi peccatum veniale. Prima eſt affirmatiua admiſſa à Caiet.ſumm.tit.correct. Valent. 2.2.q. 10. punct.2. circa finem.Villalob.to.2.ſumm.tr.4.difficult. 2.n.5. Lorca diſp 41.nu.9.Layman lib.2.tr.3.c.7. Caſtro Palao part.1.de charitat.diſp.3. punct.3. tr. 6.Ratio videtur eſſe, quia tenemur ſub præcepto liberare hominem à miſeria temporali: ergo tantò magis, ſi abſque incommodo præcauere poſſumus, tenebimur eum liberare à miſeria ſpirituali, quale eſt peccatum veniale: addunt tamen Coninch. inferiùs, & Caſtrus Palaus vbi ſupr., quòd duæ conditiones requiruntur, nempè ſi ſperetur fructus ex tali correctione, & ſi abſque incommoda illa præſtari poſſit; quæ conditiones rarò ſuccedunt. Secunda eſt negatiua, & eſt communis, quam ſequitur Palud. 4. diſt. 19.q.3.n.4. Alenſ. lib. 2. ſumm. tra. 9. Turrian.de fide, ſpe, & charit. diſp. 86. n.2. Bann.2.2.q.33.ar.2.dub.2.Torres q.33. diſp.86.dub.2.§.deindè Reginald. lib.4.ca. 25. n.333. Bonac.de charit.diſp.3.q.4.part. 7. n.3.Gabriel lect.74.in canone. Silu.titul. correct q.1.Baſſæus Capucc.ſumm. tit.correct.Iacob.Granad.2.2.de fide, ſpe, & charit. controu.3.tr.12.diſp 2 nu. 8. tum quia ex Euangel.habetur. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. 18. ergo ille per peccatum mortale perierat, tum quia, cum venialia ſint penè innumera, maximũ onus eſſet nobis impoſitum, ſi ſingula corrigere teneremur, quod videtur repugnare Chriſti ſuauitati, quæ non vult nos implicare ſexcentis aliorum cauſa moleſtijs, tum quia eſſet neceſſarium in ore ſemper correctionem ferre, & turbaretur amicitia, & pax, tum quia non habetur præceptum, ſicut de mortali peccato, tum quia minùs teneor ego proſpicere proximo, quàm ipſe ſibi. Ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur hominem teneri ad liberandũ proximum à temporali miſeria,& nõ à ſpirituali,quia impoſſibile eſt, vitã trãſigere ſine culpa veniali;nã,vno emẽdato,in aliud labimur. Quæ ſentẽtia etiã debet fouere Prælatos regulares erga peccata venialia ſubditorum, vt colligitur ex Suar. de charit. diſp. 8. ſect. 2.num. 6.& docet Rodriq.de ordin. iudic. c. 9. n. 7. tum quia turbaretur pax inter Superiores, & ſubditos tantùm neceſſaria pro illis, qui viuunt in congregatione ſub obedientiæ iugo, tum quia Superiores redderentur nimis exoſi, & nimis dura eſſet diſciplina regularis; quarè Emin. Card.Lugo de iuſt. diſp. 9. ſect. 2. tom. 1. ſentiens hanc difficultatem, poſtquam dixit aliquid ſpectans ad mortale, de quo inferiùs, affert hoc documentum: Prælatus regularis ita debet conſeruare reformationem ſpiritualem ſubditorum, vt diſciplina regularis per vnum extremum nõ reddatur odioſa, nec per aliud nimis relaxata; quarè laudat non omnia peccata venialia eſſe examinanda, inquirenda, & punienda, ſed negligenda iuxta Sotipatris dictum: parua quidem, & vulgata peccata diſſimulãda frequẽter ſunt; quæ verò ingraueſcunt, his cura ſecundum leges adhibeatur. Addit etiam, quòd in vtroque extremo periculum eſſe poteſt,laudat magis inclinandum eſſe in abijcendam negligentiam, & conniuentiam, tanquam rem minùs periculoſam ad non corrigendum ſubditum, quia certius, & grauius dãnum imminet Religioni ex hoc capite, eò quòd minùs reparabile ſit; vndè,relaxatione introducta, introducitur etiam moraliter impoſſibilitas ad eam expellendam, & eijciendam.

2. Not. ſecund. licèt præcedens doctrina ſubſiſtat, nihilominus verum eſt, quandò Prælatus negligit reprehendere ſubditos ob malas conſuetudines Religioni contrarias; & negligit, ac diſſimulando permittit regulam aliquam, ſeù ordinationem abire in deſuetudinem, & non attendit ad promouendos ſubditos ad perfectionem, quam ſtatus, & ordo aſſumptus poſtulat, peccare illum mortaliter, licèt ſubditi ex ſe ea tranſgrediendo non peccent niſi venialiter, & etiam nil peccẽt. Ita Emin. Lugo vbi ſupr. huiuſmodi eſſent, ſi permitteret, vt abiret in

in deſuetudinem ordinatio prohibens ingreſſum in aliena cubicula, obſeruantia ſilentij debitis temporibus, ingreſſus, & egreſſus è domo abſque Prælati benedictione, lectio ſpiritualis per totum ſpatium menſæ, dum religioſæ refectiones ſumuntur, hora conſueta matutini, chori frequentia, aſperitas in veſtibus, & fabricis, alijſque rebus ſecundum Ordinis ſtatum; ſi permitteret, vt etiã petitiones honorum, ac dignitatum fierent à ſubditis, quæ ambitionem foueant, & hæc ſimilia. Addit etiam Eminent. Lugo vbi ſupr. num. 24. Superiores negligentes, & permittentes, vt introducatur notabilis negligentia in rebus ſpiritualis, ſubditi nimiũ ſe addicent rebus temporalibus, & ſæcularibus, ambitio præualeat, vnuſquiſque quærat proprium bonum, & commune negligat, miniſteria ad proximi ſalutem ſecundum Religionis inſtitutum deſerat, & alia ſimilia, quæ Religionem inficiunt, lethaliter peccare: & ita hæc doctrina eſt communis omnium DD. præſertim Bann. Sot. Suar. Lore. Torres, Caſtr. Pal. Turrian. Layman, Baſſæi, Emin. Lug. vbi ſupr. Coninch. de charit. diſp. 28. dub. 3. num. 24. Caſpenſ. tom. 2. de charit tract. 7. diſp. 6. ſect. 1. num. 8. Ratio eſt, quia Superior nõ ſolùm obligatur ex præcepto correctionis fraternæ, ſed ratione ſui officij ad conſulendum bono ſpirituali, & profectui ſubditorum, & obſeruantiæ regulari, quæ per huiuſmodi defectus toleratos, ac permiſſos maximè in Religione labefactatur. Limita, niſi ex paruitate materiæ excuſentur; tunc erit paruitas materiæ, ſi hæc non ita frequenter, ſed aliquandò. Ita Lugo vbi ſupt. Adde etiam hanc obligationem extendi ſupra Religioſos particulares, ſcilicet quando Superior non corrigit aliqua peccata venialia Religioni nociua, vt ſunt impudica verba, aut conſuetudo iurandi, aut vſus chartis ludendi, aut ſimilia, quæ Religioſum maximè dedecent. Ita Bann. Suar. Turrian. Torr. Caſpenſ. Caſtrus Pal. Coninch. Lugo vbi ſupr. Subdit Caſtrus Palaus ex multis Syndicatores, Viſitatores, & alios vices Prælati gerentes teneri Prælatum de defectibus admonere; & ſi in hac parte nimium diſſimulent, & ex eorum diſſimulatione religioſa obſeruantia in communitate labefactari prudenter cognoſcatur, peccare grauiter.

3. Not. tert. quòd dupliciter relaxari poteſt Religio. Prim. quandò ita relaxatur, vt parum obdientiæ, paupertatis, nec non & caſtitatis in ea obſeruetur, quæ propriè non videtur eſſe relaxatio ſed eneruatio, & exinanitio, quia, deſtructis fundamentis, per quæ Religio in eſſe Religionis conſtituitur, neceſſariò deſtrui debet ſacrũ ædificium. Secund. quandò, vt benè dicit Emin. Lugo vbi ſupr. num. 24. cadit à ſuo feruore, & fine ſibi proprio, & fit, dum negligentia Paſtorum permittit, vt ea incõmoda ſuperiùs deſcripta, & ſimilia per Religionem ſerpant; quæ omnia ſub mortali tenetur Superior impedire, ſi moraliter poſſit; ſicut enim Gubernator tenetur concordiam, & pacem inter ciues procurare, quæ ſunt finis gubernationis politiæ; ita Prælatus regularis ea, quæ ad perfectionis ſtudium ſpectant, quæ ſunt finis congregationis religioſæ: verùm tamen eſt, quòd nõ tenetur promouere homines ad maiorem perfectionem e. g. ad ſtudium maioris orationis, ad maiores auſteritates, ſeù aſperitates, ſublimioreſque mortificationes, quæ non ſunt iuxta inſtitutum Ordinis, ſed ſolùm ad reſtituendum, & conſeruandum ſpiritum proprij Ordinis, vt commendat, & vult Trid. ſeſſ. 25. c. 1. 20. & 21. de Regularibus.

*CONCLVSIO.*

4. SVperiores, qui inter ſe ſe negligunt in viſitationibus, & publicis Capitulis ſyndicatum, ſeù culpas tenere de proprijs defectibus prout in titulo, & permittunt, vt in proprium commodum tam ſancta ordinatio in deſuetudinem abeat, lethali culpæ obnoxij omninò cenſendi ſunt; ſicut etiam ſi non conentur eas Religioni reſtituere. Duas habet partes concluſio, quarũ prima ſic ſuadetur: permittere, vt regula, ſeù conſtitutio magni ponderis ordinata ad profectum ſpiritualem Religioſorum, & ad decorem Religionis à ſubditis negligatur, eaque in deſuetudinem abeat, eſt peccatum mortale, vt patet ex doctrina omniũ DD. ſed negligere huiuſmodi conſtitutionem, ſeù

ſeù regulam publicarum culparum inter Superiores eſt tale, quia ſyndicatus fuit inſtitutus ad humiliationem Superiorum, ad patientiam exercendam, ad augmentum ſpiritus, ad erubeſcendum de defectibus commiſſis coram omnibus, ad exemplum præbendum ſubditis, vt patienter tolerent reprehenſiones ſuorum defectuum in publicis Capitulis, & viſitationibus, ad reprimendas gubernationes, ad Imperium temperandum; vndè dicit Rodriq. tom. 3. quæſt. 77. art. 1. pernecceſſarium eſſe Iudicum, & Prælatorum ſyndicatum, vt in officio propter metum poſſint contineri, & vt iuſtitia vnicuique tribuatur; ad luendas pœnas animæ debitas, ad ſatisfaciendū ſubditis, ſi in diſciplina regulari quempiam grauauerint, ad tollendam rationem Superiorum maiorum, quã reddere debẽt Deo de grauamine illato ſubditis à Prælatis inferioribus. Quamobrem Puteus in ſuo tractatu de ſyndicatu pag. 3. dicit: Syndicatus eſt experimentũ totius iuſtitiæ; quarè adinuentus fuit, quia Princeps tenetur rationem reddere pro ſubditorum iniuſtitia; & ideò officiales, qui ſe benè in officio habuerunt, laudis præmia conſequuntur, & publicè commendantur. l. iuſtiſſimos. C. de offic. Rect. Prou. & in Pſalm. 32. *Rectos decet collaudatio*: ſin autẽ malè, puniuntur; vndè officiales ſyndicatũ ægrè perferre non debent, quia eſt diuinum præceptum, vt quiſquis reddat rationem villicationis ſuæ, vt in Euang. habetur, & etiam dicitur 1. Regum: vbi Samuel ſic ad populum. *Loquimini ad me coram Domino, & coram Christo eius vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, & ſi de manu cuiuſquam munus accepi, &c. & dixit ad eos: teſtis eſt Dominus, quia non inueneritis quippiam in manu mea*: hæc Puteus: & ad multa alia bona ſpiritualia acquirenda in bonum totius communitatis, & decorem Religioſorum confert: quæ omnia, quis nõ videt, ſi diſſimulentur, & negligantur, magnum Religioni afferri detrimentum? ergo non niſi ad mortale talis Superiorum negligentia imputanda eſt. Secund. talem ordinationem inter Religiones reformatas excellere, vt Superiorum defectus ſint reprehenſi, nec permittere, ne timor inter eos præualeat ad eorũ defectus ſub coloratis rationibus à carne inuẽtis celandos, eſt illud magnum, quòd omnes admirãtur, quodq; Religionẽ ab alijs diſtinguit: eſt illud decus, & illud ornamentum, quod eam inter alias illuſtrat, quo prætermiſſo, ac neglecto, non poteſt niſi ad mortale imputari, vt à ſimili docet Lugo num. 22. quia primatus inter Religiones reformatas tolleretur in earum detrimentum, & magnum dedecus: ergo ſine culpa lethali tam magna, ac ſublimis ordinatio negligi nequit à Superioribus. Tert. permittere corruptelam in Religione; quæ morali certitudine inficere poteſt totum corpus, quis neget nõ inſurgere in magnum eius detrimentum, & conſequenter diſſimulantem, & ex iuſtitia ad illud impediendum obligatum, non eſſe reum mortis æternæ? at certè neglectio ſyndicatus eſt illa corruptela, quia, ſi defectus Generalis, terminato officio, non corrigũtur, nec reprehenduntur, defectus Prouincialis; pariter paulatim diſſimulantur, & Guardianorum, nec non & aliorum grauium Patrum, dicam etiam omnium ſubditorum, quia ob clamores eorum ob iuſtitiam inter omnes non ſeruatam opus eſt eis defectus ſub timida, & reprehenſa conſcientia diſſimulare, vt experientia docet; & quid erit Religio abſque correctione? niſi corruptelarum ſeminarium, & imperfectionum ſpinetum, nec non & ſchola vitiorum: ergo non impediendo huiuſmodi corruptelam totum corpus Religionis inficientem, nec etiam impeditur Superiorum animas non affici peccatorũ maculis. Quart. occurrere, ne ſubditi moneant Superiores maiores de defectibus commiſſis à Prælatis inferioribus vergit in maximum congregationis damnum: negligendo autem hanc tam ſingularem ordinationem magno conatu occurritur, vt Monachi ſub ſilentio prætereant, quod erat ad candorem Religionis propalandum, quia nemo tenetur ad actum fruſtratoriũ: ergo: vndè cõcluditur non eſſe negligendum ſyndicatum; maximè quia, vt benè dicit Budæus apud Rodriq. vbi ſupr. art. 1. licèt ante promotionem ad officia plurimi humiles, & benignos ſe habeant, in dignitate tamen conſtituti inflatos, & cum auſteritate imperantes ſe oſtendunt;

propter

propter Ariſt. lib. 6. Pol. cap. 4. ait. *Commodum eſt, vt animi magiſtratuum pendeant, compeſci enim, ac non licere facere quidquid quis velit, vtile eſt; nam licentia agendi, quod quiſque velit, cuſtodire non poteſt ingenitam vnicuique hominum prauitatem, &c.* & Iſidorus lib. 3. ſentent. cap. 54. nu. 55. ait. *Magnam in Rempublicam ruinam cauſare peſſimorum Iudicum tolerantiam, quorū, vt licentioſa maxilla conſtringantur, neceſſe fuit, vt cuidam freno, & chamo ſubderentur, rationem villicationis ſuæ Superiori Iudici integerrimo reddendo iuxta illud Luc. 16. Redde rationem villicationis tuæ.* Secunda pars ſuadetur, quæ non indiget vrgenti probatione, quia officium, & munus Superiorum poſtulat, non ſolùm, ne quod cedit in magnum Religionis detrimentum, introducatur ab ipſorum malitia, & negligentia, & ab aliorum relaxata voluntate, ipſis permittentibus; ſed etiam vt reſtauretur diſciplina regularis relaxata, & reſtituatur in integrum rotum corpus Religionis ab iſta, alijſque corruptelis infectum: ergo.

Sacri Prælati vice Dei grauiſſimum animarum ſalutis negotium gerentes, ſi vultis veſtram ſalutem quaſi certam negotiari, nec eam in magno diſcrimine ponere, dirigite veſtram intentionem, vt munere fungamini ad quærendum diuinum honorem, ad dirigendum gregem vobis commiſſum per viā ſalutis, ad non quærendum in terra aliquod lucrum; aliter efficientes, veſtram ſalutem in magno diſcrimine ſtatuetis, quia ſub coloratis rationibus, & per diſſimulationem, & propriam malitiam, & commodum mille incommoda per Religionis campum ſeminabitis. Audite quæſo verba Emin. Lug. vbi ſupr. num. 26. dicentis: Maius, & quaſi radicale periculum Prælati oriri ex defectu intentionis rectæ in ſuo regimine, quia nimirum officio vtitur potiſſimùm ad ſe ipſum, ſuaque commoda procuranda; ideò enim diſſimulat ſubditorum vitia, ne eos offendat, ſibique aduerſarios reddat; ideò promouet, & fouet minùs dignum, neglecto digniori; ideò permittit multa, quia dependet à multis ad propriam conſeruationem, ad commoda, ad honores, & ad quid ſimile; quarè ſi Prælatus recto, & ſincero corde deſiderat ſuo muneri ſatisfacere, nec in eo quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI, facilè vitabit pericula, quia optima regula eſt affectus charitatis, & zelus interior circa bonum ſubditorum, quòd ſi aliquandò ex imprudentia errauerit ad vnum, vel alterum extremum diſciplinæ regularis vitiosè declinando, non facilè imputabitur ei ad culpam mortalem, cum ſit homo, qui difficilè poteſt omnia perfectè examinare, & ponderare.

Audite etiam, quæſo, horrenda verba D. Bonau. de ſex alis Seraph. cap. 3. *Prælatus enim vicarius Dei, cui data eſt poteſtas à Domino ſuper familiam ſuam, & cui debent ſubditi ea de cauſa vice Domini obedire, ſi non corrigit delinquentes, ſi permittit ſub ſe vitia creſcere, & conſuetudines malas oriri; & iam exortas roborari, & dilatari, ſi videt regulares obſeruantias dilabi, & tranſgreſſiones multiplicari, & pro poſſe non obuiat tam præſentibus malis, quam imminentibus, triplicem Deo reddet rationem. Primò pro ſua negligentia, quandò non fecit, ad quod ex officio tenebatur. Secundò quòd omnia peccata ſubditorum, quæ poterat, ac debuerat correxiſſe, & præcauiſſe, imputantur ei. Tertiò pro abuſione honoris, & poteſtatis ſibi collatæ, quam ad propriam gloriam, & commodum retorſit, & non ad quod data eſt ei.*

Doctrina quæſiti videtur nimis rigida, ſed ſuauior inferiùs dub. 75.

## DVBIVM LXXIII.

*Ad quid teneantur ſupremus Superior, & ſubditi, quando bonum commune relaxatur ob diſsimulationem incommodorum ſuperiùs deſcriptorum.*

## SVMMARIVM.

1. *Neceſſitas ſubleuanda contingere poteſt proximo tam particulari, quàm vniuerſali, & ſe habet in triplici differentia, leuis ſcilicet, grauis, & extrema.*

2. *Quilibet tenetur cum periculo vitæ ſuccurrere proximo priuato in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto, dum adeſt ſpes eum ſubleuandi: ſecus ſi non laborat extrema neceſſitate:*

*ſitate: habetur quædam limitatio de proximo communi, ideſt de communitate, ſeu Republica.*

3. *Proximo conſtituto in graui neceſſitate ſpirituali, tenetur quis auxilium præſtare cum leui ſuo damno: ſecus ſi tantum patiatur leuem neceſſitatem.*

4. *Explicatur, quæ dicatur in Religionibus extremæ, & graues neceſſitates.*

5. *Tenetur Supremus Prælatus inquirere tam extremas, quàm graues neceſſitates Religionis, pro eis ſubleuandis, ſi adſint, & Prælatum inferiorem punire, qui ſua negligentia permiſit eas introduci: & duabus obiectionibus ſatiſfit.*

6. *Reformationi tenetur inſiſtere ſubditus.*

1. Not. prim. quòd nomen proximi cõuenire poteſt cuilibet ſingulari perſonæ, ſicut etiam cuilibet Reipublicæ, communitati, & Regno, quibus contingere poteſt neceſſitas ſubleuanda in triplici differentia, ſcilicet leuis, grauis, & extrema: leuis dicitur, quam homo leui conatu, & facili negotio abſq; alterius auxilio repellere poteſt: grauis à qua ſine alterius auxilio nõ niſi graui conatu, & difficultet ſe poteſt proximus liberare: extrema eſt in periculo extremo æternæ damnationis, à qua abſque auxilio alterius, vel à ſe ſolo ſurgere nequit, aut cum tanta difficultate, & tanto conatu, vt iudicio prudentis viri morali certitudine reputetur impoſſibile.

2. Not. ſec. dupliciter poſſe hominem inſpici obligatum ex charitate ad ſuccurrendum proximo in aliqua ex neceſſitatibus præſcriptis conſtituto, vel particulari, & priuato, vel publico, vt Principi, & Prælato: charitas ergo obligat ad ſuccurrendum, & ſubueniendum proximo particulari, & priuato ab extrema neceſſitate ſpirituali oppreſſo cum vitæ, & facultatum periculo, ſi ſit probabilis omninò ſpes eum iuuandi. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 26. art. 5. Caietan. Bann. Arag. ibid. Valent. diſp. 3. quæſt. 4. part. 4 aſſert. 3. Suarez de charit. diſp. 9. ſect. 2. num. 2. Bonac. de charitate diſp. 3. quæſt. 4 part. 4. num. 1. Iacob Granad. de charit. controu. 3: tract. 7. diſp. 4. Ratio eſt, quia præceptum dandi facultates, & vitam aliquandò obligat: ergo ſaltem in extrema neceſſitate; quarè, ſi infans in extremo vitæ conſtitutus indiget baptiſmo, & abſque periculo vitæ Sacramentum nequit conferri, nec eſt alius, qui conferat, conferre tenetis, quidquid dicat in contrarium Sotus de ſecreto membr. 2. quæſt. 2. poſt 6. concluſionem: videantur Suat. vbi ſupr. & Caſtrus Palaus part. prim. de charit. tract. 6. diſp. 1. punct. 9. num. 4. eum cõfutantes: ſi peccator dormiens quamptimùm ſit interficiendus, teneris cum periculo vitæ mortem impedire, ſi potes; modò adſit ſpes conuerſionis; alias minimè, & modo abſque periculo tuæ animæ id effici poſſit; nam ordo charitatis id poſtulat. Ita Suar. vbi ſupr. Coninch. de char. diſp. 25. dub. 7. num. 87. Caſtr. Palaus vbi ſupr. num. 4. ſi conſuetudina ius peccator mortti proximus petit abſolutionem ſacramentalem, cum periculo vitæ teneris eam præſtare. Bann. 2. 2. quæſt. 28. num. 3. Suar. vbi ſupr. num 3. Valent. vbi ſupr. quia reputanda eſt extrema neceſſitas, eò quòd difficillimum erit ei elicere actum contritionis. Limita, modò ſit ruſticus, aut prorſus ignorans ad iuſtificationem extra Sacramentum requiri contritionem, eò quod habeat impoſſibilitatem eliciendi contritionem, & huius actus obligatio difficillimè ei poteſt occurrere. Sic Coninch. vbi ſupr. nu. 90. cum Nauarr. cap. 24. num. 9. ſi verò peccator te inuadit, cuius occiſionem, ſeu periculoſum ictum declinare non potes, niſi eum occidas, potes eum interficere, quia illa non eſt extrema neceſſitas; nam abſtinere ſe poteſt ab illa mala voluntate, & percuſſione; ſed eſt extrema malitia. Coninch. vbi ſupr. num. 95. fin. Bonacin. vbi ſupr. num. 2.

3. Not. tert. quòd extra caſum extremæ neceſſitatis ſpiritualis non teneris cum periculo vitæ, aut cum notabili detrimento famæ, aut facultatum proximo priuato ſuccurrere. Ita S. Thom. ad 3. Nauarr. Coninch. Suar. Bonac. Iacob. Granad. vbi ſup. Eman. Sà tit. charitas num. 2. & 5. Ratio eſt, quia, licèt quædam bona ſpiritualia proximi maioris momenti ſint, quàm temporalia noſtra; nihilominus inclinatio charitatis in commodum proprij ſubiecti eſt multò maior, quàm inclinatio in bonum alienum,

quod

quod obligationem ſuccurrendi proximo in graui neceſſitate excludit, eò quòd poteſt ſe liberare ab illa neceſſitate, & vt obligemur ad contemnendam propriam vtilitatem, oportet multùm præponderare bonum alienum; extra autem extremam neceſſitatem non præponderat ſalus alterius vitæ propriæ, niſi quis ſit Prælatus; nam eius obligationes ſunt ex iuſtitia ſtrictè accipienda: quocirca non teneris adulterum ab adulterio cum vitæ periculo retrahere, quia non laborat extrema neceſſitate. Ita Malder. 2.2. quæſt. 26. art. 5. Valent. Nauarr. loc. citatis: neque obligaris ad Indos proficiſci, quia iſti neque laborant extrema neceſſitate, quia adſunt alij, qui eorum neceſſitati ſuccurrunt, neque es certus moraliter te eis poſſe auxilium præſtare. Limita, niſi ſit proximus communis, idest Reſpublica graui neceſſitate laborans, quia tunc cum periculo vitæ teneris ei dare auxilium, tum quia bonum communitatis ſpirituale præponderat bono priuato, tum quia in graui neceſſitate Reipublicæ multi priuati laborant extrema neceſſitate. Ita Coninch. vbi ſupr. num. 99. & 100. Bonac. vbi ſupr. num. 5. Caſtr. Pal. num. 10. ex quo ſequitur; ſi Concionator prauam doctrinam doceat, plureſque eſſe peruertendos putes, & ſpes impediendi obſtando habeatur; teneris cum periculo vitæ peſſimæ doctrinæ obſtare. Ita Suar. Coninch. vbi ſup. quia defenſionem fidei aſſumis; ſi peccata publica ex ſua natura totam communitatem inficiunt; teneris cum periculo vitæ, ſi es cōcionator, arguere, & reprehendere: verùm tamen eſt, quòd in neceſſitate leui non teneris communitati ſubuenire, cum tanto periculo; quia ius tuendi vitam & propria bona neceſſitati leui præponderat, & recta ratio dictat illam non eſſe defendendam cum tanto incommodo. Sic ſupponunt DD. relati, & expreſſè docent Bonac. num. 5. & Caſtr. Pa'aus vbi ſupr.

Not. quart. quod proximo exiſtenti in graui neceſſitate ſpirituali teneris præſtare auxilium cum leui tuo damno: ſecus ſi patiatur leuem neceſſitatē. Ita habetur ex Coninch. Suar. Sà, Valent. vbi ſupr. Ratio eſt, quia grauis neceſſitas ſpiritualis videtur eſſe ſuperioris ordinis, quę ōninò pręferri debet cuilibet damno, ac detrimento leui: ſi verò es in dignitate conſtitutus, vt Prælatus, ſeu Princeps, cui non ſolùm obligatio inſurgit ex charitate, ſed ex iuſtitia, teneris cum periculo vitæ graui neceſſitati ſpirituali cuiuslibet ſubditi ſuccurrere, ſi moraliter eris certus de vtilitate profutura. S. Thom. Valent. Suar. Coninch. Bonac. Caſtrus Palaus vbi ſupr. Ratio videtur eſſe, quia officium ita poſtulat; nam arctiùs obligaris, quàm reliqui priuati, qui obligantur in extrema. Limita, niſi tua vita eſſet neceſſaria cōmunitati, quia charitas petit, vt vnus pereat, potiùs quam multi. Ita docet Caſtrus Palaus, & Coninch. vbi ſupr. Adde cum Iacob. Granad. vbi ſupr. num. 7. qui ſine notabili detrimento ſuorum bonorum temporalium poteſt vitare, ſeu impedire peccatum lethalem, quod proximus citò, aut ſerò creditur commiſſurus, tenetur ſub mortali illud impedire: ſecus verò minimè, quia charitas obligat ad ſuccurrendum proximo in ſpiritualibus: ergo violat charitatis legem, qui non obſtat peccato; vbi verò damnum meum notabile eſt, ceſſat obligatio, eò quòd damnum ſpirituale proximi facilè poteſt reparari, & ſuauitas charitatis eſt, vt in his, & ſimilibus euentibus non obliget ad præferendum bonum proximi in ſpiritualibus magno damno temporali proprij ſubiecti, in cuius amorem maximè inclinat habitus charitatis. Solùm nota Prælatis Religionum magnam eſſe obligationem impoſitam, etiam in ijs, quæ ad perfectionem ſpectant, & poſſunt in hoc committi peccata lethalia, ſi defectu debitæ diligentiæ, ac laboris, detrimenti ſpiritualis iacturam ſpiritus ſubditorum patiatur; quod, quandò, & quatenus obliget, non eſt huius loci, & ad arbitrium prudentum expendendum eſt: hæc Granad.

4. Pro quinto not. ſit, quæ neceſſitas extrema, & grauis aſſignanda ſit in Religionibus circa incommodorum prædictorum innotandis præcedentis dubij ſeriem: extrema namquè erit, quandò negligentia Prælati permittit, vt omnes, ſeu ferè omnes regulæ, ſeu conſtitutiones in deſuetudinem abeant; nec amplius, ſeu parum curat, vt hæc à ſubditis obſeruentur, ita vt de illis dici poſſit, ſunt relaxatæ, vt rectè notat Emin. Lugo, prout in ſuperiori dubio: grauis verò erit, quandò vna, vel duæ fuerūt neglectæ, ex quibus reſultare videtur graue damnum Reli-

gionibus, ita vt in hac parte dicãtur relaxatę.

*PRIMA CONCLVSIO.*

5. SVpremus Prælatus tenetur inquirere: an communitas alicuius Prouinciæ, ſeù totius Religionis laboret extrema, ſeù graui neceſſitate, per quam in graui langueſcit, cum in maxima, ſeù extrema pereat, illamque reſtaurare, & Prę latum, qui ſua negligentia, ac diſſimulatione tot mala permiſit, grauiter punire. Tres habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur: Prælati Religionum ratione tanti vinculi, & officij non ſolùm tenentur ſuccurrere neceſſitatibus ſubditorum ſe offerentibus; verùm etiam inquirere: an laborent neceſſitatibus præſertim ſpiritualibus, vt poſſint eis laborantibus ſubuenire, quia vbi maius vinculum, ibi maius onus obligationis, diligentiæ, & inquiſitionis. Ita S.Th. 2.2.q.21.art.1. Valent. loc. cit. verſ. ex quo ſequitur. Bonacin. vbi ſupr. n.4. ergo, quantùm differt proximus particularis à proximo vniuerſali, tantùm tenebitur tam graues, quàm extremas eius neceſſitates non mediocri diligentia inquirere. Secunda pars ſuadetur: Prælato maximè ſupremo incumbit onus procurandi totis viribus, vt ſibi ſubiectæ oues rectè per viam ad deſideratam perfectionis, & gloriæ metam currant, ideò errantes debet reuocare, diſperſas colligere, deuiaſque reducere: ergo collapſam, & relaxatam Prouinciam, ſeù Religionem, per quã ſecurè, & abſque periculo incedere debent oues, reſtaurare, & reformare, neceſſitatiq; extremæ, ac graui ſubuenire tenetur, quare doctiſſim. Iacob. Granad. de legibus tract. 3. part. 1. diſp. 2. ſect. 4. controu. 7. inquit. Ad Prælatos Religionis ſpectat regulam in ſuo feruore conſeruare, & quantũ fieri poterit, ſuæ priſtinæ perfectioni reſtituere. Tertia pars ſuadetur: ex officio Prælatus ſubditorũ delicta tenetur punire, vt notat S. Thom. 2.2. quęſt. 67. art. 4. ex cõmuni ſenſu, pręſertim propter tria; quia delinquentes id merentur; ſicut enim nullũ bonum ſine præmio, ita nullum malũ debet eſſe impunitũ; vt corrigantur, cap. Prodeſt. 23. quęſt. 5. & tandem propter pacem, & quietem Religionũ, cap. Res omnes ead. cauſ. & q. at cum Prælatus inferior grauiſſimè deliquerit permittendo labi Prouinciam, ſeù Religionem in grauem, ſeù extremam neceſſitatẽ: ergo Generalis tenetur eum grauiſſimè punire; vndè Gratianus 2. quęſt. 7. cap. Pręſumentes, &c. Quapropter, inquit: *Sicut laudabile, diſcretumque eſt reuerentiam, & honorem exhibere Prælato; ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi qua inter eos correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totũ (quod abſit) corpus incipiat morbus inuadere, ſi languor non fuerit curatus in capite*: tantò magis id debet fieri, quandò Prælatus ſua diſſimulatione, ac negligentia permiſit, & permittit, vt tot neceſſitatibus laboret Prouincia; vndè meo iudicio ab officio eſt deponendus, dignitateque priuandus, vt optimè inſinuat Panormit. in cap. Monachi, de ſtatu Monachorum n. 5. & 6. aſſignans multos caſus, per quos eſt deponendus Prælatus, inter quos enumerat relaxationem Religionis in ſe ipſo, & in alijs, idem ſentit Menochius lib. 2. de præſumpt. 86. num. 8. & rectè, quia ſuo exemplo bono Religionem in obſeruantia conſeruare tenebatur, & ſuis malis motibus eam labefactauit; ideò meretur hac pœna plecti, vt à neceſſitate coactus corrigatur, & tandem per reſtaurationem corruptelarum ab alio Prelato factam, ſumma pace, & quiete fruantur ſubditi, nec non & Religio.

Dices, ſi Generalis mittet manum ad reſtaurandam Religionẽ à corruptelis per negligentiam, & diſſimulationem inferiorum Superiorum introductis ad ſui conſeruationem in regimine, cum iam totum corpus ſit infectum, multa patietur incommoda, vt experientia docet, quia ſemel vna ſola ordinatione, ſeù regula relaxata, ò quantæ difficultates inſurgunt, quanta vis eſt neceſſaria, quantus ſudor eſt fundendus, priuſquam debelletur illud incommodum, & reſtauretur Religio. Reſp. obligationem Generalis non indigere inueſtigatione veritatis, quia clarũ eſt, vt dixi in notandis, teneri ſub mortali pro reformatione extremæ, ſeù grauis neceſſitatis Religionis pericula vitæ ſubire.

Dices, poteſt Generalis multa incommoda in Religione per negligentiam inferiorum Superiorum introducta, quæ in exequendo dependent à ſubditorum voluntate, reformare, e. g. inſiſtere poteſt, quòd Superiores inter ſe ſe publicas culpas de leuibus defectibus habeant, & quid ſimile; nunquã tamen partẽ ædificij ſumptuosè erectã contra

adducentur, reformare poterit; neque etiam tollere picturam magni valoris, iam in publicum expoſitam ob ſæculares, &c. Reſpond. de duobus malis minus eſt ſemper eligendum; ſi permittatur erectio ædificij, & pictura, ſcandalum quaſi continuum ſequitur, & apud ſæculares, & apud Religionem, quia ab exemplo ſimilia ædificia eriguntur, nec non & nouæ picturæ exponuntur: ſi deſtruatur illa pars ædificij, & pictura ab oculis ſæcularium, Religioſorumq; tollatur, vnum tantùm ſcandalum inſurgit, quod tandem tractu temporis è memoria hominum elabitur; ſecuriùs eſt ædificij partem deſtruere, & picturam deponere, tanquam minus malum; imò addo, quòd Prælatus non tenetur euitare ſcandalum, quandò adeſt ratio vtilis, & neceſſaria ad actionem præſtandam, licèt non ignoret multos eſſe ſcandalizandos, vt benè notat Ioan. Sancius in ſelectis diſp. 46. num. 17. & multi alij, quos citatos ſequitur Caſtrus Palaus vbi ſupr. diſp. 6. punct. 7. & S. Thom. Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 6. num. 17.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

6. Svbditus tenetur reformationi inſiſtere, quantùm moraliter pro viribus poteſt. Suadetur ex ſuperioribus, quia, ne bonum commune periclitetur ob neceſſitates, in quas miſerrimè eſt lapſum, vitam propriam in diſcrimine ponere tenetur: ergo debet, & tenetur omnem diligentiam, ſi eſt profutura, reformationi præſtare, monendo Generalem, corripiendo Superiorē relaxantem, petendo auxilium ab alijs ſubditis, procurando, vt talis Superior deponatur, alius reformationis ſpiritu plenus erigatur, tollendo etiam de medio, quandò nullum remedium à Superioribus apponitur, opus relaxans, ſi res materialis, & amouibilis eſt: nec eſt intelligendum, quo fundamento dicant aliqui DD. quod ſubditi poſtquam Superiores de incommodis monuerunt, ad nihil aliud tenentur, ſi remedium non aſſignatur, dum bonum commune laborans extrema neceſſitate, ſeù graui poſtulat, vt eorum vita, ſi opus erit, in diſcrimine ponatur: Nec obſtat, quòd ſi opus relaxans à ſubditis amoueatur, conturbetur pax, quia iſta non videtur eſſe illa pax conſeruanda, ſed illa, qua dicuntur homines factionarij frui, poſtquàm iniuſtè aduerſam partem habentem ius ad omnia bona Religionis debellarunt, de qua dicit Tacitus Agric. apud Lipſ. pol. lib. 6. cap. 5. *Auferre, trucidare, rapere falſis nominibus, atque vbi ſolitudinem fecerint, pacem appellant*: & ſicut iſta Tyrannorum pro iuſtitia ſeruāda eſt debellanda; ita illa pro reſtauratione boni publici eſt conturbanda, cum non ſit vera pax, ſed illa, quæ à reformatione emanat.

In gratiam præcedentis quæſiti fuit præſens agitatum, & ſicut doctrina illa concludit, ita & hæc; ſed quia pro Prælatis eſt prima rigida, ita pro ſubditis eſt rigidiſſima ſecunda; vnde vtraque linitur duobus ſubſequentibus quæſitis; & ſic ſubditi, dum monent Superiores de incommodis, ad nil aliud tenentur.

## DVBIVM LXXIV.

*An Superiores Religionum, in ſuis ordinationibus, regulis, ſeù conſtitutionibus in conſcientia teneantur Religioſos ad nullam culpam, ſaltem mortalem, obligare.*

### SVMMARIVM.

1. *Materia præcepta, licèt de ſe leuis, ratione tamen finis intenti à Legislatore ſecundum aliquos DD. poteſt fieri grauis.*

2. *Religoſus tranſgrediendo ea, quæ ſunt in regula, non ſemper peccat lethaliter; aliàs religioſus ſtatus eſſet in laqueum.*

3 *Materia grauis capax obligationis ſub mortali poteſt imponi à Legiſlatore ſub veniali, imò tenetur: benignè etiam poteſt tollere culpam venialem: diluuntur tandem nonnullæ obiectiones.*

Prim. not. ſit, quòd ratio dubitandi in nonnullis DD. fundatur, qui firmiter aſſerunt, licèt res præcepta de ſe ſit leuis, ratione tamen circunſtantiæ adiunctæ fieri

 grauem,

grauem, & conſequenter eius tranſgreſſionem mortalem; id enim præſertim inſurgit ratione finis intenti à Legiſlatore; nam ſi materia præcepta grauiter conducit ad finem Legiſlatoris, erit peccatum graue eius tranſgreſſio, eſto materia ſit leuis; ſi leuiter conducit, erit veniale, eſto materia ſit grauis. Ita Vaſquez 1. 2. diſp. 158. cap. 6. n. 59. 60. tom. 2. Suar. de legib. lib. 3. c. 25. num. 4. 12. Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 4. n. 2. 6. quarè. Valent. 1. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 6. infert cum Sanch. loc. cit. multos decipi credendo non obligare præceptum Prælati ſub mortali de ſeruando ſilentio hoc, vel illo tempore, aut de alio efficiendo, quia, licèt ex ſe non appareat magni momenti, fieri quidem poteſt, vt circunſtantia aliqua ei materiæ grauitatem addat: clariùs tamen in exemplo relato loquitur Caſtr. Palaus p. 1. de eſſent. peccat. tom. 2. diſp. 2. punct. 7. n. 4. referens Bonacin. de legib. diſp. 1. quæſt. 1. punct 3. §. 4. n. 21. dicit ergo, quòd multiloquium de ſe eſt leuis materia, at ſi obſeruantia religioſa grauiter minuatur, & ob id Superior ſilentium præcipiat, violatio ſilentij peccatum graue erit, quia grauiter conducit fini intento: addit etiam aliud exemplum: ingreſſus vnius Religioſi in cubiculum alterius gratia loquendi, materia eſt de ſe leuis; at ſi Superior ingreſſum prohibeat, vt aliqua inconuenientia euitet, quæ ex tali ingreſſu oriuntur, ſine dubio ingreſſus grauis materia erit, & peccatum mortale. Ex qua doctrina magnum ſequitur inconueniēs, quòd cum penè ſint infinitæ conſtitutiones, regulæ, ac ordinationes Capitulorum generalium, prouincialium, nec nō & Generalium, Prouincialium, & Priorū, & cum ſemper in iſtis ordinationibus Superiores habeant aliquem finem grauem intentum, vt benè notat Caſtr. Palaus vbi ſupr. num. 3. hiſce verbis: Neque ſumitur ex fine Legiſlatoris; hic enim ſemper grauiſſimus eſt, & idem reſpectu materiæ leuis, & grauis: erunt infinitæ obligationes ſub mortali, & quis poterit tantum onus ferre? & quis poterit tot laqueos fugere? vnde ſit.

Sec. not. quòd S. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 9. quærit: an Religioſus ſemper peccet mortaliter tranſgrediendo ea, quæ ſunt in regula. Negatiuè reſpondet, eò quòd ille, qui profitetur aliquam regulam, non vouet obſeruare omnia, quæ ſunt in regula, ſed vouet regularem vitam, quæ conſiſtit eſſētialiter in votis obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis. Ratio videtur eſſe, quia, ſi omnia eſſent ſub peccato mortali, ſtatus Religionis eſſet Religioſis in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunquam poteſt declinari. Ita habetur ex eod. Sanct. in quolib. quolib. 1. art. 20. ſecundum ergo doctrinam relatam in prim. not. ſequitur, aut S. Thom. malè reſpondiſſe quæſito, aut doctrinam non percepiſſe: Suarez 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 2. num. 8. cognoſcens profunditatem doctrinæ S. Th. affirmat, dum tradit quatuor modos, quibus poteſt ſe habere aliqua regula, quorum primus videtur eſſe, quandò Inſtitutor explicitè explicat ſuam mentem eſſe obligandi ſub præcepto, quantùm poteſt, iuxta vniuſcuiuſque capacitatem, affirmat, inquam, paulo inferiùs, iſtum modum à nulla religioſa regula explicari, nec ſuis Religioſis imponi, quia iuxta doctrinam D. Tho. vbi ſupr. non eſſet regulæ conueniens; aliàs ſtatus religioſus eſſet Religioſis in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunquam poteſt declinari; & c. 4. num. 10. addit: duo deſidero explicare, nec laqueum Religioſis inijcere, imponendo periculum peccandi mortaliter, vbi re vera non eſt, neque etiam eis occaſionem tribuere, vt temiſsè viuant, & veris periculis peccandi mortaliter ſe exponant. Caietan: etiam in ſumm. tit. præcepti tranſgreſſio, eandem tradit doctrinam dicens, quod intentio legis Eccleſiaſticæ non eſt inijcere laqueos animabus, ſed ad ædificationem corporis Chriſti myſtici promouere; vndè fit, vt non lata multitudo præceptorum obligantium ad mortale in iure interpretanda ſit, ne laqueus multiplicatus contra animas cenſeatur: his quippè doctrinis ſe ſubſcribunt Silu. tit. Relig. 1. quæſt. 8. & Rodriq. tom. 3. quæſt. 50. art. 1. adducentes illam auream ſententiam D. Thom. ſtatus Religionis, &c. vbi ſup. eamque explicantes ſequentibus verbis (quaſi dicat, quòd nullus author regulæ probare intendit) audite etiā, quæſo, ad rē noſtrā ea,

quæ

quæ dicunt conſtitutiones Prædicatorum: *Vt igitur vnitati, ac paci totius Ordinis prouideamus; volumus, ac declaramus, vt regulæ noſtra, & conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, niſi propter præceptum, vel contemptum; præceptum autem in regula, niſi quod de natura ſua eſt de ratione triũ votorũ, vel diuinæ, aut Eccleſiaſticæ legis, cõtinere volumus, et declaramus, & idẽ in cõſtitutionibus, niſi vbi ponatur ſententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & hoc in ordinationibus, & Prælatorum verbis, & literis intelligi volumus: porrò Prælati omnes à multitudine præceptorum abſtineant, ne laqueum animabus ſubditorum inyciant, nec propter defectum vnius, vel paucorum, quem, vel quos non audent corrigere, communitatem inuoluant*: aurea verè verba ab omnibus Religioſorum familijs adnotanda: ſed non minùs aurea ſunt illa D. Antonin. part. 3. tit. 16. c. 1. §. 7. ſupr. regul. S. Benedicti: *Et per rationem*, inquit, *quidem cognoſcitur, tales obſeruantias non eſſe ſub præcepto, ſed ſolùm ſubſtãtialia Religionis, ſcilicet expropriatio, caſtitas, obediẽtia, quia non eſt veriſimile, quòd vir ſapiens, & expertus humanam fragilitatem plenus ſpiritu Dei voluerit filios ſuos oneribus importabilibus grauare; hoc enim non eſſet regulam tradere, & compendioſam viam facere ad Regnum cæleſte, ſed inijcere laqueos profeſſoribus, & deijcere eos in profundum; quæ pietas Patris hæc eſſet, cum tamen dicat, admonitiones pij Patris excipite: B. quoquè Gregorius in lib dialog. dicit de S. Benedicto, quòd edidit regulam diſcretione præcipua; ſed quæ diſcretio eſſet, ſi ad omnia ceremonialia tenerentur ſub præcepto? item in moralibus aſſimilat Religionem portui tranquillo, & ſæcularium vitam ob pericula mari; ſed maiora pericula*, inquit etiam S. Thom. vbi ſupr. *tranſgreſſionis, & damnationis eſſet in Religione, quã in ſæculo, ſi omnia ordinata in regula eſſent ſub præcepto*: tandem angelicus Doctor cõcludit: *Si qualibet tranſgreſſio eorum, quæ in regula continentur, Religioſum obligaret ad mortale, ſtatus Religionis eſſet periculoſiſſimus propter multitudinem obſeruantiarum*.

*CONCLVSIO.*

MAteriam grauem de ſe capacem obligationis ſub mortali poteſtas inſtituentis regulam, ſeù conſtitutiones, ſeù ordinationes imponere poteſt ſub veniali; & tenetur ſub mortali ad mortale non obligare ſubditos; imò benignè poterit obligationem ſub veniali tollere. Concluſio tres habet partes. Prim. ſequuntur Suar. de leg. lib. 3. c. 27. n. 7. Salas de legib. diſp. 10. ſect. 7. nu. 33. Bonacin. de legib. diſp. 1. quæſt. 1. p. 7. §. 4. n. 23. Valent. 1. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 2. quæſtiunc. 2. Sanch. lib. 1. de matrimon. diſp. 6. & lib. 6. ſumm. c. 4. n. 25. Nauarr. ſumm. c. 27. n. 3. & alij, quos citatos ſequitur Ioann. Sanc. in ſelect. diſp. 15. n. 16. Ratio eſt, quia tota humani præcepti vis dependet à voluntate Legiſlatoris: ergo ſicut poteſt non præcipere; ita præcipiendo lenire poteſt modum: ergo poteſt tantùm ad veniale materiam grauem determinare. Prætereà, lex naturalis diuina dictat parendum eſſe Superiorum præceptis, ſicut ab ipſo emanant: ſed certè emanare poſſunt ſub veniali: ergo materia grauis ſub veniali poteſt ſubditis pro exequutione imponi. Addo, quòd iſte modus præcipiendi eſt multùm conueniens præſertim Religionibus, ne præcepta grauia multiplicentur in maximum ſubditorum onus, quia eis multa præcipi debent ad conſeruandam regulam, & ad decorem Religionis: inſuper curandum eſt, ne gubernatio ſit eis oneroſa, ſed ſuauis, nec in hoc apparet indecẽtia, nec iniuſtitia, nec aliquis exceſſus: ergo firmandum eſt tanquam verum poſſe Legislatorem materiam grauem ſub veniali præcipere. Nec obſtat voluntatem Superioris ſolùm requiri ad imponendum præceptum; grauitas autem, & leuitas inſurgit ex natura rei, quæ à voluntate hominis nequit impediri; aliàs differentia inter mortale, & veniale dependeret à poteſtate præcipientis, quia non ſolùm Superioris voluntati ſubiacet impoſitio præcepti, ſed etiam modus, & qualitas eius; nec voluntas Superioris immediatè inter mortale, & veniale differentiam ponit, ſed tantùm mediatè, quatenus præceptum dependere poteſt ab eo

ſecun-

ſecundum modum, & qualitatem. Nec obſtat legem naturalem non poſſe limitari in materia graui: ergo neque humana, quia obligatio naturalis ex ipſis rebus, & deordinatione, quam habent immutabilem cum recta ratione, oboritur; at obligatio legis poſitiuę ſicut tolli poteſt; ita etiam limitari. Nec obſtat tandem pœnitentiam impoſitã à Confeſſario pœnitenti ſub mortali eſſe implendam, licèt Confeſſarius tantùm intendat eam imponere ſub veniali: ergo ſignum eſt Legiſlatorem in materia graui nõ poſſe præceptum limitare, quia Suar. tom. 4. de pœnit. diſp 38. ſect. 7. n. 5. Medin. C. de confeſſione tr. 2. quæſt. 48. affirmant pœnitentiam à Confeſſario ſub veniali imponi poſſe, eò quòd ſit quædam lex; & ideò rationes legis ſentire debet, quia Ioann. Sancius diſp. 15. n. 16. inquit Confeſſarium non habere poteſtatem limitandi ſub veniali graues pœnitentias ab ipſo impoſitas, eò quòd id faciat non nomine proprio, ſed nomine Chriſti, & vt vices illius gerens: ſecùs eſt dicendum de Legiſlatore humano nomine proprio præceptum imponente. Secund. pars ſuadetur: iniicere mille laqueos ſubditis, quibus morali certitudine ſunt caſuri in lethalem culpam, eſt mortale, vt dicunt DD. at ſi Prælati in ordinationibus, ſeù conſtitutionibus grauibus, quæ quaſi in Religionibus reformatis ſunt infinitæ, & nunquam habent terminum, ſub veniali ſaltem non limitarent obligationem, penè infinitos laqueos iniicerent ſubditis, quibus morali certitudine certæ ruinæ eſſet proximi, vt notat S. Thom. vbi ſupr. cum alijs: ergo, conſcientia duce, a legibus tollere debent lethalem obligationem, quæ inſurgere ex propria natura poteſt. Confirmatur ex 2. not. quia ibi omnes DD. relati cognoſcunt tam manifeſtum periculum labendi in peccatũ nõ prouenire niſi ex ſola obligatione illatũ rerũ, ſi eſſent ſub mortali, quæ cõtinentur in regulis ab Inſtitutoribus ordinatę, ac determinatę; quantò magis id dicerent, ſi eſsét loquuti de cõſtitutionibus, ac ordinationibus Religionum, quæ quaſi ſine termino regulam ſequunt. Præterea, abuti poteſtate Eccleſiaſtica in animarum laqueos, nequit imputari niſi ad mortale, quia, vt benè dicit Reginald. lib. 15. n. 42. poteſtas omnium legum condendarũ conceſſa eſt Principibus tam Eccleſiaſticis, quàm laicis in ſubditorum bonum, non in perniciem, & in animarum laqueum: ſi autem Prælati non liberarét ſubditos in ordinationibus etiam grauibus à lethali culpa, abuterentur poteſtate in animarum laqueum: ergo. Tert. pars ſuadetur, quia id fit in multis Religionibus præſertim Prædicatorum, Societatis Ieſu, & Capuccinorum; id etiam poſtulat puritas animarum Religioſorum, quæ neceſſariò mille peccatis venialibus, ſuppoſita humana fragilitate, ac infinitarum rerum præceptarum multiplicitate, continuè ſubiacerent; id etiam petit benigna voluntas totius Religionis, quæ ſuos filios non intendit tradere rigidæ poteſtati aliquorum Prælatorum zelum ſine prudenti zelo profitentium; nam præſumptio ſemper erit iudicanda potentior, quæ eſt benignior. Menoch. de præſumpt. lib 1. quæſt. 29. n. 5. tom. 1. alijs relatis.

Dices, ſi nullam culpam in ſe continere debent leges, ſeù conſtitutiones ſancitæ, reſpiciendæ ſunt, ac ſi non eſſent impoſitæ: quomodò ergo vota eſſentialia, regulam, nec non & Religionem conſeruabunt? & tamen ſunt ſepes pro earum conſeruatione. Reſp. quòd non ſunt ſepes, ita vt, illis reſecatis, corruat, & regula, cæteraque alia, ſed vt meliùs, & faciliùs obſeruentur, & ad hoc ſufficit vigilantia Prælatorum vna cum pœnis taxatis, ſeù taxandis tranſgreſſoribus imponendis; quæ pœnæ non ſunt ſubeundæ ab ipſiſmet tranſgreſſoribus, ſed imponendę, a Superioribus. Ita Caietan. 2. 2. qu. 186. art. 9. ad 3. Armill. tit. Religion 13. videatur Sanct. Antonin. 4. part. tit. 16. c. 1. §. vltim. Suar. de legibus lib. 5. c. 4. n. 6.

Dices, pœna nequit infligi ſine culpa: ergo neceſſariò debent obligare ad culpam venialem. Reſp. qui ſe obligat ad aliquam pœnam voluntariè, illa poteſt mulctari abſque culpa, licèt non ſine cauſa. Ita S. Th. 2. 2. quæſt. 108. art. 4. & tradit reg. ſine culpa 23. de regul. iuris in 6. imò addo ex ſententia Sanch. ſumm. lib. 6. cap. 4. nu. 11. 13. illas pœnas non induere rationem veræ pœnæ, ſed cuiuſdam pœnalitatis, quæ largo modo nuncupatur pœnæ, eò quòd conſiſtant

ſtant

ſtant in patiendo, & in priuatione boni aliqualiter debiti, & ſunt contra naturalem propenſionem.

Dices, regulæ, ſeù conſtitutiones ſunt quædam leges, quæ obligant Religioſos, vt ſaltem ſub veniali obſeruentur. Reſp. eſſe quidem leges, quarum obſeruatio dependet ab imponentium voluntate, qui benignè ad nullam culpam obligare ſubditos intedunt, ne laquei ſeù graues, ſeù leues animabus inijciantur; maximè quia in communitatibus, vt benè dicit Suar. vbi ſupr. n. 3. neceſſe eſt plures eſſe infirmos, ac debiles, idque videtur eſſe magis conſentaneum fini regulæ; nam redditur magis onus Dei leue, curſus perfectionis diligentibus non impeditur, hilaritas ſpiritus habetur, & negligentes à ſuauitate legum attracti ad maiorem diligentiam inuitantur, nec ex tot periculis venialia committendi liberati ea paruipendunt.

Dices, ſi Superior legum obligationem, quæ inſurgit ex materia graui, ſeù leui, quæ ratione alicuius circonſtantiæ fit grauis, tollere teneretur, ex earum tranſgreſſionibus bonum commune maximum pateretur dãnum: quò fit, vt Religio notabiliter damnificaretur. Reſp. retorquendo argumentum, ſi non tolleretur, cum quaſi regulæ, ſeù conſtitutiones ſint infinitæ in reformatis Religionibus, & continuò augmentẽtur, præter ea, quæ ſunt diſperſa in eſſentiali regula, mille, & infiniti laquei animabus ſubditorum inijcerentur, qui vix, aut nunquàm poſſent declinari, vt dicitur in 2. not. quò fieret, vt bonum commune Religionis totaliter deperderetur, ac finis eius fruſtraretur, qui eſt tandem inducere homines ad perfectionem; quæ dificultas ſi fuiſſet multùm conſiderata, & à DD. prout in dub. 70. An quandò quis habet conſuetudinem tranſgrediendi regulas, &c. ponderata, nõ ita facilè tranſgreſſores lethali culpa damnarent; & parui refert, quòd ſuas inuicem confutent rationes, quibus ſinguli probant propoſitionem, quia aut ſub vna, aut ſub alia tranſgreſſores damnant, & mille laqueis animas inuoluunt: quid ergo dicendum? de duobus malis minùs eſt eligendum, minùs eſt, quòd bonum commune periclitetur, quàm quòd animæ ſæpè, ac ſæpius ſubiaceant peccatis cum periculo manifeſto luẽdi pœnas æternas; & ideò à Superioribus relaxanda eſt omnis grauis obligatio: ſed meliùs & eſt doctrina omnibus Regularibus maximæ reſpirationis. Duplex bonum conſiderari poteſt in omni congregatione Religioſorũ: alterũ inſurgens ex ſtatu aſſumpto eſſentiali, alterũ vero ex ſtatu aſſumpto accidẽtali: dãnificatio primi poteſt eſſe mortalis; dãnificatio ſecundi nullius culpæ iuxta voluntatem eorum, qui eum aſſumpſerunt, & id hoc modo explicatur. Duplex ſtatus perfectionis aſſignatur: alter eſſẽtialis conſiſtens in tribus votis, & in aliquibus præceptis ad mortale obligantibus, vt in regula S. Franciſci: alter accidentalis poſitus in multis præſceptis à regula um Inſtitutoribus, à tota Religione, nec non à Superioribus ad mortale non obligantibus: damnificatio boni inſurgentis ex ſtatu eſſentiali eſt mortale peccatum, quia ad tuendum illud ſub graui culpa Religioſi ſe obſt inſerunt: damnificatio boni ſecundi ſtatus nõ eſt mortale, quia ad illud protegendum homines non ſe obligarunt ſub mortali; & ratio tendendi ad perfectionem conſiſtit in tribus votis, alijſque præceptis ſub mortali; in alijs verò rebus ſine aliqua culpa, vt benè notat Ioannes Sanc. in ſelect. diſp. 7. n. 10. vnà cum Iacob. Granad. de peccat. contr. 6. tr. 2. diſp. 2. ſect. 7. Gerſon. dialog. de perfect. cordis p. 2. Alphabet. 68. l. H. & Suar. inferiùs citand. Nec iſta doctrina videtur eſſe noua, ſed habetur ex D. Thom. aſſerente, præter tria vota nullam inſurgere obligationem ad peccatum ob periculum ad ea omnia obſeruanda à profeſſoribus alicuius regulæ, tantò magis id valere debet in conſtitutionibus, ac ordinationibus; id omnes intendunt, qui ſequuntur D. Thom. vt in 2. not. qui etiam dicunt regulas, ſeù conſtitutiones ad nullam ſubditos obligare culpam, vt Tabien. tit. Religio. qu. 22. Suar. inferiùs, Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 9. ſect. 2. n. 11. & alij: imo addo, quòd tuta conſcientia nequirent id facere, quandò vellent ad illud tuendum ſub mortali ſe ligare ob periculum millies, ac millies labendi in peccatum, dum mille laqueos ſibi imponerent: verùm tamen eſt, quòd ſe obligarunt Religioſi ad bonum illud accidentale conſer-

uandum

uandum, & non damnificandum ſub aliqua pœna temporali taxata, ſeù taxanda à Superioribus, ac proindè tranſgreſſores ſiũt rei illarũ pœnarũ, vt benè obſeruat Reginald. lib. 13. n. 177. vndè ſi haberent animum obſtandi pœnis imponendis à Superioribus, cenſendi eſſent lethalis culpæ rei, vt docent Suar. 4. de Relig. lib. 1. c. 4. n. 13. tra. 8. hiſce verbis: Vndè ſi quis vellit ita eſſe liber à iugo regulæ, vt paratus non eſſet ſuſtinere pœnam quantũeumquè Prælatus eã præciperet, vel ei reſiſtere ſi neceſſe ſit, ille ſine dubio eſſet in malo ſtatu, & peccaret mortaliter, tum quia habet diſpoſitionem directè contrariam voto obedientiæ, tum quia reſiſtit regulæ, non tantùm vt mera lex pœnalis eſt, ſed etiam vt reſoluitur in obligationem conſcientiæ ex ſuo genere grauem, ſcilicèt non reſiſtendi Prælato iure ſuo vtenti, & obſeruantiam regulæ procurandi; at verò ſi quis ita remiſſus ſit, vt ſecum ſtatuat non ſeruare regulam quoties occultè potuerit, vel aliter pœnam vitare, vel certè quoties maius onus ſenſerit in ſeruanda regula, quàm in ſuſtinenda pœnitentia, non apparet in hoc actu malitia mortalis ex obiecto: hæc Suarez. Addendum tamen eſt hic, quòd per iſtam doctrinam, quæ laqueos ab animis reſecat, & bono communi conſulit in decorem Religionis, non intendo excludere Superiorem aliquandò non poſſe præcipere aliquid ſub mortali ſecundum exigentiam rei occurrentis, etiamſi ſit leuis res ob circunſtantiam annexam maximi ponderis, vt rectè adnotauit Alphonſ. à Caſtr. lib. 1. de leg. pœnal. c. 5. quem ſequitur Reginald. lib. 15. n. 43. vbi poſtquam perperam ſenſit eos Prælatos, qui putant ſe poſſe ad mortalem culpam ſubditos obligare propter ſolius ſilentij violationem, aut propter vnius lactucæ manducationem ſine licentia, aut propter aliud ſimile, quod ex ſe eſt parui momẽti, nec poteſt grauiter Religioni nocere, ſubdit poſſe his rebus paruis talem, tamque grauem coniungi circunſtantiam, tam graue ſcandalum Religioni, aut tantam tranſgreſſionis votorum occaſionem afferentem, vt meritò poſſet Prælatus res huiuſmodi prohibere ſub intimatione gehẽnæ: addo etiam cum Baſſæo ſumm. tit. Prælatus, Prælatos regulares non debere eſſe faciles ad ferenda præcepta obligantia ad mortale; cum experientia rerum magiſtra demonſtret eorum frequentiam magis contemni, quàm formidari, & infelices exitus in perniciem animarum ſubditorum indè ſubſequi, vndè Prælati à multitudine præceptorum, & ordinationum ſe abſtineant, ne laqueum ſubditorum animabus iniiciant, nec propter defectus vnius, vel paucorum, quos non audent corrigere, communitatem inuoluant: fauet his Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 3. *Quamuis*, inquit, *excommunicationis gladius neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè ſalutaris, ſobriè tamen, magnaque circunſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem.* Ex doctrina ergo huius vltimæ obiectionis apparet, Prælatos, velint, & nolint, debere in ſuis ordinationibus eximere ſubditos ab omni obligatione ſub mortali, quia ad bonum accidentale Religionis tuendum non ſe obligarunt ſubditi, nec obligari potuerunt ob manifeſtum periculum ruendi in peccatum, quod oritur, inquit S. Thom. vbi ſupr. ob multitudinem obſeruantiarum: tandem cõcludo hanc doctrinam eſſe veriſſimam, & iuxta eam multas ſuperiùs approbatas poſſe accommodari.

## DVBIVM LXXV.

*An Prælati præſertim ſupremi bonum commune Religionis inſurgens ex multis præſcriptis à regularum Inſtitutoribus, à tota Religione per communes leges, nec non & à Superioribus ad mortale non obligantibus ſub lethalis culpa pœna tueri teneantur.*

## SVMMARIVM.

1. *OB rigidas aliquorum DD: doctrinas moueri poteſt dubium: an Religionum ſtatus ſit aſſumptibilis;*

2. *Varijs rationibus, ac ſolutis obiectionibus, oſtenditur Prælatos non teneri ſub mortali ad*

*ad conſeruandum bonum accidentale Religionis: quædam deſignantur limitationes.*

Poſt præcedens dubium diſcuſſum, occurrit mihi præſens denuò diſcutiendũ; dico denuò, quia in dub. 72. de ſyndicatu Superiorum materiam ſatis abundè extendi, in quo legitur reſolutio Emin. Lugo ita loquentis: Prælatus, qui negligit regulam aliquam, ſeù ordinationem, vt abeat in deſuetudinem, mortaliter peccat, licèt ſubditi eã ex ſe tranſgrediendo non peccent niſi venialiter, & etiam ſine peccato; enumerat poſtea aliquas ordinationes, quarum neglectionem imputat ad mortale; & ante ipſum multi, ac multi DD. hoc idem docuerunt, vt videre eſt ibi, ſicut ego docui: fateor tamen, quòd poſt multos annos mihi viſa eſt dura, ac rigida doctrina, quia iſtud bonum accidentale, teſte experientia, ab omnibus Religionibus ſecundum magis, & minùs integratur per infinitas, vt ita dicam, ordinationes, ac conſtitutiones, & nunquam datur finis: praxis docet, quòd, dum Religiones florent in virtutum acquiſitione, ac ſpiritus exardet, parua cum difficultate obſeruantur, & quaſi ex habitu tot oneribus Religioſi illi in ſpiritu feruentes colla ſubijciunt, quia non obeſt eorum tepiditas; Ordinibus poſtea dilatatis, ac multitudine augmentata, infirmatur ſpiritus, frigeſcit charitas, dilatatur tepiditas, deperduntur virtutes, creſcentibus imperfectionibus: quò fit, vt non mediocris repugnantia ad illas obſeruandas ſub varijs prætextibus, quorum fundamentum nil aliud eſt, quàm ſpiritus debilitas, excitetur, & ita ſenſim ſine ſenſu multæ ex illis abeunt in deſuetudinem; vndè clarè dignoſcitur, quòd, conſiderata multitudine in ſpiritu infirma, earum obſeruatio fit moraliter impoſſibilis: quòd ſi aliquo conatu ad incommodis obſtandum vtetur Prælatus, illicò ei occurrit multitudo illa infirma clamoribus, ac murmurationibus, ac factis tempore debito ei denegando vota, & tanquam ſibi odioſum ab officio abſoluunt, vndè infelix Prælatus cognoſcens ſe tot moleſtijs oppreſſum, conſcientia ſcilicet iuxta DD. doctrinam, quæ quotidiè eum ſtimulat, clamoribus imperfectorum, qui eum cruciant, paceque fugata, quæ eum lacerat, neſciens, quò ſe vertat, tandem ſe vertit ad onus deponendum, & ſic ſatisfacit plebi, priuſquam ab ea deponatur: fateor quoquè DD. illorum doctrinam, quæ docet, Religioſum habentem conſuetudinem regulas, ſeù conſtitutiones, quæ non obligant ad mortale, tranſgrediendi, lethali culpa obſtringi, eſſe rigidam: inter omnes tandem mihi videtur rigidiſſima illa, prout in præcedenti quæſito aſſerens per quemlibet actum contra regulas commiſſum, quia grauiter offenditur finis intentus à Legiſlatore, peccatum mortale committi: fateor, fateor has doctrinas ſapere nimium rigorem, vndè cogor tale mouere quæſitum: an, admiſſis doctrinis, ſtatus regularis ſit aſſumptibilis: minimè quidem, quia, ait S. Thom. in præcedent. quæſito, eſſet periculoſiſſimus propter multitudinem obſeruantiarum, & eſſet Religioſis in laqueum peccati mortalis, quod vix, aut nunquam declinari poſſet, præſertim Prælatis ob duplicem obligationem, & ratione talis perſonæ, quia eſt Religioſus, & ratione officij, quia eſt Prælatus reſpiciens ſubditos pro obſeruatione ordinationum, ac pro punitione inobſeruantiarum, & tranſgreſſionum: vt ergo ſtatus ſit aſſumptibilis, vt portus tranquillus, vti loquitur S. Thom. quæſt. 186. vbi ſupr. ex D. Gregor. rigorem vltimarum doctrinarum alijs ſuauibus iam leniui, vt videre eſt ſuis locis, nunc remanet hæc lenienda. Pro cuius intelligentia huc eſt reuocandum notandum ſecundum præcedentis dubij, vnà cum aliquibus doctrinis in quæſito diffuſè explicatis.

*CONCLVSIO.*

PRælatus ex vi ſuæ obligationis ad tuendum bonum commune illud accidentale, quod conflatur ex penè infinitis ordinationibus, regulis, ac conſtitutionibus ſub onere peccati mortalis non tenetur, ita vt, ſi vna, vel plures permittat, vt in deſuetudinem abeant, ſemper lethali culpæ obnoxius putandus ſit. Suadetur ex do-

ctrinis S. Thom. Suar. Rodriqu. & S. Antonin. prout in ſec. not. præcedentis quæſiti, aſſerentium, quod aliàs ſtatus Religionis eſſet in laqueum peccati mortalis, & periculoſiſſimus ob multitudinem obſeruantiarum. quò ſit, ſubdit S. Thom. vt vix, aut nunquam ſine peccato declinari poſſet.

Dices, S. Thom. cum alijs DD. loquitur de ſubditis, & non de Prælato, cui eſt annexa obligatio ratione officij, vt patet ex textu. Reſpond. quòd doctrina non diſtinguit inter ſubditum, & Superiorem, nec nos diſtinguere debemus; quò fit, vt multò magis concludat de Prælato, quàm de ſubdito, quia ſubditus in hoc arduo negotio gerit perſonam ſui ipſius, & à propria infirmitate defenditur, vt non ſuccumbat tot oneribus; Prælatus verò gerit perſonam non ſolùm ſui ipſius, ſed etiam omnium ſubditorum, eorumque infirmitates, ac debilitates induit, propria primò induta; & ideò Religionis ſtatus eſſet ei magis in laqueum peccati mortalis ob multitudinem obſeruantiarum cum tanta repugnantia non ſolùm ex parte propriæ infirmitatis, ſed etiam ex parte infirmitatum omnium ſubditorum; nec per hoc, quòd eſt Prælatus, ab humana imbecillitate, & à laqueis incidendi in peccatum eximitur; nec maior obligatio in vno, quàm in alio manifeſtum periculum aufert.

Suadetur ſecund. ſi Prælatus ſub mortali teneretur tueri omnes, ac ſingulas ordinationes, vt non negligantur à ſubditis, obligaretur ad aliquid impoſſibile, ſeù valde difficile, quod legi repugnat; de ratione enim legis eſt, teſte Iſidor. lib. 5. Etymol. cap. 20. & lib. 2. cap. 12. vt ſit poſſibilis, ideſt, vt inquiunt Suar. de leg. lib. 1. cap. 9. & Mirand. manual. Prælat. tom. 2. quæſtion. 25. art. 9. non valdè difficilis, grauis, & oneroſa, ne repugnet infirmitati, ac imbecillitati humanæ: ſed hoc non eſt dicendum: ergo nec illud: aſſumptum probatur, quia ipſa legum multitudo repugnat cuicumque communitati, in qua, etiamſi ſit regularis, vt vult DD. doctrina, & praxis omnium Religionum, maior pars eſt imperfecta: ideò dicebat Sotus de iuſtit. lib. 1. quæſt. 5. art. 3. vndè id maximè Legiferi deberent conſiderare, ne legum multitudine ſubditos obruerent, ſed illis eſſent tantùm contenti, quæ ſunt penitus neceſſariæ; nam ipſa multitudo fit ſtatim impoſſibilis, vndè illicò efficiuntur veluti aranearum telæ, quibus muſcæ capiuntur, & non leones: hanc doctrinam ſequitur Mirand. vbi ſupr. Per quod, ait, & meritò reprehenditur quorundam Iudicum, & Prælatorum facilitas, & propenſio nimia ad condendas, & faciendas leges, quarum proindè obſeruatio, quaſi impoſſibilis redditur, quæ ad nihilum deſeruiunt, niſi vt paruipendantur, ſeù efficiantur telæ, quibus non leones, ſed tenues muſcæ capiuntur: & Azor. part. 1. lib. 5. cap. 5. quæſt. 7. Vbi plurimę leges conduntur, facilè contemni ſolent, eò quòd ciues onerati grauiter videantur: ergo ratione moralis impoſſibilitatis à vinculo lethali abſoluitur; ideò dicebat Porreta in D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 9. O quàm malè faciunt pro ſe, & ſubditis illi (ſi qui ſunt) qui præceptis multiplicatis tranquillum ſtatum Religionis reddunt, & oneroſum valdè, & periculoſiſſimum.

Dices, eſto veriſſimum ſit legum multitudinem non adaptari cuicumque communitati, attenta hominum imbecillitate, conſequenter in Prælato pro earum obſeruatione nullam poſſe eſſe obligationem grauem; nihilominus, quandò ſunt iam introductæ in multitudine per conſuetudinem, nec multiplicitas obſtat obſeruantiæ, nec hominum infirmitas ei repugnat, cum conſuetudo ſit altera natura, permittere autem, vt à ſubditis negligantur, ac paruipendantur, & in deſuetudinem abeant ob graue damnum, quod Religioni infertur, nequit Prælatus à labe graui liberari; facillimè enim ruinæ poteſt occurrere. Reſp. quòd ſi Religio ſemper formaretur ex ſolis integris viris, ac ſpiritu feruentibus, vti loquitur Sotus vbi ſup. q. 6. ar. 2. ſeù ſi Prælati eſſent Auguſtini, & ſubditi Poſſidonij, vti habet Nauarr. comment. 3. de Regul. num. 10.

eſſet

eſſet fortè ſufficiens ratio eum non eximendi à culpa; dico fortè ob rationem inferiùs notandam; ſed quia tempus conſumit homines, mutat mores, ac ſpiritum infirmat, dicente Cordub. in regul. S. Franciſc. cap. 2. quæſt. 2. in fin. Communiter videmus, quòd recepti Religioſi ſunt peiores quotidiè, & poſteriores prioribus,& talibus multiplicatis,multiplicantur tranſgreſſiones; vndè difficilè flectuntur ad vnum ſenſum, inquit S. Bonauent. opuſc. tom. 2. quæſt. 19. ſup. regul. S. Franc. ob capita diuerſa, quæ ſemper perfectionem debilitant, ſequitur, vt illud, quod, quandò numerus hominum charitate feruentium erat exiguus, videbatur facile, fiat poſtea difficile,& nimis oneroſum, imò moraliter impoſſibile; nam poſteri fremunt, & tranſgreſſionibus reſiſtunt diſciplinæ, ac remiſſa vita, tot legum onus abijciunt, vt praxis docet,quod optimè fuit animaduerſum à Sot. de iuſtit. lib. 1. quæſt. 6. art. 2. & à Sayro de legib. lib. 3. cap. 3. num. 6. hiſce verbis: Sunt, inquam, qui exiguum numerum conſiderantes charitate feruentium graui onere legum Religionum familias premunt, quas poſteri ferre nequeunt, ceruices excutiunt; quò fit, vt tutè non poſſit tot anguſtijs circumuallari Prælatus à DD. imponendo ei tot onera ſub peccato mortali, dum difficultas oboritur ab imbecillitate humanæ naturæ, ac à rebus ipſis in ſe conſideratis, quia non habent à ſe ſuum eſſe, vt notat S. Bonau. vbi ſupr.

Ideò benignitas Eccleſiæ, idque fit pro tertia ratione, à filijs ſuis, quantùm fieri poteſt, periculum labendi in peccatum elongat, ne animabus laqueos inijciat. audiamus doctrinam Caietan. ſumm. tit. præcept. tranſgreſſ. verè auream: Intentio, ait, legis in communi certa eſt, quoniam eſt facere homines virtuoſos, & legis Eccleſiaſticæ intentio eſt non inijcere laqueos animabus, ſed ad ædificationem corporis Chriſti myſtici promouere; & hinc fit, vt non tam lata multitudo præceptorum obligantium ad mortale in iure interpretanda ſit, ne laqueus multiplicatus contra animas cenſeatur: ſentiamus etiam Silu. tit. Scrupulus quæſt. 4. vbi ait: Deum, nec Eccleſiam intendere obligare ad vix poſſibile aliquem, vt puta, nimiam habens difficultatem; alioquin nõ eſſet verum illud Matth. 11. *Onus meum leue*: nec Deus eſſet homine benignior, ſed durior, quod eſt nefas dicere: his DD. addamus Baſſæum ſumm. tit. epycheia nu. 4. vbi inquit: Neque Deum, neque Eccleſiam intendere ſuis præceptis nos obligare ad vix poſſibile, & nimis difficile in ſe. Ratio eſt, quia piè credendum eſt neque Deum in lege gratiæ, neque Eccleſiam imponere iugum vix poſſibile, & difficillimum ſaltem ſub pœna peccati mortalis; neque enim Deus, vt homo, quærit occaſionem ad calumniandum, cum Sapient. 1. legatur: *Sentite de Deo in bonitate*.

Suadetur quart. ex eo, quia nec ſtatus Prælaturæ à quocumque fortè eſſet aſſumptibilis, nec regimen durabile: ille, eò quòd eſſet ſtatus ob multitudinem obſeruantiarũ periculoſiſſimus, ſub quo vix, aut nunquã peccatum declinari poſſet, & ex lege diuina præcipiente habetur vnumquemque à ſe occaſiones proximas peccato ſuccumbendi abſcindere teneri: hoc, quia eſſet violentũ, tum ex parte Prælati ob tot onera ſub peccato mortali, nulla enim videtur eſſe maior violentia, ac coactio Superiori in infinitis pene legibus pro earum obſeruatione non ſolùm in ſe ipſo, ſed etiam multò magis in multitudine, cuius maior pars imperfectè operatur, quàm ſemper à lethalis culpæ põdere premi: quanti ponderis, ac violentiæ ſit hoc onus, nullum aliud teſtimonium eſt afferendum, quam conſcientia illorum Religioſorum, qui non ſibi,ſed Deo viuere cupiunt; tum ex parte multitudinis, ac communitatis, cuius infirmitas, ac imbecillitas naturæ repugnat tot legum oneribus, quarũ exequutio, & obſeruatio (nota) a Prælato, qui gemit ſub tot oneribus peccati mortalis quot ſunt leges, pendet: quo fit, vt regimẽ non ſit durabile, ſed confringetur tandem tam ex parte Superioris, qui ſe eximet à tot oneribus, officium deponendo, vel conſeruando ſe ipſum (quod auertat Deus) in Prælaturæ poſſeſſione, negligendo curam obſeruantiæ legum ſub varijs prætextibus, qui ambitioſis non deſunt, quàm ex parte communitatis murmurationibus, clamoribus vſque ad ſydera, alijſque modis cuilibet Religioni clarè notis: obſeruatio multùm ponderata

derata à Suar. 4. de Relig. lib. 8. cap.8. nu. 18. Tota communitas, inquit, nequit eſſe perfecta, & fortis in ſpiritu, ſed plures in ea debiles, ac infirmi morantur; & ideò nequit in perpetuo rigore contineri ſine magna violentia, & coactione, quæ nec durabilis eſt, nec tantum fructum ſpiritualem afferre ſolet: ſed priùs ipſo à S.Baſilio orat. 6.de inſtit.& admonit. *Nam ea diſciplina, quæ violenta eſt, diuturna eſſe non ſolet.*

Limita prim. modò non ſit ex illis ordinationibus, ac conſtitutionibus, quæ tanquam media ſtatuuntur ad aſſequendum ſingularem finem, ſeù ad obeundam propriam functionem Religionis; nam quælibet Religio præter obſeruantiam trium votorum eſſentialium habet quoddam inſtitutum ſingulare, & pro eo propagando ſanciuntur regulæ, ac ordinationes, ſine quibus non haberetur, nec conſeruaretur inſtitutū illud: quædam enim ſunt inſtitutæ, vt potiſſimùm, inquit Leſſ. de iuſtit. lib. 2.c. 41. dub. 2. num 17. ſe exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ; tales ferè ſunt, quas antiquiores PP. inſtituerunt, Antonius, Pachomius, Baſilius, Benedictus, Bruno, Ordo Ciſtercienſium, & Cluniacenſium; horum cultores propriè vocantur Monachi, quia vacant ſolitudini: ad hos referendi Canonici regulares, quorum præcipua functio eſt horas canonicas in choro piè decātare: aliæ inſtitutæ ſunt ad opera vitæ actiuæ corporalia, vt ad redimendos captiuos, ad ſuſcipiendos peregrinos, ad ſeruiendum infirmis, ad defendendam Eccleſiam contra hoſtes fidei: aliæ partim ad contemplationem, partim ad vitæ actiuæ opera, ſed ſpiritualia, quæ contemplationem ſupponunt, vt ſunt Ordines mendicantium, & Societatis Ieſu, quæ inter mendicantes authoritate, & iudicio Sedis Apoſtolicæ cenſenda eſt: permittendo ergo Superior, vt vna, vel plures negligantur a ſubditis, & in deſuetudinem abeant, à labe lethali eximi nequit. Ratio eſt, quia deſtruitur ſingularis finis Religionis, eiuſque robur eneruatur, quo deſtructo, maximum pateretur damnū Ordo in proprio inſtituto.

Limita ſec. modò non ſit ex illis ordinationibus, quæ debitis horis orationem, ac ſilentium præcipiunt; his enim neglectis, vana eſt Religio, pax deperditur, bonorum operum ſtructura diſſoluitur, ac frequenter Diabolus de immiſſis tentationibus triumphat. de prima ſic loquitur S.Bonau.opuſc. de ſex alis Seraph. c. 3. *Cauenda eſt perturbatio deuotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omnis virtutis exercitium impinguatur; arida eſt omnis Religio, quæ non oleo iſto ſaginatur, inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ deuota orationis frequentia non compaginatur, ſicut partes lapidum ſine cæmēto; in omni Religione, vbi deuotionis feruor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ; lampades fatuarum virginum ſine oleo extinguntur*: & de perfection. vitæ ad ſorores cap. 5. ait: *Re vera Religioſus non frequentans orationem aſſiduè non ſolùm eſt miſer, & inutilis, quinimò coram Deo fert animam mortuam in viuo corpore; cum enim tanta efficacia ſit deuotionis virtus, vt ipſa ſola hoſtis maligni deuincat tentamenta, & verſutias Diaboli, qui ſolus famulam Dei impedit, ne ſurſum ad Cælos aſcendat, non eſt mirum, ſi tentationibus ſuccumbat frequenter miſerabiliter, qui ſtudium orationis non frequentat*: vndè B. Iſidor. de ſumm. bon. lib. 3. cap. 7. ſent. 1. dicit: *Hoc eſt remedium eius, qui vitiorum tentamētis æſtuat, quoties quolibet vitio tangitur, toties ſe ad orationem ſubdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit, & hoc eſt, quod Dominus dicit in Euang. Matth. 26. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* De ſecund. ſic aſſerit. S. Iacob. Apoſtol. cap. 1. *Si quis putat, ſe Religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt Religio*: cuius verba referuntur à S. Hieron. citat. vnà cum Dionyſ. Carthuſ. inferiùs citand. à Rodriq. de perfect. religioſ. tr. 2. cap. 4. pro ſilentij cōmendatione, & addit, quòd PP. antiqui ex eremo verbis Apoſtoli innixi multùm inſiſtebant ſilentio; imò inſinuat Carthuſian. omnes Religiones ab eiſdem verbis inſtructas ſuis alumnis ſilentium præcepiſſe tanquam rem pro perfectione acquirenda inter omnes principaliorem, ac pœnas taxatas transgreſſoribus impoſuiſſe; & meritò, quia, deperdito ſilentio, ob diuerſa ingenia, ac naturas deperditur etiam differentia inter plateas Ciuitatis, & domus Religionis, eoque

confer-

conſeruato, conſeruatur pax, de qua ſic loquitur S. Bonau. de perfect. vitæ cap. 4. vbi ſupr. *Vndè cum clauſtralibus pax ſit summè neceſſaria, valdè neceſſarium eſt ſilentium, per quod pax eis tam cordis, quàm corporis conſeruatur.*

Limita tert. modò regula, ſeù conſtitutio introducta non deperdatur propter Prælati negligentiam affectaram, ideſt, vt hæc ſit totalis cauſa mali, vti loquitur Caietan. 2. 2. quæſt. 186. art. 9. in hoc enim caſu Prælatus videtur habere animum nimis tepidum, & auerſum bono Religionis, vndè nequit non imputari ad labem lethalem; nam Religionis detrimentum non oboritur ex legum multitudine, neque ex hominum imbecillitate, ſed ex mera negligentia Paſtoris, quæ in praxi difficilè poſſe dari autũno, niſi in Prælato occupante ſedem ad proprij commodi menſuram: hic, inquam, ne reddat ſibi aduerſarios ſubditos, qui eum conſeruant in munere, negligit, nullo repugnante, bonum Religionis quotidiè labens reparare; nam alij, ſi multa permittunt, cognoſcunt rei difficultatem ex legum multitudine, hominum infirmitate, ſpiritus debilitate, ac Religionis natura ad occaſum tendentis oboriri, vndè non audent ſine fructu inter ſe, & ſubditos durum aggredi bellum.

Dices, doctrina cõcluſionis etiã cũ limitationibus obruitur ab authoritate tot claſſicorũ DD. prout in principio quæſiti. Reſp. quòd ſubleuatur à DD. citatis in concluſione, præſertim à S. Thom. cuius authoritas omnibus illis præualet, aſſerente, quòd ſtatus regularis eſſet Prælatis periculoſiſſimus, & in laqueum propriarum animarum: ſubleuatur à S. Ambroſ. in pſalm. 118. octau. 5. verſ. 6. cuius verba non omnia, ne aliquem offendam, referam: *Sunt etiam*, inquit, *in nobis, qui habent timorem Dei ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere; timor in eis eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere, ſed veritatem rei non attingunt, quia non compatiuntur naturæ, nec æſtimant poſſibilitatem: non ſit ergo irrationalis timor*: ſubleuatur à D. Auguſtin. quæſt. vet. & nou. teſtam. qu. 15. *Lex enim*, ait, *quia ſe ipſam mollire non poteſt, à nobis mitiganda eſt, vt poſſit prodeſſe ſub ſe agentibus*: ſubleuatur tandem à praxi cuiuslibet Religionis, cuius zelus, ſi in hoc negotio multum emungit, elicit ſanguinem: Nec DD. ratio plurimùm valet, quia, eſtò ex officio Prælati teneantur incolume ſeruare bonum perfectionis Religionis, non tamen tanto cum periculo animarum propriarũ, propria infirmitate neglecta, vnà cum ſubditorum imbecillitate, ac repugnãtia, ac oſtenſa ignorantia curſus regiminis ad occaſum declinantis: nec video, quomodò ſtatus electus à Religioſo ſub ratione maioris perfectionis poſſit communiter loquendo, ſaltem ex parte Superiorum ad neceſſitatem tranſire.

Dices, ſi in hoc negotio à lethalis culpæ vinculo liberantur Prælati, liberatur etiã diſciplina regularis à rigido vinculo, ſub quo propagari debet. Reſp. quòd, ſi nõ eximũtur nõ eximitur etiã communitas ab aliquo incommodo graui, quia, cum leges ob multiplicitatem ſint ſupra vires hominum, maximè cum tales ſint, quales ſanciuntur in Religionibus, quæ de ſui natura eleuant ſubditos ad magnã perfectionẽ, pro cuius aſſequutione maior communitatis pars, quæ eſt infirma, ac debilis, claudicat, & eum ſub quadam violentia conſtituatur regimen, ſi adderetur Superiorum timor in peccatum labendi, eò præſertim, quia non omnes ob experientiæ defectum ſumma poſſunt vti prudentia, vſus diſciplinæ regularis fieret violentus, & corruptioni expoſitus, &, data occaſione, quæ tandem non deeſt homini, qui temporum varietati ſubeſt, inquit S. Thom. inferiùs citand. magnum pareret incommodum, tanquam effectum naturalem violentiæ, ac timoris; ideò dicebat S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 10. præter ea, quæ dicta ſunt in quarta ratione: *Non poteſt enim diù conſeruari, quod votis multorum repugnat*: proindè ſubleuandus eſt Prælatorum ſpiritus prædictam relaxando obligationem, vt poſſit propagare diſciplinam regularem ſecundum formam à B. Laurent. Iuſtinian. de regim. Prælat. cap. 9. præſcriptam: *Non enim*, inquit, *pariformiter Paſtores animarum, & Reges gentium, ac ſæculares Principes ſubditos gubernare oportet; ſanè Principibus cum terrore licet regere, Eccleſiaſticis Præſulibus cum charitate, ac lenitate;*

*illis*

*illis tanquam Dominis, iſtis tanquam Patribus; illis cum ſeueritate, iſtis verò cum moderatione, ac mentis compaſſione corrigere; illis iugulare, & perimere, iſtis autem, omni credulitate ſemota, delinquentes reuocare ad vitam, non vt liberiùs peccent, ſed vt emendentur, & viuant in ſpiritu, ſaluique fiant; Regibus quippè, atque Principibus corporum, Vrbium, ac populorum data eſt à Deo poteſtas; viris autem Eccleſiaſticis animarum cuncta eſt cura; circa igitur profectum animarum, reformationem morum, vitæque emendationē eorum, quibus ſpiritualiter præſunt, Paſtores vigilent, nunc minis terrendo, nunc demulcēdo ſermonibus blandis, interdum ratione perſuadendo, interdum authoritate mandando, aliquandò puniendo miniſterium perficiant; ita tamen, vt non quod ſibi placet, ſed quod commiſſo ſibi gregi ſit vtile, pio ſemper quærant fraternæ charitatis amore*: hæc Laurent. & ita obſeruabitur illud monitum Soti de iuſt. lib. 1. quæſt. 5. art. 3. præcipiens, vt homines ad obſeruantiam legum alliciantur more ſuo, vt ſcilicet gradatim, eorum imperfectiooe appulſa, promoueantur, ac non citius in vſu veniant, vt, dum nimia legum anguſtia ſepiuntur, in deteriora proſiliant; nam vt legitur Prouerb. 30. *Qui nimis emungit, elicit ſanguinem*: hinc S. Bonauent. de ſex alis Seraph. cap. 7. ſpeciatim loquens de Regularibus optimè dicit: *Tertia obſeruantia conſiſtit in illis, quæ nec ſunt de pura neceſſitate ſalutis, nec de eminentia perfectionis* (de quibus dixit ſupr.) *ſed tamen ad vtriuſque acquiſitionem, & conſeruationē à Sanctis PP. aptè ſtatuta ſunt, ad exercitium bonorum operum, & decorem ipſius Religionis, & ad ædificationem intuentium, vt ſunt ieiunia, ſilentium, ſolemnitas diuinorū officiorum, & exteriores corporalium exercitationum honeſtates, quæ iuxta Apoſtolum 1. ad Tim. 4. tam vtiles ſunt, ſicut inſtrumenta pro artificijs, quæ poſſent, & aliter peragi à peritis, cum priùs fuerint artes, quàm talia inſtrumenta; vndè diſcretus Prælatus, cum neceſſitas exigit, vel maior vtilitas requirit, diſpenſat in cauſa pro talibus, pro loco, & tempore ſine difficultate, cum viderit expedire; vbi autē maior vtilitas, vel neceſſitas non exigit, ſtudiosè faciat ea obſeruare; in hoc indiget Prælatus non modica diſcretione, vt ſciat inter rigorem, & remiſſionem medium tenere; ſi autem nimis fuerit rigidus, & ipſe minùs erit dilectus fratribus, & illi minùs erunt voluntarij ad alia, quæ vtiliora, & neceſſariora forent; rurſum ſi fuerit, pluſquam conuenit, remiſſus, in talibus citò maior diſſolutio ſubſequetur: Qui modica ſpernit, paulatim decidit: Eccleſ. 19.* hæc Bonauent.

Vt magis intelligatur natura regiminis regularis, addendum eſt Religionum relaxationem ex duobus ſuboriri capitibus. Prim. ex ipſa multitudine, quæ, cum ſit ſub onere ſummæ imbecillitatis, iofirmiter operatur, & ſicut leges communes omnibus non debent cohibere omnia vitia, ſed grauiora, à quibus maior pars communitatis per leges, ſeù ſtatuta poterit abſtioere, quia eſt fragilis, ac labilis, & menſura debet proportionari menſuratis, vti docet D. Thom. 1. 2, quæſt. 96. art. 2. ita leges municipales cuiuſlibet Religionis omnia vitia, licèt leuia præpedire oon debeot, quia maior pars hominum in perfectionis acquiſitione eſt languida, ac debilis, vt ſæpiùs dixi: adde ſub hoc capite, quòd ipſum regimen ab intrinſeco tendit ad occaſum, cuius ruina, quia eſt magis alijs perfectum, clarè quotidiè dignoſcitur. Secund. ex malitia, ac negligentia tam Paſtorum, quàm ſubditorum: illa reparari totaliter nequit, quia quaſi naturalis eſt, poteſt quidem frenari, ſicut impetus fluminis argine, idque potenter fier, claudendo oſtium multitudini ingredieotium, & qui ad habitum admittuntur, ſint ſuaui indole præditi, de qua videndus eſt S. Baſil. orat. 6. de inſtir. & admonit. multa dicens, ac idoneitate nauandi operam ſtudio, quia inter conditiones, quibus conſeruantur Religiones, ſcientia enumeratur, teſte D. Bernardin. in dialog. inter Religionem, & hominem ante med. tom. 3. *Tria*, inquir, *præter alia ſunt, quæ Religiones ſeruant. Prim. eſt penuria, ſuper quam fundantur. Secund. ſcientia, in qua profundantur. Tert. concordia per quam fœderantur*: ac reprimendo propenſionem ad erigenda monaſteria, præſertim vltimo reuoluente ſtatu ex tribus ſæpiùs deſignatis: hæc mederi poteſt circa ſubditos modo præſcripto, circa Prælatos, malos expellendo, quærentes ſemetipſos in commodis fugando, negligentes corrigendo,

do, miniſque terrendo.

Verùm doctrina hęc tot rationibus fulcitat videtur probabilior, ac ſuauior, altera; nihilominùs ab ea nō recedo, quandò Prælatus permitteret, vt in aliquo Religioſo vſus impudicorum verborum præualeret, ac conſuetudo iurandi, aut vſus cartis ludendi, aut ſimilia, quæ Religioſum maximè dedecent, prout dixi in dubio; facillimè enim his corruptelis obſtare poteſt, vt de ſe patet.

Pro fine quæſiti vnum eſt maximè aduertendum cum S. Bonauentur. vbi ſupr. de ſex alis Seraph. cap. 5. in initio. quòd *Superiores, qui fideliter ſubditos ſuos defendunt à turbine peccati, neceſſe eſt, ſæpè diuerſarum excipere tempeſtates aduerſitatum*: imò cum Sanct. Baſil. vbi ſupr. *Non enim*, ait, *neſcij eſtis, omnes illos, qui alijs præſunt, veluti ſcopulos quoſdam in mari præeminentes eſſe, qui impetum contrariorum fluminum recipiūt, & circa ipſos rupti, eos, qui poſt ſe ſequuntur, non inundant*: vndè patienter impetus eſt tolerandus: *Per iſtas namquè*, inquit S. Bonauentur. vbi ſupr. prope fin. *aduerſitates Rector à peccatorum puluere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis ſurreptione, in multis enim offendimus omnes etiam in pluribus negotijs plures negligentiæ ſæpè fiunt, à quibus purgari neceſſe habent hic Prælati, ne illic duriùs puniantur, iuxta illud. Si inique aliquid geſſerit, corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum; item per has, dum deprimitur, à tumore ſuperbiæ cuſtoditur, quæ potentibus periculoſiùs inſidiatur, dum & ſublimitas officij, & libertatis licentia, & boni operis placentia, facilè mentem eius extollerent, niſi aduerſitatis iugum collum præſumptionis eius humiliaret, & ſic à ſuperbiæ voragine defenſaret; cuſtos enim ſalutis, & profectus boni Rectoris eſt humiliatio aduerſitatis, ſine qua cū ſucceſſus proſperitatis citò releuaſſet in ventū præſumptionis*: & recordetur Prælatus, eas ſæpè eſſe excitandas, quia *vix aliquid*, inquit Bonauentur. vbi ſupr. in libello Apologetico. *fit tam purè, quin poſſit ab aliquo ſiniſtrè interpretari, quaſi malè fiat.*

## DVBIVM LXXVI.

*An intentio Prælati quæ fertur ad ſe conſeruandum in Prælatura aſſūpta, ſit peccatum mortale: & an erit ei arduum tandem eandem Prælaturam deponere.*

## SVMMARIVM.

1. *TRiplici mediorum genere poteſt vti Prælatus pro ſui conſeruatione.*

2. *Religionum relaxatio ex varijs oboritur rationibus.*

3. *Ex SS. PP. habetur ambitionis vitium eſſe maximum periculum labendi in peccatum.*

4. *Intentio Prælati vtendo ſubditorū actionibus pro ſui conſeruatione in Prælatura eſt lethaliter mala; ſicut illa, quæ vtitur medijs apertè illicitis.*

5. *Itidem huiuſmodi intentio eſt damnanda tanquam lethaliter mala, cum per frequentes actiones, ac diſſimulationes venialiter malas quærit ſui conſeruationem.*

6. *Semper erit arduum Prælato Prælaturam deponere.*

1. Poſt elucidatas præcedentes quæſtiones hanc elucidandā aggredior libenter, cuius declaratio ab illis dependet. Sit ergo prim. notand. conſeruationem Prælaturæ poſſe conſiderari in ordine ad media requiſita dupliciter; vel per media honeſta, & iuſta intra terminos diuinæ legis; vel per media parum honeſta, imò mala; & hoc etiam dupliciter; vel procurando conſeruationem per media diuinæ legi lethaliter contraria, diſſimulando ſubditorum vitia, ſubleuando indignos, poſtponendo digniores dignis, & ſimilia; vel appetendo, & procurando eam per media, licèt illicita, non tamen peccaminoſa mortaliter, ſed tantùm venialiter, vt fouendo amicos in nonnullis rebus non magni momenti, fauoribus etiam eos cumulando, alijs denegatis, &c.

2. Not. ſec. quòd D. Bonau. in expoſ. reg. S. Franciſ. quæſt. 19. quē ſequitur Cordub. in ead. expoſit. in introduct. quæſt. 3. mouet

mouet dubium ; vndenam oriatur, quòd Religiones cadant à ſuo priſtino feruore, & in relaxationem labantur; multas affert rationes ſuperiùs relatas, inter quas enumerat quandam inſenſibilem relaxationem bonarum conſuetudinum; nam paulatim ſubintrant non bonæ conſuetudines, & relaxationes, quæ ab alijs trahuntur in exemplum, & ſi aliqui zelo ducti illas redarguũt, audacter defendunt alij dicentes; quarè non ſibi liceat, quod alteri permittitur, & ſic iam pro lege tenetur, cum ex vſu conueniens videatur, & tam firmiter introducatur, vt vix extirpari queat: Prælati verò eas vident, & cognoſcunt, amarè tolerant, nè maius autem malum oboriatur, diſſimulant, vt pacificè cum Religioſis viuant: introducta autem vna conſuetudine ex diſſimulatione, toleratur & altera, quæ paulatim introducitur; & ſic abyſſus abyſſum inuocat, & malum introductum ſuo pondere, & conſuetudine ad aliud trahit. Aliam verò rationem aſſignat Sanctus, quæ exoritur ex Prælatorum defectu neſcientium inſtruere alios, quia ab antiquis Religioſis ſpiritu Dei plenis, virtutibuſque imbutis non didicerunt: cum verò regimen ad iſtos iuuenes deuoluitur, inſtruunt ſubditos illis moribus, quos habent, trahentes antiquorum vitam in fabulam, eorumque ſanctum exemplum abdicantes: imò addit Sanctus, quòd ſe reputant meliores antiquis Patribus, qui mille virtutibus erant ornati, non cognoſcentes perfectorum virtutes, dum quandam diſciplinam regularem in choro, vel in proceſſionali progreſſu conſeruant, & audacter aſſerunt nunquam Ordinem fuiſſe tàm reformatum, ac bonum; quarè concludunt S. Bonau. & Cordub. ex his, & alijs ſimilibus adductis ſtatum Religionis deficere, & in tantam relaxationem cadere, vt eius reſtauratio cenſenda ſit impoſibilis, ac deſperabilis, ita vt, niſi Deus aliter diſponat, in relaxatione pereat: & ita Gerſon. 2. part. ſumm. Alphabet. 39. litt. O. de non eſu carnium Carthuſian. inquit. Semel lapſa Religio vix, aut nunquam reparari poteſt, & faciliùs de nouo à fundamentis conditur, quàm reformetur.

3. Not. tert. quòd non parui periculi, imò maximi oſtenditur ex SS. PP. eſſe vitium ambitionis. S. Auguſt. in pſ. 1. tom. 8. expendens illud Dauid. *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, &c. & in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, ſic ait. *Cathedram peſtilentiæ vocat Regnum terrenum cum ſuperbia, quæ ideò cathedra peſtilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quiſquam eſt, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam; peſtilentia enim eſt morbus; qui latè vagari ſolet, & omnes, & penè omnes inuoluens, qui & ſedere dicitur, quia redire non potuit, niſi à Deo liberatus*: quarè S. Hieronim. epiſt. 51. quæ eſt de vita S. Hilarion. tom. 1. loquens de honoribus à Diabolo delatis, vt Sanctum proſterneret, inquit. *Videns his armis* (nempè honoribus, ac dignitatibus) *etiam homines inculpatiſſimos vinci poſſe, quia ambitio difficulter, & rarò vincitur*: quæ maior autem ſanctitas inueniri poterat, quàm quæ florebat in innocentiæ ſtatu, & tamen ambitio eam labefactauit, vt egregiè tangit S. Hieron. ad 1. Marc. loquens de Adamo: *Lepra noſtra peccatum primi hominis eſt, quæ à capite cœpit, quoniam Regna Mundi deſiderauit*: & S. Ambroſ. de tert. tentat. Chriſt. ad 4. Lucæ loqueins de Eua: *Non Euam cibus flexerat, non mandatorum deſtituerat obliuio, ſed proximi honoris ambitio illecebra decepit*: & licèt innocentiæ ſtatus ei concedebat, vt rei veritatem poſſet percipere, attamen inquit Abulenſ. qu. 527. in Geneſ. 13. Illa cognouiſſet Dæmonem falſa dicere, niſi appetitus honoris inordinatus inſurrexiſſet ei, per quem cecidit à ſtatu innocentiæ, vndè apparet ambitionem rationis rectitudinem ſuperare, vt teſtatur idem Abulenſ. 4. Reg. 6. q. 6. & tãdem quid ergo erit expectandũ ab ambitioſo præſertim Monacho? non niſi vt finaliter recipiatur in inferni barathro. Ita concludit Baſil. in conſtit. monaſt. cap. 2. to. 2. *Si ſe ipſum exaltauerit Monachus, grauem, & potentem habet humiliatorem, & qui vſque ad orcum demergere poteſt*.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. PRælatus, cuius intẽtio tendit ad ſui conſeruationem per media non illicita, vt ipſe putat, iuxta ea, quæ dicta ſunt in

in 7. dub. part. 1. lethali culpæ obnoxius cenſendus eſt; & multò magis id eſt ſtatuendum, ſi eam intendit per media iniuſta non intra terminos diuinæ legis. Prima pars ſatis intelligitur probata per rationes, prout in dubio citato, quibus additur hęc: Epiſcopus, qui intendit exercere ſuam authoritatem, & iuriſdictionem in Clericos ſibi ſubiectos, nō ſolùm vt Epiſcopus, ſed vt talis homo ſęcularis, nonne reus lethalis culpę erit? vtique; nā ſub hac ratione nullam in eos habet iuriſdictionem: ergo etiam Prælatus regularis, eſto ſecundatiò propriam conſeruationem, prout in dubio dixi, intendat, damnandus eſt mortali culpa, eò quòd ſub illa ratione vtitur ſubditis, eorumque actionibus in proprium cōmodū, quod nequit abſque lethali culpa fieri quia in eos exercet iuriſdictionem non ſibi debitam. Secund. pars ſuadetur ex Caietan. ſumm. tit. Ambitio, aſſerente honorē appetere, ac optare ad ſcelus aliquod perpetrādū eſſe peccatū mortale: & cum huiuſmodi Prælatus exoptet Prælaturę conſeruationem per media iniuſta, & ad patranda multa ſcelera: igitur ſatis dignoſcitur eius malus ſtatus: dico dignoſcitur, quia excitātur ex eius mala adminiſtratione inuidię, oboriuntur diſſenſiones, contentiones, calumnię, ac alia infinita mala; quarè Mirand. to. 2. q. 5. art. 5. inſpiciēs ruinam inquit. Radix omnium perturbationum, quę venenosè ſerpunt per totam Religionem, eſt affectus in Prælatis proprij commodi, & non communis; quarè credunt eſſe illam viam, per quam intēdunt formare proprium ſolium in adminiſtrationibus, dignitatibus, & Prælatijs; ſed, Deo ordinante, aliter ſequitur, quia, dum ſtudent in officijs ſe conſeruare iniuſtitijs, occulto Dei iudicio miſerabiliter ruunt, & pręcipitātur, idque meritò, quia, teſte D. Thom. lib. 3. contra Gentil. c. 144. *Naturalis æquitas hoc habere videtur, quòd vnuſquiſq. priuetur bono, cōtra quod agit: ex hoc enim reddit ſe tali bono indignum, & indè eſt, quòd ſecundum ciuilem iuſtitiam, qui contra Rempublicā peccat, ſocietate Reipublicæ priuatur omninò, vel per mortē, vel per exiliū perpetuum.* vndè S. Leo papa epiſt. 85. aliàs 83. eos grauiter reprehendit. *Non eſt hoc*, inquit, *conſulere populis, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen; integritas enim Præſidentium ſalus eſt ſubditorum, & vbi eſt incolumitas obedientiæ, ibi eſt forma doctrinæ: Principatus autē, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitio occupauit, etiamſi moribus, aut actibus non offendit, ipſius tamen initij ſui eſt pernicioſus exemplo, & difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. Intentio Pręlati ſe conſeruandi in dignitate, ſeu Prælatura per frequentes actiones, ac diſſimulationes, nec non & partialitates, quæ ſunt peccata venialia, cenſenda eſt grauiter, ac lethaliter peccaminoſa. Suadetur: ſi ad mortale non imputatur; maximè quia conſuetudo horum venialium pro ſui conſeruatione non inuoluit proximum periculum labendi in mortale: at id videtur falſum ergo: minor probatur, quia ambitio eſt tam periculoſum vitium, & adeò vehemens, vt excęcet intellectum, rationiſque rectitudinem tollat, vt dixi in tertio not. & faciat homines criminoſos, vt notat S. Ambroſ. in 4. Luc. *Hoc ipſo*, inquit, *eſt pernicioſior ambitio, quod blanda quadam eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos*: imò ſecundum Ciceron. 1. offic. facit criminoſos impellendo: *facillimè ad res iniuſtas impellitur, vt quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupido*: ideo S. Baſil. conſtit. monaſt. cap. 10. poſtquam Monachos ambitionis labe notatos reprehendit, in hæc verba prorupit: *Qui autem ab hoc vitio captiui tenentur, eos inuidos, contentioſos, inſimulatores, imprudentes, calumniatores, aſſentatores, veteratores, humiles vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, ſexcētis deniquè alijs huiuſcemodi turbis refertos exiſtere, neceſſe eſt*: & eſt in materia inter omnes magis periculoſa, vt notant Laurent. Iuſtinian. de regimin. Prælatorum cap. 1. & S. Chryſoſt. hom. 56. in Geneſ. Primus ait. *Nemo primatum cupiat, nulluſque præeſſe deſideret, cæteris quippè negotijs magis periculoſum eſt regimen animarū, atque ad illud, prout oportet, miniſtrandum difficillimè quiſque reperitur idoneus*. Secundus inquit. *Ne ambitionem ſectemur, nihil enim periculoſius id, quod rerum experientia ſatis didicimus*; ergo quis negabit conſuetudinē venialia committēdi in hac materia non inuoluere proximū periculum lethaliter errādi? quarè dicebat Cice-

ro pro Milone. *Nihil enim eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos.* Secund. ſicut Gubenator Ciuitatis tenetur procurare quietem politicam, pacemque ciuium, quæ ſunt finis gubernationis politiæ; ita Prælatus Religionis tenetur promouere ſtudium perfectionis, quod videtur eſſe finis congregationis religioſæ: at procurando, vt ſe conſeruet modo prædicto in aſſumpta dignitate, deficit à fine, quia opus eſt multa vitia, licèt leuia, diſſimulare in amicis, ne eos offendat, ſibique aduerſarios reddat; in alijs etiam, ne partialitas tantùm eluceſcat: & ecce relaxatio, quæ paulatim introducitur, de qua dicebam in ſecund. not. & ecce ſtudium perfectionis, finis Prælati, ac regiminis neglectum; quòd ſi diſſimulatio tantùm ſe extendat ad amicos, ad alios ſe extendit non parua conturbatio ob Superioris partialitates; & ecce Religionis ſtatus per pacem, & quietem conſeruandus, per inquietudinem, & relaxationem conturbatus, & à debita perfectione alienatus: ergo modus viuendi, & ſe conſeruandi in Prælatura iſtius ambitioſi Prælati eſt ad mortale imputandus: & ideò Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 9. ſect. 2. in fine, conſiderans hanc veritatem inquit: Maius, & quaſi radicale Prælati periculum oriri ex defectu intentionis rectæ in ſuo regimine, quia nimitum officio vtitur potiſſimùm ad ſe ipſum, ſuaque cōmoda procuranda; & paulo inferiùs addit: Potiſſima Prælati obligatio, & cura hęc debet eſſe, conſeruare ſe ipſum ſine paſſionibus amoris, & odij, timoris, & affectus humani, quæ perturbant, & excæcāt mentem noſtram, & ſunt radices, & cauſæ ferè omnium errorum, qui in Prælatis ſolent euenire.

Pro fine quęſiti legat Pręlatus doctrinam S. Bernardi de tribus ordinibus Eccleſiæ ad Patres in Capitulo. *Puritatem quidem*, inquit, *cordis in eo Prælatus habet, vt prodeſſe deſideret, nō præeſſe, vt ſcilicet proprium commodum, vel honorem ſæculi, ſeù aliud quidpiam ſuum in prælatione non quærat, præter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem; ſed cum intentione pura, irreprehenſibilis quoquè neceſſaria eſt conuerſatio, vt forma factus gregis incipiat facere, & docere, & ſecundum Magiſtri noſtri regulam: quæcunque docuerit diſcipulis eſſe cōtraria, hæc in ſuis actibus indicet non agenda, ne fortè ſubmurmurare poſſit frater, quem arguit, & dicere: Medice cura te ipſum: talis enim occaſio plurima damnatio Prælati, plurima ſubditorum perditio eſt.*

*TERTIA CONCLVSIO.*

6\. RES quidem erit ſemper ardua Prælato, qui præſcriptis modis Prælatura potitur, eam deſerere. Ratio eſt manifeſta, tumquia opus eſt mille commoda, quæ elicit ex Prælatura, relinquere; ideò dicebat S. Thom. 3. polit. lect. 5. ex Ariſt. *Homines propter vtilitates, quæ veniunt ex bonis communibus, quæ ſibi Principantes vſurpant, & quæ veniunt etiam ex ipſo iure Principatus, volunt ſemper principari*: tum quia incidit in mille incommoda, & natura nociua fugit, dicente Boetio lib. 3. de Philoſ. conſolat. *Cuncta, quæ ſunt, naturaliter deuitare perniciem*: audiamus quandam doctrinam Didaci de Celada in Iudith. cap. 1. §. 23. nu. 122. extendentis egregiè noſtrum intentum, & explicantis verba illa Sap. 6. *Horrendè, & citò apparebit vobis*, ideſt Superioribus, *quoniā iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet: Potentes potentes tormenta patientur*: Dura Superioribus, inquit, & horrenda ingruunt ſupplicia; magnitudo pœnæ magnitudinem exęquabit poteſtatis, & honoris. Placet peruestigare, quænam ſint hæc horrenda tormenta, quæ potentes potenter patientur: ego in ea ſum ſententia, vt exiſtimen nihil durius, nihil horrendum magis accidere poſſe Superiori in hac vita, quàm vt deponatur ab officio, & culmine dignitatis; nam aſſuetus erat imperitare alijs, quod dulce eſt, & plenum faſtus; inſuetus obedire hominibus, & alium omninò hominem ſupra caput ſuum habere: omnes illi ridebant, adulabantur, plaudebant, & opima quæque offerebant illi, vtporè quo egebant omnes: multus populus illi ſemper aderat impiger ad eius nutus, frequens ad comitatum, frequentior ad ſupplicandum, vel rem liberalitatis, vel negotium iuſtitiæ: ecce ſubitò hicmet à culmine Præfecturæ perturbatus, pro adulationibus, accuſationes audit, obediētia ſuccedit imperio, & frequēti apparitorū comitatui, iners ſolitudo: audi Iobum c. 20. v. 27. in re eadē ſic loquentem: *Reuelabūt Cœli iniquitatē eius, & terra conſurget aduerſum eū*: ideſt, omnes in Superiorē à Præfectura depoſitū conſpirabūt; cui ſi fortè homines parcāt, vel Cœli ipſi (vt nobiles, ita & pij) teſtimoniū dicent contra ipſum; imò,

imò, & terra, & ſi pientiſſima mater, conſurget aduerſus eum: addit Iobus: *Relictus affligetur in tabernaculo ſuo*: quaſi dicat ille, qui quondam populorum cateruis comitatus arroganter incedebat, cui frequens populus ſemper aderat, *relictus in tabernaculo ſuo affligitur* acerbè: ecce durum, & horrendum ſupplicium, vel ex hac parte prorſus intolerabile, & præ exilio, proſcriptione, & nece extimeſcendum Præpoſitis, nēpè depoſitio à munere.

Dices, ſemper erit facile Prælato Prælaturam deſerere, licèt & commoda prædicta deſerat, & incommoda ſubeat, quia conſeruando ſe præſcriptis modis ſe conſeruat in ſtatu lethalis culpæ. Reſponſio eſt petenda à verbis Lactantij de inſtitut. lib. 7. cap. 1. *Qui verò*, inquit, *ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi ſolem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, &c.*

## DVBIVM LXXVII.

### *An, quandò peccatum occultum ſubditi eſt reuelatum Prælato, tanquam Patri, poſſit de illo loqui cum Conſultoribus, ſeu Definitoribus.*

SVMMARIVM.

1. *Quæ obſeruare debet Prælatus, quandò ſibi tanquam Patri eſt delatum crimen ſubditi.*

2. *Tres deſignantur regulæ, quibus Prælato innoteſcit intentio deferentis delictum ſubditi in ordine ad licitam manifeſtationem apud alios.*

3. *In triplici differentia ſe habent peccata, ſcilicet contra bonum publicum, tertium, & contra delinquentem.*

4. *Nequit Prælatus occultum fratris peccatum paternè ſibi commiſſum, quod non indiget extraordinario remedio, & quod eſt tantùm nocivum peccanti, Conſultoribus propalare.*

5. *Si Prælatus pro reparatione aliquo indiget conſilio, non eſt delati notitia communicanda toti Definitioni; & ſatiſfit cuidam obiectioni.*

6. *Huiuſmodi delictum manifeſtari nequit Superioribus, à quibus delinquens eſt gubernandus.*

7. *Quandò eſſet delatus promouendus ad aliquod officium, aut Prælaturam, licitè poteſt eius delictum manifeſtari electoribus, à quibus eſt promouendus: duæ habentur limitationes.*

1. Not. prim. quòd Emin. Lugo de iuſt. diſp. 14. ſect. 7. referens ea, quæ accuratè, & doctrinaliter fuere pertractata, ac diſputata in congregatione generali à Patribus Societatis Ieſu, ita loquitur. In primis fuit declaratum non poſſe Prælatum deferentem ſine eius conſenſu, quem interdum datè tenebitur, vlli reuelare, vt eius indemnitati ſemper conſulat. Secund. Prælatum ſe abſtinere debere à reuelatione delinquentis, ſeù delati, niſi ob finem delationis paternæ, qui eſt poſſe prodeſſe; vndè finis duo ſemper reſpicit, & bonum ſpirituale ſubditorum, & bonum commune Religionis; qua idò verò ad hūc finem reuelatio eſt neceſſariò præſtanda, ſemper id fieri debet cū eo minori detrimento delati, quo fieri poteſt. Tert. poſſe Prælatum pro conſilio, ac directione in adhibendo remedio, ſi id videbitur expedire, alios conſulere, imponēdo eis ſecretum. Quart. poſſe Prælatum alteri Prælato, ſub cuius cura delinquens moratur, crimen manifeſtare, ſi res id poſtulat ad finem paternę correctionis. Quint. vt cum maiori cautela procedatur, perendū eſſe conſenſum à deferente, vt tacito eius nomine res communicetur Conſultoribus. Sext. poſſe Prælatum ſecretò in ordine ad remedium abſque nota infamiæ delinquentem monere priuatim, reprehendere, minis terrere, occaſiones relapſus præcauere, ad officium non admittere, imò ab illo remouere, quod habet, ſi ſine violatione ſecreti, & nota infamiæ ſub alia probabili, & apparenti occaſione id fieri poſſit. Sept. deuenire etiam poſſe Prælatum ad dimiſſionem ſubditi delati à Religione, &c. ſed id ſpectat ad Religionem Societatis Ieſu. Concludit tandem Lugo hæc omnia eſſe

veriſſima, quia finis paternæ delationis ad omnia extenditur, quæ neceſſaria ſunt, non quidem ad punitionem, & vindictam, ſed ad ſuccurrendum bono delati, & bono cōmuni Religionis, quæ duo pertinent ad paternam Prælati, & Patris prudentiam: ſecretum autem commiſſum in prędicto caſu non acquirit ius aliquod delato, ſed deferenti, qui voluit ſecreti ius retinere; quarè eius ſolius conſenſus deſideratur ad vtendū tali notitia, tamen conſenſum ipſe plerunq; dare tenebitur, ad ea ſcilicet, quæ ſine graui ſuo detrimento ei neceſſaria videbuntur ad bonum ſubditi, vel ad commune Religionis bonum.

2. Not. ſecund. quòd quādò ſubditus aliquod crimē fratris propalat, Prælato ſub ſecreto in ordine ad gubernationē, quæri poteſt: an Prælatus in ordine ad eundem finē notitiam illam alijs communicare poſſit, vt magis explicetur, quod dictum eſt in prim. not. breuiter reſpondet Lugo vbi ſup. ſect. 9. num. 145. eſſe ſeruandum ſecretum explicitè, ſeù tacitè promiſſum iuxta intentionē delatoris; imò quādò explicitè, ſeù tacitè, & implicitè id Prælatus accipit obligādo ſe ad tacendū, etiā cū periculo mortis, ſeù cuiuslibet dāni, debet illud obſeruare, exceptis illis caſibus, in quibus de iure naturæ debet res manifeſtari. Ita Lugo vbi ſup. ſect. 7. n. 115. Molin. tom. 5. diſp. 37. nu. 10. alios referens. Tota difficultas eſt poſita in ferendo iudicio de ſubditi intentione: tres regulas aſſignat Emin. Lugo vbi ſupr. ſect. 9. num. 145. Prim. ſubditus manifeſtans crimen occultum fratris Generali, ſeù Prouinciali ſub ſecreto ad correctionem, ſeù ad aliud remedium ſupponit Prælatum non poſſe adhibere remedium ſine cōſilio; ideò, ſuppreſſo nomine deferentis, & modo delationis, poterit rem manifeſtare in ordine ad remedium, quòd, ſi aliquandò contingit recipientem ſecretum per coniecturas poſſe ſuſpicari de deferente, hoc periculum videtur voluiſſe ſubire ipſe deferens, quia ſciebat remedium non aliter adhiberi poſſe. Secund. quandò ſubditus confidit ſecretum ſoli Generali nullam mentionem faciens de Miniſtris, & Conſiliarijs, putat Emin. Lugo non reſtringi ad ſolum Generalem, ſed etiā ad ſecretarium; nā ſubditus ſcit benè Generalem non poſſe manu propria reſpondere omnibus eiuſmodi literis, atque adeò indigere ad minùs ſecretario, qui reſponſum ſcribat; quarè non videtur ſubditus excludere Secretarium generalem, qui conſcius eſt omnium ſecretorum Generalis, niſi nominatim excludatur, quod idem videtur de Conſultore ſpeciali dicendum, cuius conſilijs in talibus materijs ſolet vti ipſe Generalis. Tert. regula eſt, cum obligatio ſecreti oriatur ex grauitate materiæ, quæ ſub ſecreto committitur, poteſt contingere, rem commiſſam nō eſſe tanti momēti, vt magni referat quòd ab vno, vel ab altero viro prudēte ſciatur, qui eam ſub ſecreto ſeruaturi ſint; ideò ex voluntate præſumpta committentis poteſt reuelari, quia ſicut in alijs materijs iuſtitiæ conceditur; ita in hac concedi debet: nonne ex voluntate præſumpta Domini accipitur liber, aut veſtis? hæc ergo voluntas præſumpta præſumi debet, ſaltem conditionata, quòd ſi ab eo peteretur licētia, vel conſenſus in hoc caſu abſque eius præiuditio præſtaret illam.

3. Not. tert. peccata in triplici differentia ſe habere, quædam ſunt, quæ tantùm tendunt in damnum delinquentis, vt conſuetudo vexandi, ebrietas, & ſimilia: quædam quæ in damnum communitatis, vt in temporalibus ſunt proditio, inſtitutio falſæ monetæ, ſubornatio ad officia, quatenus indignus præfertur digno, & dignus digniori; in ſpiritualibus, vt falſa doctrina, qua fides, & mores corrumpuntur: quædā, quæ in damnū tertij, vt adulterium, homicidium, furtum, detractio, vt videre eſt apud Petrum Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 4. num. 50. & præcipuè in noua edit. apud Caſtr. Palaum part. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. p. 13. num. 2. qui addit cum Villalob. tract. 4. difficult. 11. num. 1. peccata, licèt pariant ſcandalum in perniciem Reipublicæ, non tamen dicuntur propriè eſſe contra bonum commune, quia eorum obiectum immediatum non eſt aliquod bonum commune, quod per ipſa lædatur, quod neceſſariò erat requiſitum, vt diceretur propriè eſſe in damnum communitatis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. PEccatum occultum fratris delatum apud Prælatum, tanquam Patrem, quod pro reparatione non indiget remedio extraordinario, & eſt ſolùm nociuum peccanti, nequit niſi lethaliter peccando Conſultoribus, ſeù Definitoribus reuelari. Ita Mirand. in man. Prælat. quæſt. 17. art. 8. tom. 2. Suadetur prim. communicare cuipiam crimen occultum præſertim Religioſorum, qui non prodeſt fini delationis paternæ, eſt actio maximè iniurioſa, proindè mortaliter peccaminoſa, vt DD. fatentur in detractionis materia: ſed communicatio huiuſmodi criminis facta à Prælato Conſultoribus videtur eſſe talis; nam facilè adhibetur remedium à ſolo Prælato, vt in caſibus ordinarijs ſequitur, vndè caret fine paternæ delationis: ergo talis communicatio cenſenda eſt fruſtratoria, iniurioſa, & contra finem paternæ delationis, & conſequenter grauiter peccaminoſa. Secund. charitas obligat, vt fratri peccanti ſolùm in proprium damnum ſubueniatur cum minima iactura, ac detrimento famæ, quantùm fieri poteſt, quæ ad multa eſt ei neceſſaria, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. vbi Bann. ſed ſi talis notitia paterna communicaretur prædictis Patribus, non ſubueniretur ſubdito cum minima iactura, quantùm fieri poteſt, ſed cum maxima; nam ſolus Prælatus remedium adhibere poteſt neceſſitati eius: ergo nequit excuſari à peccato talis communicatio: quæ doctrina, ſuppoſita facilitate remedij, & moraliter certa reparatione damni, valere etiam debet in peccatis in damnum tertij, & communitatis, quia vt benè dicit Caſtrus Palaus vbi ſupr. num. 8. quandò per monitionem ſecretam delinquenti factam ob peccatum contra tertium, & communitatis intelligitur damnum imminens reparari, clarum eſt non videri poſſe, habere locum iudicialem denuntiationem, quia intantùm denuntiatur, inquantùm deſeruit ad impediendum damnum tertij, & communitatis; ita in caſu, quia conſilium eſt petendum à Conſultoribus ad impediendum damnum tertij, ſeù communitatis, quod morali certitudine ex ſolo remedio Prælati reparatur; ideòque valere debet etiam in peccatis talis conditionis.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. QVandò crimen occultum pro remedio indiget aliquo conſilio, nullo modo notitia delicti, & delati eſt cõmunicãda toti Definitioni, ſeù omnibus Cõſultoribus. Concluſio eſt aduerſus Emin. Lugo vbi ſupr. num. 120. Probatur ex decreto Societatis Ieſu fundato in charitatis regula: quandò delictum exigit pro remedio, ſeù ſine paternæ delationis aliquod conſilium, id debet fieri cum eo minori delati detrimento, quo fieri poſſit; ſed ſi reuelatio fit omnibus Conſultoribus, qui ſolent eſſe in numero quaternario, non fit cum minori detrimento delati, quia vnius prudentis viri conſilium ſufficit in rebus ordinarijs ad hoc, vt opportunum remedium dicatur prudenter aſſignatum, & communiter apud ſæculares ita praxis eſt: nec dici poteſt, quòd temerè agatur, quia, ſi quis errat cum conſilio vnius prudentis viri, non imputatur eius actio ad peccatum: ergo: tum quia id habetur ex intentione deferentis, quæ eſt menſura manifeſtationis, vt fiat cum minima iactura famæ delinquentis.

Dicit Emin. Lugo vbi ſupra num. 120. rem non ita ſcrupuloſè eſſe tractandam: ille ternarius numerus, ſeù quaternarius Conſultorum eſt datus ad peragendas res graues, & æſtimatur valdè vtilis, & neceſſarius ad dirigendos ſubditos, & ad bono cõmuni conſulendum, vndè in caſu propoſito, cum non habeatur, à quo Conſiliario conſiliũ vtile ſit audiendũ; ideò moraliter loquẽdo videtur non eſſe inconueniens dare notitiam de crimine occulto omnibus Conſiliarijs, ſeù Definitoribus, niſi fortè peculiare aliquod inconueniens ſit in aliquo, vel timeatur, ne ea occaſione res publicetur, illo fortaſſe non obſeruante debitum ſecreti. Reſpond. quòd doctrina ab Emin. Lugo vera erit cenſenda in caſu grauiſſimo, quandò agitur de dimiſſione delinquentis a Religione, ex qua poſſunt ſequi grauia incommoda, ſeù in aliquo caſu, quandò vndiquè ſunt anguſtiæ, eò quòd probabiliter igno-

ratur, à quonam Conſiliario remedium vtile proferendum ſit; non verò in caſibus ordinarijs, quorum remedium in promptu habetur, ſaltem adhibito vnius conſilio; vndè ille quaternarius numerus eſt datus Prælato ad peragendas res graues, in quibus fama ſubditi non periclitatur, & maximam non patitur iacturam; quarè idem Lugo cognoſcens difficultatem doctrinæ traditæ dicit. Si metaphyſicè, aut certò conſtare poſſet, quorum, vel cuius conſilium ſufficeret ad remedium adhibendum, non poſſent plures in conſultationem vocari, ne ſine cauſa ſubditus infamaretur: adhibita ergo diſtinctione inter caſum ordinatiũ, & extraordinarium, & grauiſſimum, in quo vndiquè ſunt anguſtiæ, res non eſt metaphyſica, ſed moralis, & probabili certitudine habetur remedium opportunum à ſolo Conſiliario prudenti, & bono.

6. Temperatà ergo doctrina Emin. Cardin. congruum eſt etiam alteram relatam num. 118. hic temperare, in qua docet, licere manifeſtare delictum delati Superioribus, à quibus ille eſt gubernandus, quia eum prudenter regere non poterunt ſine notitia indolis, & vitij, quia fortè continget eum promoueri ad aliquod officium, cuius indignitas non poſtulat talem promotionem, niſi ſit emendatus, & mutatus in alium, quæ mutatio eſt rariſſima, nec debet præſumi: modificatio ergo habetur à Caſtro Palao vbi ſupr. num. 7. punct. 11. inſtructo à decreto Societatis Ieſu, aſſerente, id non debere fieri, niſi adſit vrgens neceſſitas, & magna vtilitas, quæ indicet non conuenientiam, ſed neceſſitatem. Ratio videtur eſſe, quia oſtium aperitur ad manifeſtandum plurimis delictum commiſſum, quod non eſt concedendum; ideò, niſi timeatur probabiliter relapſus, abſtinendum eſt à tali manifeſtatione; & tunc timebitur relapſus, quandò nullum ſignum emendationis præſtabit delinquens: ſecus ſi ſigna videbuntur, quæ ſigna prudentis viri arbitrio ſunt relinquenda; ſi enim appareant occaſiones ſublatæ, præſumenda eſt emendatio; ex ſolo tamen decurſu temporis, niſi longum ſit, non eſt præſumenda correctio; quandò verò poſt commiſſum delictum longum tempus præceſſerit, præſumendus eſt delinquens correctus, niſi aliundè conſtet reincidentia. Ita Ioann. Sanc. in ſelectis diſp. 11. num. 52. & Caſtrus Palaus vbi ſupr. diſp. 3. p. 14. num. 2. In crimininoſo verò Maſcard. concluſ. 600. n. 14. Farinac. in praxi quæſt. 23. num. 26. & deciſ. 52. num. 10. lib. 1. tenent longum tempus eſſe per tres annos; in Religioſo non criminoſo dico eſſe per aliquem menſem. Addo Emin. Lugo nimis ſiniſtram opinionem habere de religioſorum emendatione, quaſi nunquam ſit ſequutura; nam declarat hominem Religioſum ſemel lapſum eſſe quaſi de maſſa perditionis, & reddit regimen nimis durum, ſi in omnibus lapſis talis cura ſit adhibenda, habitis etiam ſignis emendationis.

*TERTIA CONCLVSIO.*

7. Qvandò agitur de promouendo delatum via electionis ad aliquod officium, beneficium, ſeù Prælaturam, licitum eſt Prælato eius vitia manifeſtare Definitoribus, ſeù Conſultoribus habentibus vota electiua. Ita Leſſius de iuſtit. lib. 2. cap. 11. dub. 9. à fortiori, Sanch. conſil. lib. 6. cap. 3. dub. 19. num. 2. ex multis, & Emin. Lugo vbi ſupr. ex communi doctrina DD. tum quia bonum commune præferendum eſt particulari, & vtilitas communitatis poſtulat, vt detegatur vitium, ne incommoda ſequantur in damnum omnium, rum, quia, ſi noui Petrum eſſe furem, poſſum monere eos, cum quibus habitat, vt ſibi caueant: ergo tantò magis pro cauſa cõmuni, ne indignus ſubleuetur in damnum communitatis, potero eius vitia detegere, tum quia nemo habet ius tuendæ famã cum tanto damno, quod indè alteri iniuſtè obueniret.

Dices, doctrina relata debet ſemper cẽſeri vera de Religioſis peccantibus ex contemptu, quorum malus odor ſentitur, quorumque mala vita dignoſcitur, licèt non in iudicio, de quibus loquutus ſum in dub. 46. ſed non de Religioſis peccantibus aliquandò ex fragilitate, quia, vt benè inquiunt Leſma 2. 4. qu. art. 4. dub. 6. Aragonius 2. 2. qu. 67. art. 2. non dicuntur miniſtri indigni; & ideò aiebat vener. Petrus de honeſt. in reg. Cleric. c. 5. inſertus in operibus P. Damiani.

Damiani. *Nec quiſquam pro qualibet culpa, ſi iam ſatisfecerit, in munere Prioratus recuſandus eſt, cum & Petro poſt trina negationis lacrymabilem ſatisfactionem, quia trina in eo dilectio patuit, gregis à Domino iniuncta ſit paſtio.* Reſp. quòd, licèt veriſſima ſit doctrina tradita, nihilominus, cum DD. in cõcluſione relati non diſtinguant, nec nos diſtinguere debemus, vt propter rationes cõcluſionis, & propter doctrinam Emin. Lugi vbi ſupr. quæ in hoc caſu multùm valet, quia, licèt per vnum peccatum mortale ſemel commiſſum non fiat miniſter indignus, nihilominus poteſt ei eſſe addita talis circũſtantia nota tantùm vni electori, & nõ alijs, per quam dignè excludendus ſit à Prælatura, & alij electores poſſunt addere aliquid aliud in fauorem boni communis; ideò peccatum illud poteſt manifeſtari abſque ſtimulo omnibus electoribus; & ideò benè dicit Emin. Lugo expedire, quòd tales perſonæ, quæ partem aliquam in gubernatione habere videntur, notitiam aliquam habeant rei, de qua agitur: & paulò inferiùs addit: Laudabilis ergo eſt Prælati cautela in hoc negotio, vt quo fieri poſſit cũ minori detrimẽto proximi id fiat, nõ tamẽ videtur res ſcrupuloſè taxanda, cum non poſſit certa menſura definiri, & aliquandò errari grauiter poſſit, & errari aliquandò viderim ob non petitum, vel à paucioribus petitum conſiliũ in rebus tanti periculi: vide totam doctrinam Cardinalis extenſam in dubio 145. cui mitto Lectorem.

Fateor materiam eſſe grauem, & ſæpè ad praxim reducendam ob malos viuentes in quacunque congregatione, fateor etiam doctrinam Eminent. Cardinal. fundatam eſſe præſertim ob peccantes ex contemptu, ideò denuò eſt pertractanda in ſecunda centuria in dub. 145.

* * *

## DVBIVM LXXVIII.

*An Prouincialis, qui multitudinem hominum inter Religioſos admiſit, pro quorum ſuſtentatione inſurrexit neceſſitas paſsim recurrendi ad pecuniam pro pane, & vino, ita vt regula in ſua puritate de viuendo in mendicitate nequeat obſeruari, peccauerit mortaliter: & an quoties, neceſsitate cogente, recurritur ad pecuniam, toties labatur in peccatum.*

### SVMMARIVM.

1. *Nec Eccleſiæ, nec Religionibus conuenit, omnes, qui habitum petunt, ad Ordines recipere.*

2. *Referuntur opiniones: an effectus, ſeù omiſſio orta ex aliqua actione voluntariè mala imputetur ad peccatum, quandò actu vitari nequit: eaque aduotantur, in quibus omnes conueniunt.*

3. *Prouincialis, qui multitudini Religioſorum habitum conceſſit, ita vt regula paſſim in puritate mendicitatis non poſſit obſeruari, ſit reus peccati mortalis: & cuidam obiectioni ſatiſfit.*

4. *Quotieſcunquè oritur neceſſitas recurrendi ad pecuniam, non committitur peccatum: & duæ ſoluuntur obiectiones.*

1. Hìc loquimur de Prælato Franciſcano habente præceptum viuendi de mendicitate, & non recurrendi ad pecuniam, niſi à manifeſta neceſſitate cogatur, ita vt puritas regulæ habeatur ex eo, quod omnia mendicentur, præſertim ea, quæ ſunt eſſentialia vitæ humanæ ad propriam ſuſtentationem, vt ſunt panis, & vinum, &c. quod dicitur de Prælato Franciſcano, proportionabiliter etiam dicitur de alio Prælato, qui in cauſa fuit, vt ob multitudinem Religioſorum ad habitum aſſumptorum poſſideretur in Religione peculium. Pro intelligentia ſit prim. not. quòd Cordub. in regul. S. Franciſc. cap. 2. quæſt. 3. ex mente S. Bo-

nau.

nau. inquit; quòd multitudo intrantium videtur eſſe vna ex cauſis principalibus relaxationis Religionis; vndè S. Bon. in qu. reg. cap. 10. mouet dubium: an expediat omnes paſſim ad ordinem recipere; negatiuè reſpondet, & propter debilitatē, & propter paupertatem, quæ potiùs eos impellit, quàm ſuperni Numinis diuina vocatio ad onus Religionis ſuſtinendum, & propter mores à conſuetudine redditos incorrigibiles, ex quo diſſolueretur diſciplina regularis, & impediretur aliorum profectus, nec inuenirentur, qui poſſent eis præſſe; vndè colligeretur quaſi quædam confuſa multitudo ad certam ruinam, quæ nec regi valeret, nec ſuſtentari congruè poſſet. Nec talis multitudo vniuerſali Eccleſiæ expedit, quia, cum Ordo ſit plantatus in ædificationem Eccleſiæ, & ſuorum fidelium, potiùs pareret confuſionem, & ſcandalum arriperent ſæculares ob tot prauis affectos moribus receptos: minùs ergo malum eſt, non eſſe Religioſos ſolo nomine, vel habitu, vbi forma viuendi inter perfectos homines per prauos mores extinguitur; nimis etiam foret oneroſum fidelibus tot mendicantes vnius Ordinis paſcere abſque vllo, ſeù cum modico ædificationis præſidio: hęc Bonau. quem ſequitur Corduba, qui etiam addit in fine quęſt. 2. vbi ſupr. ab experientia monitus, quòd recepti quotidiè à perfectione decidunt, & fiunt quotidiè peiores, & poſteriores prioribus; quarè, multiplicatis hominibus, multiplicantur tranſgreſſores, & Ordine dilatato, dilatatur relaxatio, & ſcandala creſcunt, veteribuſque noua ſuperadduntur.

2. Not. ſec. quòd non medioeris agitatur quæſtio: an effectus, ſeù omiſſio orta ex aliqua actione voluntariè mala imputetur ad peccatum, quandò actu vitari nequit; e. g. percuſſus fuit Petrus, moritur; cum iam mortem impedire nequeat percutiens; imputabitur ne ei mors ad lethalem culpam? noluit Petrus ſcire obligationem ſui officij, adueniente tempore, opùs eſt relaxare regulam; relaxationes ſuntne ei imputandæ ad peccatum? inebriatur Titius ſciens ſe in ebrietate pollui, blaſphemare, maledicere, & occidere; ſuntne iſtæ actiones verè illi culpabiles? In hoc conueniũt omnes euentum contingentem eo tempore, quo euitari nequit, non addere nouam malitiam cauſæ priùs appoſitæ. Ita S. Th. 4. diſt. 17. quæſt. 12. art. 2. quæſtiuncul. 4. ad 2. Salas, alijs relatis, 1. 2. tract. 13. diſp. 2. ſect. 9. num. 114. Suar. 2. de Relig. lib. 3. de iuram. cap. 7. num. 7. Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 16. num. 45. Vaſq. tom. 2. diſp. 24. cap. 3. num. 9. affirmans hoc eſſe ſine controuerſia. Ratio eſt, quia, cum malitia dependeat à voluntate, & cum in talibus euentibus nulla adſit libertas, niſi illa cauſæ eorum appoſitæ, conſequenter nullam malitiam addere poſſunt; nihilominus fatendum eſt, peccatum illud præcedens negligentiæ cauendi futuri periculi præuiſi tantò maiori, ac grauiori malitia affici, quantò plura peccata erant præcauenda, quia illa omnia tenebatur hic euitare. In hoc etiam conueniunt omnes, illa peccata ante ebrietatem, vel ſomnum, aut quandò vitari poterant, præuiſa afficere delinquentem irregularitate, excommunicatione, ſuſpenſione, ſi eis ſunt annexa, & etiam onere reſtituendi. Ita Azor. part. 1. lib. 1. cap. 7. verſ. quòd ſi obijciat. Salas 1. 2. tract. 7. diſp. 6. ſect. 8. Sanch. vbi ſupr. num. 47. Clauis reg. lib. 2. cap. 6. num. 15. Vaſq. vbi ſupr. cap. 4. Ratio videtur eſſe, quia ad illas pœnas incurrendas ſufficit voluntas in cauſa; maximè cum Eccleſia non niſi de externis iudicet: verùm tamen eſt, aliquos DD. excludere ab hac regula generali aliqua peccata, quæ neceſſariò actualem libertatem requirunt, vt ſunt hæreſes, contumeliæ, iuramenta falſa; & ſimilia; hæc enim facta in ebrietate non ligant pœnis illis annexis. Ita docent Ioann. Sanc. in ſelectis diſp. 20. num. 5. Vaſq. 1. 2. diſp. 127. cap. 3. n. 11. Thom. Sanch. vbi ſupr. num. 47. Suar. vbi ſupr. cap. 8. num. 6. In hoc etiam conueniunt DD. quòd, quandò quis dedit cauſã peccatis, priuſquam effectus contingant, ſi pœniteat, & doleat de cauſa appoſita, malũ futurum ad culpam ei non imputabitur. Ita habetur ex Sanch. plurimis relatis, de matrimon. lib. 9. diſp. 45. loquente de pollutione in ſomnis num. 29. Azor. lib. 1. cap. 7. quæſt. vnica, §. in hac re, part. 1. Salas num. 16. Clauis reg. nu. 16. vbi ſupr. Ratio eſt, quia illa mala non ſunt voluntaria in

ſe,

ſe, vt de ſe patet, neque in cauſa, quia illa non recta voluntas fuit retractata. Enimuerò in hoc diſſentiunt: an illa peccata ſint dicenda peccata in ſe, an ſolùm in cauſa. Prima opinio,quæ videtur eſſe communior, eſt Soti 4. diſt. 12.q.1.ar.7.§. primum omnium propoſit. 1.& 2.Valent.1.2.diſp. 6.q. 6. p.4.dub. 5. Salas multos referens. tract. 13. diſp. 2. ſect. 9. num. 119. Caſtri Palai part. 1. tr. 2.diſp.1.p.3.num.6. aſſerentium illa peccata, quæ per pœnitentiam in ſua cauſa non fuere reuocata, priuſquam eueniant, eſſe in ſe peccata; eorum fundamentum videtur eſſe, quia omiſſiones illæ, ſeù aliæ res, quæ euitari nequeunt, licèt in ſe non ſint liberæ, ſunt tamen liberæ in ſua cauſa, hoc eſt denominatione extrinſeca. Secund. opinio eſt Vaſq. 1. 2. diſp. 94. ca. 3. alijs relatis, & diſp. 73. ca.9.n.46.& 47. Azor. lib. 1. cap. 7. q. vnica poſt medium, & lib. 4. cap. 3. qu. 4. Couarr. Clem. ſi furioſus 3. p. initio. num. 4. Sayr. lib. 2. cap. 6. num. 16. hi omnes aſſerunt non eſſe peccata in ſe, eò quòd ad peccatum requiratur ratio voluntarij perfecti, quæ in omiſſionibus, in ſomnis, vel ebrietate, aut quandò euitari nequeunt, inueniri non poteſt; quæ opinio à nobis ſit admittenda, in ſecunda concluſione videbitur.

Not. terti quòd, licèt ratio voluntarij per illam denominationem extrinſecam ſpernatur à DD. relatis pro ſecunda opinione; non ideò taliter eſt ſpernenda, vt nunquam habere vim poſſit, quia in ſequentibus caſibus ſequerentur mille incommoda, vtpotè in conſecratione, & adminiſtratione Sacramentorum, nec non & in recitatione diuini officij, ſi requireretur actualis intentio, & virtualis non ſufficeret ad conſecrandum, &c. ideò dicendum eſt, quòd in fauorabilibus voluntas in cauſa ſufficit ad hoc,vt omnes actiones ab illa pendentes putandæ ſint liberæ,& conſequenter validæ; maximè quia nulla videtur eſſe repugnantia, neq; ex parte cauſæ liberę,quia ſemper intendit validare ea, quæ per obliuionē, ſeù per aliā cauſā validare nequit per actualem intentionem; neque ex parte materiæ, quia nulla apparet neceſſitas, quæ libertati repugnet: ab odioſis verò ratio illa voluntarij per denominationem extrinſecam eſt prorſus reſecanda, tum quia repugnare videtur voluntati humanæ, quæ ex propria natura, & ab intrinſeco peccata reſpuit; nam, licèt, attenta ſua fragilitate, det cauſam primo peccato, alijs tamen materialiter peccatis, quæ in futurũ tanquam ex neceſſitate ſequuntur, non intendit ſe vincere, tum quia ei repugnare videtur neceſſitas rei futuræ, quæ directè opponitur libertati; & ideò S. Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 3. inquit tunc omiſſionem eſſe voluntariam, & ad culpam imputandam, quandò tres conditiones in ea non deſiderantur. Prim. quòd quis poſſit. Sec. quòd teneatur. Tert. quòd non faciat: e g. duo ſe gladijs feriunt, potenti illos componere cum ſuo magno damno, & periculo,& non facienti non erit hæc omiſſio cenſenda voluntaria, quia non tenetur cum tanto ſuo periculo; eſſet tamen voluntaria, & culpabilis Iudici, quia ex officio ei incumbit onus tales lites componendi.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. PRouincialis, qui Prouinciam multitudine profeſſorum onerauit, ita vt regula in ſua puritate mendicitatis obſeruari nequeat; nam paſſim pro pane, & vino recurrendum eſt ad pecuniam, cenſendus eſt peccati mortalis reus. Prob. prim. ſicut lex naturalis obligans hominem ad non procurandam ſeminis effuſionem, ſubindè obligat ad vitandas cauſas per ſe, & notabiliter influentes in illam; perindè enim videtur tunc illas applicare, ac procurare eas non euitando: vndè, vt rectè ait Caietan. ſumm. tit. pollutio, ad finem, qui vult illas illicitas, periculoſas, & ſibi notas cauſas pollutionis propriæ, conuincitur velle culpabiliter ipſam pollutionem, quæ eorum eſt naturalis effectus, ita munus Prælati obligans eum ad non procurandam relaxationem alicuius præcepti regulæ, imò ad totam conſeruandam, ſubindè obligat eum ad fugandas, ac euitandas cauſas per ſe influentes in illius relaxationem: ſed homo non euitando cauſas per ſe influentes in pollutionem peccat mortaliter ex ſenſu DD. teſte Thom. Sanch. de matrim. lib. 9. diſp. 45. num. 16. ergo Prælatus multitudinem Religioſorum recipiens, quæ ex ſua natura tendit ad Religionis relaxatio-

nem, & per ſe eſt cauſa formalis, vt non obſeruetur præceptum de non recurrendo ad pecuniam, lethaliter peccabit. Secund. qui recipit plures Religioſos, quàm redditibus, vel eleemoſynis ſuſtentari poſſint, lethali culpa obſtringitur contra votum paupertatis, vt aiunt Barth. à S. Fauſto in theſaur. Relig. lib. 8. quæſt. 32. & Baſſæus cap. ſumm. tit. paupertas religioſa num. 13. quia facit contra præceptum Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. & videtur eſſe res grauis, & valdè neceſſaria ad conſeruandum ſtatus religioſi bonum progreſſum: ibi enim ſic dicitur. *In monaſterijs is tantùm numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus proprijs monaſteriorum, vel conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari*: igitur Prouincialis, qui plurimos Religioſos ad habitum aſſumpſit, ex quo ſequitur relaxatio præcepti prædicti, cenſendus eſt reus mortis æternæ; nam certè violauit præceptum Concil. Trid. augendo Religioſorum numerum, qui commodè ex eleemoſynis ſuſtentari nequeunt; maximè quia fratribus Minoribus, vt de mendicitate viuant, eſt eſſentiale ad bonum progreſſum ſtatus Religioſi, imò regulæ. Tert. negligendo Prælatus regulam, ſeù conſtitutionem pro conſeruatione finis Religionis; nam quælibet Religio, præter tria eſſentialia vota, habet quoddam inſtitutum ſingulare, vt dixi ſuperiùs, certè fit reus lethalis culpæ ob damnum, quod infert Religioni, vt docui ſuperiùs: ergo tantò magis Prouincialis mortali culpa obſtringetur, qui per multitudinem intrantium præceptum de non recurrendo ad pecuniam relaxat, quod tanquam eſſentiale ſtatui Minorum regulæ S. Franciſci eſt inſertum.

Dices, in multis locis varia cœnobia ſunt erecta, quorum neceſſitati, ac indigentiæ abſque multitudine hominum nequit ſatisfieri; præſertim quia cultus diuinus in eis deperderetur; aliàs eſſent relinquenda. Reſpond. obligationem ſatisfaciendi monaſterijs eſſe parui momenti reſpectu obligationis conſeruandi regulam; maximè in decore mendicitatis, qua principaliter Minorum Religio diſtinguitur ab alijs; nam, iſta neglecta, negligitur decor Religionis, at relictis Monaſterijs, non relinquitur, niſi quod materialiter eſt cauſa deformationis, & relaxationis; quarè reſtauratio congregationis à deſtructione cauſæ malæ eſt ſemper incipienda, vt rectè inſinuat Cordub. in introduct. regul. S. Franciſc. quæſt. 3. Cognitis, inquit, principijs malorum, & deformationis Religionis, cognoſcitur etiam, quòd ab eis eſt incipienda reformatio, non à quibuſdam cæremoniarum folijs, ſed à radice; nam ad radicem arboris explantandæ, vel excidendæ ſecuris diſciplinæ ponenda eſt; per eaſdem etiam cauſas res decidit, per quas naſcitur, oppoſito modo illis ſe habentibus, vt Gerſon. Alphabet. 35. lit. X. dicit: Indè homo incipit ſurgere, vbi lapſus eſt. Reſponſio vera à prudentibus admiſſa; illuminet Deus, quid loquendum, & quid faciendum.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. QVamuis Prouincialis mortaliter peccauerit ob multitudinem Religioſorum receptorum ad ordinem, &c. nõ ideò quoties actu recurritur ad pecuniam, toties labitur in peccatum. Quæ concluſio, licèt ſit contra communem opinionem; nihilominus tanquam vera traditur, & ſuadetur primò, quia non poteſt dici hominẽ peccare actu, quin actu poſſit impedire peccatum; aliàs ex neceſſitate peccabit, quod videtur abſurdum, & contra naturam peccati poſtulantis rationem voluntarij perfecti; peccatũ enim adeò debet eſſe voluntarium, vt ſi ratio voluntarij abſit, peccatũ etiam abſit ex S. Auguſt. lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. at cum recurritur ad pecuniam ob multitudinẽ Religioſorum malè receptorum à Prouinciali, res neceſſaria præſtatur, quia mendicitas panis, & vini nequit ſupplere neceſſitatẽ Religioſorum alendorum: ergo nequit imputari ad peccatũ. Secund. non ſufficit ad peccatum, quod proueniat à cauſa libera in principio poſita, ſed neceſſariò deſideratur, vt actus ſẽper maneat ſub voluntatis imperio, vt patet, quia alias ſequeretur eũ, qui venenum porrexit alicui ad mortem, quod operatur per multos dies, per totum illud ſpatium, & in vigilia, & in ſomnis peccare mortaliter; nam operatio illa veneni toto illo tempore eſt

eſt libera in ſua cauſa: quod videtur abſurdum: ſimiliter qui comedit, vel bibit, ex quo ſequitur nocumentum ſaluti, ſemper eſſet in actu peccandi, quandiù nutritiua facultas operaretur circa cibum in ſalutis detrimentum: at recurſus ad pecuniam ob neceſſitatem iam dictam non eſt ampliùs ſub voluntatis Prouincialis imperio, vt de ſe patet: ergo. Tert. ſequeretur Prouincialem ſimul poſſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, & in gratia, peccare, & iuſtificari, quod eſt abſurdum; nam poſſet conteri eodem tempore, quo Guardianus ob neceſſitatem ſuorum ſubditorum recurrit ad pecuniam, relaxando præceptum: ergo ad mortalem culpam à Prouinciali incurrendam non requiritur tantùm libertas in ſua cauſa redundans per demonitionem extrinſecam in effectus, ſed deſideratur ratio voluntarij perfecti: & ideò Palud. in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 1. ait, pollutionem, aut homicidium in ſomno non eſſe peccatum, ſed effectum peccati, eò quòd tunc non ſit perfectus vſus rationis: & Sotus 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 7. id fatetur de pollutione in ſomnis ob eandem rationem, & citat Io. Maior.

Dices, ſicuti ad conſecrandum, & adminiſtrandum quodlibet Sacramentum, & ad ſatisfaciendum præcepto recitandi officium non requiritur actualis intentio, ſed virtualis ſufficit; ita etiam ad peccatum Prouincialis ſufficit malitia à cauſa emanata. Reſpond. concedendo antecedens, & negando conſequentiam; ratio diſparitatis eſt, quia antecedens eſt in materia fauorabili, ac proindè extenditur, vt dixi in tert. not. conſequentia in materia odioſa; ideò reſtringitur; quarè malitia in cauſa nequit afficere effectum peccato.

Dices, ergo Prouincialis non tenetur exprimere in confeſſione recurſus ad pecuniā tanquàm peccaminoſos, nec quis pollutiones, & homicidia in ſomnis, & ebrietate, quod videtur abſurdum. Reſpond. cum Vaſq. vbi ſup. n. 10. non eſſe neceſſarium, ſed ſatis eſſe exprimere cauſam datam non apponendo debitam diligentiam ad ea præcauenda, quæ prçuidere debebat: ſecus eſſet dicendum, quandò opus externum eſſet in ſe peccatum, quia liberè ſemper ſub voluntate manet.

## DVBIVM LXXIX.

*An, qui ſæpius in leuibus rebus famam alicuius detrahit, etiam per frequentationem diuerſarum rerum, peruenire poſſit ad peccatum mortale cum onere eam reſtituendi.*

### SVMMARIVM.

1. *Detractio eſt peccatum mortale, ratione leuitatis materiæ fit veniale: habentur quadam notatu digna de perſonis grauibus, præſertim Religioſis.*

2. *Recitãtur quædam doctrina docens, quòd ſicut in minimis furtis ad materiam grauem, tandem peruenitur; ita in leuibus murmurationibus.*

3. *Recitãtur etiam opiniones: an fur, quandò per leuia furta complet materiam grauem, peccet mortaliter.*

4. *In Religioſorum congregatione committuntur leues, & etiam graues defectus; hi puniuntur via iudiciali; illi verò minimè, ſed publicis culpis, in quibus pro diſciplinæ regularis obſeruantia contra Suarez aliquid eſt obſeruandum.*

5. *Fama quid; quæ ex duplici capite mentibus ingeri poteſt.*

6. *Per leues murmurationes nunquam aufertur fama cum onere eam reſtituendi: & duabus ſatisfit obiectionibus.*

1. Not. prim. quòd hæc materia non videtur pertinere ad Religioſorum regimē, ſed in corpore quæſiti contrarium apparebit; ideò eſt dicendum, quòd, licèt ex genere ſuo detractio famæ ſit peccatum mortale, ratione tamen paruitatis materiæ fit veniale, vt optimè docet Leſſius de iuſtit. lib. 2. cap. 11. dub. 3. num. 11. vt ſi de induſtria aliquam paruam imperfectionem alterius narret; vndè Diana part. 5. de paruitat. mater. reſol. 76. aſſerit, narrare defectus leues, ac veniales proximorum non eſſe peccatum graue, niſi de perſona talis conditionis, vt de graui viro, & Religioſo; eſſet enim, & æſtimaretur magni momenti; &

ita dicere de illo, quod ſit mendax, & ſæpius mentiatur, eſſe peccatum mortale: ſecus verò ſi ſemel, aut bis dicatur eſſe mentitum: aſſerit etiam, in genere dicere eſſe ſuperbum, auarum, iracundum, &c. non videtur eſſe peccatum mortale; nam hæc non accipiuntur tanquam res mortaliter peccaminoſæ, ſed per inclinationem naturalem, vel per defectus leues, ac veniales; fieri tamen poteſt, vt ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur; vel quia putantur accipienda pro grauibus vitijs, eſſet mortale; ſuppoſita ergo hac doctrina tanquam vera, à multis DD. approbata, ſit.

2. Secund. not. dubium moueri ab Emin. Lugo de iuſt. diſp. 16. ſect. 3. num. 46. vbi dicit, ſe de hoc nihil apud authores inuenire, quod ſicut in minimis furtis ad materiam grauem peruenitur, ita vt, completa materia graui, compleatur etiam peccatum mortale; ſic in leuibus detractionibus poteſt proximus pati tam graue detrimentum in fama, vt detractor incidat in mortale, modò defectus veri, vel falſi de eodem, & apud eoſdem auditores narrentur, etiamſi diuerſis temporibus id fiat, quia facilè vniuntur in eorum mente ea omnia, vt non aliter opinentur de proximo, cui detrahitur, quàm ſi ſimul eadem audiſſent: verùm tamen eſt, quòd, ſi defectus leues apud diuerſos, qui non facilè inter ſe eos communicabunt, narrabuntur, non videtur eadem ratio, ſicut ſi apud diuerſos idem defectus leuis narretur, quia apud ipſos fama grauiter non læditur, nec nocumentum graue ei infertur: hæc Lugo.

3. Not. tert. duplicem eſſe opinionem in furtis minimis: an fur peccet mortaliter, quandò completur materia grauis. Prima affirmatiua aſſerens, quòd, etiamſi ab initio fur non habuerit animum furandi rē notabilem, ſi tamen ad eam ſucceſſiuè peruenerit, & præcedentium furtorum recordetur, reus eſt mortalis culpæ. Ita Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 4. num. 9. & 10. Azor. part. 1. lib. 4. cap. 9. quæſt. 12. Filliuc. tom. 2. tract. 31. cap. 10. num. 245. Sayr. lib. 9. cap. 15. num. 22. Nauarr. de reſt. cap. 1. num. 40. Lugo vbi ſupr. num. 38. & alij quàm plurimi. Ratio videtur eſſe, quia in illo vltimo furto, per quod completur materia grauis, incipit eſſe fur, & retinet rem alienam inuito domino cum notabili damno proximi; quæ continuatio requiratur, vt in vnum coaleſcant illa minima furta? quandò inter illa non ſit magna interpolatio, quæ cenſetur ſecundum Sanch. vbi ſupr. num. 10. & alios doctos ab ipſo conſultos per ſpatium vnius anni; ſed id videtur eſſe nimis longum tempus; vndè dicendum eſt cum Filliuc. tom. 2. tract. 31. cap. 10. num. 245. magnum interuallum, vt nō continuetur moraliter materia vnius furti cum alio, eſſe menſem vnum, vel dimidium: adde, quòd neceſſariò maior quantitas ad mortale in his furtis requiritur, & eò maior, quò plures ſunt Domini, & quò in plures damnum diuiditur, eò minùs cæteris paribus ſunt inuiti. Ita Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 12. dub. 8. nu. 46. Sanch. vbi ſupr. num. 17. Rebellius p. 1. lib. 3. quæſt. 15. ſect. 15. num. 47. quarè Diana de paupert. relig. p. 2. tract. 6. reſol. 34. ait, quantitatem in his furtis minimis ad hoc, vt ſit notabilis, debere eſſe duplo maiorem, quàm in alijs furtis. Secunda eſt negatiua, quæ ſua non caret probabilitate, vt optimè inſinuant Filliuc. vbi ſupr. num. 243. Rodriq. in ſumm. tom. 4. cap. 118. num. 29. Salas 2. 2. quæſt. 88. tract. 13. diſp. 16. ſect. 77. num. 38. & expreſſè habetur ex Nauarr. c. 17. num. 140. Tolet. lib. 4. cap. 16. num. 4. & alij: verùm tamen eſt, inquit Nauarrus cum alijs, quòd, licèt fur per vltimum furtum attingat illam quantitatem notabilem, non peccet mortaliter, retinendo tamen illam incidit in culpam grauem; & ideò ita furantes, & non reſtituentes peccant, non quidem ratione acceptionis, ſed ratione iniuſtæ retentionis; quarè benè inquit Lugo vbi ſupr. num. 38. quæſtionem non poſſe eſſe de re, ſuppoſita obligatione reſtituendi, quam admittit Nauarrus: verùm Iacob. Granad. 1. 2. controu. 6. tract. 2. diſp. 2. ſect. 5. num. 49. & Lorca 1. 2. tom. 2. putant nullam inſurgere obligationem reſtituendi, ſi materia eſſet conſumpta, & ex illa fur ditior non factus fuerit; imò addit Sàtit. furtum, num. 8. cum Fernand. in exam. Theol. moral. part. 1. cap. 6. §. 2. num. 12. dictos fures non peccare, neque habere obligationem reſtituendi; adhæ-

adhæret etiam Berarducius in ſumm. coton. part. 1. cap. 1. num. 28. in fine, hiſce verbis: Si actus furandi procedunt à voluntate intercisa, hoc eſt, dum homo furatur illud parum, non intendit furari maius, nec alio tempore, & poſtea de nouo ſubuenit alia occaſio furandi ſimiliter, tunc quotúcumque reiteret huiuſmodi furta ſic conditionata, ſemper eſt peccatum veniale, nec tenetur de neceſſitate ſalutis reſtituere illa, quia; ſicut multa peccata venialia nunquam poſſunt facere vnum mortale, quantumcúque ſimul ſumpta; ita ſi huiuſmodi furta parua, voluntate intercisa, & in aliqua quãtitate notabili conſiderentur, nunquam faciunt vnum furtum notabile mortale, & conſequenter non pariunt obligationem reſtituendi, quia ſemper remanent in ſua natura, hoc eſt ſunt venialia ratione paruæ quantitatis, ſiue furtum ſemper fiat eidem, ſiue diuerſis. Ita ille.

4. Not. quart. vt rectè notat Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 9. num. 1. nullam eſſe tam perfectam Religionem, in qua pro humana fragilitate lapſus aliqui non inueniantur tam graues, quàm leues: illi verò ſunt corrigendi & via iudiciali, & via correctionis fraternæ; in his, qui appellari poſſunt communes defectus, qui etiam inueniuntur in viris perfectis; nõ ita ſcrupuloſè eſt agendum, vt priùs præmittatur monitio ſecreta, ſed poteſt eos punire Superior, vt de facto in Religionibus reformatis fit, & in publico debitas pœnitentias pro diſciplinæ regularis conſeruatione delinquentibus, etiam perfectis imponere, dummodò nulla infamia inferatur, ac à ſecreto delatore conſenſus habeatur: verùm in imponendis his pœnis eſt valdè conueniens, vt notat Turrian. de charit. diſp. 69. dub. 5. de correctione, aliquandò vt Superior non reuelet defectum delinquenti, quandò veriſimile eſt poſſe delinquentem cognoſcere delatorem; ex hoc enim inimicitiæ, & amaritudines non leues poſſunt oriri contra bonum commune, quod eſt maioris momenti, quàm leuem defectum permittere in ſubdito, donec occurrat opportunum aliud tempus corripiendi; poteſt enim Superior ea notitia vti, vt obſeruet ſubditum: ne iterum committat defectum illum: certè Suarez ſuam doctrinam deſumpſit à S. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. ad 4. aſſerente: *Proclamationes, quæ in Capitulis fiunt Religioſorum, ſunt de aliquibus leuibus, quæ famæ non derogant; vnde ſunt quadam commemorationes potiùs oblitarum culparum, quàm accuſationes, vel denuntiationes, ſi eſſent talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, quia per hunc modum peccatum fratris publicaretur*: idem dicit Abulenſ. in cap. 18. Matth. quæſt. 97. ad 8. putat enim leuia peccata Religioſorum ſine præuia monitione eſſe in publico punienda; vndè in Capitulis quilibet Religioſus debet dicere ſuas culpas leues, & ſi aliquas omittit ex ignorantia, vel obliuione, alij proclamant contra eos non tanquam accuſatores, vel denuntiatores, ſed vt reducentes eum ad memoriam culparum ſuarum, quas ipſe ex ſtatuto dicere tenebatur: idem habet Sotus de ſecreto membr. 2. quæſt. 4. ad 1. confirmat. 2. argument. vbi ſunt notanda illa verba Soti, loquit Suarez vbi ſupr. num. 2. Voco autem graues non ſolùm illas, quæ ſunt peccata mortalia, ſed quæ ſunt contra famam, & honorem proximi, vt ſi quis intraret domos ſuſpectas: ex quibus verbis, & exẽplo colligo in perſona religioſa omne peccatum mortale, & omnem defectum, qui poſſit ſuſpicionem talis peccati generare, cenſeri rem ſufficientem grauem, & conſequenter omnes defectus, qui huiuſmodi non ſunt cenſeri leues: & paulò inferiùs num. 8. explicans mentem Soti dicentis, culpas eſſe putandas leues, quæ non inducunt ſuſpicionem de Religioſo de peccato graui, ac mortali; ita cenſet, vt defectus ſint ordinarij circa regulam, vel opera perfectionis, qui ab omnibus, ſeù ferè omnibus ſecundum magis, & minùs committuntur; non ita cenſendum eſt, vt ſint defectus extraordinarij, qui, licèt non ſint grauia peccata, & mortalia, nec ingerant ſuſpicionem illorum, inter Religioſos tamen ſolent computari tanquam graues; & ideò nequeunt in publicum deduci, ſi aliàs non eſſent publici; eiuſmodi eſſet non ſeruare ſecretum de leuibus rebus, deditum eſſe priuatis familiaritatibus, etiam intra Religiones. Cuius doctrina ſic explicata, à Religionibus reformatis tanquam damnoſa bono publico eſt abijcenda; nam

certè

certè eſſet dicere culpas de minimis, de quibus non curat Prætor, eò quòd ſeptiès in die cadat iuſtus; imò iſti defectus ſunt diſſimulandi maximè in probis viris, ne diſciplina regularis reddatur nimis dura, & Superior odioſus: quod ſi admitteretur, eſſet plures, ac plures ſubditos infirmos in ſuis imperfectionibus ſecretis in non paruum Religionis damnum nutrire, & extirpare publicas culpas à cœnobijs, easque habere per cæremonias, ſeù ad excutiendum puluerem; quarè publicæ culpæ, ac proclamationes iuxta mentem Soti ſatis explicatam in ſuis verbis ſunt tenendæ non de defectibus ordinatijs nullius valoris, & momenti, ſed de extraordinarijs, vt de facto Religiones reformatæ faciunt ad terrorem aliorum, maximè imperfectorum, qui non deſunt in quacunque communitate, & ad exēplum perfectorum, vt magis, ac magis in perfectione proficiant: quæ culpæ non labefactant, nec labefactare debent bonam exiſtimationem Religioſorum, quia per iſtos defectus non deficiunt homines à debita perfectione Religioſorum; maximè quia, vt dicit Suarez plurimis in locis relatus: In omni congregatione ſunt plures infirmi in virtute, quàm fortes; & ideò illa mala exiſtimatio talium hominum eſt imputanda eorum incapacitati, qui tam facilè bonam opinionem de Religioſis perdunt: nec video, quomodò defectus aſſignati à Suarez, maximè ſecundus de priuatis familiaritatibus etiam intra Religionem auferant bonam opinionem delinquentium apud alios, niſi ſint ſuſpiciones de re graui; nam dicere, Pater talis eſt deditus priuatis familiaritatibus; quid? niſi eſt imperfectus, quia toti communitati, & eodem modo ſuam familiaritatem non communicat, ac proindè reprehenſione, ac pœna dignus: verùm tamen eſt, quòd regula Suarez fortè habet locum in Religioſo, vt ita dicam, iam ad perfectionem aſſumpto, de quo tales defectus nequeunt præſumi. Hic addo obiter, quòd ſi ſuperior localis ita in ſuo regimine ſe gereret, vt magna diffidentia inter Religioſos excitaretur, auderem fortè id imputare ad peccatū graue, eò quòd obſtet charitati, vnitati, ac paci; & licèt aliquādò aliquod bonū elici poſſit, longè maius eſt malū, quod oboritur, & bonum, quo priuatur cœnobium, vt experientia docet, ſed hoc iudicent ipſi, quia eſt res nimis periculoſa: verùm tamen eſt, quòd ſi familia aliqua eſſet relaxata cum periculo labendi in grauia incommoda, non damnarem talem diffidentiam; nam eſſet multùm vtilis ad præcauenda multa mala.

5. Not. quint. famam definiri hoc modo: Fama eſt multorum exiſtimatio de vita, & moribus alterius. Ita Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 11. dub. 1. num. 1. Emin. Lugo de iuſt. diſp. 14. ſect. 1. dicitur enim à fando, ſed re vera conſiſtit in opinione, & iudicio interno; ſi eſt bona pro præſenti, eſt opinio virtutis, ſapientiæ, & rerum præclarè geſtarum alterius: quæ opinio ex duplici capite ingeri poteſt aliorum mentibus, ex poſſe, & ex debere: ex poſſe, quia homo ita poteſt viuere per plurimorum annorum ſeriem tam ſanctè, ac perfectè, vt de ipſo nullum malum graue, nec leue extraordinarium ſuſpicari quis poſſit; & ita narrare de illo aliquem defectum, vt eſt ſuperbus, mendax, &c. ad mortale imputari debet, quia tollitur illa tam ſancta opinio de eius ſanctitate tot ſudoribus, & laboribus per annorum ſeriem acquiſita: ex debere, quæ exoritur non ex ſanctitate hominum, ſed ex materia ipſa, quam vnuſquiſque obſeruare tenetur, & ita multa ſub mortali, aliaque ſub veniali obſeruare neceſſitantur tàm ſæculares, quàm Religioſi in ſtatu aſſumpto, quam opinionem, niſi conſtet in cōtrarium, vnuſquiſque tenetur habere de ſuo proximo propter ius, quod habent homines ad ſuam bonam opinionem apud omnes; & ideò narrare culpam grauem tam ſecretam, quàm falſam, & inuentam imputatur ad mortale, ſicut ad veniale narrare culpam leuem; quarè terminus peccati mortalis in detractione, ſuppoſita fragilitate humana, erit publicatio peccati mortalis ab homine commiſſi, quia ad hoc, tanquam ad rem grauem habet ius, vt eius fama conſeruetur, nec communiter per peccata venialia bona opinio amittitur, vt experientia docet. Aliud etiam debere, aſſignari poteſt liberum, id eſt ex mera voluntate hominum, ſuppoſita aliqua ratione ab ipſis inuenta, ſeù à ſtatu alicuius aſſumpto elicita, quia, cum fama proximi ſit in opinio-

opinionibus hominum ſita, dependet ab eorum voluntate illam admittere, & ita vnuſquiſque de quocunque tam ſæculari, quàm Religioſo, ac Epiſcopo formare poteſt opinionem, vt debeat viuere tali forma virtutum, aut habere tot virtutes, & tali modo mores compoſitos; ac proindè ſicut voluntariè, & abſque fundamento hanc opinionem illi formarunt; ita quandò apud ipſos deperditur, debet potiùs imputari eorum ignorantiæ, & incapacitati, quàm ſtatui ſæculari Religioſo, ac Epiſcopali; ſicut ſcandalum paſſiuum imputatur eis, qui ſcandalizantur de tali ornamento mulierum iuxta patriæ conſuetudinem; nam illæ non tenentur ornamentum deponere; quamuis alij arripiant occaſionem in peccata labendi, vt dicunt Caiet. 2. 2. quæſt. 169. art. 2. Nauarr ſumm. cap. 23. num. 19. Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 6. num. 17. Bonac. de matrim. qu. 4. punct. 9. n. 17. ex commun. ſenſu DD. Caſtrus Palaus de charit. p. 1. tract. 6. diſp. 6. p. 7. imò licèt in ornamento conſueto eſſet aliquis exceſſus, non niſi ſub peccato veniali tenerentur illum abijcere. Ita ille exceſſus bonæ opinionis ſæcularium, & Religioſorum, quem non petit eorum ſtatus aſſumptus, eſt imputandus incapacitati, & ignorantiæ hominum, quandò apud ipſos deperditur, tum quia omnes cruciarentur mille ſtimulis ex narratione leuium defectuum, præſertim Religioſorum, quorum ſtatus perfectionis ſolùm poſtulat, vt omnia ſub mortali præcepta obſeruentur, vt benè notat Ioann. Sancius in ſelectis diſp. 7. num. 10. alia iuxta modum inſtituti; quarè priuſquam ſtatum perfectum attingat, mille imperfectiones committuntur, tum quia ex falſa opinione putant ſæculares, ſtatim ac habitus Religionis eſt aſſumptus, eſſe quoquè aſſumptam totam perfectionem, tum quia deſtrueretur diſciplina regularis, quæ per publicas culpas omnium defectuum leuium maximè conſeruatur, vt experientia docet: quarè Rodriq. tom. 3. qu. 77. art. 2. aſſerens de minimis non eſſe arguendos Prælatos, inquit tamen, quòd non ſunt obliuioni mandanda, ſed proponenda eorum Superiori, vt de eorum valore, aut præcipitatione, & nimia grauitate, & facilitate certior factus ad munus præſulatus nō ita facilè eos admittat: ex qua doctrina, cum ibi agatur de ſyndicatu, tacitè inſinuat culpas præſertim eſſe tenendas de defectibus extraordinarijs. Hic tamen addo eſſe abſtinendum ſæcularibus à narrandis defectibus leuibus Religioſorum, maximè nonnullis particularibus, quia, licèt teneantur tantùm ad ſtatum perfectionis tendere iuxta modum dictum; attamen ipſa tendentia acquiſiuit aliquod ius apud ſæculares, vt in eorum opinione tales defectus non ſint commiſſuri.

*CONCLVSIO.*

6. Videtur omninò falſum, quòd, ſicut in minimis furtis tandè peruenitur ad materiam grauem; ita per leues detractiones tandem à proximo auferri poſſit eius fama cum onere reſtituẽdi tam communiter inter ſæculares, quam inter Religioſos. Concluſio eſt aduerſus Emin. Lugo vbi ſupr. Probatur prim. in minimis furtis iuxta ſecundam opinionem nulla videtur eſſe malitia mortalis, & conſequenter nulla obligatio reſtituendi, quamuis ſimul conſiderata notabilem quantitatem attingant: ergo neque detractio plurium defectuum proximi, modò ſint leues, apud eoſdem auditores peruenire poteſt ad malitiā mortaliter peccaminoſam, ſuppoſita veritate, ſeù probabilitate opinionis, argumentum eſt efficax. Secund. quamuis concedatur prima opinio, non valet argumentum à minimis furtis ad leues detractiones de eodem, quia in furtis completur per vltimum furtum materia grauis, quæ, inuito Domino, iniuſtè retinetur, eique infertur damnū notabile; vndè Sanch. ſumm. lib. 1. cap. 4. num. 10. inquit: Furti peccatum non in ſola rei alienæ vſurpatione, ſed in retentione conſiſtit: at in leuibus murmurationibus, ſeù detractionibus nunquā peruenitur ad materiā grauem, quia ſemper ſiſtitur intra terminos leuis detractionis & terminus grauis detractionis eſt manifeſtatio peccati mortalis, ad quod homo habet ius graue, vt nō detegatur, & cõſequenter ei non infertur graue damnum: ergo. Tert. in minimis furtis aſſignari poteſt vltimum grauiter damnificans proximū; in leuibus verò detractionibus nequit determinari,

quia

quia apud a'iquos per quatuor defectuum narrationem, apud alios per plures, &c. & ita eſſet magna confuſio, & mille ſcrupuli orirentur tam inter ſæculares, quàm inter Regulares; vndè eſſet magnus cruciatus, quē ſuauitas legis, attenta fragilitate humana, non admittit; imò in ſententia Lug. eſſet neceſſarium ſemper ſecum ferre calamum, & attramentum pro notatione leuis detractionis apud eundem auditorem, vt præcaueretur peccatum graue, quod probabiliter imminet, quia admittit hoc poſſe committi ex diuerſis detractionibus leuibus, diuerſis temporibus perpetratis, quæ facilè reuocātur ad memoriam ab auditore. Quart. tollerentur proclamationes Religioſorum apud Prælatum, & conſequenter ſyndicatus in maximum Religionis damnum, & ſi fierent, eſſent tantùm ad excutiendum puluerem de pedibus, & eſſet potiùs actio cæremonialis, quàm ſyndicatus inſtitutus ad reprimēdam audaciam Superiorum in regimine, & inferiorum in ſuis actionibus, & ad conſeruādam diſciplinam regularem. Quint. poteſt dari caſus, vt ſinguli, ſeù ferè ſinguli capitulares de ſuo Prouinciali in eius ſyndicatu Superiori maiori narrent vnum defectum leuem, ſed diuerſum, & ita cumulati poſſent toti Capitulo de Prouinciali ſiniſtrā opinionem ingerere, quod non debet admitti, nec de facto in Religionibus reformatis admittitur; quod ſi apud aliquos huiuſmodi opinio concipiatur, debet imputari eorum incapacitati, & non bonitati Prouincialis.

Dices, varij varios defectus etiam falſos apud Superiorem de aliquo Religioſo poſſunt deferre, & ita generare in Prælato aliquod graue de eo, nempè eſſe negligentem, relaxatum, & parum obſeruantem, & parum curantem de diſciplina regulari, & illi inferre multum damnum. Ita dicit Emin. Lugo vbi ſupr. diſp. 16. ſect. 3. num. 62. Reſp. illam malam opinionem imputandam eſſe Prælato, tanquam voluntariam, vt dixi, quia dum Religioſus, licèt negligenter per viam perfectionis incedit; non ideò dicitur relaxatè viuere, ſaltem grauiter, eò quòd multa, ac multa non obſeruet ad nullam culpam obligantia; nam certè intra terminos mandatorum Dei, votorum promiſſorum aliorum præceptorum, nec non & aliarum rerum non præceptarum, quæ ſunt quaſi infinitæ in Religionibus reformatis, ſe continet; vndè malè facit Prælatus, dum per hos defectus in Religionis bonis ei infert damnum, niſi in ordine ad bonum commune; vt fit, quandò aliquid graue de ſubdito Prælato tanquam Patri denuntiatur: tenentur tamen, qui falſos defectus ei impoſuerunt propter damnum, quod ei poteſt euenire in bonis, in integrum apud Superiorem reſtituere.

Dices, iſta doctrina videtur veriſſima inter ſæculares, quia aliàs infinita peccata multiplicarentur, nec eorum reformatio habetur ex multiplicatis oneribus, ſicut inter Religioſos ob rationes iam dictas; non verò quandò manifeſtantur defectus, licèt leues, Religioſorum apud ſæculares; nam apud ipſos multùm deperdunt. Reſp. etiam valere; nam illa mala opinio deperdita imputanda eſt incapacitati eorum, quia ignorant ea, quæ ſecundum fragilitatem humanam debent ſcire: magna equidem ſanctitas eſt hominem Religioſum integrum ſe habere erga diuina mandata, vota promiſſa, præcepta impoſita, multaque alia, quæ pro obſeruatione illorum in Religionibus ſunt exequenda: verùm tamen eſt, quòd aliqui defectus leues non ſunt narrandi apud ſæculares propter rationem relatam in fine quart. notand. & propter multa bona elicienda tā à Religioſis, quàm ab ipſiſmet ſæcularibus. Aduertant lectores, quòd hìc non intendo dare anſam leuibus detractionibus, ita vt poſſint fieri abſque vllo peccato; ſed tantùm intendo amouere culpam lethalem, vbi verè non eſt.

## DVBIVM LXXX.

*An in Religionibus ſit licitum ſine præuia correctione fraterna peccatum fratris Prælato, tanquam Patri reuelare.*

### SVMMARIVM.

1. *Quæſiti ſenſus iuxta ſententiam D. Thomæ ex ordine tradito aperitur.* 2. *Va-*

2. *Varijs rationibus ſuadetur, quòd peccatum fratris in damnum tantùm delinquentis abſque prauia correctione fraterna nequit Prælato tanquam Patri reuelari.*

3. *Itidem varijs rationibus rationes aduerſariorum confutantur: additur limitatio concluſionis, adhibita limitatione limitationis, & quadam diluitur obiectio.*

1. Libenter aggredior denuò hoc dubium, licèt ſuperiùs illud pertractauerim inclinando in ſententiam affirmatiuam, à qua modò non declino; ſed quia Ludouicus Caſpenſis author modernus tom. 2. tract. 17. de charitat. diſp. 6. ſect. 3. nimis acriter inuehitur in contrariam ſententiam aſſerēdo eam poſſe eſſe occaſionem ruinæ, & ſubuerſionis Religionis; proindè tanquā probabilē imò fortè probabiliorem eam admitto non declinando ab affirmatiua. Huiuſmodi quidem diſputatio tam vehemens, præſertim apud recentiores ortum trahit ex doctrina S.Tho quodlib. 12. ar. 13. & vnaquæque claſſis contendit in propriam ſententiā tanquā præcipuum fundamentum eum attrahere; ideò cogor ſenſum eximij Doctoris aperire ex ipſo ordine tradito in citato articulo, & eſt ordo vniuerſalis doctrinæ iuxta omnium DD. vſum. Prim. tradit vniuerſalem doctrinam. Secund. cōcluſionem difficultatis propoſiti quæſiti. Tert. limitationem concluſionis. Quart. limitationem limitationis. Vniuerſalis doctrina habetur, dū tractat in principio corporis articuli de criminibus, quomodò ſecundum iura in eis procedatur, deindè concluſionem aſſignat propoſitæ difficultatis, quæ eſt poſt hæc verba: *vtrum autem ſtatim ac quis ſcit fratrem ſuum peccaſſe, debeat denuntiare Prælato; Nam ſi ſcio, quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hunc denuntiare Prælato:* quam concluſionem multis in locis tradit 2.2.q.33.art.7.ad 4. & 5. & quodlib. 1.ar.16. deindè limitationem concluſionis aſſignat, dum dicit. *Si autem videtur, quòd hoc meliùs fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus ſit pius, diſcretus, & ſpiritualis non habens rancorem, ſeu odium aduerſus illum ſubditum, tunc licitè poteſt hoc denuntiare ſibi, &c.* Tandem limitationem limitationis deſignat, dum profert: *Sed quia propter conditiones diuerſas Prælatorum, & ſubditorum non poteſt in hoc dari generale iudicium, quia aliquandò Prælatus vel mouetur ad odium aduerſus ſubditum, vel ſubditus non benè fert verba Prælati, imò tenendum eſt pro regula, quòd in omnibus iſtis ſemper eſt ſeruāda caritas, & quod melius, & magis expedire videtur:* ex ordine aſſignato habetur opinionem veram D. Thom. eſſe; id non licere facere ſine prævia monitione: quòd ſi aliquandò in aliquo caſu contingat finem correctionis meliùs haberi à Prælato, dummodò ſit ornatus pietate, diſcretione, ac ſpiritualitate non habens rancorem, neque amaritudinem erga delinquentem, videtur id poſſe fieri, & non per quamcunque rationem, quæ videtur melior; nam ſemper aliqua, ſicut in omnibus alijs negotijs apparebit, eò quòd D. Thoma hanc limitationem pro concluſione tradidiſſet, & concluſionem pro limitatione, ſed debet eſſe notabilis, ita vt delator æſtimare poſſit notabiliter deficere à correctionis fine. Ita Clauis Reg. lib. 11. num. 14. quarè iuxta ordinē D. Thom. eiuſque ſententiam trado doctrinam.

## CONCLVSIO.

2. Religioſus tuta conſcientia occultū fratris peccatum, quod ſolùm vergit in eius peculiare damnum, nequit Prælato tanquam Patri, prætermiſſa correctione fraterna, reuelare. Quę concluſio multis relatis, traditur à Sayro vbi ſup. à Fagundez in præcept. decal. lib. 8. cap. 7. n. 7. tom. 2. à Diana inferiùs citando, & à Baſſæo ſumm. tit denunt. n. 7. & expreſsè habetur à doctiſſimo IacoboGranad. 2.2. de charit. controu. 3. tract. 12. diſp. 5. Suadetur prim. ex S. Baſilio in quæſt. fusè diſp. ita loquente. *Peccatum referendum eſſe ad Prælatum ab ijs, qui ſunt conſcij, cum ipſi non poſſint mederi iuxta id, quod à domino præceptum eſt Matth.* 18. conſentit S. Auguſt. in regula in fine, & in epiſtola 109. de Monialibus loquens. Sec. ex textu Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipſum ſolum, &c.* qui ordo cum cadat ſub præceptum, vt communiter dicunt DD. ſeruandus eſt tam in Religionibus, quàm extra eas; maximè quia ſi intentio Chriſti

Oo exce-

exceptionem voluiſſet, eam tradidiſſet, ſicut ordinem tradidit. Tert. quia hoc præceptum innititur legi naturali ob duas rationes, vt conſeruetur fama proximi cum minima iactura, quantùm fieri poteſt, dum velimus eum emendare, & quia ille modus corripiendi, ſicut eſt ſuauior; ita natura ſua accomodatior, & efficacior ad reuocandum hominem à peccato: ſi autem non ſeruaretur ordo præſcriptus, fama proximi apud Superiorem maximam pateretur iacturã, quia non fit cum illa minima læſione, quantùm fieri poteſt, nec ex natura ſua accommodatior eſt, & efficacior ad emendationem, quia nimis confudit delinquẽtem, & ingerit plus doloris, & confuſionis ſubdito, quàm ſi multis alijs fieret cum periculo ex indignatione, licèt ſecretè, obſtinationis; vndè Sanch. inferiùs citandus, quamuis acriter defendat affirmatiuam ſententiam, cognoſcens hanc veritatem dicit: Ratio potiſſima, qua Chriſtus inſtituit, quod correctio fraterna pręcederet in delictis occultis, ea fuit, ne peccator inuitus patiens ſuæ famæ iacturam, manifeſtato Superiori peccato ſuo occulto, quaſi deſperans, ac furens ob infamiam peior efficeretur, ac proindè fruſtraretur correctio fraterna ſuo fine, qui eſt fratris emendatio: ergo præceptum Chriſti eſt obſeruandum tanquam explicatiuum præcepti naturalis. Quart. quandiù ſæcularis, vel Religioſus iuri ſuo non renunciauerit iuſtè exigere poteſt ab altero, vt ſuæ famæ proſpiciat, eamque conſeruet, quandiù nihil eſt, quòd notabiliter præponderet: ergo quandò quis monitus ſecretè emendabitur, vel probabiliter ad mentem correctoris creditur emendandus, vt benè inſinuat Sayrus vbi ſupr. num.6. iuſtè exigere poteſt ab altero, ne crimen ſuum occultum manifeſtet Prælato, quantumuis Patri; maximè quia talis manifeſtatio ſecundum graues DD. inquit Granad. vbi ſupr. multùm lædit famã delinquentis, præſertim ſi antea magni æſtimabatur à Superiore: ſicut enim ſæcularis fama grauiter læditur, ſi eius peccatum occultum Principi deferatur à quo priùs ob ſuas raras qualitates multùm æſtimabatur; ita fama Religioſi, imò magis ob ſtatum perfectionis, ad quem tenetur iuxta Ordinis inſtitutum tendere, grauiter læditur, quãdò Superiori defertur peccatum, quod à correctione fraterna ſaltẽ probabiliter erat emẽdandum; dico probabiliter, quia habetur ex Saluatore dicente: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Quint. ſi doctrina contraria eſſet vera, opus eſſet adducere aliud Euangelium pro Religioſis, & aliud pro laicis; pro illis, quia magis expediens, & vtilius; pro iſtis, quia, licèt expediens, & vtilius eſſet, ab hoc tamen onere ſunt eximendi, quia ad tantam perfectionem nõ ſunt conſtringẽdi, quaſi Chriſtus ignoraſſet tradere differẽtiã: ergo. Huic argumento conatur reſpondere Turrian.2.2.diſp.89.dub.4.dicens alium eſſe finem boni publici in Republica ſęculari, & aliũ in Religione; nam Gubernatoris finis in ſua Republica eſt inhærere paci, & tranquillitati, quæ à publicis peccatis conturbãtur, & diſſoluuntur, imò nec omnia publica punit Gubernator, ſed multa ob maius bonũ impunita permittit, atque adeò non poſtulat bonum illius Reipublicæ, vt ſecreta peccata ad Principem deferantur, at inſtitutum Religionis eſt non tantùm extollere hominẽ ad ſtatutũ boni Religioſi, ſed ad eximium ſtatum viri perfecti, ac proindè bonum Religionis poſtulare poteſt, vt cum aliquo detrimento famæ Religioſi fieri poſſit prædicta delatio Superiori: doctrina verè noua, quòd liceat homini infringere præceptum & naturale, & Chriſti Domini ob inducendum Religioſum ad ſtatum perfectionis, ac ſi natura, & Chriſtus in mediorum aſſignatione defecerint; vndè huiuſmodi doctrina tanquã falſa à ſcholis eſt abijcienda, quia ſtatus perfectus cuiuſq; ſtatus, & congregationis poſtulat, vt obſeruẽtur diuina præcepta, ſine quibus omnis perfectio ruit; poteſt quidem ſtatus perfectus Religionis efficere, vt ſubditi renuntient iuri famæ, ſi cupiũt ſtatũ illum aſſumere, ſed nunquã efficere, vt, inuito proximo, fama eius denigretur apud Superiorẽ, niſi iuxta præceptum Domini. Sext. ſequeretur iſtud inconueniens, quòd licitè, & prudenter dici poſſet de cõmunitate religioſa, ſimpliciter non poſſe æquè benè gubernari, & conſeruari, ſi omnibus ſubditis perſuaſum fieret, ſe non poſſe licite denuntiare Prælato lapſus fratrum, niſi prius tentando illos emendare per ſecretam monitionem, quod videtur durum, & rigidum,

& ſor-

& fortè temerarium, quia æquè benè poteſt gubernari, & conſeruari; imò meliùs, licèt ſubditi ſibi perſuadeant ſe non poſſe vbi ſup. quia habetur præceptum de præmittenda correctione, ſine qua omnis gubernatio ruit, & omnis conſeruatio deſtruitur, quia iuxta regulam præcepti impoſiti omnia ſunt regulanda: Suarez 4. de Relig. lib. 10. cap. 10. num. 11. apertè concedit ſequelam maioris, & conſequenter negat minorem. Sed contra; affirmare illã propoſitionem incluſam in maiori ſub nonnullis rationibus ab intellectu inuentis, quibus poteſt ſubeſſe falſum, quia procedunt ab intellectu opinante, coram Chriſti præcepto de correctione præmittenda, ſub quibus rationibus; ob quas tradidit præceptũ, falſitas nequit eſſe, non poteſt eſſe niſi durum, & rigidum, &c. ergo: præterquamquod eſſet etiam concedenda talis propoſitio, licitè, & prudenter dici poteſt, ſimpliciter non poſſe æquè benè gubernari, & conſeruari Religionem, niſi omnes ſubditi ſibi perſuadeant ſuos prauos mores ſecretos eſſe denuntiandos immediatè Prælato, tanquàm Iudici, quia illa vtilitas, imò longè maior, quæ elicitur ex denuntiatione paterna in fauorem ſubditi, & Religionis, elicitur etiam ex iudiciali denuntiatione, quia ex publicatione delicti maior humilitas delinquenti erit neceſſariò ſuſtinenda; magis, ac magis eius patientia augebitur; actus cõfuſionis, & reſignationis ferè omni tempore ex rubore, ac verecundia erunt præſtandi; maior ſecuritas à Religione, ne relabatur, habebitur, quia omnes eius curæ intendent; magis ſuaue erit regimen Prælatis ob aliorum curam, & bonum commune ob pœnam inflictam fouebitur, quia cæteri alij à delictis patrandis ſe abſtinebunt: Nec obſtat dicere, famam eius magnam pati iacturam, quia ſicut læſio famæ iuxta contrariam ſententiam leuis momẽti cenſetur ob bona ſpiritualia, quæ eliciuntur ex immediata delatione paterna; ita læſio famæ ob bona longè maiora, quæ eliciuntur, ſi denuntiatio iudicialis deferatur Prælato, putanda erit modica, imò nullius pretij, & valoris ob vtilitatem, quæ inſurgit in fauorem boni communis, quod nullo modo eſt concedendum: ergo.

3. Limita, non propter rationes contrariæ ſententiæ, quarum prima eſt, quia meliùs, & vtiliùs delatus conſequetur ſpirituale bonum correctionis ex delatione paternâ, quàm ex monitione fratris, & maius bonum ſpirituale præferendum eſt bono tẽporali famę ſubditi. Ita dicunt aduerſarij, præſertim Sanch. ſumm. lib. 6. cap. 8. nu. 46. quia tam Regulares, quàm ſæculares cũ graui damno vitæ, honoris, vel fortunæ non ſunt coacti à præcepto diuino ad corrigendum fratrem delinquentem, vt communiter docent Aragon. Valent. Regin. Bann. Mald. Nauarr. quos citatos ſequitur Bonacina de charit. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 7. n. 11. Petrus Nauarr. de reſtit. lib. 2. cap. 4. dub. 11. num. 117. in 2. edit. Coninch. de charit. diſp. 28. dub. 6. num. 124. quarè ſi temporale eſſet negligendum ob bonum ſpirituale, non eſſet admittenda doctrina tradita; imò mille aliæ doctrinæ, etiam aduerſariorum eſſent nullius roboris; præterquamquod mille incommoda in Religionibus ſequerentur; vndè Diana in dub. Regulat. tract. 6. reſol. 37. part. 3. negat propoſitionẽ, ſicut ante ipſum fecit Valent. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 10. de correctione punct. 5. §. 2. dicens: Non pro quocunque bono ſpirituali proximi licitum eſt damnum ei inferre in bonis corporalibus, ſed pro neceſſario, quod non videtur eſſe in caſu, eò quòd finis correctionis per proximum corrigentem habetur abſque delatione apud Prælatum: imò etiam addo, quòd ſemper vberior fructus ſpiritualis elicietur à correctione fraterna, quàm à paterna, quia correptus à gratitudine inſtructus, quòd ſua fama à corripiente incolumis fuerit ſeruata, maiori pace, ac vehementiori ſpiritu peccatum fugabit, maiori vinculo amoris correptorem proſequetur, ſumma tranquillitate de bono nomine conſeruato fruetur, à rubore peccati ante Prælatum non conturbabitur, neque confundetur, aduerſitatem animi aduerſus fratrem delatorem non feret, & à ſuſpicionibus circa diſpoſitiones Prælati de propria perſona non opprimetur; vndè non paruum emolumentum à fama conſeruata pro ſpiritu habebit, quia, vt dicit S. Thom. vbi ſupr. art. 7. multùm fama iuuat ad augmentum ſpiritus, & confir-

matur à Bann. 2. 2. qu. 33. art. 8. dub. 2. ad 4. quarè magis conabitur virtutibus Religionem colere, quæ tanto amore per ſubditū charitate ornatū ſuā famā protexit; vndè Granad. vbi ſup. obſtās obiectioni, quòd ſemper correctio meliùs facienda ſit à Prælato in Religionibus, inquit, non eſſe verum, quia Prælati non ſemper ſunt tales, quales deſcribit D. Thom. in quodlibet. vbi ſupr. quia ſæpè ſunt ſubditi, quos alij tanta veneratione, & amore proſequuntur, vt plus proſit eorum ſecreta correctio, quàm Prælatorum ſaltem in peccatis, quæ non pendent in futurum.

Limita, non propter ſecundam rationē aduerſariorum, quæ videtur eſſe, quia maior puritas, perfectio, & obſeruantia Religionis ex monitione paterna habebitur, eò quòd priuabitur delinquens officio, loco, &c. & ita magis peccatum impedetur, quia, ſi illa ſunt occaſiones proximæ, ipſe delinquens curabit, vt ſe eis priuet, ſicut tenetur in conſcientia; aliàs correctio ſecreta non eſt cenſenda profutura; ſi ſunt remotę, non tenetur eis priuare Superior miſerum ſubditum, nec ob iſtam rationem eſt à delatore negligendum diuinum præceptum, nec Prælatus ad præcauendum remotum damnnm debet vti tali remedio, quia videtur nimis durum eſſe, & ſine debita cauſa triſtatur ſubditus, quia etiam non omnia peccata, vt benè notat D. Thom. vbi ſupr. art. 7. quem ſequitur Sayrus vbi ſupr. num. 16. ſunt reuelanda Prælato, quia occultorū homo non eſt Iudex, & licèt aliquandò id poſſit fieri, non ideò eſt tradenda regula generalis; maximè quia non ſemper Prælati ſunt viri illis qualitatibus à D. Thom. aſſignatis præditi, nec omnes ſubditi ſunt diſpoſiti ad patienter ferendum, quòd ſuum peccatum Prælato deferatur; vndè mille incommoda poſſunt ſequi, odia, & diſſenſiones inter delatum, & delatorē; pro parte Superioris imprudentia cum iactura famæ delinquentis; pro parte delati renitentia ad emendationem, quæ omnia ſunt multùm nociua paci communitatis; imò datur aditus ſubdito, ſi habet paſſionē aduerſus delinquentem, eam effrenandi, miſcendo etiam falſa cum veris.

Limita, non propter rationem, quia detrimentum famæ ob denuntiationem patet nam cenſeri debet minimæ iacturæ, & leuiſſimæ infamationis, dum Prçlatus eſt pius, & prudens, & qui non ſit delinquenti nociturus, ſed profuturus, nec propter aliam, in qua dicitur eſſe maximum frenum, ſcire Religioſum ſua delicta immediatè poſſe denuntiari Prælato, quia, vt reſpondeam primæ in ſententia Adriani, Valent. Barthol. Medin. quos citatos ſequitur Sayrus vbi ſupr. eſt multùm æſtimanda; vnde Caſtrus Pal. part. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 12. licèt declinet in ſententiam contrariā, nihilominus inquit: Fama apud Prælatum pluris æſtimatur à ſubditis, & egriùs fertur apud illum infamari propter dependentiam ab eo, quàm apud plures ſocios: idem dicit Granad. vbi ſupr. Manifeſtatio multùm lædit famam delinquentis, præſertim ſi antea magni æſtimabatur à ſuo Superiore: affirmat Bann. 2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 2. ad 5. Regulariter loquendo multò grauiùs nobis eſt ad ferendum, quòd Prælatus noſter quantumlibet prudens, & pius cognoſcat delicta noſtra, quàm quòd alius frater, & amicus eorum notitiam habeant: conſentit Fagundez vbi ſupr. num. 9. dicens: Multò enim grauior eſt infamatio apud vnum grauem, & prudentem virum, vt potè Prælatum, à quo quis pendet, quàm apud multos, à quibus non pendet; maximè quia ex reuelatione Superiori tanquam Patri facta, pio, ac prudenti, poteſt Superior procedere ad negationem ſuffragij, ac officiorum Religionis, ad mutationem, domus, & monaſterij, ad remotionem ab officio, & ad alias res, quæ notam infamiæ naturaliter afferre poſſunt: concludit tandem Baſſæus in ſumm. tit. denuntiatio num. 8. Dubium enim non poteſt eſſe, quin multò grauior, & acerbior ſit vnicuique læſio ſuæ famæ apud ſuum Superiorem, etiam vt apud Patrem, quàm apud vnum, vel alterum ex alijs; ſicut enim deterius eſt apud virum honeſtum, & prudentem æſtimationem, ſeù famam perdidiſſe, quàm apud multos leues; ita adhuc grauior iactura eſt in famæ amiſſione apud Prælatum; vndè fama fratris apud Prælatum magni eſt æſtimanda; & ideò ſine extrema neceſſitate, ideſt quandò vel Religioni, vel tertio, vel ipſius peccato-

ris

tis conſcientiæ ſubueniri aliter non poteſt, non eſt prodigenda: quarè Sotus in ſelect. de ſecret. memb. 2. quæſt. 4. concluſ. 3. dub.3. de ſe ait: Optarem potius ego peccata mea nota eſſe tribus,aut quatuor,quàm vni mihi coniunctiſſimo viro; cuius bonam de me opinionem pluris facio, quàm ſi quatuor alij de me benè opinentur:deindè ſubdit: Fama ſubditi apud Prælatum magni æſtimanda eſt; & ideò ſine extrema neceſſitate non eſt prodigenda, nec Prælatus poteſt ad id compellere, imò in viſitationibus debet monere, vt occulta peccata non denuntientur, niſi præuia admonitione; & S. Auguſt. in regula, quanquam dicat ante inductionem teſtium denuntiandum eſſe fratrem Prælato, tanquam Patri, non tamen id permittit ante monitionem: hæc Sotus. Quapropter, vt reſpondeam ſecundæ rationi cum Granad. vbi ſupr. verum eſt, eſſe frenum, dum ſubditi ſciunt ſua peccata eſſe manifeſtanda Prælatis, ſed non propterea omnibus Religioſis iniectum fuiſſe, credendum eſt; ſunt enim alia frena, nimirum oratio, timor pœnarum alterius vitæ, admonitio fraterna, & inſuper noſſe,quod ſi hæc non profecerint, procedetur ad denuntiationem.

Limita, non propter aliam rationem, quã admittunt Sanch. vbi ſupr. num. 50. Suar. vbi ſupr. cap. 9. num. 11.Caſpens vbi ſupr. num. 28. nempè vix eſſe præſumendam emendationem in Religioſis, habitam à Caiet. dicente; non facilè eſſe credendum Religioſum correctione fraterna emendandum, ſed dubitandum potiùs fore, vt fingat ſe emendatum, vt ſocium deludat, denuntiationemque vitet, & interim manſurum in peccato, donec in ſcandalum aliorum prorumpat; quia videtur horrendum tam ſiniſtram opinionem de Religioſis nutrire; vndè ſolutio rationis ab ipſo Sanch. vbi ſupr. lib. 4. cap. 4. num. 7. eſt elicienda: Si peccatum, inquit, Religioſi eſt veniale, multitudine bonorum operum, in quibus Religioſus verſatur, veluti obruitur; ſi verò ſit mortale,faciliùs,ac citiùs Religioſus reſurgit ob priſtinã conſuetudinem, qua eſt deditus Deo, ac aliorum Religioſorum exemplo attractus, ait Origene in pſalm. 36. *Cum ceciderit iuſtus non collidetur*: vndè Lorca 2. 2. diſp. 89. dub. 4. poſt multa aduerſus tam malam opinionem inuehitur hiſce verbis: Neque in Religionibus poteſt inueniri ſpecialis ratio, quarè Euangelicus ordo prætermittatur, quia nec Religioſorum fama vilis eſt, ſed potiùs maioris pretij,quàm ſęcularium; nec minùs ſperari poteſt ſecretã monitionẽ profuturã Religioſis, quàm alijs, ſed magis; non enim ſunt Religioſi duriores, aut incorrigibiliores cæteris, nec cætera incommoda minùs in Religione vrgent, quàm extra; vndè Caietan. 1. opuſcul. tom. 1. tract. 31. reſp. 5. eſt malè allegatus tam in ſenſu, quàm in verbis, quia loquitur de peccatis exceptis, vt notat Granad. vbi ſupr.& verba eius ſunt expreſſa: Similiter, inquit, ſi crimen pendet adhuc in perniciem Reipublicæ, Eccleſiæ, aut aliorum priuatorum, puta, quia ſunt multi corruptores fidei, aut conſpiratores, aut latrones,aut ſubuerſores aliorum, debet ex officio Iudex inquirere, & Reos huiuſmodi perſeuerantes in malo pernicioſo omninò occulto, (de his ſermo eſt) debet reuelare, niſi fortè probabiliter crederet correctione fraterna eos ampliùs non peccaturos, quod non facilè credendum eſt de Religioſis, præſertim huiuſmodi ſceleribus irretitis; ſed dubitandum potiùs videtur, quòd fingant ſe emendare, propterea tutius, &c. hæc Caiet.

Deſtructis ergo contrariæ ſententiæ fundamentis, ſequitur limitatio concluſionis, & eſt illa D. Thom. Si autem videtur,quòd meliùs hoc fiet per Prælatum, & nihilominus, &c. tunc fiet meliùs, quandò timetur relapſus in futurum, nec eſt omninò emendandus, & tunc debet quis delinquentem Prælato,tanquam Patri denuntiare.Ita, alijs citatis, Sayrus vbi ſupr. & Iacob. Granad. vbi ſupr.ait: quia tunc prudenter eſt putandum non eſſe correctionem fraternam profuturam, vndè correctio multùm erit vtilis, ſaltem deſeruiet denuntiatio, vt Superior diligentiùs inuigilet, & occaſiones reſcindat delinquenti: conſentit Bann. 2. 2. q.33.art. 8. dub. 2. ad 4. in fine: id etiam æſtimandum eſt poſſe fieri, quandò adhuc periculum relabendi adeſt.Ita Valent. Adrian.Sot. D. Thom. quos citatos ſequitur Caſtrus Palaus vbi ſupr. Periculum relapſus voco, in-

inquit Palaus punct. 12. num. 5. quandò ita proximus occaſionibus peccati eſt ita immerſus, vt morali probabilitate putandus ſit caſurus, niſi occaſiones reſecenrur; nam de alijs periculis remotis non eſt penitus curandum, cum omnibus tale periculum inſit fragilitati naturæ; & ideò concluditur ob has duas rationes, poſſe Religioſum ſecreto monere Prælarum, vt Patrem de peccato fratris abſque præuia correctione, tum quia remedia applicare poteſt, quæ per alios ſubditos nequeunt applicari, tum quia abſcindet occaſiones peccati, quas reſecare nequit alius, quàm Prælatus, & hoc videtur eſſe illud meliùs à D. Thom. deſignatum.

Sequitur tandem limitatio limitationis: Sed quia, inquir D. Thom. proprer conditiones diuerſas Prælarorum, & ſubdirorum, non poteſt in hoc dari generale iudicium, quia aliquandò Prælatus, vel mouetur ad odium aduerſus ſubditum, vel ſubditus non benè feret verba Prælati; imò tenendum eſt pro regula, quòd in omnibus iſtis ſemper eſt ſeruanda charitas, & quod melius, & magis expedire videtur: quaſi dicere velit; concluſio generalis eſt peccatum fratris ante Prælatum, quantumuis Patrem ſine monitione Euangelica non eſſe deferendum, niſi aliquod melius notabile contingat, & cogat, vt ſunt relapſus, & eius proximæ occaſiones; & adhuc in hoc ſunt perpendendæ qualitates Prælatorum, & ſubditorum, ne mille incommoda oriantur in damnum Religionis, & ijs maturè perpenſis, charitas eſt illa regula, quæ debet delatorem, quid facere debeat, inſtruere. Aduertit tandem Mirand. tom. 1. ordin. iud. quæſt. 9. art. 4. quem citatum ſequitur Hieronim. Rodriq. in ſuo compend. reſol. 36. quòd ſubditi non ita facilè accedant ad Prælatos, vt Patres: Omnibus diſſuadeo, inquit, ne ad Prælatos, etiam vt Pattes, accedant, quia aliquandò hi, qui erant ſubditi, & conuerſando erant benigni, & manſueti, poſtea facti Prælati volunt magis videri Iudices, quàm Patres viſceribus charitatis zeloſi.

Dices, in nonnullis Religionibus habentur conſtitutiones, quæ iubent deferre peccatum fratris apud Prælatum, tanquam Patrem, quod fuit à ſanctiſſimis viris executioni mandatum, & à ſummis Pontificibus approbatum, quod, ſi non eſſet licitum, nunquam illas conſtitutiones permiſiſſent. Reſp. quòd eo ipſo, quòd quis aſſumit habitum, aſſumit etiã pro obſeruatione proprias conſtitutiones, inter quas connumeratur, Religioſum poſſe abſque præuia correctione monere Prælatum, tanquam Patrem de crimine fratris; vndè vnuſquiſque iuri famæ cedit, & cum dominus ſit ſuæ famæ Religioſus, ei renuntiare poteſt, cum hoc non prohibeatur neque à iure naturali, neque ab Euangelico; nam Chriſtus illum ordinem ſeruari voluit, prout lex naturalis præſcribit, vt ſeruetur fama delinquentis, ne eis fiat iniuria; vndè Bann. vbi ſupr. ad 7. cenſet tale ſtatutum poſſe, eſſe vtile Religioni; adhærent Valent. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 10. p. 5. Coninch. 2.2. diſp. 28. dub. 12. Suar. 4. de Relig. tract. 10. lib. 10. cap. 7. n. 10. 12. ſed hi tres DD. coguntur id dicere à tali praxi in eorum Religione ſeruata.

Ex dictis infertur, quandò Prælati Religioſorum præcipiunt ſub præcepto ſanctæ obedientiæ, vel ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, vt ſcientes crimina intra certum terminum ſibi reuelent, ſemper intelligendum eſſe, ſeruato ordine correctionis fraternæ, ſi crimina ſint occulta, & putetur correctio profutura, & non ſit periculum in mora, etiamſi id præcipiatur ſpecialiter vni, vel generaliter omnibus. Ita Fagundez vbi ſupr. num. 12. imò addit Bann. 2. 2. qu. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. præcepta viſitationum non intelligi de peccatis ſecretis, ſed de illis, quæ aliquo modo ſunt publica, & ſcandaloſa, aut in detrimentum commune vergunt: adhærent S. Thom. 2.2. quæſt. 33. art. 7. Nauarr. man. lat. cap. 18. num. 40. & cap. 25. num. 46. & alij, quos citatos ſequitur Sayrus lib. 11. cap. 4. num. 19. Hæc ſunt, quæ adnotaui propter Caſpenſem, qui audet aſſerere, hanc ſententiam poſſe eſſe in ruinam Religionis, quæ verba erant lenienda, dum habetur præceptum Domini de præmittenda correctione, priuſquam peccatum fratris denũtietur Prælato.

D V-

## DVBIVM LXXXI.

*An Religioſus, qui apud Prælatum ſine præuia correctione vult deferre delictum occultum fratris, teneatur priùs examinare conditiones requiſitas in Superiore à D. Thom. aſſignatas: an potiùs illas præſupponere debeat.*

### SVMMARIVM.

1. *Dupliciter conſideratur Prælatus; vel vt electus à Prouincia; vel vt miſſus à Generali pro viſitatione alicuius Prouinciæ: itidem dupliciter conſideratur delator; vel habens tempus priuſquam porrigat delationem Prælato, tanquam Patri; vel eo carens negato ab aliqua neceſſitate.*

2. *Prælati vtriuſque conditiones non ſunt examinandæ, & cognoſcendæ per tractum temporis, & per regimen ad opus redactum à delatore, priuſquam ei deferat tanquam Patri peccatum ſubditi, ſed ſunt præſupponẽdæ, & de vtroque adnotatur limitatio.*

3. *Si ſubditus timeat Prælatum eſſe malè vſurum monitione paterna, nequit ei reuelare peccatum fratris.*

1. Not. quòd hic loquimur de Religioſo, qui adhærere vult opinioni eorum, qui docent poſſe peccatum ſecretum fratris reuelari Superiori, vt Patri, prætermiſſa correctione fraterna, ad cuius omiſſionem ſufficit, vt maior vtilitas, vel circa ſatisfactionem, & emendationem delicti commiſſi, vel circa futurum periculum ſperetur, vt notant Abulenſ. c. 18. in Matth. quæſt. 98. in fine: Sanch. ſumm. lib. 6. c. 18. n. 17. Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 9. num. 8. in fine Caſpenſis loc. cit. in præced. dub. vndè Prælatus dupliciter poteſt conſiderari; vel vt electus à Prouincia, vt fungatur munere Prouincialatus; vel vt miſſus à Generali ad viſitandam Prouinciam, qui communiter nuncupatur Viſitator: eadem diſtinctio applicari poteſt alijs Prælatis; ſed loquimur de iſtis, quia magis immediatè Prouincias gubernant, & regunt: conſiderari etiam poteſt delator dupliciter; vel habens tempus, priuſquam porrigat delationem; vel non habens, negatum ab vrgenti neceſſitate, quia periculum eſt in mora.

### CONCLVSIO.

2. Prælati conditiones tam electi à Prouincia pro eius regimine vniuerſali, quàm deſtinati à Generali ad viſitandam Religioſorum communitatem nõ ſunt priùs examinandæ, & cognoſcendæ per tractum temporis, & per regimen ad opus redactum, ſed poſſunt præſupponi. Prima pars ſuadetur, quia electores Prouinciæ habent plenam informationem de qualitatibus Prouincialis electi, ſcilicet de eius pietate, diſcretione, ſpiritualitate, &c. imò ob iſtas ſatis cognitas eum delegerunt; aliàs mortaliter peccaſſent, ſi abſque indagatione morum per ſuffragia ad tale munus eleuaſſent ob periculum deligendi non aptum in graue damnum totius communitatis; de illis enim rebus, quæ nouimus, non indigemus inquiſitione, & informatione. Limita, modò non inſurgat aliqua probabilis dubitatio de morum mutatione, quia, vt dixi ſuperiùs, multi, dum obediunt, ſunt manſueti, & benigni, facti deindè Prælati volunt videri potiùs Iudices rigoroſi, quàm Patres charitate pleni. Secund. pars habetur ex Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 86. aſſerente officialem effectum præſumi dignum, aptum, & idoneum: ergo eò ipſo, quòd electus fuit à Generali ad viſitandam Prouinciam, præſupponendæ ſunt conditiones requiſitæ ad munus ſuum rectè gerendum, præſertim quandò caſus deferendus non concedit dilationem, neque moram; quarè tuta conſcientia delator ſperans maiorem vtilitatem in fauorem delinquentis à Prælati correctione, quàm à propria, poteſt ei fratris delictum deferre. Dixi, quandò caſus deferendus Prælato non patitur dilationem, quia ſi periculum non eſt in mora, & caſus non vrget, ſunt conſiderandæ Viſitatoris qualitates ad opus redactæ; quia, licèt præſumptio de eius idoneitate concedat, vt poſſit ſtatim crimen ei deferri, quandò vrget neceſſitas; nihilominus, hac ceſſante, cum præſumptio ex propria natura verſetur intra dubita-

dubitationis terminos, vt docet Menoch. vbi ſupr. lib. 1. q. 8. n. 2. charitas poſtulat, vt conſulatur iniuriæ delati, quæ ei imminere poteſt ex parua prudentia, charitate, &c. Viſitatoris, quæ ei ineſſe poſſunt; nam, vt dixi in præcedenti quæſito, non omnes Prælati ſunt illis qualitatibus ad optimum regimē ſeruandum neceſſarijs ornati. Limitāda videtur hæc ſecunda pars, niſi fortè Viſitator eſſet deditus partialitatibus, de quibus dicebam in prima part. alijſque ſimilibus vitijs, quia, vt benè notat Menoch. vbi ſupr. num. 11. hæ quidem traditiones (intellige, quas adnotauit) probabilem dubitationem non habent, quandò à principio ij, ideſt Rectores fuerunt cogniti, & iudicati inſufficientes: cum ergo iſte Viſitator in ſua Prouincia præſumatur malus, quia factionibus deditus; eſt etiam præſumendus talis in viſitatione, ad quam fuit deſtinatus; nam ſemel malus ſemper eſt præſumendus malus in eodem genere mali. cap. Semel, de reg. iuris in 6. Menoch vbi ſupr. lib. 1. quæſt. 16. num. 15. quæ verò pietas, quæ prudentia, quæ ſpiritualitas poteſt præſupponi in homine, qui in ſua Prouincia pietatem multis ex contraria factione negat; qui prudentiam pro pacis cōſeruatione, iuſtitiæ adminiſtratione, nec nō & diſtinctione inter dignos, & indignos non habet; qui ſpiritualitatē infinitis partialitatibus à ſe ipſo alienauit, qui rā cote aduerſus contrariam partem, ac factionem afficitur; quomodò huic homini plagæ fratris tuta conſcientia à delatore deferri poſſunt? vndenam eſt præſupponenda illa maior vtilitas, quæ dat poſſe deferre Prælato abſque læſione conſcientiæ delinquentis peccatum? O quàm malè faciunt Generales huiuſmodi factionarios deſtinare ad Prouincias viſitandas. Amplia, eſto Viſitator non ſit factionarius, ſufficit, quòd extrahatur ab illa Prouincia, in qua factiones dominātur; nam redditur ſuſpectus de illis cōditionibus, quæ inficiunt illam miſeram communitatem; quarè Menoch. vbi ſupr. num. 28. notat præſumptiones non ſolùm haberi à Patria, ſed ab amicitijs tam bonis, quàm malis num. 20. cum ergo amicitię Viſitatoris ſint de hominibus factionarijs, & malis, malè de eo præſumitur cap. Quorundam 34. diſtinct. cap. Sæpè 28. qu. 1. cap. A nobis de cohabit. Cleric. & mulier. vndè delator, priuſquam deferat peccatum fratris Viſitatori, meditari debet: an in regimine extra ſuam patriam, & Prouinciam immutet mores, ita vt licita, & tuta ſua denunciatio cenſenda ſit.

3. Aduertit tandem Suarez vbi ſupr. in fin. eſto acriter defendat poſſe delatorem crimen fratris Prælato tanquam Patri deferre, quòd ſi ſubditus timeat Superiorem eſſe malè vſurum monitione paterna, quia non in bonum ſubditi delinquentis vtetur, quia odiū in illū, vel iniuſtam, aut ſaltem imprudentem indignationem, quæ ſolet nimium affligere, & inquietum reddere ſubditum, concipiet, non tenetur ad delationem; imò peccare cenſendus eſt, quia alienum à charitate eſt talem denuntiationem facere: ſimiliter ſi huiuſmodi perturbatio à conditione, & fragilitate ſubditi delinquentis timeatur, etiam ſine culpa Superioris, abſtinendum eſt à delatione, quia correctio non eſt ei profutura, niſi iudicetur neceſſaria ob bonum commune, & aliorum.

## DVBIVM LXXXII.

### *An clauſura virorum Religioſorum, cuius ingreſſus fœminis interdicitur, à Superiore declaranda ſit.*

#### SVMMARIVM.

1. *Clauſura quid; non eſt introducta neque de iure diuino, neque naturali, ſed tantùm de iure humano.*

2. *Clauſuræ ſpatium explicatur, & ſoluuntur multi caſus.*

3. *Itidem explicatur, quæ mulieres à Monachorum clauſura arceātur: illæ verò, quæ non excluduntur, ſecum cum comitatum perſonarū, quo frequenter incedunt, deferre poſſunt.*

4. *Totum illud ſpatium, quod ſub monaſterij nomen propriè cadit, declaratione Superiorum non indiget: ſecus de illo, cui adaptari nequit nomen monaſterij.*

5. *Illis Monaſterijs, quibus in forma conuentus,*

*uentus, & monaſterij ampliùs non viuitur, clauſuræ nomen non conuenit.*

*6. Conſuetudine aboleri poteſt clauſura, & ſoluitur quadam quæſtio de extraordinaria proceſſione.*

1. Not. prim. clauſurã eſſe ſpatiũ, quod intra ianuã monaſterij ſemper clauſum cõtinetur; ſeù eſt locus monaſterij, intra quẽ Moniales, ſeù Monachi ſiſtere debent, & à quo egredi nequeunt ſine violatione præcepti, ſeù voti, dum clauſuram ex voto ſeruare tenentur. Ita Bonac. de clauſura quæſt. 1. pun. 1. num. 1. quæ tamen non eſt iure naturali, vel diuino, ſed iure humano poſitiuo indicta. Bonacin. vbi ſupr. p. 3. num. 1. Sanch. lib. 6. cap. 15. num. 3. ſumm. Azor. part. 1. lib. 13. cap. 18. qu. 2. Suar. 4. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 21. tract. 8. Nauarr. coment. 4. de Regularib. cap. ſtatuimus 19. quæſt. 3. num. 39. Prima pars ſuadetur, quia non eſt per ſe nota, aut ex per ſe notis deducitur, nec continetur in ſacro librorum codice, nec deduci poteſt ex aliqua traditione diuina. Secund. pars habetur ex multis decretis, ac conſtitutionibus Bonif. VIII. iu cap. Pericul. de ſtatu Monach. in 6. Pij V. Gregorij XIII. quas refert Laertius Cherubinus tom. 2. Stephanus Quaranta tit. monaſterium Monialium.

2. Pro ſecund. not. ſit, quid nomine monaſterij, & domus virorum comprehendatur, à quibus fœminæ arcentur; nam motus proprius Pij V. prohibẽs fœminis huiuſmodi ingreſſum dicit. Ne dictas domos, & monaſteria ingredi, &c. præſuppoſito hoc, quòd monaſteria, ac domus hic pro eodem vſurpentur, vt optimè probant Sanch. vbi ſup. c. 17. n. 41. & Bonac. vbi ſup. qu. 5. nu. 2. nomine monaſterij, in quo clauſura ſeruanda eſt, intelligitur totũ illud ſpatium, quod intra monaſterij ſepta continetur, colligitur ex Rodriq. tom. 1. qu. 46. art. 1. Nauarr. lib. 1. conſil. 66. nu. 8. Sanch. vbi ſup. num. 12. Paez in ſua pract. tit. 1. part. 5. cap. 3. num. 32. Bonacin. vbi ſupr. num. 1. ex quo deducitur hortos, quos Religioſi habent in ſuis monaſterijs, eiſque contiguos, ad quos patet aditus per oſtium monaſterij, vel per clauſtra, licèt ſit alius aditus per ianuam in cõmuni via, vel prædio ſæculari, ſubijci clauſuræ. Ita Sanch. vbi ſup. nu. 15. ſecus eſt de prædijs, domibus ruſticis, alijſque locis à monaſterijs ſeparatis, quæ nõ cõtinentur intra monaſterij ambitum. Bonac. vbi ſup. n. 2. Layman lib. 4. tr. 5. cap. 12. num. 5. referens Nauarr. coment. 4. de Regular. n. 62. not. 1. Eccleſia verò ſub his conſtitutionibus non comprehenditur, dũmodò ſit Eccleſia, quæ ſæcularibus abſq; cuſtodia pateat, quod dixerim propter Eccleſias Carthuſianorum, & Camaldulenſium intra ſepta monaſterij, & eius clauſtra incluſas. Suarez 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 7. nu. 2. chorus etiam Religioſorum eſt omninò à clauſura abdicandus, quia eſt pars Eccleſiæ, etiamſi Religioſi ſoleant ibi ſe induere pro Miſſarum celebratione. Bonac. vbi ſup. num. 3. idem dicendum eſt de ſacriſtia; ad quam immediatè patet ingreſſus per ipſam Eccleſiam, quia reputatur pars Eccleſiæ, cap. Si ciuitas, de ſentent. excomm. in 6. & tradit. Suar. vbi ſupr. Caſtrus Palaus de voto obedient. diſp. 4. quæſt. 3. p. 8. num. 7. ſecus eſt dicendum de ſacriſtia, quandò eſt contigua Eccleſiæ ſolo pariete intermedio eam ab Eccleſia diuidente, quandò ſcilicet in eam ingreſſus minimè pateret, niſi per monaſterij clauſtrum: quandò verò ſacriſtia duas habet ianuas, vnam in Eccleſia exiſtentem, alteram in monaſterio, probabiliter cenſet Bonacin. vbi ſupr. eſſe inter partes monaſterij numerandam; & rectè, quia PP. Capuccini à Sacra Congregatione ſuper Regulares decretum obtinuerunt, in quo declaratum fuit, quod Bonac. innuit: deducitur etiam Religioſorum domos nondum extructas, ſed tantùm cæptas, in quibus nonnulli Religioſi degunt pro fabricæ ſeruitio, non eſſe comprehendendas ſub nomine clauſuræ, vt inquiunt Sanch. vbi ſupr. cap. 17. num. 19. Bonac. vbi ſup. num. 5. Coriolanus de caſibus reſeruatis quæſt. 2. nu. 29. Sorbus in priuileg. mendic. tit. ingreſſus monaſt. monial. in ſuis adnotationibus nu. 11. idem dicendum eſſe videtur de mente Bonacin. & Sanch. num. 20. vbi ſupr. de domibus, in quibus forma conuentus, ſeù Collegij viuendo non obſeruatur, nec ibi eſt Eccleſia cum Euchariſtia inſtar aliorum monaſteriorum; iſtæ enim domus hoſpitij potiùs, quàm monaſterij rationem habere

videntur: infirmariæ etiam, ſeù domus deputatæ in Ciuitate ad recipiendos infirmos, vel Religioſos tanquam hoſpites, exeipiendæ ſunt à nomine clauſuræ, quia non habetur Eccleſia cum Sacramento, nec conuentus. Bonacin. num. 5. Sanch. num. 19. vbi ſupr.

3. Not. tert. ſit, quæ mulieres arceantur à clauſura Religioſorum; habetur ex conſtit. Pij V. in qua mulieres cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & cuiuſcumque dignitatis, ac præeminentiæ, etiam Comitiſſæ, Marchioniſſæ, Duciſſæ memorantur tanquam excluſæ à dicta clauſura, ita vt eam ingredientes pœnis impoſitis ſubiacere omninò putandæ ſint; ex quibus verbis deducitur Imperatrices, Reginas, filias, & neptes Regum non comprehendi in conſtitutionibus, quia in eis tanquam gradus ſupremi Comitiſſæ, Marchioniſſæ, & Duciſſæ connumerantur, & etiam quia in generali prohibitione mulieribus facta non debent connumerari ob earum ſupremam dignitatem Reginæ, earumque filiæ. Ita Suar. vbi ſupr. num. 6. Sanch. vbi ſupr. n.4. Layman. n.5. Caſtrus Palaus num. 3. vbi ſup. an verò fundatrices comprehendantur in prædictis conſtitutionibus; videãtur Sanch. Layman, Rodriq. Suarez, Caſtrus Palaus p. 8. vbi ſupr.

Not. quart. quòd mulieres de ſtirpe regia, aliæque ex priuilegio ſpeciali viuorum monaſteria ingredientes deferre ſecum poſſunt eum comitatum perſonarum, quo frequenter incedunt. arg. cap. Lic. de priuil. in 6. & docet Rodriq. ſimul cum Layman vbi ſupr. & praxis ipſa teſtatur: intuendum tamen eſt, quòd puellæ ratione honeſtatis, ac decentiæ ſunt excludendæ; loco enim illarum ſunt admittendæ mulieres prouectæ ætatis, vt honeſtas comitatus in Religioſorum monaſterijs videatur.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. Totum illud ſpatium, quod ſub nomine monaſterij iuxta dicta in ſecund. not. comprehendendum eſſe videtur, non indiget declaratione (priuilegio excluſo) Superiorum ad hoc, vt intelligatur ſub nomine clauſuræ; ſecus eſt dicendum de illo ſpatio, ſeù domo, cui nomen monaſterij Religioſorum conuenire nequit. Duas habet partes concluſio, quarum prima facilè ſuadetur ex eo, quòd nullius roboris eſſet huiuſmodi declaratio, cum nullum ius habeant ad eam declarandam, ita vt, qui eam violet, ſubiaceat pœnis impoſitis à Pontificibus; ſed habetur ex motu Pij V. declarantis monaſteria, ſeù domos Religioſorum eſſe ſub cuſtodia, ſeù clauſura, ita vt mulieribus ſemper intelligatur interdictus aditus; vndè ex proprijs terminis videtur inſurgere clauſura. Secund. pars ſuadetur, quia illi ſpatio nequit conuenire nomen clauſuræ neque ex proprijs terminis, neque per legem vniuerſalem: ergo per particularem debet declarari, & publicari, vt poſſit ſeruari. Limita, modò ſpatium illud non ſit clauſuræ deputatum, & nomen monaſterij habere poſſit, vt optimè probat Bonaciu. vbi ſupr. quæſt. 4. punct. 1. quia non eſt ad libitum Prælati formam monaſterij ſtatuere, ſed inſurgit, vt dixi, ex proprijs terminis, & forma; vndè declaratio cenſenda eſſet verbalis, & extrinſeca potiùs ad inſtruendos ſimplices, & ignorantes, quàm ad ſtatuendam clauſuram ex vi verborum. Ex quo deducitur totum illud ſpatium, cui poſſunt conuenire conditiones monaſterij, quæ ſunt, quandò ei adaptatur definitio clauſuræ, & ibi in forma conuentus, ſeù Collegij viuitur, & habetur Eccleſia ſimul cum Euchariſtia, legitimè habendum eſſe pro domo, ſeù monaſterio comprehenſo in motu Pij V. vt colligitur ex Sanch. vbi ſupr. nu. 20. cum multis alijs viris ab ipſo conſultis, ex Bonaciu. vbi ſupr. nu. 5. de clauſur. vir. & Layman lib. 4. tra. 5. cap. 12. nu. 5. vndè Superiores permittentes, vt ingrediantur in huiuſmodi ſpatia mulieres, dicentes, adhuc declaratio clauſuræ non eſt publicata, cenſendi ſunt obnoxij pœnis à Summis Pontificibus impoſitis: verùm aduertendum eſt, quòd illud ſpatium, prout in ſecunda parte deputatum clauſuræ à Prælato ſub pœnis grauiſſimis à Religioſis, qui in illud fœminas introducere audebunt, incurrendis, non erunt illæ impoſitæ à Summis Pontificibus, quia ſpatio illi ex ſe, & ex ſuis termi-

terminis, & conditionibus nomen clauſuræ conuenire nequit, ſed erunt pœnæ à Prælatis impoſitæ incurrendæ à fratribus, non verò à fœminis, quia non ſubiacent eorum iuriſdictioni.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. MOnaſteria aliàs clauſuræ ſubiecta, in quibus modò in forma conuenrus, & monaſterij non viuitur, non ſunt ampliùs ſub nomine clauſuræ iudicanda. Concluſio eſt contra Bonacin. vbi ſupr. num. 5. & ſuadetur ex eius doctrina: air ipſe loquens de explicatione humanarum legum diſp. 1. punct. 8. nu. 15. de legib. quòd lex non excedit terminos verbis expreſſos; quarè ſi verba legis vnum tantùm ſenſum habenr, iuxta talem ſenſum explicanda ſunt: ſed ſi lex clauſuræ ad illa monaſteria extenderetur, in quibus monaſterij forma ampliùs non viget, extenderetur etiam vltra terminos legis expreſſos, quia motus Pij V. prohibet fœminis ingreſſum in monaſteria, in quibus non ſolùm materiale, ſed etiã formale conſiſtens in familia ſub vno capite habens Eccleſiam ſimul cum Euchariſtia, elucèſcit: ergo nullo modo huiuſmodi monaſteria ſub clauſura putanda ſunt: idem probar de legibus diſp. 1. quæſt. 1. p. 8. nu. 23. referens multos DD. quòd lex pœnalis ob paritatem etiã rationis nequit extendi ab vno caſu ad alium: ergo tantò magis extẽdi non poteſt ad alium caſum diuerſæ rationis: ſed ſi locus, in quo forma monaſterij ampliùs non ſeruatur, intelligeretur ſub nomine clauſuræ, lex extenderetur ad caſum diuerſæ rationis, vt per ſe patet: ergo motus Pij V. nequit eſſe in ſuo robore in illis monaſterijs. Tandem ſuadetur ex doctrina Nauarr. Henriq. Comitol. Angel. Sà, Magal. Granado, Caramuel. quos citatos ſequitur Diana de legibus part. 2. reſol. 28. & p. 7. tr. 10. reſ. 33. aſſerentium, quòd, quandò cauſa adæquata legis in caſu particulari ceſſat, ceſſat etiam obligatio legis, quia valet argumẽtum de toto ad partem, ſi ratio legis in totũ ceſſat, ceſſat & lex, vt docent omnes DD. ergo ſi ratio legis ceſſat in partem, in partẽ ceſſabit lex: ſed in huiuſmodi monaſterijs ratio legis ceſſat, eò quòd non ſunt ampliùs monaſteria cenſenda ob conditionem defectus: ergo omninò affirmandum eſt talia monaſteria libera eſſe à clauſuræ nomine.

Dices, lex vniuerſalis, ac generalis locũ habet in omnibus contentis in tali genere, licèt non in omnibus eadem militet ratio, ſed alia, aut aliqualiter videatur diuerſa in vna ſpecie, & in altera, vt omnes farentur DD. teſte Mirand. to. 2. q. 25. art. 26. concl. 2. ergo, licèt nomen monaſteriorum propriè conuenire nequeat huiuſmodi domibus, largè tamen, & impropriè eis adaptari poteſt, prout de facto adaptatur. Reſpond. doctrinam valere in materia fauorabili, cuius verba poſſunt extendi non ſolùm iuxta proprietarem naturalem, verùm etiam iuxta ciuilem, vt optime probat Sà tit. interp. n. 1. & 3. Salas de leg. diſp. 21. ſect. 3. Laymã de legib. lib. 1. tract. 4. cap. 18. nu. 8. Bonacin. de legib. diſp. 1. q. 1. p. 8. num. 9. non verò in lege odioſa, quæ rantùm explicari poteſt iuxta proprietarem naturalem, vt aiunt Suar. de legib. lib. 6. cap. 1. num. 6. Bonacin. vbi. ſupr. num. 8. & alij communiter.

*TERTIA CONCLVSIO.*

6. NOn eſt alienum à ratione clauſuram conſuetudine alicubi aboleri poſſe. Ita Azor. part. 1. lib. 13. cap. 18. quæſt. 1. Sanch. vbi ſupr. cap. 25. num. 4. Ratio videtur eſſe quia, cum clauſura ſit introducta ſolo iure humano, vt ſuperiùs probatum eſt, poteſt contraria conſuetudo præualere. Addo tandem ipſa decreta poſſe non eſſe vſu recepta, vt rectè notant Sanch. & Bonacin. vbi ſupr.

Pro complemento quæſiti addendum eſt dari multos caſus, in quibus ingreſſus in monaſteria virorum fœminis permiſſus eſt, quæ breuitatis cauſa prætermittuntur; videri tamen poſſunt apud Sanch. vbi ſupr. num. 22. diſput. 4. p. 4. & Caſtrum Palaum p. 3. diſp. 4. p. 8. num. 8. vbi ſupr. dico tamen contra Sanch. & Rodriq. relatos à Caſtro Palao, quos ipſe ſequitur, Prælatum poſſe inſtituere extraordinariam proceſſionem eo fine, vt mulieres monaſteriũ ingrediantur abſque eo, quòd incurrant

pœnas impoſitas contra Religioſos admittentes mulieres in virorum monaſteria. Ita Bonacin.vbi ſup.nu.14.Coriolan.p.2.caſ.3. nu.22. Portell.tit. clauſura Monach. nu. 6. Ratio eſt; quia lex generaliter, & indefinitè loquens,comprehendit omnia propria ſignificata, vt tradunt Tiraq. Menoch. Tuſch. Marc. Anton. quos refert, & ſequitur Barboſa in collect. DD.lib.1.decret.cap.Solitæ tit. de maioritate, & obedient. Sed Pij V. conceſſio eſt generalis: ergo etiam comprehendere debet extraordinariam proceſſionem, cum nomen proceſſionis propriè ei conueniat; maximè quia, cum lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. Addo, ſi huiuſmodi proceſſio nequit inſtitui, maximè quia eſt contra finem Legislatoris, cuius conceſſio, vt inquiunt DD. contrariæ ſententiæ fuit ad remouendos ſcrupulos, & non ad præbendū relaxationis motiuū, fuit ad fouendā pietatem, & religionem,& non ad clauſuræ relaxationem introducendam: ſed hoc non obſtat, quia eſt extrinſeca intentio, cuius obſeruationem lex non attendit, vt videre eſt apud D. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 9. ad 2. vbi Caietan. Sanch. in ſumm.lib.1.cap.14.num.4. multos alios referentem, Bonacin. de legib. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 8. Salas de legibus diſp. 11. ſect. 5. num. 33. ergo abſque eo, quòd pœna incurratur, inſtitui poteſt huiuſmodi proceſſio: vide Dian.p.7.tract.12. reſol. 6. tractātem pulchrum quæſitum.

Dices, eſt regula tradita in l. Non dub. C. de legibus,& l. contra legem, & ſeq. ff. eod. tit. quæ dicit: is in legem delinquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionem facere. Reſp. huiuſmodi regulam eſſe limitandam iuxta communem DD. ſententiam, ideſt eſſe intelligendam de voluntate intrinſeca, & non extrinſeca Legislatoris. Ita Sanch. vbi ſupr. lib. 1. cap. 14. num. 4.quarè præſupponendum eſt dari duplicem mentem, ſeù intentionem Legislatoris; aliam intrinſecam; aliam verò extrinſecam; tunc ſeruatur mens intrinſeca, quandò adimpletur, id, quod Legislator intendit, ſeù præcipit: e.g. præcipit Legislator ieiunium eo animo, vt turpem carnis concupiſcentiam reprimat ieiunans, ſi præceptum adimpletur prauo fine, adhuc mens legislatoris intrinſeca ſeruatur, eſto intentio ieiunantis ſit aliena ab intentione Legislatoris: ſi verò ieiunat animo frenandi carnis cōcupiſcentiam, ſeruatur non ſolùm intrinſeca,ſed etiam extrinſeca, & illa cadit ſub præceptum, non verò iſta, vt tradunt DD.

Aduertendum tamen eſt, quòd, licèt doctrina de proceſſionibus ſubſiſtat; nihilominus in Religionibus præſertim reformatis eſt cautè ad praxim reducenda, nec à Superioribus permittenda.

## DVBIVM LXXXIII.

*Quidam Religioſus ſimul cum duobus ſæcularibus ab ipſo in auxilium vocatis tentauit capere Apoſtatam fugientem è monaſterio, qui ſe armis defendebat, eumque percuſſit: quæritur, an inciderit in excommunicationem latam contra percutientes Clericos, & manus violentas in illos imponentes.*

## SVMMARIVM.

1. *Neque Religioſum, neque ſæculares in excommunicationem incurriſſe habetur, vnà cum multis obiectionibus ſolutis.*

1. Reſpondetur, neque Religioſum, neque ſæculares incurriſſe in excommunicationem, quia apoſtatæ, & fugitiui poſſunt vbiquè, & extra territorium à ſuis Superioribus abſque alicuius licentia, & excōmunicationis periculo capi, ligari, & ad monaſterium reduci, & carceribus mancipari. Ita Nauarr. comment. 3.de Regular. n. 50. Rodriq. tom. 1. quæſt. 30. art. 6. Mirand. tom. 1. quæſt.51.ar. 3. Sanch. in ſumm. lib. 6. cap. 8.num.33.Peirin.de ſubdito quæſt. 1. cap.26. concl.6. Baſſæus Capuccin. in ſumm. tit.Apoſtaſia n. 5. Bordonius reſol. variar. reſol. 41. num. 23. & habetur cap. A nobis, de Apoſtatis; imò ad id compelli poſſunt ſub pœna excommunicationis

nis cap. fin.de Regulat. Rationes ſunt, quia quicumque rem aliquam poſſidet,ſi ab eo au feratur, poteſt illam propria authoritate recuperare, capere, & detinere, quocumque modo poſſit, cum ius habeat inſiſtendi eidem per definitionem, quam tradit Baldus in l. ſi quis §. differentia, ff. de acquirenda poſſeſſione; at cum Religioſus ſit ſub dominio, & poteſtate Prælati; ſe ipſum enim in profeſſione tradidit Superiori: ergo; tum quia communis eſt doctrina DD.quòd Dominus poſſidens fugitiuum ſeruum poteſt illum capere, vbicumquè inuenerit: idem dic de ancilla, & de vxore; illam enim Dominus capere poteſt; iſtam maritus: ergo dicendum eſt idem, inquit Nauarr.vbi ſupr. de Prælato regulari reſpectu ſui ſubditi apoſtatæ, & fugitiui.

Nec obſtat Prælatum tantummodò poſſe huiuſmodi apoſtatas ligare, vinculis conſtringere, & carceribus mancipare, quia de mandato ſui Prælati etiam ſubditus mittere poteſt manus violentas in Clericum eum capiendo abſque periculo incurrendi in excõmunicationem. Ita Sayrus de cenſuris lib. 3. cap. 27. num.26. cum Barboſ. in collectan. DD. lib. 5. decretal.de ſentent.excõmunic. tit. 39. cap. 35. num. 4.

Nec obſtat, Superiorem tantùm id imperare poſſe ſubdito, nõ verò ſæculari,quia, vt rectè docent Ægidius de Sacram.& cenſur. tom. 2. diſp. 24. num. 191. & Barboſ. vbi ſupr. Prælatus poteſt iubere ſuum ſubditum Clericum capi etiam per laicos,& percuti: aſſentiunt Suar. Molin. Filliuc. quos citatos ſequitur Bonac. de cenſuris diſp. 2. quæſt. 3. punct. 6. ſect. 4. num. 5. & hoc habetur ex conſuetudine iam introducta.

Nec obſtat Religioſum nullum mandatum habuiſſe à Superiore ſuo eum capiendi, & percutiendi, nec laicos iubendi, &c.quia in hoc caſu habebat licentiam præſumptam Superioris, cum caſu extra monaſterium in fugientem incidiſſet, & ita factum fuit approbatum à Prælato, tum quia ſi Iudex ſæcularis poteſt capere Clericum in flagranti crimine repertum, vt ad ſuum Iudicem ducatur, vt dicunt multi DD. quos ſequitur Barboſa vbi ſupr. ab ipſo relatos, quarè Religioſus non poteſt capere apoſtatam fugiẽtem, eumque adducere ad ſuum Prælatum ad euitanda ſcandala, & ad conſulendum animæ fugientis? tum quia ſi fœmina poteſt percutere Clericum volentem eam violare, quia eſt iuſta defenſio ad tuendum ſuum honorem, vt aiunt Nauarr. Molin. Sayr. quos refert., & ſequitur Bonacin. vbi ſupr.& creditor poteſt Clericum fugiẽtem debitorem retinere, vt eum præſentet Superiori, ſuumque creditum requirat, vt ait Bonacin. vbi ſupr. abſque periculo excommunicationis; quarè non poterit Religioſus ad defendendum honorem ſuæ Religionis detinere, capere, & verbare, ſi opus erit, Religioſum fugientem, vt eum ſuo Prælato præſenter, debitumque obedientiæ ille Religioni ſoluat, ſimul cum pœna commiſſis delictis debita? tum quia eſto hoc non potuiſſet fieri abſque pœna excommunicationis; nihilominus per ignorantiam inuincibilem (ad quam reducitur illud iuxta mentem Peirin. tom. 2. qu. 3. cap. 4. num. 7. quandò ſcilicet quis ſcit aliquid eſſe prohibitum, attamen ex inconſideratione hic, & nunc exiſtimat eſſe licitum) Religioſus cum ſæcularibus in excommunicationem non videntur incidiſſe:colligitur etiam ex Sayr. Angelo, Filliuc. Auila, & alijs apud Peirin. vbi ſupr.

Nec obſtat, quòd licitum erat Religioſo eum capere, ſed non percutere, quia percuſſio illa non cenſetur vis iniurioſa,& vltio, ſed potiùs defenſio ad repellendam vim fugitiui, qui ſe defendebat armis à iuſta carceratione inrenta ab illo Religioſo; & vim vi repellere licet abſque periculo cenſuræ. Ita Suar. Sayr. Auil.Emm. Sà, & alij, quos citatos ſequitur Bonacin. vbi ſupr.

Hoc, quod dictum eſt, concedit ius commune, priuilegia tamen fratribus Minoribus ampliùs concedunt, quòd ſcilicet eorum Generalis, ac Miniſtri Prouinciales, Cuſtodes, ac cæteri fratres Ordinis Minorum poſſint apoſtatas,& inſolentes dicti Ordinis excommunicare, ligare, capere, & carceri mancipare, ſi videbitur expedire. Ita Innoc. VIII. Clemens IV. & alij Pontifices, vt videre eſt apud Rodriq. tom. 1. quæſt. 30.art.6. etiam inuocato, ſi opus fuerit,auxilio brachij ſæcularis. Hæc ſunt verba priuilegij Innoc. relata à Caſarub. in compend. priuileg.Mendicantium, num. 4.Generalis

neralis, & Prouincialis Miniſter, & Cuſtodes, & cæteri fratres Ordinis Minorum poſſunt apoſtatas, & inſolentes dicti Ordinis excommunicare, ligare, & capere, & carceri mancipare, ſi videbitur expedire.

## DVBIVM LXXXIV.

*An Prælati Religionum teneantur Apoſtatas, & fugitiuos inquirere, & ad Ordinem reuocare, & reducere.*

## SVMMARIVM.

1. *Religioſorum Prælati quærere tenentur apoſtatas, eſto ſint eis nociui: quædam additur limitatio, & quædam ſoluitur obiectio.*

### CONCLVSIO.

1. Per ſe loquendo tenentur Prælati Religioſos fugitiuos, atque apoſtatas quærere, & ad Religionem reducere, eſto ſint Religioni nociui. Duas habet partes concluſio, quarum prima habetur ex cap. vltim. de Regularib. vbi Prælatis præcipitur, vt annuatim ſolicitè quærant ſuos fugitiuos, & eiectos, tum quia munus Prælati eſt conſulere bono communi Religionis, ne illo ſubdito vtili priuetur, tum quia bonum ſubditi poſtulat, ne eum Prælatus relinquat in ſtatu damnationis. Ita ſentiunt Nauarr. cõment. 3. de Regulat. num. 50. Mirand. tom. 1. quæſt. 51. art. 3. Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 17. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 7. cui obligationi ſatisfacit Prælatus, ſi iuxta ortam occaſionem, vel occaſiones moralem diligentiam adhibuerit; verùm illa particularis circunſtantia de annuali inquiſitione non videtur eſſe in vſu, teſte Suar. vbi ſupr. Sanch. in ſumm. lib. 6. cap. 9. num. 18. Layman vbi ſupr. cap. 13. num. 7. Caſtro Palao part. 3. de voto obedient. diſp. 4. p. 17. verum tamen eſt, quòd poſtquàm Sacra Congregatio Concilij iuſſu S. D. N. Vrbani VIII. innouauit cap. Ne Religioſi, vbi 1624. die 21. Septemb. tenet Bonacin. de clauſura quæſt. 2. punct. 11. §. 2. Prælatos modò non excuſari ab exequutione, prout in textu; aliàs incurrere pœnas in eodem decreto aſſignatas; in hoc me remitto praxi. Addo hanc obligationem quærendi fugitiuos, & apoſtatas ineſſe Prælato, quoties præſumit eos eſſe inueniendos; ceſſat verò, quoties nulla adeſt ſpes. Ita Caſtrus Palaus vbi ſupr. Secunda pars ſuadetur: vt ipſi apoſtatæ in aliorum exemplum puniantur, ne cæteri arripiant occaſionem fugiendi, tum quia ex vexatione hi miſeri fugitiui fortè acquirent intellectum, & ad meliorem vitæ frugem mores corrigent, tum quia ſi eſſent à Religione eijciendi, ab ipſa eijciantur, vt extra Religionem viuere poſſint, non in ſtatu damnationis, ſed ſalutis.

Limitanda videtur concluſio ex mente Layman num. 7. & Caſtri Palai vbi ſupr. quòd ſi daretur caſus, quo abſque graui Religionis nota, vel ſcandalo, non poſſet Prælatus fugitiuum capere, ceſſare videtur obligatio, quia bonum commune Religionis præferendum eſt bono particulari ſubditi, qui ex mera malitia peccat. Addit tamen Suarez vbi ſupr. debere Prælatum, ſi ita expedire iudicauerit, abſolutionem abſenti fugitiuo mittere, vt à peccatorum vinculis liberetur; aſſentit Caſtrus Palaus vbi ſupr.

Dices, apoſtata, ſeù fugitiuus ita eſt nociuus Religioni, vt meritò omnes Religioſi gaudere poſſint, quòd ſeparatus exiſtat ab eorum conſortio; quarè excuſandus eſt Paſtor ab onere quærendi tam morbidam ouem, quia bonum commune prauis exemplis labefactat; & ideò eſt præferendum bono ſingulari apoſtatæ, quod ſignificauit S. Bonauent. in lib. quæſt. circa regulam S. Franciſci quæſt. 14. vbi loquens de tali Religioſo inquit: *Si, Deo permittente, talis ſe ipſum eijceret, gratiæ ſunt agendæ Deo, non quia ille peccauit; ſed quia oues ſuas à peſtifera contagione liberauit: vtinam abſcindantur, qui vos conturbant, ſcilicet puritatem veſtram, pacem, & famam.* Reſpond. Suar. vbi ſupr. num. 18. inclinare in partem affirmatiuam, quòd Paſtor in tali caſu ſoluatur ab onere quærendi illam miſeram ouem, innixum rationi D. Bonauent. quia Religio poteſt eam ouem tã pernicioſam ab ouili ſeparare; ideò ſi ſpon-

ſi ſpontè abeat, non tenebitur eam requirere, & ita ſentit Silu. tit. apoſtata n. 10. nihilominus dico Prælatum non eximi ab onere reuocandi talem fugitiuum ob rationes ſuperiùs deſcriptas in probatione ſecundæ partis, quia bono communi, ac etiam priuato conſulitur.

Addendum verò occurrit, Prælato Ordinis incumbere onus quærendi tales homines, quia eorum poteſtati, & iuriſdictioni ſunt ſubiecti; Epiſcopi verò tenentur ſi eorum auxilium à Prælatis Ordinis requiratur; item ſi fugitiui in eorum diœceſi ſcãdaloſè ſe gerant; deniquè ſi Prælati Ordinis negligenter ſe haberent in eorum inquiſitione. Ita Mirand. tom. 1. q. 51. art. 3. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 7. Caſtrus Palaus vbi ſupr.

## DVBIVM LXXXV.

*An Prælatus Franciſcanus, qui, mediante recurſu ad pecuniam, ſeù quocunque alio modo, aliquem vſum ſtrictum, rigidum, & vilem introductum in rebus vtendis, in fabricis ſcilicet, veſtibus, alijſque rebus tollit, quamuis de nouo alium, qui, licèt pretioſior ſit, ſtatui tamen Franciſcanæ paupertatis non ſit diſſentaneus, erigat, & introducat, lethali culpæ obnoxius cenſendus ſit.*

### SVMMARIVM.

1. *Pro recurſu ad pecuniam ſufficit Prælato Franciſcano neceſſitas accommoda: & duo ſunt conſideranda ad rectè recurrendum.*

2. *Tripliciter profeſſores regulæ conuenienter viuere poſſunt ſine vſu alicuius rei, & deſcribuntur ſatis fusè.*

3. *Religionum diuerſitas non deſumitur ex votis eſſentialibus, ſed ex fine particulari, ad quem quilibet Ordo eſt inſtitutus, et ex medijs, quibus vtitur, vel ad vota meliùs obſeruanda, vel ad functionem propriam meliùs obeundam.*

4. *Franciſcanus, dum recurrit ad pecuniã introducendo de nouo vſum alicuius rei intrà limites debitæ paupertatis, & accommodæ neceſſitatis non eſt reus lethalis culpæ: ſecus ſi reſecat eiuſdem rei viliorem vſum: & nonnullis ſatisfit obiectionibus.*

5. *Subditi non tenentur obedire, dato caſu, quòd negligatur aliquis vſus vilis.*

1. Quantùm omnipotẽti Deo diſpliceãt tranſgreſſiones paupertatis in eis, qui regulam S. Franciſci, eiuſque paupertatem profeſſi ſunt, teſtantur eorum monumenta in multis, multiſque horrendis caſibus ad ipſorum inſtructionem manifeſtatis; vndè cogor breuiter pertractare præſens quæſitum. Pro cuius intelligentia ſit prim. not. cum Seraphicus Franciſcus inſtitutor regulæ minoritanæ prohibeat ſuis filijs recurſus ad pecuniam, niſi pro fratribus induendis, neceſſitatibuſque infirmorum, non tamen intendit reſtringere huiuſmodi recurſum ad iſtas duas tantummodò neceſſitates, vt benè notat S. Bonau. in reg. expoſit. ſed ad alias quoquè; vndè tantùm expreſſit illas, inquit Cordub. in expoſit. regulæ c. 4. q. 7. in 1. not. vt innueret, nonniſi pro vera neceſſitate Franciſcano ſtatui decenti, & conuenienti poſſe procurari pecuniam, ſeù recurri ad ipſam: & cum radicale altiſſimæ paupertatis obſeruantiæ, eiuſdemque relaxationis fundamentum conſiſtat in his neceſſitatibus examinandis, vt inſinuat Politius in expoſit. regul. cap. 4. num. 18. ideò quærendum eſt, quænam neceſſitas cogat Prælatos ad licitè procurandam pecuniam: an ſtricta, ſeù accõmoda eſſe debeat: dicitur ſtricta, ideſt quòd ſit propè mortem, ita vt, ſi Religioſo non prouideatur, immineat probabiliter mors: dicitur accommoda, ideſt quòd talem habeat manifeſtam neceſſitatem præſentem, ſeù imminentem, vt, ſi Religioni non prouideatur, ſtatus debiti officij, communitatis, vel perſonæ particularis ſine detrimento commodè ſtare non poſſit; & hæc neceſſitas verſari poteſt circa res ſpirituales, ſeù corporales: ſpirituales putà, quandò niſi mediante pecunia aliquod grande bonum prædicationis, vel pacis, huiuſmodi fieri non poteſt, vel aliquod vitari graue malum: corporales putà circa alimenta, veſtes, lectos, domos, ornamenta Eccleſiaſtica, libros pro officio diuino, pro ſtudio literarum,

pro

pro Prædicatoribus, tam in communi, quàm in particulari, aliaque huiuſmodi requiſita ad officiorum exequutiones: vndè reſpondendum eſt ſecundum Ioann. Philipp. art. 5. & 6. Cordub. vbi ſupr. Polit. vbi ſupr. ſufficere neceſſitatem quandam accommodam ſecundum ſtatum, & profeſſionem Minorum, modò non ſit de illis rebus, quarum limitatio habetur expreſſè in regula, vt eſt de veſtium vilitate, &c. Ad benè iudicandum, quænam neceſſitas, vel qui vſus ſit accomodus, & conueniens Religioſorum ſtatui, vt licitus habeatur recurſus ad pecuniam, duo præcipuè ſunt rectè conſideranda; alterum, qualis ſit fratrum Minorum ſtatus, qui non eſt ſicut aliorum Religioſorum, ſed magnæ paupertatis, & humilitatis; vndè omnia debent ei eſſe conformia; alterum eſt quædam obligatio ad aliquos vſus arctos in regula expreſſos, & ad vſum moderatum omnium aliarum rerum, quibus vti poſſunt, & de hoc videndi ſunt expoſitores in cap. 6. regul. Quæ moderatio iudicanda ſit talis, vel quandò exceſſus, aut ſuperfluitas in vſu rerum cenſenda ſit, non poteſt, nec debet iudicari per ſubditos, ſed per Miniſtros, & Cuſtodes, vel per eos, quibus ab ipſis committitur, vt prouideant fratribus de neceſſarijs, vt notat Cordub. c. 6. reg. q. 14. punct. 2. & paulò inferiùs addit, moderationem, ſeù exceſſum non conſiſtere in indiuiſibili puncto, ſed habere ſuam latitudinem: & punct. 4. aſſerit non omnem exceſſum, aut immoderatum vſum imputandum eſſe ad mortale, ſed ſolùm quandò eſt talis, & tanta immoderatio circa prædicta, & tam notabilis, & tam continua, vt meritò cenſeri debeat contra Minorum obligationem, & notabiliter eam lædere; cæteri verò exceſſus immoderantiæ cenſeri debent peccata venialia. Ita habetur ex Seren. conſcient. quæſt. 11. ſecundum Vbertinum, Hugonem, & Ioann. Pirrin. in ſuo tractatu in 2. notabil. quorum doctrina eſt cũ grano ſalis legenda, vt dicam inferiùs.

2. Not. ſecund. quòd ſicut, vt dixi ex mẽte Politij vbi ſup. obſeruatio, & relaxatio regulæ minoris dependet ab examinãda neceſſitate pro licito recurſu ad pecuniã; ita tria ſunt conſideranda ex mente Cordubæ vbi ſupr. cap. 6. q. 15. punct. 4. ideſt tripliciter dici poteſt poſſe profeſſores regulę cõuenienter viuere ſine vſu alicuius rei. Prim. cum ſine tali vſu talis rei poſſunt conuenienter exercere omnia decentia ſibi, & ſtatui, ac officijs, ita vt ille talis vſus illius rei in nullo illis decens, & vtilis videatur eſſe. Secund. cum ſine tali vſu talis rei poſſunt qualitercumque viuere, & exercere neceſſaria ad ſuum ſtatum, & conditionem. Tert. cum ſine tali vſu talis rei poſſunt conuenienter explere omnia decentia ſibi, & ſtatui, & officijs, nec non & ſocietati, ita tamen, vt vtilitas talis vſus talis rei per aliquod aliud æquiualens æquè benè ſuppleri poſſit. Profeſſores regulæ non tenentur ſic conuenienter viuere iuxta modum ſecundum, neque moderatio vſus conſiſtit in hoc, vt vitetur omne illud, ſine quo poſſunt conuenienter, ideſt qualitercumque viuere, & exercere eorum officia; multa enim ſunt, ſine quibus degere vitam poſſunt ſecundum decentiam ſtatus, & officiorum, quibus tamen vtendo non excedunt vſum moderatum, ſed ſunt ad maiorem decentiam vſus moderati, vt ſunt ædificia, libri, ſtudia literarum, &c. ſecundum Nicolaum III. tenentur certè viuere conuenienter ſine tali vſu talis rei in primo modo deſcripto, qui in nullo eis eſt decens, & vtilis, &c. quia talis vſus clarè habetur eſſe ſuperfluus reſpectu decentis ſtatus Minorum; vndè quandò exceſſus in vſu ſuperfluus apparet, ſemper eſt peccatum graue, ſeù veniale ſecundum magnitudinem, vel modicitatem ſuperfluitatis rei, & vſus eius. Tandem profeſſores regulæ iuxta tertium modum non tenentur viuere ſine illò vſu illius rei, qui eſt decens eorum ſtatui, quamuis benè poſſint per vſum alium viliorem ipſius, vel alterius rei æquiualentem ſuppleri, neque ibi eſt aliqua immoderatio, aut ſuperfluitas, aut peccatum, niſi illud aliud (notare verba) æquiualens ſimul cum alio haberetur in vſu, tunc eſſet enim ſuperfluitas vitioſa: hæc Corduba.

3. Not. tert. quòd diuerſitas Ordinum Religioſorum non deſumitur ex eo, quod eſt eſſentiale, vt ſunt tria vota eſſentialia, cum approbatione Eccleſiæ; hæc enim ſunt omnibus communia, & in hoc non differunt ſpecie Religiones, ſed prouenit ex duobus. Prim. ex particulari fine, ſeù ſunctione, ad quam

quam quiſque Ordo ſpeciatim eſt inſtitutus; quidam enim ſunt inſtituti, vt potiſſimum occupentur in operibus vitæ contemplatiuæ, vt ſunt Monachi omnes; alij ſunt inſtituti ad opera corporalia actiuæ vitæ, vt ad redimendos captiuos, ad ſuſcipiendos peregrinos, ad ſeruiendum infirmis, ad defendendam Eccleſiam contra hoſtes fidei; alij partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ actiuæ, ſed ſpiritualia, quæ contemplationem ſupponunt, vt ſunt Ordines mendicantium. Secund. deſumitur ex particularibus medijs, & ritibus, quibus vtuntur, vel ad vota ſua meliùs ſeruanda; vel ad functionem propriam meliùs obeundam; hinc videmus magnam varietatem in habitu, victu, ieiunijs, alijſque pijs exercitijs. Ita colligitur ex D. Th. 2.2. q. 188.& 189. Leſſius libr. 2. c. 41. dub. 2. de iuſt. Syluius 2.2. quæſt. 188. Quamobrem Religio Franciſcana ab alijs diſtinguitur in multis, præſertim in paupertate in communi, in veſtiũ vilitate, in fabricarum humilitate, nec non & in cæterarum aliarum rerum modificatione; vndè ſuperiùs dicebam, quòd Minorum Religio non eſt ſicut ſtatus aliarum Religionum, ſed eſt ſtatus magnæ paupertatis, & humilitatis, eiuſque obligatio ſe extendit ad illos vſus arctos in regula præſcriptos, & ad vſum moderatum aliarum rerum vtibilium: hinc fit, quòd hæc magna paupertas, & vſus viles vtibilium ſunt illud ornamentum, & ille decor, qui, vt inter alias Religiones præcellat, efficit, & eſt illud medium præ cæteris breui curſu ducens homines ad finem ſpiritualis profectus.

*CONCLVSIO.*

4. Prælatus Franciſcanus, mediante recurſu ad pecuniam, de nouo introducens vſum alicuius rei intra limites debitæ paupertatis, & accommodæ neceſſitatis non abdicando viliorem, & accommodum vſum eiuſdem rei iam introductæ, non eſt damnandus mortali crimine, nec eſt habendus ſuæ profeſſionis tranſgreſſor; ſecus ſi abdicat eiuſdem rei viliorem vſum, &c. Prima pars ſuadetur ex doctrina Cordubæ vbi ſupr. aſſerentis, fratres Minores non teneri viuere ſine illo vſu illius rei, qui vſus eſt decens eorum ſtatui, licèt benè poſſit per alium vſum ipſius, vel alterius rei æquiualentem ſuppleri. Secund. quia ibi non apparet nec vſus immoderatus, nec aliqua ſuperfluitas: ergo nullum peccatum: Nec obſtat, quòd ibi videatur eſſe aliquod ſuperfluum, dum per alium vſum viliorem etiam eiuſdem rei ſuppleri poteſt neceſſitati; & ſuperfluum dicitur illud, quo ſublato, reliquum commodè ſufficit, vt rectè notat Cordub. vbi ſupr. cap. 4. qu. 7. in 2. not. quia per regulam profeſſoribus non prohibetur omne ſuperfluum, ſed illud, quod excedit ſtatum accommodum, & profeſſionem, quod propriè dicitur ſupefluum; vndè neceſſitas, quæ opponitur ſuperfluitati, vt dixi, non eſt cenſenda ſtricta, ſed accommoda, vt volunt omnes regulæ expoſitores: audite, quæſo, B. Bernardinum in epiſtol. ad Ordinem art. 3. fol. 90. ſic loquentem. ***Superfluitas, & curioſitas non debent diſcerni reſpectu neceſſitatis certæ, ſeù vſus certi quoad ſtatũ fratrũ Minorũ, ſed moderati, cum vſus moderatus nõ poſſit dici ſuperfluus, et curioſus, & per conſequens non vitioſus, imò ſecundum omnimodam veritatem, & regulam licitus, vt patet per Nicol. III.*** Sec. pars ſuadetur: ſuperiùs dictum fuit dub. 72. Prælatum eſſe reum mortis æternæ negligendo aliquam regulam, ſeù conſtitutionem, & permittendo, vt abeat in deſuetudinem, quæ eſt pro conſeruando fine, ad quem ordinatur Religio: ſed talis Prælatus, mediante recurſu ad pecuniam, abdicat illum vſum viliorem, & accommodum, & ad praxim redactum in non paruum laicorum exemplum, nec non & in profectum humilitatis Religioſorum, & ad propagandum finem Religionis minoritanæ, & admittit alium pretioſiorem damnificantem Religionis bonum in illa vilitate, ac aſperitate elucefcẽs: ergo ad mortale ille nouus vſus, licèt intra limites debitæ paupertatis, eſt imputandus. Sec. Prælatus, qui fidelitatem Religioni non obſeruat, quæ eſt eius præcipuum munus, in re graui, fit reus culpæ lethalis, vt dicunt DD. & cum paupertas ſit præſertim commendata fidelitati talis Prælati, vt potiùs eam augmen-

tet, quàm relaxet, quod non ſequitur in abdicatione vſus vilioris in magnum decorem Prouinciæ, ſeù Religionis introducti: ergo: Tert. ſuadetur ex vi regulæ: recurrere pro rebus ſuperfluis ad pecuniam eſt peccatum graue, vt dicunt omnes expoſitores; ſed vſus illius rei, qui introducitur cum abdicatione vilioris vſus eiuſdem rei, vel alterius, quæ commodè præſentem neceſſitatem ſupplet, per ſeriem annorum ad praxim redacti, & per conſuetudinem radicati, omninò eſt cenſendus ſuperfluus iuxta veram doctrinam Cordubæ dicentis non teneri fratres Minores viuere ſine illo vſu illius rei, qui vſus eſt decens eorum ſtatui, quamuis benè poſſit per alium vſum ipſius, vel alterius rei æquiualentem ſuppleri, neque ibi eſt aliqua ſuperfluitas, aut peccatum, niſi illud æquiualens vilioris vſus haberetur in vſu; tunc enim eſt ſuperfluitas vitioſa: ergo damnandus eſt Prælatus tanquam deſtructor regulæ, & tranſgreſſor ſuæ profeſſionis; quarè duplici peccato obſtringitur, quia habet recurſum ad pecuniam ſine neceſſitate, & quia de medio tollit vſum ſtrictum, & viliorem, qui cenſetur eſſe maximum Religionis bonum, & nequit à Confeſſario abſolui, niſi deſiſtat ab illa introductione; munus enim ſuum non eſt deſtruere, ſed ædificare, & eſt datus in Ordinis vtilitatem, & non in detrimentum; maximè quia, vt inquit S. Bonau. vna corruptela introducta, ſequitur & alia: vide quandam limitationem in fine ſubſequentis dubij.

Dices, multoties illa res, quæ tollitur, maioris ſimplicitatis, & vilioris vſus, quàm illa res, quę introducitur, fit ratione maioris paupertatis, quia noua eſt magis duratura, quàm illa, & magis ſeruatur præceptum de non recurrendo ad pecuniam, eò quòd tardiùs indigeat reparatione. Reſpond. cum Alphonſ. Rodriq. in exercit. perfect. tract. 3. cap. 8. eſſe potiùs rationem carnis, & Mundi, quàm ſpiritus Religionis; magis refert plus eluceſcere paupertatem, ac ſimplicitatem in illis rebus, quàm quòd abdicentur etiam cum diſpendio poſt multos annos denuò recurrendi ad pecuniam, vt habetur ex præcepto D. Franciſci de vilitate veſtium; non enim ignorabat S. Pater, pretioſiores veſtes eſſe magis duraturas, quàm viliores; attamen potiùs voluit recurſum magis frequentem ad pecuniam, quàm de medio tollere à ſuis filijs viliores veſtes.

5. Ex his clarè traditis reſolutiones multorum caſuum in praxi habentur tam in fabricis, quàm in rebus ſpectantibus ad cultum diuinum, alijſque rebus vtibilibus: & licèt ſubditi in rebus dubijs poſſint obedire Prælato pro eorum exequutione, quia claritas immoderati vſus non apparet; nihilominus quandò res eſt certa, quòd ſit immoderata, & contra profeſſionem paupertatis Minorum, nequeunt ei parere, vt rectè dicit Cordub. vbi ſupr. cap. 6. quæſt. 15. punct. 2. in caſu reſoluto nullum habetur dubium, quia clarè videtur rem pretioſioris vſus introduci, viliori eiuſdem rei reſecato. Addo, quòd ſubditi tam commiſſiuè, quàm omiſſiuè Prælatorum peccatis ſe implicare poſſunt: commiſſiuè exhortando, inducendo Superiorem ad id faciendum, nec non & operam illi rei nauando: omiſſiuè, licitè, & debitè non reſiſtendo, ſi poſſunt verbo, & exemplo, tali ſuperfluo vſui. Ita Cordub. *vbi ſupr.* cap. 10. quæſt. 7. Hæc ergo doctrina ſic tradita videtur eſſe illud, quod Deus ſua ſumma prouidentia voluit in monumentis Minorum per tot caſus horribiles ad eorum intelligentiam, & inſtructionem eſſe deſcriptum, vt exceſſus intra terminos debitæ paupertatis, dum accommodus vſus vilioris rei abſcinditur, caueatur.

***

D V-

## DVBIVM LXXXVI.

*Quæ cauſa ſit aſsignanda in exceſsibus minoricæ paupertatis.*

### SVMMARIVM.

1. *Arbitrium iudicandi de ſuperfluitate rerum vtibilium relictum à ſummis Pontificibus Miniſtris, ſeù Cuſtodibus Minorum occaſionaliter eſt radix exceſſuum, qui fiunt in minorica paupertate; & ſatisfit duabus obiectionibus.*

In hoc tractatu munus meum non eſt pertractare de Minorum paupertate; at ſi ad hoc coactus eſſem, nil aliud dicerem, niſi quod per præſentem concluſionem breuiter trado.

### CONCLVSIO.

1. Radix omnium exceſſuum, qui in minorica paupertate oboriuntur, tam in fabricis, quàm in ſuppellectili, aliiſque rebus, certè videtur eſſe occaſionaliter illud arbitrium iudicandi de ſuperfluitate, ſeù exceſſu talium rerum relictum à Nicol. III. & Clement. V. Miniſtris, ſeù Cuſtodibus. Suadetur experientia: ille Prælatus affirmat, id non videtur eſſe contra ſtatum Minorum, quod ab omnibus acceptatur, & ſine aliquo ſcrupulo, ac ſi eſſet res Euangelica, ad praxim in omnibus locis reducitur: alter accedit, nec hoc videtur eſſe contra profeſſionem, ab omnibus ab eius ſcientia, & authoritate captis ſecurè admittitur: tertius dicit, nec illud obſtat ſtatui Minorum propter hanc rationem; & ita paulatim, ac ſenſim ſine ſenſu recedunt ab illo primo ſtatu, in quo commodè viuere poterant, & dum æquiparatur præſens ſtatus cum præterito, à quo receſſerũt, cognoſcuntur & ſuperfluitates, & exceſſus; vndè ſenſim ſine ſenſu, & ſub coloratis rationibus introducta videtur notabilis relaxatio; & eſt illud, quod dicunt S. Bonauent. in quæſt. regul. quæſt. 19. & Cordub. in expoſit. regul. in introduct. quæſt. 3. paulatim ſubintrant non bonæ conſuetudines, & relaxationes, ſtatim ab alijs trahuntur in exemplum, & habentur pro legibus; cumque vna conſuetudo talis facta eſt tolerabilis, conſequenter introducitur alia, quaſi cohærens priori, & eam ſequens, vt ſi illa admittatur, iſta vetus toleretur, & ſic abyſſus abyſſum inuocat, & vnum malum trahit ſuo pondere, & conſuetudine ad aliud: ergo arbitrium illud Prælatis ſanctè à Pontificibus relictum occaſionaliter eſt radix omnium relaxationum in minorica paupertate. Secund. vbi non conceditur arbitrium, relaxatio in Religionem reformatam non extenditur, vt patet in voto caſtitatis, obedientiæ, in aſperitate, & vilitate habitus, in veſtimentorum paucitate, in nuditate pedum tetræ, & aeris iniurijs expoſita, & in prohibitione equitandi: ergo à contrarijs arbitrium illud indirectè, & occaſionaliter videtur eſſe cauſa omnium tranſgreſſionum, quia, ſi non concederetur, nec tot relaxationes concederentur rationibus adductis, quæ apparenter demonſtrant nullam ſequuturam relaxationem. Tert. affirmare Prælatorum malitiam inclinaſſe in huiuſmodi exceſſus non eſt niſi fortè temerarium, eò quòd ad Prælatorum munus præſtandum electi fuerunt tanquam digniores in ſcientia, prudentia, ac vitæ bonitate: ergo recurrendum eſt ad eorum arbitrium, quod non fuit prudenter regulatum, putantium hoc, vel illud poſſe fieri, & verſari intra terminos paupertatis, quæ tandem tractu temporis inſurrexerunt tanquam res excedentes moderatum, & accommodum ſtatum.

Dices, ſi arbitrium illud iudicandi moderationem, & ſuperfluitatem eſt radix occaſionaliter tranſgreſſionum altiſſimæ paupertatis, opus eſſet id à Patribus abſcindere. Reſpond. nequaquam, dummodò vagetur intra terminos magnæ paupertatis, humilitatis, ac obligationis Minorum, quæ petunt vſus arctos omnium rerum, ideſt moderatos, vt dixi in præcedenti quæſito, qui termini, cum dependeant à circunſtantijs perſonæ, ſtatus, temporis, &c. neceſſariò, ne confuſio oriatur, & incommoda naſcantur, id liberè concedere cogunt: vndè hoc arbitrium, vt rectè iudicet, regulari debet ſuis regulis generalibus; & quænam ſunt aſſignan-

ſignandæ? illæ quidem, quas ſuperiùs deſcripſi ex mente Cordubæ, qui ſcrupuloſè regulam non explicauit. Prima dicit: Fratres minores ex vi ſuæ profeſſionis nō teneri viuere ſine tali vſu talis rei, ideſt qualitercūquè viuere, & exercere ſua officia, per quā regulam à penurioſo viuendi modo liberantur; quarè habetur, vt benè inſinuat Cordub. paulò ſuperiùs, ſtatum Minorum non conſiſtere in extremitate, aut penuria vſus, nec in indiuiſibili puncto. Tertia demonſtrat ſtatum accommodum, in quo licitè viuere poſſunt Religioſi abſque regulæ tranſgreſſione, dum dicit non teneri eos viuere ſine tali vſu talis rei, per quem commodè officia exercere poſſunt, licèt ille vſus ſuppleri poſſit commodè, & conuenienter per alium vſum æquiualentem, & viliorem; vndè clarè videtur iſtum ſtatum accommodū non multùm diſtare à penurioſo, ſed tantùm concedere commoditatem excludentem penuriam, & in hoc multi decipiuntur, putantes huiuſmodi ſtatum in ſe magnam continere latitudinem, quia, ſi hoc eſſet verum, non eſſet paupertas minorica illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, nec obligatio eius adſtringeret ad vſus arctos fratres Minores, nec Religio ab alijs Religionibus eſſentialiter diſtingueretur, quia ordinariè Religiones viuūt intra terminos debitæ tēperantiæ ſumptæ: verùm tamen eſt, quòd res morales non conſtant in puncto, ſed habent ſuam latitudinem; propterea ſtatus Minorum non excludit, quòd inter penurioſum ſtatum, & accommodum non queat intermediari aliqua res vilioris pretij, & vſus, licèt accommodi; nec fratres Minores obligantur ex vi propriæ regulæ, & profeſſionis ad illam ſequendam, & ea vtendum, cū iſta tamen limitatione, quòd ſi talis vſus vilior eſt in vſu in Prouincia, ſeù Religione, nequit ille pretioſior admitti ſub pœna incurrendi in ſuperfluitatem, & propter rationem in præcedenti quæſito deſignatam, & propter conſuetudinem, quia cum exceditur conſuetudinis forma, lex ipſa exceditur, cū conſuetudo pro lege obſeruetur. l. de quibus, de legibus, Menoch. de arbitr. lib. quæſt. 71. imò fortiùs dicitur conſuetudinem eſſe ſtatuto fortiorem. Ita Calca. conſil. 2. num. 29. & clarè Decius conſ. 690. num. 8. Menoch. loc. citat. num. 4. non immeritò, quia veritati æquiualet, vt benè notant Crau. conſil. 238. n. 8. & 9. & Menoch. vbi ſup. n. 8. propterea omne arbitrariū tollit, vt, alijs relatis, notat Menoch. vbi ſupr. quæſt. 14. num. 5. neceſſarium inquit non arbitrarium illud dici, quod conſuetudine eſt ſtabilitum. Tandem ex prima, & tertia regula oritur ſecunda, quæ docet fratres Minores teneri viuere ſine tali vſu talis rei, quia eſt omninò ſuperfluus reſpectu ſtatus decentis: Prælati ergo arbitrio vtendo priùs his regulis vtantur, & cognoſcent exceſſus tam mortales, quàm veniales, & ad honorem Dei, regulæ puritatem, mentemque Seraphici Franciſci prędicta incommoda euitabunt.

Alij DD. Ordinis, vt Vgo cap. 6. Ioann. Philip. tract. de congr. fol. Ioann. Pirrin. tract. 2. ad regulandum Prælatorum arbitrium quatuor regulas aſſignant. Prim. circa numerum, ſi vna ſufficit, alia eſt ſuperflua, ſi duæ, tres non ſunt neceſſariæ. Secund. circa quantitatem, ſi parua ſufficit, mediocris excedit, ſi iſta eſt neceſſaria, magna erit ſuperflua. Tert. circa valorem, ſi res parui valoris commodè dat poſſe exercere officia, alia maioris valoris nequit procurari; quarè fratres Minores in omnibus rebus debent attendere infimum pretium. Quart. circa curioſitatem, & pulchritudinem; ſi minùs curioſa, & minùs pulchra haberi poteſt, & eſt ſufficiens, nequit pulchrior procurari, nec magis curioſa: hæc illi, qui fortè nimis ſcrupuloſè in aliquo ſe habent; libenter verò has regulas adduxi, ad oſtendendum regulas Cordubæ ab alio etiam Doctore, vt ipſæ teſtatur, admiſſas, non eſſe rigidas, neque ſcrupuloſas, ſed rationales.

Dices, in præcedenti reſponſione fuit dictum ſtatutum accommodum conuenientem Minoribus non multùm diſtare a ſtatu penurioſo, quod videtur falſum per illud, quod dicitur in fine prim. notand. ex mente Cordubæ, nimirum non omnem exceſſum, aut immoderatum vſum eſſe mortale, ſed ſolùm quandò eſt talis, & tanta immoderatio circa prædicta, & tam notabilis, & continua, vt meritò cenſeri debeat contra Minorum obligationem, & notabiliter eam lędere: imò paulò inferiùs addit ex mente

DD.

DD. Religionis, tunc fore mortalem exceſſum, quandò ſimpliciter vſus diues, aut opulentus Minoribus ſub mortali prohibitus introduci videtur: ergo ſtatus accommodus conueniẽs fratribus Minoribus multùm diſtat à ſtatu penurioſo. Pro reſponſionẽ notandum eſt, quòd ſi Minores ſenſum literæ, prout ſonat, ſequi velint, aſſignare videtur in his verbis triplicem ſtatum. Prim. penurioſum. Secund. opulentum, & diuitem. Tert. accommodum, & moderatum, & quilibet videtur habere ſuam non paruam latitudinem; quarè ſecundum ſonum literæ à fratribus Minoribus excludit ſtatum penurioſum, ſecundum admittit ſecũdum totam ſuam latitudinem; imò ſi aliquandò exceſſus alicuius rei attingeret ſtatum opulentum, non eſſet damnandus tanquam mortaliter peccaminoſus, ſed quandò ſimpliciter vſus opulentus, & continuus introducitur, qui eſt tertius ſtatus Minoribus prohibitus. Notand. ſec. quòd doctrina literæ mihi præſtat hanc vnam veritatem, triplicem eſſe ſtatum Religionum. Prim. videtur eſſe penurialis. Sec. accommodus, & moderatus. Tert. diues, & opulentus, & quilibet ſuam habet latitudinem; verùm in hoc vltimo ſtatu ferè nullæ Religiones enumerantur, ſed ſi enumerentur, non niſi per ædifficia, & res ſpectantes ad Eccleſiam, cultumque diuinum; in alijs verò rebus multùm moderatè viuunt; in ſecundo ferè omnes aliæ adſcribuntur, quæ limites moderationis ſtatus accommodi non excedunt; vndè in huiuſmodi moderatione aliæ viuunt paulò longiùs à penurioſo ſtatu; aliæ magis commodè; aliæ verò quaſi accedunt ad ſtatum diuitem, & opulentum; in primo paucæ videntur: his ſuppoſitis dico, quòd ſtatus, & profeſsio Minorum non eſt penurioſus, vt dixi ſuperiùs, & reſoluunt communiter DD. Ordinis, neque diues, & opulentus, vt volunt expoſitores, ſed eſt accommodus in primo gradu, non in ſecund. & in tertio, ideſt non in tota latitudine ſtatus accommodi, tum quia profeſſio Minorum, vt dicit Cordub. cap. 4. qu. 7. non eſt ſtatus aliarum Religionum, ſed diſtinctus; quonam modo diſtingueretur cõmuniter ab illis, ſi in tota latitudine trium graduum extenderetur Minorum profeſſio? tantùm diſtingueretur ab illis Religionibus, quæ viuunt in tertio ſtatu, & ita poſſidere poſſet grandia ædificia, magnifica templa, non mediocrem ſupellectilem, &c. ſicut habent illæ Religiones, quæ viuunt in ſecundo ſtatu ex tribus aſſignatis, quod eſt falſum, & alienum à mente S. Franciſci, & omnium expoſitorum Ordinis, tum quia obligatio Minorum eſt ad vſus arctos rerum vtibilium; quonam modo verificaretur iſtud, ſi vti poſſent rerum vſibus aliarum Religionum? tum quia non eſſent ſectatores altiſſimæ paupertatis, & humilitatis, vt vult ipſe Cordub. vbi ſupr. tum quia non haberetur tanquam vera doctrina ipſius Doctoris in cap. 6. quæſt. 15. punct. 1. de ſuperfluitate rerum Minoribus interdicta, tam in numero, quàm in quantitate, pretioſitate, & curioſitate; ideſt ſi vnum ſufficit, aliud videtur eſſe ſuperfluum, ſi res minimi valoris commodè dat poſſe exercere officia, alia maioris valoris tanquam ſuperflua interdicitur, &c. quarè concludendum eſt profeſſionem Minorum eſſe accommodã in primo gradu ex tribus aſſignatis pro ſecundo ſtatu Religionum; nam per hoc liberatur à ſtatu penurioſo, & qualitercunque accommodo, & diſtinguitur ab alijs Religionibus; nec conſiſtit in puncto, ita vt ſcrupuloſè ſit inueniendus, ſed habet ſuam latitudinem, vt dicebam ſuperiùs. Iuxta ergo iſtas regulas, imò omnium DD. Ordinis, quæ ſunt principia, ex quibus deducitur, qualis debeat eſſe paupertas Minorum in quantitate, qualitate, numeroſitate, &c. explicanda eſt doctrina Cordubæ, prout in principio obiectionis, & etiam ipſe intendit, vt patet ex ordine, eam ita explicare, aliàs daretur regulatum ſine regula, & probatione, quia ibi nulla videtur probatio, niſi doctrina ſuperiùs tradita, & conſequenter reſecandum à vera intentione S. Franciſci.

Pro fine præcedentis, & præſentis quæſiti in hac ſecunda editione addenda ſunt hæc verba. Fateor doctrinam Cordubæ tot rationibus munitam, in vtroque quæſito à me approbatam eſſe probabilem; ſed quia poteſt dari caſus, quòd aliqua Religio in ſuo ortu, maximo ducta feruore, haberet vſum alicuius, ſeù aliquarum rerum ita ſtrictum, & rigidum, vt, dilatato Ordine, nequeat obſeruari; ideò videtur limitãda hoc

modo

modo, niſi adeſſet neceſſitas non apparens, ſed vera recedendi ab illo vſu ſtricto; nam, data neceſſitate non conuenientiæ, ſed vera, non erit tranſgreſſio regulæ negligere illum vſum ſtrictum, & introducere nouum pretioſiorem; modò ſit intra terminos paupertatis minoricæ. Praxis prędictæ limitationis habetur in noſtra Religione; in ſuo ortu enim tanquam in ſæculo aureo Religioſi vtebantur rebus viliſſimis, quę tamen, mutatis annis, & augmentato Ordine, mutarunt illos vſus rigidos in pretioſiores, ita petente ſtatu multorum Religioſorum: dãnare illos Patres antiquos, qui magnam profitebantur perfectionem, & qui inclinarunt in illos vſus, relictis rigidis, non erit niſi temerarium; ideò limitatio videtur congrua, imò neceſſaria.

## DVBIVM LXXXVII.

*Turba eligentium ſuis votis ad munus Prouincialatus ſolet inclinare in eum, qui ſolet eſſe primus Definitor in præcedenti, & immediata Electione ante electionem Prouincialis, & morali certitudine non ignoratur debere eſſe hominem, qui, licèt ſit dignior pro munere Definitoratus, pro munere tamen Prouincialatus eſt tantùm dignus, quia alij extant digniores: quæritur, an electores poſſint illi vota negare, ne ſit primus Definitor, ne poſtea aſſumatur in Prouincialem.*

### SVMMARIVM.

1. *OB ſcandalum vitandum ceſſare poteſt obſeruantia præcepti poſitiui.*

2. *Poſſunt electores denegare vota homini dignori pro Definitoratus munere, qui caret idoneitate pro Prouincialatu, ne ſit primus Definitor, dum adeſt caſus tituli; & quædam obiectio diluitur.*

3. *In ſecundo ſcrutinio non ſunt deneganda vota excluſo in primo ſcrutinio à Definitoratu, dum in hoc ſcrutinio omnes Definitores nõ fuerunt electi, quia ceſſat periculum euitandum, & remanet eius dignoritas.*

1. Not. quòd opus bonum etiam ſub præcepto exequendum, poteſt fieri malum ob circunſtantiam annexam, vt videre eſt in materia ſcandali, vbi quærunt DD. an opus præcepti aliquandò ob ſcandalum fratris omitti debeat: apud omnes clarum eſt præceptum negatiuum ob nullam cauſam omitti poſſe; non enim poteſt quis fornicari, occidere, furari, vel aliam prauam actionem efficere ad vitandum proximi ſcandalum, quia non ſunt facienda mala, vt indè ſequantur bona; de præcepto verò affirmatiuo eſt dubitatio, vt videre eſt apud Dianã part. 5. de ſcandalo reſol. 21. ad rem noſtrã tamen poteſt eſſe opinio Couarr. reg. peccatum 1. p. num. 4. aſſerentis ob ſcandalũ ceſſare obſeruantiam præcepti, & aliquandò naturalis. Hurtad. de Mendoza 2. 2. diſp. 173. ſect. 20. à §. 26. & ſeq. Valent. tom. 3. diſp. 3. quæſt. 18. p. 4. Bann. 2. 2. quæſt. 43. art. 8. concluſ. 2. Tanner. tom. 3. diſp. 2. quæſt. 6. dub. 9. nu. 120. Emm. Sà tit. auditio Miſſæ num. 3. Lorc. 2. 2. q. 43. art. 9. nu. 10. eique fauent plures DD. dicentes ob ſcandalum omitti poſſe integritatem confeſſionis. Silu. tit. confeſſio 1. q. 18. Sot. in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. Can. in relect. de pœnitentia p. 5. Nauarr. cap. 7. num. 3. tum quia obligatio præcepti naturalis, qualis eſt obligatio vitandi ſcandalum, præferenda eſt obligationi præcepti poſitiui, tum quia ex cap. Duo mala 13. diſt. habetur, cum duo mala occurrunt, minus eſſe eligendum; nam minus malum eſt nõ obſeruare præceptum poſitiuum, quàm naturale, tum quia vita ſpiritualis proximi excellentior eſt corporali, & ob iſtam tuendam omitti debet obſeruantia præcepti poſitiui, v. g. ieiunij, vel Miſſæ; tantò magis ad conſeruandam vitam ſpiritualem proximi, tùm quia ſæpè plura præcepta ob ſcãdala ceſſant, quæ aliàs obligarent; nam correctio proximi ceſſat, ſi ipſe correctione obſtinatior futurus ſit; ceſſat etiam punitio delinquentis, ſi inde debet inſurgere ſeditio in Republica; vndè concluditur etiam præceptum ſacri, vel ieiunij poſſe ceſſare, ſi indè proximus eſt ſcandalizandus, ex qua

doctrina

doctrina habetur opus bonum etiam ſub præcepto fieri malum ob ſcandali circunſtantiam: quæ præcepta ſint prætereunda propter ſcandala vitanda, videre Dianam vbi ſupr. & Hurtad. vbi ſupr. §. 268.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. Poſſunt electores denegare ſua vota pro Definitoratu homini digniori in illo officio, qui tamen dignior pro munere Prouincialatus cenſendus non eſt, ad hoc, vt non ſit primus Definitor, & ita efficietur, vt turba electorum in ipſum pro Prouincialatus officio ratione plurium votorum, neglectis dignioribus, non inclinet. Suadetur prim. opus bonum etiam ſub præcepto ob circunſtantiam malam annexam ſit malũ, vt dicitur in not. ſed eligere digniorem pro Definitoratu probabili ſcientia eligendum à turba electorum in Prouincialem, eius munus niſi tanquam dignus ferre non poteſt, cum alij videantur digniores, eſt opus malum ob damnum oriturum contra bonum commune, quia digniores prætermittuntur: ergo electores poſſunt vota denegare ei, eſto pro officio Definitoratus dignior cenſeatur: Nec obſtat omitti poſſe opus humanum poſitiuum, non verò naturale, vt eſt ferre ſuffragia pro dignioribus, quia, quandò duo mala concurrunt eiuſdem generis, ſemper minus eligitur: minus malum eſt vota ei denegare, ne ſit primus Definitor, quam ei concedere; ex hoc namque ſequitur morali certitudine fore eligendum in Prouincialem, neglectis dignioribus in nõ parum damnum Religionis. Secund. ad præcauenda damna ſequutura ex electione indigni, vtilitas Eccleſiæ poſtulat, vt prætermittantur digniores, cum dignus eſt eligendus, vt docet Aragon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. fol. 312. Salon. ibid. controu. 4. à fol. 1021. Sot. lib. de reſtit. cap. 2. num. 150. ergo ad euitanda damna ſequutura in electione huius digni in Prouincialem, neglectis dignioribus, poſſunt electores ei denegare ſuffragia, ne ſit primus Definitor, licèt pro tali munere inter digniores computandus ſit. Tert. menſura digniorum deſumitur ab vtilitate Eccleſiæ: in caſu autem propoſito vtilitas eius non videtur adeſſe, imò maximum damnum: ergo.

Dices, pluribus electoribus in dignum concurrentibus, poteſt is eligi, omiſſo digniori, abſque peccato; imò debet eligi tãquam dignior, quia vtilior, & maior vtilitas oboritur ex pacata gubernatione, ac prompta obedientia. Ita Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. controuerſ. 4. ergo nequit prætermitti ille homo, quin eligatur pro Definitoratu, quia licèt ſit tantùm dignus pro Prouincialatus munere; nihilominus ſit dignior ob vniuerſalem concurſum in officium. Reſpond. quòd, ſi electores eſſent ferè omnes virtute magna præditi, iudicio, prudentiaque ornati, foret eligendus pro vtraque dignitate, quia mouerentur aliqua ratione, cui dignioritas deberetur; ſed quia electores, vt ſupponitur, ſunt homines ſecundum maiorem partem, qui potiùs vocari poſſunt turba electorum, quàm electores, quæ ſe mouet potius ob votorum multiplicitatem, quàm ob aliam rationem vrgentiorem; ideò cenſeri nequit homo ille dignior, vt fungatur officio Prouincialatus, & conſequenter ſunt ei vota deneganda.

Dices, poteſt dari caſus, in quo Definitores in primo ſcrutinio omnes ſint electi, & dignior ſit poſtpoſitus. Reſpond. non eſſe inconueniens ob maius bonum in Prouincia ſequuturum, quod exoritur ex digniori electo pro Prouincialatu.

### SECVNDA CONCLVSIO.

3. Si omnes Definitores in primo ſcrutinio non fuerint electi, in ſecundo eſt deligendus excluſus à Definitione, ne eſſet primus in primo ſcrutinio. Probatur ratio formalis, quare poteſt excludi in primo ſcrutinio à Definitione, ne ſit primus Definitor, eſt, quia promouẽdus erat ad officium Prouincialatus, neglectis dignioribus: in ſecundo verò ſcrutinio periculum ceſſat, quia iam primus Definitor eſt electus, & remanet eius dignioritas pro Definitoratu: ergo nequeunt electores ei vota denegare.

DV-

## DVBIVM LXXXVIII.

*An, quandò maior pars eligentium inclinat in dignum, & Titius in digniorem, ex vi conſcientiæ tandem teneatur ferre ſuffragium pro digno, cum abſque ſuo voto nullatenus ſit celebranda electio.*

## SVMMARIVM.

1. *DIſcretorum officium ad duo ſe extendit, ſcilicet ad ferendum votum in Capitulo, & ad deferendum errores Superioris, cuius eſt Diſcretus, ſeù Socius.*

2. *Munus eligendi Diſcretos eſt inſtitutio totius Religionis, quæ poteſt ſcrutinia, ne multiplicentur, coarctare:*

3. *In multis caſibus, poſthabito digniori, poſſunt electores ſuffragia conferre tantùm dignis: & dignioritas ab vtilitate Eccleſiæ habetur.*

4. *Inclinante maiori parte familiæ in electione Diſcreti in dignum, poteſt elector ad eum ſuo voto accedere, neglecto digniori, imò debet, quandò nullatenus ſit celebranda electio.*

1. Præſens quæſitum cautè omnibus electionibus applicari poteſt; ſed modò tantùm applicatur electionibus Diſcretorũ, quę à familijs cœnobiorum aliquarum Religionum celebrantur. Tempore ergo celebrandi Capitulum Prouinciale huiuſmodi familiæ ſolent ſeligere hominem in Diſcretum, cuius munus ad duo principaliter extenditur. Prim. vt ſit vocalis in futuro Capitulo, ideſt vt nomine illius conuentus, à cuius familia fuit electus, fruatur vtraque voce in omnibus electionibus celebrandis. Sec. vt habeat deferre ad idem Capitulum errores Prælati conuentus, cuius Diſcretus, ſeù Socius eſt, neceſſitates etiam, aliaque pertinentia ad eundem conuentum, ſiue ad aliquos ſingulares homines; primum verò eſt de ratione intrinſeca officij; alterum quaſi acceſſorium, & extrinſecum: pro intelligentia ſit.

2. Prim. not. quòd ſicut munus eligendi hos Diſcretos eſt inſtitutio, ſeù ordinatio totius corporis Religionis ob rationes à DD. qui de hoc tractant, deſignatas; ita poteſt determinare tempus, & ſcrutinia, in quibus eſt celebranda prædicta electio, quibus abſolutis, ſi electores non concordauerint in Diſcreti electione, pro illa vice cœnobium, ſeù cœnobia ſuffragio ferendo in Capitulo nomine familiæ, ſeù familiarum priuentur; & ita in nonnullis Religionibus ad remouẽda incommoda facillimè oritura ordinantur, & ſtatuũtur quinque, vel ſex ſcrutinia iuxta modum prædictum.

3. In hoc ſecund. not. duo ſunt notanda. Prim. à DD. deſignari multos caſus, in quibus electores, neglectis dignioribus, vota digno conferre poſſunt, vt videre eſt in dub. 26. prim. partis. Secund. menſuram digniorum non exquiri à qualitatibus perſonarum, ſed à fine beneficiorum Eccleſiaſticorum, qui eſt eorum vtilitas: quarè homo ille cenſendus eſt digniſſimus, qui præ alijs maiorem vtilitatem Eccleſiæ eſt allaturus, vt dictum eſt in dub. 26. citato, & dubio 40. ſec. partis.

### *CONCLVSIO.*

4. QVandò maior pars familię pro Diſcreto eligendo dirigit ſua vota in dignum tantùm, Titius, qui ſuo ſuffragio in digniorem inclinat, poteſt, neglecto digniori, ferre ſuffragium pro illo digno, in quem maior pars inclinat; imò debet, quãdò abſque ſuo voto nullatenus eſt celebranda electio. Duas habet partes concluſio, quarùm prima ſic ſuadetur: ideò elector dirigere poteſt ſuum votum in dignum, quem vult maior pars electorum, quia aliàs votum eſſet fruſtratorium, & nemo tenetur ad actũ fruſtratorium; ita DD. pro vt in dub. 26. prim. part. ſed ſi Titius in electione Diſcreti non ſuffragaretur digno, qui habet maiorem partem votorum, fruſtra ferret ſuum votum: ergo, digniori poſtpoſito, accedere poteſt ſuffragio ad dignum. Prætereà, tunc poteſt elector recedere ab electione dignioris, quandò dignior ille omnibus non placet, vt inquit Caietan. in ſumm. tit. electio in fin. ſed digniſſimus in Diſcreti electione non placet maiori parti familiæ, ſed tantùm dignus: ergo Titius declinare poteſt à fe-

rēdo ſuffragio pro digniſſimo, & accedere ad dignum. Secund. pars ſuadetur: vniuerſa ſchola Theologorū in hanc propoſitionē cōſpirat, quando de duobus malis vnum ſit eligendum, quempiam teneri ex neceſſitate conſcientiæ minus ſemper eligere: ergo Titius, qui pro digniſſimo fert ſuffragium in electione Diſcreti, tenetur ad dignum accedere; aliàs minus malum non eligit: antecedens clarum, conſequentia probatur, quia, dum poteſt, minor iniuria fit digniori illi, dum ei votum negatur, quàm ſit iniuria, quæ irrogatur conuentui, dum abſque eius voto nullatenus eſt celebranda electio; nam ſtrictiùs obligat iuſtitia commutatiua, quàm diſtributiua; maximè quia, dum plures alij inclinant in dignum, videtur eſſe ſufficiens ratio deponendi iudicium de dignioritate, & iudicandi illum, in quem maior pars inclinat, eſſe digniorem; ex quo ſequitur nullam iniuriam afferri digniori illi. Addo, quòd dignus ille cenſetur dignior: ergo conſcientia dictat pro eo eſſe ferendum ſuffragium: antecedens probatur, communis DD. ſententia eſt dignioritatem non inſurgere ex perſonarum qualitatibus, ſed, ijs præſuppoſitis, deſumi à maiori vtilitate Eccleſiæ: ſed dignus ille eſt magis vtilis Prouinciæ, quàm dignior, quia ille ſolus ob vniuerſalem concurſum in eum eſt aſſumendus in Diſcretum, & conſequenter non priuabitur cœnobium vniuerſali ſuffragio vtiliſſimo tam pro excluſione, quàm incluſione hominum in electionibus capitularibus; vtiliſſimo, inquam, quia omnes vnanimiter ad omnium Prælatorum electionem conueniunt, & concurrunt à minimo laico vſque ad ſupremum Patrem, ex quo habetur magis pacatum regimen, & maior concordia inter eligentes, & electos: ergo dignus ille reſpiciendus eſt, tanquam digniſſimus. Addo tandem, quòd ſi in conſcientia nulla eſſet obligatio ſuffragij ferendi pro digno illo, maximum poſſet excitari incommodum, nam multi huiuſmodi doctrina ducti priuarent cœnobia multis ſuffragijs, quod cederet in Religionis detrimentum, vt per ſe patet: ergo.

Dices, dignioris merita patiuntur aliquam iacturam. Reſp. nullo modo eſſe digniorem, vt dicebam ſuperiùs; & quamuis eſſet dignior pro bono communi, & pacatioti gubernatione pati debet aliquod incommodum. Ita Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. controuerſ. 4.

Dices, ſtatim ac dignus ille inſurgit plurimis ſuffragijs cumulatus, eſſet pro eo ferendum ſuffragium. Reſp. nequaquã, quia dignioritas in eo excitatur ex priuatione ſuffragij cœnobij ſequutura poſt completa ſcrutinia determinata; vnde non neceſſitatur Titius ad illicò accedendum ad dignum illum, prætermiſſo digniori, niſi quandò eſt ſequutura prædicta priuatio. Aduertant electores, quod tenentur prudenti ſagacitate inueſtigare: an vota, quæ habet dignus ille, ſint factionaria, ſeu artificijs, amicitijs, donis, ac ſubornatione mendicata: ſi probabili cognitione talia appareant, ceſſat omnis obligatio; imò eſt abſtinendum ab eius electione, tanquam indigna, bonoque communi nociua; vndè ſecurius eſt, vt cœnobium priuetur voto ferendo in Capitulo, quia ſicut indignè vota illa fuerunt collecta; ita indignè votum commune illius familiæ in Capitulo erit ferendum.

## DVBIVM LXXXIX.

*An duo Religioſi, qui vicißim ad Prouincialatus munus aſſumuntur, ſint tuti in conſcientia.*

### SVMMARIVM.

1. *Qvinque adnotantur acceptiones, quæ in facto propoſito contingere poſſunt.*

2. *Secundum primam, ideſt quandò electores cedunt iuri meritorum, non ſunt lethali culpa damanandi illi duo Religioſi, ſi vicißim aſſumuntur ad Prouincialatum; ſecus ſi ſecundum ſecundam; ideſt quandò vterque habet ſuas factiones.*

3. *Itidem rei grauis noxæ cenſendi ſunt, quandò arte, & induſtria vtuntur ſubditis, eorum-*

*eorumque factionibus in ſui exaltationem.*

4. *Sicut etiam ſi operantur ſecundum quartam, & quintam acceptionem; nam labem ſimonia contrahunt.*

1. Prim. not. multis modis id contingere poſſe. Prim. cũ electores iuri meritorũ cedentes præoptant tantorum Patrum regimine frui, & ſummoperè gaudent non aliã poſſidere pacem, niſi quæ oboritur ex iſto ſic administraro Imperio. Secund. cũ vterque ſuas habet factiones, quarũ virture inuicẽ ſibi præſtant ſuffragia; aliàs ſemper traherent vitam in diſcordia cum non paruo tumultu. Tert. cum, licèt Prouincia libera ſit à factionum morbo, nihilominus illi duo Patres induſtria, & arte vtuntur actionibus, functionibus, ac ſubditorum perſonis in proprium commodum, ac vtilitatem; ex qua re ſequitur quaſi neceſſiariò Prælaturam inuicem cadere ſupra ipſos. Quart. cum non diſpenſant communitatis bona, vel alia, niſi expreſsè, ſeù tacitè ex parte ſubditorum promiſſio votorum in ſui fauorem ſequatur. Quint. cum inter prædictos Patres, & electores excitatur votorum promiſſio, e. g date nobis ſuffragium in Prouincialem, & nos ſuffragium vobis dabimus in Priores, ſeù Guardianos.

Pro ſecund. notand. eſſent huc reuocandæ aliquæ doctrinæ in præſenti opere diffusè, quæ tanquam principia inſeruire debent pro quæſiri elucidatione; in probationibus verò adducentur; & præſertim huc reuocatur, quòd vnitas iuris formaliter eſt finis regiminis, vt dixi in dub. 103. An neceſſarium ſit ad ſupremas Prælaturas, &c.

PRIMA CONCLVSIO.

2. SI conſiderentur illi duo homines, qui ab electoribus viciſſim ad Prouincialatus munus eliguntur, vt in prima acceptione, non ſunt lethali culpa damnandi: ſecus ſi vt in ſecunda. Concluſio duas habet partes, quarum prima ſic ſuadetur: ſi eſſent damnandi, præſertim quia illa viciſſitudo eſt contra finem regiminis, nempè iuris vnitatem, de qua loquuti ſumus in dubio citato in ſecundo notando; nam multi apti poſtponuntur, & negliguntur; ſed id obſtare non videtur; quia ſatis propagatur, dum alij iuri meritorum cedunt: ergo tutò, & abſque labe peccati prædicta viciſſitudine frui poſſunt. Adde, quòd regimen intantùm cenſetur iuſtum, inquantùm ab eo inſurgit pax, quæ obotitur ex adminiſtrato Imperio ſecundum iuſtitiam, vt dixi in dubio citato in ſecundo notando, & adnotaui in dub. 129. ſed tali pace fruuntur ſubditi ſub illo mutuo regimine; nam ſubditi iuri meritorum cedendo efficiunt, vt pax poſſideatur ſecundum iuſtitiæ rigorem: ergo huiuſmodi dominium tanquam iuſtum extenditur in ſubditos: ergo iuſtè adminiſtratum ab illis duobus viris. Secunda pars facillimè ſuadetur, tum quia non ſeruant in ſuo regimine neque iuſtitiæ vnitatem, neque Imperij pacem; non primam, quia multorum merita ſunt neglecta, & oppreſſa; non ſecundam, quia vera, & durabilis pax in homines extenditur ex iuſtê propagato Imperio ſecundum meritorum ius: quòd ſi aliqua pax inter ſubditos videtur, eſt pax tyrannica, de qua loquuti ſumus in dub. 8. prim. part. iuxta dictum Taciti. *Auferre, trucidare, rapere falſis nominibus Imperium; atque vbi ſolitudinem fecerint, pacem appellant*: tum quia formaliter ſunt ſeditioſi, imò ſeditioſorum capita, de quibus dixi in dub. 31. tum quia Tyrannorum nomen ſibi vendicant, vt clarè demonſtrat S. Thom. 2. 2. quæſt. 42. art. 2. ad 3. quem ſequuntur D. Antonin. part. 2. tit. 4. cap. 8. §. 1. Tabien. tit. ſeditio, & Silueſt. eod. tit. quæſt. 2. *Magis autem*, inquit, *ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias, & ſeditiones nutrit, vt tutiùs dominari poſſit, hoc enim tyrannicum eſt, cùm ſit ordinatum ad bonum proprium Præſidentis cum multitudinis nocumento*. Hi ergo, qui tali tyrannico dominio fruuntur, quàm longè diſtant à fine Prælaturæ aſſumptæ, legant verba B. Laurentij Iuſtiniani de regim.

Præla-

Prælatorum. cap. 4. *Sic quippè cura animarum bona eſt in ſe, ab ipſo ſummo inſtituta, & praordinata Bono, ad laudem vtique ſuam, ad mutuam exercendam charitatem, ad profectum virtutum, ad meritorum additamentum, ad decorem fidei, ad perfectionem corporis ſui, & ad ſingulorum membrorum vnitatem ſeruandam: quam profectò curam quicunque, pro vt decet, adminiſtrare neglexerit, malus eſt, & penè innumerabilium criminum eſſe cenſendus eſt reus, quoniam pretioſum Domini theſaurum ne dum multiplicare deſpexit, verùm etiam illum diſperſit.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. Lethali culpæ obnoxij prorſus cenſendi ſunt illi duo homines, ſi inſpiciantur prout in tertia acceptione, ſcilicet dum arte, & induſtria vtuntur ſubditis, eorumque actionibus, & functionibus in mutuum Prouincialatus commodum. Suadetur prim. tunc licitè, & abſque conſcientiæ ſtimulo poſſunt Superiores vti ſubditorum perſonis, &c. quandò ordinantur ad vnitatem iuris, quæ eſt finis regiminis, vt dixi, & ad conſeruandos ſubditos in diſciplina regulari, & ad eos promouendos ad perfectionem religioſam, ad quam ille Ordo eſt inſtitutus, quæ omnia ſunt finis ex ſententia Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 1. num. 6. tom. 2. dignitatis aſſumptæ: ſed viciſſim illi duo Patres modo præſcripto fruendo illa Prælatura negligunt vtrumque finem;& certè primum,quia multorũ merita negligunt,& poſtponunt ex iuſtitia recognoſcenda; vndè excitantur factiones,ſeditiones, diſcordiæ, & inuidiæ, vt adnotauit S. Antonin.par.2.tit.4.c.8.de diſcordia §.1. *Quandò enim,*inquit,*nimis aliqui vexãtur laboribus, alij nimis alleuantur, vel cum honores, & officia aliquibus copiosè conferuntur, alij autem parum, vel nihil eis fruuntur: ſequitur inter eos diſcordia, & generatur inuidia*: Nec obſtat ſeditionum, & factionum incommoda potentiæ brachio illorum duorum Patrum fore reprimenda, quia eſt incidere in ſcyllã cupiendo vitare charybdim, cum ſit potentia tyrannica; nam vera, & iuſta potentia exerceri nequit, niſi intra limites debitæ iuſtitiæ, vt optimè inſinuat S. Thom. 1. de regimin. cap. 1. *Si igitur*, ait, *regimen iniuſtum per vnum,aut per plures tantùm fiat, qui ſua commoda ex regimine quærant, non autem bonum multitudinis ſibi ſubiectæ, tales Rectores tyranni vocantur, nomine à fortitudine deriuato, quia ſcilicet per potentiam opprimunt, non per iuſtitiam regunt*: & ſanè ſecundum, quia multi ægrè ferunt, quòd tantùm illi duo bonum illius Prælaturæ poſſideant; vndè audiuntur murmurationes, detractiones, querelæ, & proclamationes etiam apud maiora tribunalia, & multa alia incommoda in maximum perfectionis Religionis detrimentum. Recordentur Prælati hanc eſſe rem nimis durã, quia etiam in Apoſtolis murmurationes cõcitatæ ſunt aduerſus Ioannem, & Iacobum per matrem à Chriſto Domino primatum ſedium poſtulantes; ſic dicitur Matth. 20. *Audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus.* Arabicus legit, *murmurauerunt de duobus fratribus*: quia ægrè ferebant, inquit Caietan. Matth. 20. quòd illi duo ambientes voluiſſent omnibus præferri: ergo nequeunt illi duo Patres tuta conſcientia frui Prælatura modo præſcripto habita.Secund. exercere iuriſdictionem, quæ non ſibi competit, ex genere ſuo eſt peccatum mortale, vt inquiunt S. Thom. & alij relati in dub. 7. prim. part. ſed dum prędicti Prælati in ſuo regimine vtuntur ſubditis, eorumque actionibus pro mutua Prouincialatus conſeruatione, exercent iuriſdictionem non ſibi debitam, quia in ſubditos ſub illa ratione nullum habent ius, neque authoritatem; nam eorum obedientia, vt dixi in citato dubio ex mente multorum DD. & ipſa præcepta non debent referri ad vtilitatem præcipientis, ſed ad bonum ſubditi; cum tota poteſtas gubernatiua tendat per ſe ad bonum communitatis; ergo eorum conſeruatio artificijs deſcriptis, & modo notato obtenta nequit eximi à lethali culpa. Tert. Religionum Superiores tenentur ſub mortali ſubditorum multitudinem vnitate pacis tanquam effectu iuſtitiæ propagare, vt vidimus multis in locis ex ſenſu D. Thom. & D. Antonin. ideò dicebat B. Laurent. Iuſtinian. de triumph. Chriſti agon. *Qui præſidet,non intumeſcat, ſed veraciter ſe agnoſcat, atque ſubiectos diligat tan-*

*quam fratres, & coæquales in Chriſto; eorũ ſtudeat militare profectibus, non ſibi placeat, pacem habeat in ſe, pacemque in ſuo grege cuſtodiat; quatenus vnanimes ſint, & non ſit in eis ſchiſma, aut æmulationis materia*: at illi duo Patres ſua ambitione totam conturbant communitatem, vnitatemque pacis diſſoluunt, dum ſubditi Prælatorum ambitione ducti prorumpunt in illa verba S. Ephrem Syri aduerſus viuentes vitiosè, & honores affectantes. *Frater*, inquit, *vnuſquiſque ille altioribus intentus eſt, & ego ſublimiora ſpectare debeo, frater ille honoribus ornatus eſt, quarè non ego? frater ille Patrum conſuetudine fruitur, cur non fruar ego? frater magiſtratum aſſecutus eſt, quarè non ego? illi authoritas commiſſa eſt, nonne & ego dignus ſum, cui hoc, atque illud credatur, & committatur?* quarè diſtrahuntur in diuerſa quærentes eiſdem artificijs minores Prælaturas, eaſque obſequijs obtinentes, vt tandem ſint ſcala ad maiores; quòd ſi non obtinent, quod cupiunt, ad potentum fauorem recurrunt non ſine admiratione, & ſcandalo: quæſo, vndenam iſta conturbatio, & malum in communitate? nonniſi ab ambitione, & rectè quia vt dicit Ioann. Pic. Mirand. de ente, & vno, cap. 10. *Vnitatis pacem turbat ambitio, & ſibi hærentem animũ extra ſe rapit, & in diuerſa quaſi lacerum trahit, atque diſcerpit*: ergo tanquam deſertores pacis introducendæ, & conſeruandæ in multitudine ſibi ſubiecta ante iuſti Iudicis tribunal erunt iudicandi in animarum detrimentum.

### *TERTIA CONCLVSIO.*

4. SI poſtea huiuſmodi viciſſitudo inſurgat, prout in quarta, & in quinta acceptione, damnanda eſt tanquam mortaliter peccaminoſa, eò quòd labe ſimoniæ implicatur. Veritas quartæ acceptionis eſt facilis probationis, quia verè ibi eſt munus à manu pro obtinẽdo aliquod ſpirituale, quod damnatur in ſacris Canonibus; per munus enim à manu intelligitur non ſolùm pecunia, quæ eſt propriè dictum pretium, ſed etiam omnis alia res materialis, pretio æſtimabilis; mobilis, quæ datur electori, vt equus, torques, annulus, liber, veſtis, & huiuſmodi; immobilis etiam, vt prædium, domus, &c. videatur S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 5. quem ſunt ſequuti omnes communiter Theologi, & Canoniſtæ, Suarez 1. de Religion. tr. 3. lib. 4. c. 37. Azor. par. 3. lib. 12. cap. 2. q. 2. Sigiſmundus de electiõn. dub. 57. Samuell. de electiõn. canonic. tract. 2. diſp. 2. controuerſ. 2. Baſſæus in ſumm. tit. ſimonia 2. num. 1. prætérquamquòd prædicti Patres vitio proprietatis ſunt damnandi, quia exercent actum dominij in illa illicita diſtributione; nam munus diſtribuendi bona cõmunitatis, quæ apud Prælatos reſidet, concedere nequit tam execrandam diſtributionem, imò donationem. Veritas quintæ acceptionis habetur ex cap. Cum pridem, cap. Cum Clerici, cap. Fin. de pactis, & expreſſè in cap. De hoc autem, de ſimonia, & colligitur ex Petr. Nauarr. de reſtitut. lib. 2. cap. 2. nu. 386. Silueſt. tit. ſimonia qu. 16. S. Tho. quodlibet. 8. art. 11. Sigiſmund. vbi ſup. Samuell. vbi ſup. contr. 3. concl. 4. Paſqualig. deciſion. 224. Ratio eſt, inquit Paſqualigus, quia ſimonia nedum dicit, quòd ſpirituale commutetur cum temporali, ſed quòd ſpirituale ſubyciatur contractui humano; imò in hoc præcipuè conſiſtit ſimonia, quia hæc eſt præcipua iniuria, quæ fit rei ſpirituali, & per hoc præcipuè inuertitur debitus ordo rerum: ſicut enim ſpiritualia ſunt in ordine ſuperiori, & eleuant hominem ad participandum aliquo modo de eſſe diuino; ita ſi humano contractui ſubijciantur, inuertitur iſte ordo, & homo vtens ipſis indebitè auertitur ab vltimo fine, quia non tendit in ipſum iuxta exigentiam rerum ſpiritualium: hinc Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*: per quod prohibetur omnis contractus circa ſpiritualia; & proindè etiam cap. Pactiones de pactis damnatur, vt illicitum omne pactum, & omnis conuentio circa ſpiritualia.

Et quamuis nonnulli D.D. vt Aragon. 2. 2. qu. 100. art. 1. Victoria relect. de ſimonia num. 17. Sotus lib. 9. de iuſtit. quæſt. 5. articul. 2. ad 3. Sanchez tom. 2. opuſcul. lib. 2. cap. 3. non inclinent in ſententiam Doctorum ſuperiùs relatorum, quia nihil temporale datur pro ſpirituali; ſed ſpirituale cum ſpirituali commutatur; negare tamẽ nequeunt non inſurgere in caſu propoſito lethalem culpam, quia multùm repugnat

ration,

rationi, & ſtatui religioſo, & irrogatur maxima iniuria rebus ſpiritualibus ſub ambitionis titulo adducere in pactum Prælaturas regulares. Quod dicitur de Prouincialatu, eſt etiam dicendum de quacumque alia Prælatura, cum ſit eadem ratio.

## DVBIVM XC.

*An in electore maius periculum incurrendi in lethalem culpam ſit in diſcernendo dignum ab indignis, quàm digniorem à dignis.*

### SVMMARIVM.

1. *IVs, quod iuſtitia tenetur tueri, quatuor modis accipitur.*

2. *Duo dicit iuſtitia, quæ reſidet in Regente; conſulere ſcilicet aliorum vtilitati, & negligere proprium emolumentum.*

3. *Per talem iuſtitiam ſecernitur dignus pro Prælatura adminiſtranda ab indigno; aliàs non eſt putandus ad regendum aptus, quia nomen Tyranni ſibi vendicat.*

4. *Magis periculum videtur eſſe electori incidere in mortale ſegregando hominem dignum ab indigno, quàm digniorem à digno: varijs ſuadetur rationibus, & ſoluitur quædam obiectio.*

1. Pro quæſiti intelligentia ſit prim. notand. iuſtitiam, prout eſt vna ex quatuor virtutibus cardinalibus definiri, vt iam dixi ex ſenſu Vlpian. in l. iuſtitia ff. de iuſtit. & iur. eſſe conſtantem, & perpetuam voluntatem ius ſuum vnicuique tribuendi; quæ definitio à Theologis cum S. Thom. 2. 2. quæſt. 58. art. 1. approbatur. Vt autem intelligamus magis diſtinctè, quodnam ſit illud ius, quod tuetur iuſtitia, ſciendum eſt ius multipliciter accipi. Prim. pro arte, qua cognoſcitur iuſtum, in quo ſenſu à Iureconſultis dicitur ars æqui, & boni. Secund. pro loco, vbi fit iuſtum; ſic dicitur aliquis comparere in iure. Tert. pro lege, quæ eſt regula iuſti reddendi; ſic diuiditur in ius canonicum, & ciuile, &c. Quart. pro poteſtate legitima ad rem aliquã obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quaſi functionẽ, cuius violatio ſit iniuria. Quint. accipitur pro iuſto, ideſt pro æquali, quod debetur alicui; ſic dicitur apud latinos; aliquis obtinet ius ſuũ, & ita iſtud vltimũ ius eſt obiectũ, quod intendit iuſtitia, & quod dicitur vnicuiq; tribuere: cum verò iuſtitia ſit ſimpliciter neceſſaria omnibus Regentibus, vt inſinuat Bellarmin. de Princip. chriſtian. lib. 1. cap. 9. & Ægidius Roman. de regim. Princip. part. 2. lib. prim. cap. 10. ſequitur, quòd vniuſcuiſque tueri debent iura ad hoc, vt vnitas multitudinis finis omnis Imperij, ac regiminis propagetur: hinc eſt, quòd maximo cum fundamento ſtatuitur non quælibet vnitas pro regiminis fine, ſed iuris vnitas, quæ ſolicitè intenta à regente parit humanæ ſocietatis incolumitatem, vt inſinuat D. Anſelm. dialog. de veritate, cap. 13. *Iuſtitia eſt virtus conſeruatrix humanæ ſocietatis, & vitæ communitatis*: quarè dicebat Dioniſ. Cart. in opuſc. in lib. vno de reg. politiæ art. 3. *Multitudo hominum, quamuis corporaliter intra mœnia Ciuitatis commoretur, indigna eſt nomine Ciuitatis, & Reipublicæ, niſi conſenſu iuris, & vtilitatis communione ſit colligata, atque concorditer, & virtuosè conuiuat.*

2. Not. ſec. quòd totum eſſe iuſtitiæ reſidentis in Præſidente eſt ad alterum, vt vult Ariſtot. 5. Ethic. S. Thom. 2. 2. quæſt. 58. art. 2. S. Antonin. part. 4. tit. 5. cap. 1. & Ægid. Roman. vbi ſupr. & lib. 1. part. 2. cap. 12. inquit. *Iuſtitia eſt quodam magnum bonum, & præclarum; perficit enim hominem in ordine ad alium*: adhæret Alb. Magn. lib. 5. Ethic. tract. 1. cap. 4. n. 13. *Iuſtitia alienum bonũ eſſe videtur*: hinc doctiſſim. Abulenſ. in Exod. c. 20. quæſt. 19. ait, quòd Princeps, & Prælati non debent curare de bonis ſuis, ſed de bonis communitatis conſeruando ſtatum politicum; nam tota iſtorum ſolicitudo eſt in diſtribuendo iuſtitiam omnibus de politia: iuſtitia autem non eſt bonum proprium, ſed alienum, qui ergo iuſtitiæ ſtudet, non ſtudet ſibi, ſed alteri; ſic declarat Ariſtot. 5. Ethicor. & ideò dicit, quòd difficilius eſt eſſe iuſtum, quàm habere alias virtutes, quia per quodlibet aliarum virtutum ornamentum quilibet eſt bonus ſibi!, per iuſtitiam eſt ſolùm alteri bonus; magis inclinãtur homines ad ſe ipſos, quàm

ad

ad alios: & ex hoc concluſit Philoſophus in eod.lib. ex authoritate Biantis, quòd Principatus oſtendit virum, ideſt quandò aliquis eſt virtuoſus, & non eſt Princeps, non incumbit ſibi onus diſtribuendi iuſtum, & vacandi aliorum vtilitatibus, relicta ſua, quandò autem eſt Princeps, incumbit ei iſtud onus ceſſandi ab vtilitatibus ſuis; & quia hoc eſt valdè graue, ibi demonſtratur, quis eſt vir, ideſt quis eſt virtuoſus: vel ſi fortè aliquis ante bene ſe habebat in rebus ſuis, & ex hoc iudicabatur virtuoſus, cum inceperit principari ceſſando à ſuis vtilitatibus, & ſtudendo vtilitatibus aliorum, videbitur, ſi erat verè virtuoſus, vel non: hæc Abulenſ. proindè S. Ambroſ. lib. de Paradiſo hanc penetrans veritatem magis intimè eſſentiam iuſtitiæ explicauit. *Iuſtitia magis alijs, quàm ſibi prodeſt, vtilitates ſuas negligit, communia emolumẽta præponens*: & prim. de offic. cap. 24. clariùs. *Iuſtitia eſt, quæ nil alienum vendicat, quæ cuilibet dat, quod ſuum eſt, negligit propriam vtilitatem, vt ſeruet communem æquitatem.*

Not. tert. quòd aliquæ conditiones, prætermiſſis eis, quæ ſunt à iure, deſiderantur in digno, vt ab indigno diſcernatur; nihilominus hic tantùm loquimur de iuſtitia ei neceſſaria ad rectè gerendum magiſtratum, & officium, quia in hac aliæ fundantur, & roborantur, & ex qua oritur tranquillitas mentis multitudinis, ideſt pax tam neceſſaria pro felici, ac longa duratione Regni; & ideò vnus ex ſeptuaginta interpretibus, vt refert Ariſteas in hiſt. Regis Tholomæi, qui ei poſtulabat, quomodò pax in tantam, ac variam hominum Regni multitudinem eſſet inferenda; reſpondit, colendo iuſtitiam, omnibus præſtando, quod ſuum eſt; & S. Thom. 4. de regimin. ca. 23. oſtendit felicitatem Imperij Romanorum ortum habuiſſe ex iuſtè adminiſtrato regimine. *Reſpublica Romana*, inquit, *parua facta eſt magna, quia in eis fuit domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius*: & Emman. Rodriq. quæſt. 34. art. 2. cognoſcit totam Religionis perfectionem oboriri ex iuſtitia. Ex iuſtitia, ait, oriuntur pax Religionis, iuramentorum obſeruantiæ, immunitas communitatis, nutrimentum ſpirituale, Monachorum gaudium, ſilentium, & ſecuritas in pulchritudine pacis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. VT dignus exiſtimetur pro regimine aptus, & ſecernatur ab indigno, neceſſariò requiritur in eo, quòd ſit iuſtus à iuſtitia, quæ conuenit Regenti; aliàs non eſt cenſendus aptus ad multitudinem regendam. Concluſio ſatis liquet ex præcedentibus notandis, quibus additur aurea ſententia D. Chryſoſtom. ad Epheſ. c. 4. homil. 8. *Doctorum eſt virtus non honorem, non gloriam quærere ab ijs, quibus imperant, ſed ipſorum ſalutem, & pro ijs omnia facere; nam qui illud quærit, non fuerit doctor, ſeu magiſter, ſed Tyrannus; non enim Deus propterea te ijs præfecit, vt tu magis colaris, & obſerueris, ſed vt tua quidem negligantur, quæ verò ſunt illorum, omnia ædificentur.*

Addendum quoquè eſt huiuſmodi iuſtitiam magis conuenire Prælato regulari, quàm alijs Præſidentibus ſæcularibus, quia per hanc iſti tantùm propagare debent bonum multitudinis, quod eſt vnitas, & pax; ille verò non ſolùm politiæ bonum, ſed etiã exemplo ſuo perfectionis bonum, vt optimè inſinuat Eminent. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. num. 55. præcipuum Prælati regularis munus eſt ſuo exemplo, ac prudentia continere ſubditos in diſciplina religioſa; & hanc ſi, vt plerumque accidit, relaxata ſit, ad priſtinum, & debitum rigorem reducere, ſubditoſque ad perfectionem religioſam promouere, quod eſt finis gubernationis religioſæ.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. MAgis periculoſum eſt electori incidere in mortale in ſecernendo hominem dignum ab indigno, quàm dignorem à digno. Suadetur in primis, ſuppoſito illo, quod de ratione intrinſeca iuſtitiæ eſt ad hoc, vt ſeruetur communis æquitas, ſeù vnitas iuris, quod idem eſt, vt alienum ius non contemnatur, ſed propria vtilitate neglecta, cuique reddatur, quod ſuum eſt: vbi tota ratio iuſtitiæ deſideratur, eſt maius periculum errandi, quàm vbi tantùm deſide-

ratur modus magis aptè eam exercendi: ſed in digno, vt ab indigno ſecernatur ab electore, recognoſcenda eſt tota ratio iuſtitiæ, in digniori nonniſi modus aptior ea vtendi in vtilitatem boni communis: ergo maius periculum verſatur in ſeligendo ab indigno dignum, quàm digniorem à digno. Secund. ſuadetur: ſuppoſito alio principio, quòd difficile eſt eſſe iuſtum in ordine ad politiam, quia homo magis inclinat ad ſe ipſum, quàm ad alios: inclinatio, quam vnuſquiſque habet ad ſe ipſum, non obſtat modo perfectiori exercendæ iuſtitiæ, qui conſiderandus in digniori eligendo, ſed aduerſatur rationi formali iuſtitiæ, cuius eſſe eſt ad aliud, quæ eſt conſideranda in digno: quis igitur non concedet concluſionis veritatem? & ideò maximo cum fundamento aiebat S. Thom. 5. ethic. lect. 2. *Quòd multi poſſunt vti virtute in proprijs, qui non poſſunt in his, quæ ſunt ad alterum*. Tert. ſuadetur concluſio ex incommodis orituris: ſi ſeligitur indignus, qui videlicet vertit iuſtitiam in iniuſtitiam, negligendo aliorum commoda, ac vtilitates proprias præcipuè procurando, multa ſequuntur incommoda. Prim. ſi vtilitas ſe extendat in proprium commodum trahendo ad ſe communitatis bona abſque debita menſura, excitatur diſcordia, inquit D. Antonin. part. 2. tit. 4. cap. 8. §. 3. *Quandò aliquis nimis intendit ſuæ vtilitati, alij indè grauantur, & modicam cum eo poſſunt habere concordiam; vndè Seneca in Prouerb. Principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi ſuum facere*: ſi verò eius vtilitas dignitates adipiſci intendit, poſſeſſas conſeruare, negando alijs honores, ne ſibi locus atripiatur, oboriuntur factiones, & ſeditiones, vt habetur ex Ariſtot. 5. pol. cap. 5. *In optimatibus autem fiunt ſeditiones interdum ex eo, quòd pauci ſunt honorum participes*: idem inſinuat D. Antonin. vbi ſupr. ſi tandem in propriam vtilitatem indignus ille onera leuia maioribus, & amicis imponit, minores aggrauando oneribus grauioribus, excitatur diſcordia, ſeditioneſque ſerpunt per multitudinem. Ita Antonin. part. 4. tit. 5. cap. 4. §. 2. *Si maioribus, vel amicis, ait, onera leuia iniunguntur, minoribuſque grauia, & importabilia, oportet ſequi diſcordiã, inuidiã, ſeditionem, aliaque mala*: ſi eligitur dignus, digniori prætermiſſo, oboritur quidẽ malũ, quia non ita perfectè, vt decet, propagatur vnitas iuris; non ideò tamen tam facilè excitari poſſunt incommoda enarrata è directo, dicunt DD. deſtruentia bonum commune; nam eo ipſo, quòd eſt iuſtus negligit propria emolumenta aliorum commodis conſulendo, vt ſeruetur communis æquitas: ergo clarè apparet conſcientiam magis periclitari in diſcernendo hominem dignum ab indigno, quàm digniorem à digno. Nec obſtat dicere mala deſcripta non videri, quia ſicut inquit Ægid. Roman. vbi ſupr. 2. part. lib. 1. c. 11. *Non qualibet inæqualitas tollit vitam corporis naturalis, tamen qualibet inæqualitas ægrotat, & infirmat ipſum; ſic non qualibet iniuſtitia corrumpit totaliter Regnum, & politiam; tamen per quamlibet iniuſtitiam Regnum, & politia infirmatur, & diſponitur ad corruptionem*: & tandem tempore congruo mala ſuſcitantur, & politiam corrupunt; ideò dicebat idem Ægid. vbi ſupr. 1. p. lib. 3. c. 13. *Qui vident nullam dignitatem ſe poſſidere, ſi contingat eos eſſe viriles, & animoſos, ſeditiones mouent*. idem dicit S. Thom. 4. de reg. Princip. c. 7. Nec obſtat, vigilantia, & potentia eſſe reprimendas, quia eſt clauum clauo retundere, nempè vti potentia tyrannica, de qua loquitur S. Thom. vt multis in locis diximus. Vltimò ſuadetur: nunquam Indignus, vt talis, tranſmeare poteſt in digniorum numerum, nec conſequẽter ab electoribus poteſt eligi ad dignitates, & Prælaturas Eccleſiaſticas, vt habetur ex cap. Graue nimis de præbendis, & præcipit Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. & communiter docent DD. dignus verò aliquandò connumerari poteſt inter digniores; nam, cum dignioritas non attendatur ex maioribus qualitatibus morum, & literaturæ, ſed ab illis duntaxat, quæ muneri, de quo agitur, magis proficuæ, ac vtiliores erunt, dummodò præficiendus, vel eligendus ſit aliàs bonus, ac idoneus vita moribus, ac ſcientia, vt dixi plurimis in locis, & docet infinitis DD. relatis Samuellius de elect. canon. tr. 1. diſp. 4. controu. 3 ſequitur, quòd ſi dignus eſt futurus vtilior Eccleſiæ, dignioritatem acquirit ad Eccleſiam regendam, vt dixi in dub. 26. prim. part. & in obiectione dub. 103. ad quæ loca mitto lectorem; ergo.

Dices,

Dices, magis difficilè eſt habere modum perfectiorem exercendæ iuſtitiæ, in quo fũdatur dignioritas, quia per hoc perfectiùs ſubditorum merita recognoſcuntur, & magis vnitas iuris propagatur; vndè inſurgit conſeruatio Ciuitatis, & Regni, vt inſinuat Ægid. vbi ſupr. 2. part. lib. 1. cap. 11. hiſce verbis: *Sicut ergo corpus naturale non ſubſiſteret, niſi in eo reſeruaretur quædam diſtributiua iuſtitia, vt quod cor in membra debitè influeret; ſic Regnum, vel Ciuitas non poteſt ſubſiſtere, niſi in ea reſeruetur diſtributiua iuſtitia, vt quod Rex, ſiue Princeps debitè honores, & bona diſtribuat*: quàm poſſidere contemptum proprij cõmodi conſulendo aliorum vtilitatibus, in quo conſiſtit ratio iuſtitiæ diſcernentis dignum ab indigno. Reſp. falſum eſſe, quia in eligendo indignum tota machina boni communis deſtruitur, at in ſeligendo dignum, digniori prætermiſſo; non ideò totaliter deſtruitur, ſed tantùm nõ magis perfectè propagatur, quia dignus ille ſecundùm aptitudinem aliorum merita recognoſcit; vndè ſequitur adhuc conſeruatio multitudinis in vnitate iuris, quæ eſt finis regiminis, quamuis non ita perfectè.

Aduertendum tamen eſt, quòd iuſtitia, quæ neceſſariò requiritur tã in digno, quàm in digniori, non ita poſtponit propriam vtilitatem, vt non admittat debitam proportionem iuſtitiæ diſtributiuæ commodorum cummunium; ideò eſt regulanda iuxta ea, quæ dixi in dub. 57. huius partis, quod incipit: Quæ diuiſio bonorũ communium inter ſubditum, & Superiorẽ ſeruanda ſit, &c.

## DVBIVM XCI.

*An Religioſus, qui relaxatè vixit in iuuentute, ſi factus ſenior reſipiſcat, in dignitatibus ſit ei præferendus, qui ſemper in vitæ probitate vitam tolerauit.*

## SVMMARIVM.

1. *Recitantur tres opiniones circa titulum.*
2. *Aliquandò Religioſus, qui relaxatè vixit in iuuentute, ſi factus ſenex reſipiſcat, præferendus eſt homini in dignitatibus, qui ſemper exemplariter annos duxit: multæ habentur ſoluta obiectiones.*

1. Not. ſit triplicem eſſe opinionem. Prim. Gloſſ. in cap. Fideliter diſt. 50. Roman. ſingul. 134. Abbat. in cap. Dudum el. 2. de elect. Ioann. de Selua de benefic. part. 3. quæſt. 7. num. 18. cuncti iſti DD. affirmatiuè reſpondent. Secund. eſt negatiua, & videtur eſſe Archid. in c. Nos conſuetudinem diſt. 12. num. 2. quem ſequitur Peirin. de priuil. in additam. ad conſt. Paul. V. cap. 10. num. 13. Tert. diſtinguit, & eſt Lambert. de iur. Patron. lib. 2. part. 3. quæſt. 5. art. 14. num. 4. ſi dignitas, inquit, habet annexam curam animarum, ſenem illum eſſe præferendum exiſtimo: ſecus, ſi huiuſmodi cura caret; nã qui ſemper ſanctè vixit, ſimpliciter cenſetur dignior.

### CONCLVSIO.

2. Religioſus, qui iuueniles annos relaxatè duxit, & in ſenectute pœnitẽtia ductus exemplariter viuit, in dignitate præferendus eſt homini, qui ſemper rigidam vitam exemplariter tolerauit. Prim. ducor ob ſententiam D. Auguſt. de tempor. ſerm. 124. qui loquens de caſu Petri ita affatus eſt: *Iam enim eruditus es, & edoctus in Petro, quemadmodum eum Dominus tui cauſa patitur circumſcribi delicto, quemadmodum illum fidei, pietatiſque ſigniferum, & generis humani columnam permiſerit metu dominante quaſſari, vt populorum Doctoribus, & Magiſtris eſſet exemplum, à Deo ſibi non peccandi gratiam minimè condonatam, ſicut Apoſtolus Gal. 6. Conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris: cum fortè, qui fuerit in Eccleſia delicto præuentus, non ſtatim abijciat, condemnet, ſed compatiatur, ac lugeat, conſoletur, & reuocet, commodet iacenti affectum, porrigat manum, erigat lapſum, ſpem ei diuinæ Clementiæ repromittens, ſub qua etiam ſeruire exemplo tantorum comprobat magiſtrorum*: Ducor etiam ob ſententiam Chryſoſtom. ſerm. in Sanctos Petrum, & Eliam tom. 5. loquentis de Sacerdotibus, qui alijs præſunt. *Audi, quaſo, quomodò res ſe habeat, ſi Doctores, & Sacer-*

*doctes*

*dotes etiam ipſi non peccarent,neq; vitæ huius affectibus eſſent ſubiecti certè inhumani, & à venia alijs danda eſſent abhorrentes; ſed propterea ipſos etiam Sacerdotes affectibus ſubiectos eſſe Deus voluit, & Præſides, vt eorũ, quæ ipſi patiuntur ſenſum habentes, alijs etiam veniam darent; ita Deus Mundum ſemper optimè gubernauit, quippè qui non modò tantùm, ſed etiam olim, & illos ipſos, quorum fidei Eccleſiam, & populum commiſſurus erat, permiſit peccato ſubijci, vt à ſua conſcientia admonerentur in alios eſſe benigniores; nam ſi ipſi non peccaſſent, nullam peccantibus daturi veniam eſſent, ſed inhumanitate ducti omnes ab Eccleſiæ corpore abſcidiſſent*: Secund. ducor rationibus, quia ſcit compati ſubditorum infirmitatibus, cap. Conſiderandum diſtinct. 50. & infirmus fortior reſurgit, cap. Poteſt. de pœn. diſtinct. 1. quia vtilior Eccleſiæ, & ideò dignior.

Limita, modò fiat rarò, & non frequenter; aliàs periclitaretur & commutatiua, & diſtributiua iuſtitia: illa, quia bonum commune non foueretur, eò quòd intendit ſemper habere homines maximè in Religionibus, in quibus perfectio vigeat, in dignitatibus conſtitutos, qui ſemper bono exemplo, ac virtutibus Religiones illuſtrarunt: hæc, quia negligerentur infinitorum continuata merita, & daretur anſa iuuenibus relaxatè viuendi.

Dices, ſi talis Senex eſſet eligendus ad dignitates non ſemper, ſed aliquandò corã hominibus, qui ſemper pondus diei, & æſtus virtutum, & ſanctitatis ad honorem Dei, Eccleſiæ, nec non & Religionis portarunt, prodeſſent ei ſua peccata, quod videtur maximum incommodum. Reſp. non prodeſſe ei peccata, vt peccata, ſed quatenus ſunt per pœnitentiam deleta in ordine ad inſtructionem, vt ſciat ſubditorum infirmitatibus compati, nec non & miſerijs, ſecundum mentem eius, qui tot lapſus in eo permiſit.

Dices, ſi res ita ſe habet, fluctuaret illa propoſitio, quòd dignior ſemper eſt eligendus, quæ excellentia non videtur enitere in eiuſmodi ſene, per quamcunque pœnitentiam à miſeria eleuato, ſed in homine per omnium virtutum exercitium, & continuatum ſublimato. Reſp. ignorari principia dignioritatis, quæ nõ deſumuntur à perſonarũ qualitatibus, licèt hæc præſupponantur, ſed à maiori vtilitate Eccleſiæ: cum ergo Senex ille à ſua miſeria monitus meliùs ſciat aliorum infirmitatibus compati, conſequenter cenſetur vtilior; & ideò dignior: ex hoc etiã patet reſponſio ad Lambertum.

Dices, qui ſerò poſt multam ætatem reſipiſcunt, exiguam prudentiam, & ſapientiam colligunt iuxta dictum Prouerb. 16. *Audi conſilium, & diſciplinam, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis*. Reſp. quòd, licèt veriſſimum ſit communiter, quod in obiectione notatur; attamen aliquandò communis regula ſuam patitur exceptionem; nam ſi Senex ille diſcretus erit, & verè timens Deum, à prædeceſſoribus diſcet, quæ ſibi conueniunt, ea ſequendo, quæ in eis laudata fuere, & quæ vituperata, fugiendo iuxta dictum Taciti 1. hiſt. in orat. Galbæ ad Piſ. *Vtiliſſimus*, ait, *idem, ac breuiſſimus bonarum, malarumque rerum delectus, cogitare quid, aut nolueris; ſub alio Principe, aut volueris*: videatur Suar. 4. de relig. tr. 8. lib. 2. cap. 7. num. 5. ſolent adduci varij textus cap. Quid poterit, & cap. Statuimus, & c. Ne ementis d. 6. quibus reſpondetur eos non negare, id poſſe fieri aliquandò.

## DVBIVM XCII.

*Quidam Reus à birruarijs captus, cum ab illis ſe eximere non potuerit, illos tamen ſecum traxit intra terminos loci ſacri Eccleſiæ regularis: quæritur, an gaudere debeat Eccleſiæ immunitate.*

### SVMMARIVM.

1. *Reus intra manus birruariorum, qui vi, ac induſtria eos traxit intra terminos loci ſacri gaudet immunitate Eccleſiaſtica: varijs rationibus ſuadetur, ſolutis multis obiectionibus.*

1. Dubium mouetur, quia Superior illius loci acriter defendit illum miſerum reum, & è manibus birruariorum illũ arripuit. Reſp. re funditus perpenſa potiùs pro veritate rei,

quàm pro defenſione foti, affirmatiuè. Probatur prim. ex vi Bullæ Gregor. XIV. quæ incipit. Cũ aliàs Romæ non. Kal. Iunij 1591. in qua ſtatuitur, laicos exiſtentes in Eccleſia ob delicta ab ea violẽter extrahi nõ poſſe, exceptis nõnullis caſibus in dicta Bulla notatis, in reliquis ergo omnes exiſtentes in Eccleſia gaudẽt immunitate Eccleſiaſtica; nã exceptio firmat regulam in contrarium, l. quotieſcunque, ſ. denique, ff. de feud. inſtruct. DD. in rub. de regul. lib. 6. Gloſſ. in l. in his, ſ. de leg. 3. & ita videtur eſſe tam regula certa, vt multi DD. pro firma ratione doctrinarum ſuarum eam adducant. Farinac. de immunit. Eccleſiaſt. cap. 16. num. 217. loquendo de illis, qui furantur res nõ ſacras, affirmat eos gaudere immunitate vigore conſtit. Gregor. XIV. quæ hunc caſum non excipit: idem affirmat n. 250. de leuiter delinquẽte in Eccleſia: conſentit Bonac. de immun. Eccleſiaſt. §. 5. num. 1. diſp. 2. tract. de cenſur. ex ſenſu omnium DD. non diſſentit Vlpian. in. prax. for. Eccleſ. cap. 3. & non à dicta regula elongantur Couarr. variar. reſol. lib. 2. cap. 20. n. 14. Suat. de reuerẽtia debita locis ſacris 1. de Relig. lib. 3. cap. 10. num. 1. & omnes alij DD. cum enim prædictus caſus à Bulla non excipiatur, ſequitur, quòd ille Reus priuilegio Eccleſiæ guadere debeat.

Nec obſtat, priuilegium eſſe ſtrictè interpretandum ad reprimendam audaciam eorum, qui paſſim crimina hac immunitate freti committunt, vt docet Couarr. vbi ſupr. num. 3. & ad fauendum menti concedentium immunitatem, quæ non intendit ſceleratis, ac truculentis hominibus fauere, ſed ijs tantùm miſeris refugium præſtare, & ſuccurrere, qui humana fragilitate, aut caſu in aliquod crimen incurriſſent, vt vult Decian. citat. à Farinac. vbi ſupr. n. 23. quia melius fuiſſet Eccleſijs priuilegium non concedere, & tamen aliter à diuina Prouidentia fuit ordinatum: quarè, ſi inclinare velimus in opinionem illorum aſſerentium immunitatem Eccleſiæ eſſe de iure diuino, non erit nobis licitum mentem Dei inueſtigare, ac reſtringere, & propter rationes allatas à D. Chryſoſt. tom. 2. hom. 19. contra Honorium, & Arcadium Imperatores inuehente, eò quòd conabantur Eutropium ſeueriſſimum Tyrannum deprædatorem, & Chriſtianorum perſecutorem ab ipſis ad vltimum ſupplicium damnatum, & in Eccleſia morantem, ab ea euellere tanquam indignum Eccleſiæ immunitate, quibus inquit Chryſoſtom. *Propter hoc maximè eſt tuendus Eutropius, quòd ſceleſtorum Princeps fuit; in his enim oportet glorificare Deum, quòd permiſit eum in id neceſſitatis adduci, vt per ipſum, & virtus, quæ ineſt Eccleſiæ, & miſericordia noſceretur; virtus quidem, quòd impugnatorem ſuum ſupplicem videt; miſericordia verò ex eo, quòd protegit ſupplicem; iſta enim ſunt ornamẽta altaris Eccleſiæ, iſta ſunt vera Chriſtiana pietatis inſignia:* hæc Chryſoſtom. & propter Dei iudicia, qui ſicut Adæ peccatum non imponendo legem, nec culpam permittẽdo impedire poterat, ex quo omnia mala originem duxerunt, & non fecit; ita voluit Eccleſijs immunitatem concedere, licèt multa mala faciliùs eſſent perpetranda: ſi poſtea inclinare velimus in opinionem dicentium immunitatẽ eſſe de iure poſitiuo, mens Pontificis Gregor. XIV. fuit, vt videre eſt apud Ambroſin. de immunit. Eccleſ. cap. 1. num. 12. reprimere audaciam ſcribentium, qui, vt iuriſdictioni ſęculari fauerent, varijs in locis tentarunt probare immunitatem à ſacris canonibus Eccleſijs conceſſam in deſuetudinem abijſſe; & ideò Bullam publicauit excipiendo aliquos caſus, per quam exceptionem firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis; & ideò ampliatio conuenit Bullæ, quæ propriè videtur eſſe comprehenſio. Addo rationem Couarr. eſſe parui momenti, & conuincitur ſuis doctrinis; docet enim n. 16. Clericos frui immunitate Eccleſiæ, ad reprimendam eorum audaciam, contrarium aſſerere debebat; cum alijs DD. docet num. 15. delinquentem in Eccleſia ob delictum leue non priuari priuilegio immunitatis, ad reprimẽdam talium hominum audaciam, qui coram Deo delictum committere audent, eis negare debebat immunitatẽ: n. 13. etiã docet, Reũ qui ſe exemit è manibus familiæ, imò qui carceres confregit, nõ poſſe ab Eccleſia auelli, ad reprimẽdam audaciã poſſe euelli concedere debebat. Addo etiam parùm valere doctrinam Deciani; nã docet apud Farinac. vbi ſupr. nu. 231. exiſtentẽ in Eccleſia

man-

mandantem inimicum occidi extra eam, immunitate frui; vndenam eſt caſus, & humana fragilitas in adeò enormi delicto? quæ incommoda non ſequerentur inter Iudicem Eccleſiaſticum, & ſecularem, ſi immunitas tantùm ſuffragaretur eis, qui caſu, vel fragilitate delicta perpetrant? ſemper inter eos excitaretur contentio: an malitia potiùs, quàm fragilitate delictum à delinquente fuerit commiſſum.

Secund. probatur ex vi loci ſacri, ſeu Eccleſiæ, quia, cum priuilegium ſit conceſſum loco, vt ibi exiſtentibus ſint tuti à laica poteſtate: dicitur loco, non quia non ſpectet etiam ad perſonas, ſed quia immediatè, & primariò conceditur loco, ſecundariò perſonis in eo exiſtentibus, vt benè notat Marius Italus de immunit. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. §. 2. num. 82. Peregr. cap. 14. n. 2. Nauarr. man. cap. 25. num. 19. Gambacurt. Farin. Ambroſin. & alij, quos refert, & ſequitur Bonacin. vbi ſupr. §. 1. n. 1. Suar. vbi ſupr. cap. 2. num. 2. & cap. 8. num. 3. Couarr. vbi. ſupr. num. 5. Barboſ. tandem de iur. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 3. n. 50. teſtatur, immunitatis iura Eccleſijs non perſonis fuiſſe tributa omnes exiſtimare, & id maximo fundamento nititur, eò quòd libertas Eccleſiaſtica propriè loquendo nihil eſt aliud, quàm exemptio, & priuilegium à Deo Pontificibus, vel Principibus ſæcularibus conceſſa omnibus Eccleſijs, vel Clericis, quatenus tales ſunt ex Innoc. in cap. Nouerint num. 2. & 3. de ſentent. excomm. recepto, vt per Abbat. ibid. num. 2. Felin. in cap. Eccleſ. n. 79. vbi Decian. num. 2. de conſtit. Nauarr. man. cap. 27. n. 119. & 130. Barboſ. vbi ſupr. num. 211. ſequitur ergo, quòd de hoc criminoſo tandem dici poterat, verè, & realiter exiſtebat in loco ſacro, ac exempto: ergo gaudere debet de primo effectu immunitatis Eccleſiæ, qui eſt ſecundum Farinacium vbi ſupr. cap. 2. num. 23. & Bonac. vbi ſupr. §. 3. num. 1. quòd exiſtens in Eccleſia nequeat à quacunque laica poteſtate inuitus extrahi: & ita in proprijs terminis caſus reſoluitur ex pluribus à Mario Italo vbi ſupr. cap. 6. §. 2. num. 70. cuius doctrina à Farinac. vbi ſupr. cap. 14. num. 196. non refellitur: conſentiunt Caſtrus Palaus part. 2. de reuer. loc. tract. 11. punct. 7. & Diana part. 4. tra. 1. reſol. 106. & part. 6. tract. 1. reſol. 27. verſ. ad aliud, citans multos alios.

Nec obſtat, quòd, licèt verum ſit illum in loco ſacro tandem extitiſſe, non tamen firmiter ibi fuiſſe, & permanenter, ita vt dici poſſit in poſſeſſione, quia poſſeſſio etiã per momentum acquiritur, vt benè tradit Menoch. conſ. 825. Præpoſ. in ſumm. 3. quæſt. 5. conſil. 3. qui teſtatur, hoc eſſe ſecundum curiæ Romanæ ſtylum hiſce verbis: Momentaneus poſſeſſor, ſi expolietur, reſtitui debet ad eam poſſeſſionem ante omnia; vndè poſſeſſio huius capti, licèt fortè momentanea, non infirmatur, eò quòd fuerit captus à birruarijs per illam regulam Bald. l. vis eius. Cod. de prob. poſſeſſio, quæ infringitur poſſeſſione, non iuuat poſſeſſorem, quia intelligitur de iuſta poſſeſſione, quæ ſit cauſa cognita, & ita cap. Si extra vt lit. pend. cap. Licèt Epiſcopus de præbendis in 6. habetur: Nemini per Iudicem de facto, & ſine cauſæ cognitione auferenda eſt poſſeſſio: Marſil. ſing. 195. & l. de vnoquoque num. 37. de re iudic. cum alijs per Menoch. de recuperat. poſſeſſ. remed. 1. num. 111. & per Farinac. p. 3. lib. 6. fragmeur. criminal. num. 315.

Nec obſtat, quòd, licèt verum ſit illum in loco ſacro extitiſſe, ad Eccleſiam tamen confugerat captus, & non liberè, quæ conditiones nempè confugere, & liberè confugere requiruntur ſecundum DD. apud Farinac. vbi ſupr. cap. 15. num. 201. in caſu ſimili; vt exiſtens in Eccleſia immunitate frui queat, quæ in caſu ſimul non videntur adeſſe, quia confugere, & liberè cõfugere ſunt conditiones impertinentes ad hoc, vt quis dicatur gaudere immunitate. Et prim. quoad primam, quia vt benè inquit Suar. vbi ſupr. cap. 10. num. 1. & eſt omnibus commune, quandò iura indefinitè, & ſine limitatione loquũtur, illa indefinita loquutio æquiualet vniuerſali; & non licet nobis excipere, vel diſtinguere ſine authoritate, vel ratione cogente; vbi lex indiſtinctè loquitur; & ita in caſu nulla ratio cogit, imò in contrarium, quia, vt inquit Suar. vbi ſupr. cap. 9. num. 7. fauores ſunt ampliandi, maximè in caſu Religionis. Se-

S ſ 2 cund.

eund. quia priuilegium eſt conceſſum loco principaliter, & minùs principaliter perſonis in eo exiſtentibus, & confugientibus, vt dictum eſt ſupr. Tert. quia id habetur ex Conc. Toletan. 1. 2. c. 19. vbi ſancitur, vt nullus audeat confugientes ad Eccleſiam, vel reſidentes indè extrahere; ex quo verbo, reſidentes, notatur, quòd confugere non ſpectat tanquam aliquid neceſſarium ad priuilegiū immunitatis fouendū. Quart. quia ſunt infinitæ doctrinę, quæ illud excludunt: Farinac. vbi ſupr. cap. 2. num. 44. reſoluens ex infinitis DD. excommunicatū gaudere poſſe immunitate Eccleſiaſtica, ait, hoc priuilegium non eſſe datum fauore perſonarum, & confugientium, ſed propter reuerentiam loci: item Ambroſ. vbi ſupr. cap. 5. nu. 6. ex multis cum Farinac. cap. 16. num. 23. alios referente concludit, quòd, ſi quis exiſtens in Eccleſia mandauit homicidium extra Eccleſiam, debet gaudere immunitate, ex quo verbo, exiſtens; habetur non eſſe neceſſarium ipſum confugere: item Cardinal. Zabarel. cum alijs à Farinac. vbi ſupr. cap. 16. num. 8. relatus, quem ipſe ſequitur, affirmat delinquentem in Eccleſia, ſi homicidium non commiſit, vel membri mutilationem, immunitate frui debere; ex quo verbo, delinquentem in Eccleſia, habetur, quòd Doctor ipſum confugere pro beneficio priuilegij Eccleſiæ recipiendo alienat: item illi DD. apud Farinac. vbi ſupr. cap. 15. num. 202. vt Mantic. in conſil. num. 17. Io. de Vecch. Boer. Remig. relati per Ioann. Guttier. pract. qu. lib. 6. qu. 6. Nauarr. man. cap. 25. nu. 19. Fagund. de præcept. Eccleſiæ præcept. 2. lib. 4. num. 57. aſſerentes captum à birruarijs extra Eccleſiam, qui ducitur ad carceres per Eccleſiam, immunitate gaudere, excludunt ipſum confugere; quare hi DD. à fortiori concludunt noſtrum caſum; & ratio eorum affertur à Nauarr. quia captus à birruarijs, & per Eccleſiam ductus iam eſt intra eam receptus: ergo tantò magis captus à familia, familiam tamen ſecum trahens intra Eccleſiam priuilegio immunitatis priuari non poteſt, quia intra eam verè eſt receptus: item illi DD. quos magno numero colligit Farinac. vbi ſupr. num. 205. aſſerentes, delinquentem in Eccleſia ab ipſa Eccleſia non protegi, pro validioribus rationibus non aſſignant confugere, quod neceſſariò erat faciendum, ſi ſolùm Eccleſia confugientes defenderet, ſed alias rationes ab ipſo Farinacio relatas hiſce verbis: Omnes Canoniſtæ hanc concluſionem expreſſam, nempè delinquentes in Eccleſia non gaudere immunitate adnotarunt tribus rationibus, de quibus in eo principaliter moti. Prim. quia ſic in Eccleſia delinquens puniri debet in eo, in quo delinquit: Secund. fruſtra legis auxilium inuocat, qui in legem committit. Tert. quia immunitatis priuilegio gaudere non debet, qui eodē priuilegio ſe indignum facit.

Nec obſtat, iura maximè Bullam Gregor. XIV. loqui ſemper de confugiente ad Eccleſiam. Prim. quia ſemper id non videtur verum, vt patet per Concil. Tolet. vbi ſupr. Secund. quia, licèt eſſet verum; nihilominus loquuntur ſub illa nominatione, quatenus ita frequenter accidit, & ſic delinquentes, qui priuilegio Eccleſię fruuntur, experientia duce, ſunt ferè omnes cōfugientes.

Nec obſtat, quòd, quamuis concedatur confugere non eſſe neceſſarium, neceſſarium tamen erat ibi liberè exiſtere, quòd non contingit in caſu. Prim. quia DD. pro opinione contraria vtramque conditionem admittunt. Secund. quia inferiùs probabitur illud liberè, etiam diſiunctim, eſſe cōditionem impertinentem.

Tert. probatur ex vi confugere; conceſſa gratis iſta prima conditione, ideſt quòd neceſſariò requiratur, vt Reus ad Eccleſiā confugiat, adhuc ſubſiſtit priuilegium immunitatis in fauorem huius Rei capti, & modo deſcripto in Eccleſiam recepti, qui arte, induſtria, & vi ad Eccleſiam confugit.

Nec obſtat, quòd liberè confugere debebat, quia quandò lex non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus, l. non diſtinguimus ff. de recept. arbitr. Surd. conſ. 81. n. 7. ſed generaliter loquens, generaliter debet intelligi. l. de pretio. ff. de publ. in rem actam: quare Suar. vbi ſupr. cap. 10. num. 2. referens Panorm. quem Farinac. ſequitur, inquit ſeruum fugientem ad Eccleſiam ex timore Iudicis frui immunitate, quia iura

nullam

nullam faciunt diſtinctionem inter ſeruum, & liberum, & conditio ſeruitutis eſt omninò accidentalis; ita Eccleſiæ immunitas tueri debet Reum, de quo loquimur, ſe habentem tanquam ſeruum intra familiæ manus in loco ſacro exiſtentem, quia ipſum confugere non diſtinguit inter captum, & liberum ſed generaliter loquitur, & illud eſſe in manibus familiæ omninò accidentale putandum eſt: imò addo, quòd ſi in caſu eſſet aliquod dubium, quod non conceditur, adhuc priuilegium immunitatis ad Reum extenderetur, quia, cum priuilegium ſit fauorabile, habet extenſionem. Ita Decian. in conſ. 80. num. 19. lib. 3. Ambroſ. vbi ſupr. cap. 10. num. 7. Marc. Anton. Genuenſ. in pract. Archiepiſcop. c. 22. num. 2. Marius Italus vbi ſupr. lib. 1. cap. 2. §. vnic. n. 1. Farinac. vbi ſupr. c. 2. n. 22.

Tandem probatur quart. ex vi libertatis, quia, licèt idem captus ſimpliciter non dicatur liberè confugere ad Eccleſiam, adhuc tamen tantam poſſidet libertatem, quanta neceſſaria videtur, ne dicatur, licèt in manibus familiæ ſub abſoluto dominio laicę poteſtatis eſſe, ſed adhuc frui libertate. DD. loquendo de cauſis, quibus rerum dominiū acquiritur, aſſerunt feram laqueo Titij captam non eſſe Titij, ſed potiùs eximentis è laqueo, quia nondum amiſerat libertatem, eò quòd multa accidere potuiſſent, per quæ Titius eã capere non potuiſſet. Ita Maior. in 4. ſentent. diſt. 15. quæſt. 10. Nauarr. man. cap. 17. num. 176. Azor. p. 3. lib. 1. cap. 3. Couarr. reg. peccatum, part. 2. §. 8. num. 12. Ambroſ. vbi ſupr. cap. 10. num. 53. ita prædictus Reus, licèt in manibus familiæ, non ideò amiſit ſuam libertatem, quia multa ei contingere potuiſſent, per quæ eum iuſtè birruarij non detinerent, prout re vera acciderunt, quia induſtria, arte, & vi ſe recepit in Eccleſiam, per quam ſe exemit à laica poteſtate ob priuilegium immunitatis loco ſacro conceſſum.

DD. etiam loquendo de fugiente, quem inſequitur familia, & de illo, qui ſe ab illa exemit, quem etiam familia inſequitur, ſi ambo in Eccleſiam ſe recipiunt, omninò immunitate frui cenſent, vt videre eſt apud Farinac. vbi ſupr. num. 194. & apud Ambroſin. vbi ſupr. cap. 10. n. 12. 13. referentes magnum DD. numerum, eò quòd liberè confugiant, & ſe recipiant in Eccleſiam, inquit Suar. vbi ſupr. c. 11. n. 19. & teſtatur Ægid. Boſſius de captura n. 22. quotidiana praxi eſſe receptum, nec tamen eam intrant prorſus liberè, quia aliquam patiuntur vim ab inſequentibus (& liber à violentia, de quo hic loquimur ſecundum Magiſtrum ſententiarum 2. ſent. diſtinct. 25. & Azor. p. 1. lib. 1. quæſt. 1. ſimpliciter dicitur ille, qui in agendo vim extrinſecus illatam non patitur) poſſident tamen tantam libertatem ex velociori curſu, quanta eſt neceſſaria, vt dicantur liberè Eccleſiam ingredi; ita in caſu: eſto Reus in manibus familiæ eſſet, eiuſque libertas maximam pateretur vim, nihilominus non erat adhuc ea totaliter ſpoliatus, vt benè notat Ægid. Boſſius vbi ſupr. n. 23. hiſce verbis: Reum captum antequam ducatur ad carcerem, non intelligi ita perfectè captum, vt ſit in tuto ſub dominio, & poteſtate iuſtitiæ: quia arte, induſtria, & continua vi vim familiæ vſque ad locum ſacrum, ſicut illi curſu, ſuperauit, & ita dici debet, quòd liberè ſe recepit in Eccleſiam, ſicut illi: & nulla alia videtur eſſe differentia inter caſum agitatum, & caſus illorum à DD. reſolutos, quia vis illata Reo intra manus familiæ eſt magis immediata, quàm illa, quæ infertur duobus fugientibus, quæ differentia ad tollendam omnimodam libertatem à Reo, de quo loquimur, non eſt ſufficiens, vt benè dicit Boſſius.

Concluditur ergo, cum ad Epiſcopum ſpectet ſententia caſus, vt inquiunt DD. ſine difficultate apud Farinac. vbi ſupr. num. 367. & cum in fauorem huius Rei iura clament, validiores rationes vergant, plures DD. in terminis caſum decidentes exiſtant, quàm ex aduerſa parte, proferendam eſſe ſententiam benè à Superiore illius conuentus defenſum eſſe Reum.

## DVBIVM XCIII.

*An Religioſum clericatui deſtinatum, vt tandem ad Sacerdotium promoueatur, poſſit Superior clerica ſpoliare, ita vt iam ad Sacerdotium non promoueatur, ſed toto vitæ curſu in Ordine laicorum permanere debeat.*

### SVMMARIVM.

1. ***R**ecitantur opiniones.*

2. *Conditio appoſita in contractu ex partium conſenſu ſub pœna nullitatis ipſius contractus eſt obſeruanda.*

3. *Eximitur à voto vouens Religionem animo expreſſo clericatum aſſumendi, ſi à Superioribus reijcitur.*

4. *Prælati Religioſum acceptum ad ſtatum clericalem nequeunt deſtinare ad humilem laicorum ſtatum; & ſoluuntur obiectiones.*

1. Not. prim. duplicem eſſe opinionem in hoc breui dubio; alterã Sanch. in ſumm. lib. 6. cap. 7. num. 79. citantis Sotum, Azor. & alios, qui tenet partem affirmatiuam; adhærent Suar. 2. de Relig. lib. 4. cap. 15. num. 7. Peirin. tom. 1. cap. 24. §. 3. qu. 1. alteram verò Portell. 2. p. caſ. 8. quę eſt negatiua, confirmata à Nauarr. & D. Thom. relatis à Sanch. vbi ſupr.

2. Not. ſec. DD. communiter aſſerere, quòd conditio æſtimabilis expreſſa appoſita in contractu ex conſenſu partium, cuius defectu aliter non celebraretur contractus, ſi non adimpleretur, irritare videtur contractum, quarè, licèt contractus matrimonij, & profeſſionis ſit firmiſſimus, & indiſſolubilis, ita vt nequeat per quemcunque dolum, vel errorem qualitatis reſcindi, vt ex multis probat Sanch. lib. 7. de matrimon. diſp. 18. nihilominus idem Sanch. n. 21. cum D. Bonauent. D. Antonin. Soto Ludouic. Lopez. Ledeſm. & alijs ab ipſo citatis, inquit, quòd ſi qualitas, in qua erratur, apponatur per modũ conditionis in ipſo contractu, quandò ſcilicet matrimonium initur ſiue verbis expræſſis, ſiue mente contrahentis, retenta ſit, irritat matrimonium, vt ſi contrahens eam actu intentionem haberet, duco hanc, ſi diues, & nobilis ſit; tunc enim, deficiente ea qualitate, deficit conditio, & ſubindè conſenſus ſub illa præſcriptus, atque matrimonium erit nullum; conditio enim honeſta eſt: hæc Sanch. cuius doctrinæ adhæret doctus Layman lib. 3. tract. 4. cap. 5. num. 5. in fin. addens hæc verba; idem ſentiendum eſſe de profeſſione Religionis, cum ſit quaſi ſpirituale matrimonium.

3. Not. tert. quòd vouens Religionem animo expreſſo clericatum aſſumendi, ſi Prælati nolunt eum recipere, niſi ad ſtatum humilem laicorum, liberatur à voto. Sotus lib. 7. qu. 2. art. 1. de iuſtit. ad 3. Rodriq. tom. 2. ſumm. c. 95. n. 10. Azor. part. 1. lib. 11. cap. 22. qu. 4. quia votum vltra vouentis voluntatem ſe extendere nequit; imò addo, ſi vouens, quandò vouit, nil cogitauit de ſtatu Clericorum, & laicorum, prædictus tamen eſt illis conditionibus, ac dotibus, per quas ſtatus clericalis aſſumitur, vt poſſit ad ſacros Ordines debito tempore promoueri: ex. gr. ſi eſt iuuenis nobili genere natus, vel Rethorica, aut Grammatica pollet, ſi Prælatus niſi ad ſtatũ laicalẽ eum nolit recipere, remanet adhuc liber à voto. Ita Azor. vbi ſupr. eò quòd probabiliter iudicari poteſt, nunquam Religionem promiſſurus, niſi pro clericali ſtatu, ſi vouenti veniſſet in mentem vterque ſtatus: ſi verò his conditionibus caret, Religionem nihilominus tenetur ingredi, quamuis ad ſtatum laicorũ deſtinetur. Azor. vbi ſupr.

### CONCLVSIO.

4. **R**Eligioſum in ſua profeſſione receptum ad ſtatum clericalem neque Generalis, neque Prouincialis etiam cum conſenſu conuentus queunt deſtinare ad humilem laicorum ſtatum, ita vt ampliùs ad Sacerdotium non ſit promouendus, etiam in pœnam delicti. Duas habet partes concluſio, quarum prima aduerſatur DD. in prim. not. citatis. Secunda Sanchez vbi ſupr. ſic aienti: Exiſtimo cauſam iuſtam ad id deſiderari, & eam eſſe punitionem delicti. Suadetur prima: ſi Prælatus Religioſum Deo conſecratum per profeſſionem ad ſtatum cleri-

clericalem, poſſet clerica priuare, ſtatuique laicorum deſtinare, reſcinderetur contractus profeſſionis inter Religioſum, & Religionem: ergo ſignum eſt Prælatum in hoc nullam habere poteſtatem: probato antecedente, conſequentia clara remanet; nam cuilibet contractui etiam matrimonij, & profeſſionis ſub conditione celebrato expreſſa conditio appoſita ſeruari debet, aliter contractus reſoluitur, ac ſi non eſſet initus, vt dixi ſuperiùs: ergo conditio clericatus, ſine qua huiuſmodi profeſſus profeſſionē nō emiſiſſet, conteni non poteſt, quin etiā valor cōtractus auferatur. Confirmatur ex mente Azotij aſſerentis, vouentem Religionem animo expreſſo profitendi in ſtatu clericali, ſeù etiam tacito, quandò habet conditiones ad illum ſtatum requiſitas, ſi ad ſtatum laicorum à Superioribus ſolummodò aſſumendus ſit, eximi à voto: ergo etiam liber exiſtet Religioſus à voto profeſſionis, ſi conditio clericatus ipſi ſeruata non fuerit. Secund. decipere profitentem circa Religionis aſperitatem, & difficultatem, quandò tanta eſt, vt moraliter ſuperet illius vires eſt irritare profeſſionem, vt optimè inquiunt Sotus de iuſt. lib. 6. cap. 9. num. 4. Suar. de Relig. 3. lib. 6. cap. 5. num. 3. Barthol. de Vecchis in praxi nouit. diſp. 13. dub. 13. num. 1. ſed ſi profeſſus in ſtatu clericali transferretur ad ſtatum laicorum, deciperetur circa Religionis aſperitatem moraliter ſuperantem illius vires, quia, vt benè dicunt Sanch. & Peirin. vbi ſupr. laici in Religione duriorem, & aſperiorem degunt vitam, omnes ferè labores conuentus ſuſtinentes, & experientia oſtendit multos, & multos choro cōſecratos tantum onus non poſſe ferre, eique moraliter ſuccumbere: ergo eius profeſſio inualidaretur: ergo ſignum eſt, quòd Clericus, eſto non ſit ſacris ordinibus initiatus, ad laicorum ſtatum à Superioribus deprimi nequit. Tert. durante ſtatu clericali, Superior nequit profeſſum eximere ab onere recitandi diuinum officium, quia, vt benè dicunt Caietan. Medin. Sot. & alij apud Suar. 2. de Religione lib. 4. cap. 17. nu. 6. eſt onus per diuturnam conſuetudinem introductum ad mortale obligans: ergo nec poteſt eum priuare fundamento obligationis, quòd eſt ſtatus clericalis, quia huiuſmodi ſtatus eſt propter diuinum officium, & non officium propter ſtatum. Secunda pars ſuadetur: ſi Prælatus poſſet profeſſum clerica ſpoliare in delicti pœnam; maximè quia grauiores pœnas ſuis ſubditis infligere poteſt, vt eſt eiectio à Religione, perpetuus carcer, condemnatio ad triremes; &c. iuxta cap. In ſingulis, & cap. Ea quæ, de ſtatu Monach. at id certè nullius roboris videtur eſſe, eò quòd in qualibet pœna ex aſſignatis ſemper ſtatus clericalis per profeſſionem aſſumptus integer remanet; & ideò Nauarr. de horis canonicis cap. 7. num. 20. Rodriq. tom. 1. quæſt. 30. art. 20. Ledeſm. 2. p. ſumm. tract. 1. cap. 4. concl. 13. dub. 2. Suar. 2. de Relig. cap. 17. num. 9. Peirin. vbi ſupr. cap. 25. §. 1. concl. 5. loquentes de eiecto dicūt teneri ad officium diuinum eò quòd non liberetur à ſtatu clericali, idem affirmat de damnato ad triremes: Suar. vbi ſupr. n. 9. quod non contingeret in caſu, quia amoueretur ab illo ſtatu, in quo profeſſus eſt: ergo prorſus alienum eſt à veritate poſſe Prælatum etiam in delicti pœnam Clericum profeſſum nondum ſacris ordinibus initiatum laicorum ſtatui deſtinare.

Dices, non variatur ſtatus Religionis, ſed illæſus manet, nec tranſit ad aliam Religionem, ſed in eadem viuit obſtrictus omnibus votis, aliiſque obligationibus: ergo. Reſp. verum eſſe materialiter loquendo, eò quòd eſt eadem Religio, formaliter verò falſum, quia deſtruitur ſtatus aſſumptus ſub conditione clericatus, & cuius inobſeruantia deſtruit contractum, vt dixi ſuperiùs.

Notandum tamen eſt, quòd in Religione S. Franciſci id nullo modo poteſt fieri; non ſolùm ob rationes allatas, ſed etiā, vt rectè notat Portella vbi ſupr. numer. 11. quia profeſſus etiam nondum ſacris initiatus ex vi regulæ tenetur ad officium ex præcepto, cui Prælatus diſpenſare nequit.

## DVBIVM XCIV.

*An Prouincialis, qui ſtudet tres, vel quatuor Religioſos ad Religionis munera promouere, peccet mortaliter.*

SVMMARIVM.

1. *Peccat Prælatus, qui promouet homines ad prælaturas intuitu votorum ad dignitates conſeruandas, ſeù maiores aſſequendas.*

2. *Prælatus intendens extollere homines, prout in titulo poteſt id facere confusè. Digniores dupliciter conſiderantur. Prim. ſimpliciter. Secund. quandò ſunt alij alijs digniores.*

3. *Eſto ſubditi ſubijciantur poteſtati Prælatorum, non eis ſubduntur tanquam ſerui.*

4. *Ex improportionata honorum, ac onerum diſtributione diſcordia malum oboritur.*

5. *Prouincialis promouens homines, prout in titulo ad Prælationum munera confusè non eſt tutus in conſcientia; attamen eſt tutus, ſi ſunt digniores ſimpliciter: ſecus ſi ſecundo modo.*

6. *Itidem Prouincialis promouens prædictos homines ad alia munera Religionis, vt ſunt Lectoratus, Magiſterium, & pulpita, &c. ſine idoneitate non caret lethali culpa.*

Quæſitum magna non indiget probatione, perpenſis, ac benè intellectis dubijs in prima parte explicatis, ſed potiùs diſtinctione; nihilominus ad maiorem explicationem adducemus diſtinctiones, nec non & probationes, inhærendo doctrinis aliorum dubiorum,

1. Not. prim. quòd hic non loquimur de illis promotionibus, ac partialitatibus, quæ fiunt in Prouincia in factiones diuiſa; nam de iſtis ſatis fuit dictum in dubijs prim. part. ſed de protectione, & promotione nonnullorum ad dignitates, officiaque Religionis in Prouincia Religioſorum, quæ, fauente Deo, ſeditiones, atque factiones agnoſcere reſpuit, neque vult factionum capita etiam per vmbram tolerare: neque loquimur de promotionibus ad Prælaturas intuitu votorum, ſeù ſuffragiorum ad dignitates conſeruandas, maioreſque conſequendas, quas poſſident, & ſperant ij, qui tales homines promouent; vel hoc fiat pacto explicito, vel implicito; implicitum enim, vel tacitum dicitur, quandò non formaliter, & expreſsè, ſed nutibus, & ſignis, vel ex modo dicendi; vel factis ipſis, vel alio modo quis ſignificat deprauatam voluntatem, ſeù intentionem ſuam, ita vt mutuò ſe intelligant, vt benè obſeruat Sanchez opuſc. tom. 1. cap 3. dub. 106. num. 1. & Nauarr. ſum. lat. c. 23. num. 105. qui duobus exemplis doctrinam explicat, apud ipſum tam conſulite, quia ſunt ſimoniaci Prælatus promouens, & promoti, ſeù promouendi, vt dixi in dub. 11. p. p. neque loquimur de illis promotionibus, quæ fiunt ex perſonis indignis ratione prauorum morum, quia omnibus DD. conſentientibus, & Prælatus promouens tales homines ad Religionis munera, & promoti mortalem contrahunt noxam; nam ille infert grauem iniuriam Eccleſiæ, ac iuſtitiæ diſtributiuæ, & commutatiuæ; iſti verò, quia indigni ſunt, & tenentur ſe præſtare dignos ad munera Eccleſiæ exercenda.

2. Not. ſec. quòd Prælatus ſtudens extollere, ſeù promouere huiuſmodi homines poteſt hoc facere confusè; quando ſcilicet non attendit merita, qualitates, idoneitatem perſonarum, & munera, ad quæ illos intendit promouere, & nullam ponit differentiam inter indignos, & dignos, ſeù digniores: qui digniores dupliciter conſiderari poſſunt. Prim. ſimpliciter, ideſt ita meritis ornati, vt omnes alij ſint eis inferiores; vndè eorum dignioritas clarè eluceſcit, quod ſanè videtur difficilè ſolùm illos eſſe digniores, maximè pro Prælaturis ordinarijs, & inferioribus in copioſo numero Religioſorum, quos ſolet Prouincia continere, quæ non petunt tantum meritorum exceſſum, niſi voluntas Superioris affectione deprauata ſtudeat eis præſtare, quod eorum mores, & qualitates nequeunt requirere. Secund. quandò ſunt alij meritis æquales, vel dubij, quæ in moralibus habentur pro nihilo; vndè multi, & multi inter digniores connumerari debent; maximè quia exceſſus meritorum pro dignoſcendo meliori, ſimpliciter loquendo

quendo, debet eſſe adeò magnus, vt cæteri ſint velut vilis grex, & bruta animalia, vt dicebam in dub. 6. p. partis ex mente multorum DD. & ideò vocantur meliores, non quia non ſint alij ipſis pares, ſed in ordine ad alios ſolùm dignos, quorum etiam aliqui inter digniores aliquandò debent deſignari propter aliquas circunſtantias recenſitas in dubijs 6. & 26. p. part. ipſas conſulite. Munera verò Religionum, quæ pro iuſta diſtributione merita petunt, ſub triplici genere conſiderari poſſunt, Prælaturæ, Lectoratus, Magiſterium, cæterique gradus ad ſcientiam ſpectantes, & Pulpita pro cōcionibus tam in ordine ad honorem, quàm ad vtilitatem: cætera verò eadem poſſunt vel formaliter, vel reductiuè ſub iſtā triplicem differentiam.

3. Not. tert. quòd, licèt ſubditi ſubijciantur poteſtati Prælatorum, non ideò debent eis obedire, ac ſi eſſent res propriæ Superiorum, ſicut accidit in ſeruo, cuius ferè totum eſſe refertur ad Domini vtilitatem, ſed eorum obedientia, ſicut & ipſa præcepta eis impoſita referuntur ad vtilitatem, & bonum ſubditorum, & non præcipientium; cum tota poteſtas gubernatiua tendat per ſe ad bonum communitatis, quæ gubernatur; ideò aiebat Alb. Magn. ex Ariſt. 3. polit. c. 4. G. *Omnis politia eſt ad commune bonum, & nulla ad priuatum*; vndè in Prælatis, vt benè dicit Emin. Lugo de iuſt. tom. 1. diſp. 1. ſect. 1. nequit eſſe ius iuſtitiæ commutatiuæ reſpectu ſubditorum, & Religionis commodorum, ſed tantùm diſtributiuæ, cuius obiectum proprium eſt diſtribuere bona, vel onera communia inter partes communitatis pro maiori, vel minori cuiuſque proportione; quarè ſemper talis iuſtitia attendere debet æqualitatem geometricam, vt ſi duo ſint, quorum vnus habet merita, vt quatuor, alter verò, vt octo; poſterior excedit priorem in diſtributione ſecundum duplum, ita vt ſi prior accipit decem, poſterior accipiat viginti: ex quo ſequitur, quòd iſta iuſtitia diſtributiua reſidens in Prælatis nequeat referri ad eorum vtilitatem, ſed ad bonum communitatis, & ſubditorum, & ita tam ſtrictè, vt ſi notabiliter eius terminos excedant, fiant ſecundum DD. rei peccati mortalis.

4. Not. quart. quòd ſeditio omnium malorum ſemen in præcedentibus dubijs deſcriptorum originē trahit, vt inquit D. Antonin. 2. part. tit. 4. cap. 8. de diſcordia §. 1. ex improportionata honorum, & onerum diſtributione. *Quandò enim*, inquit, *aliqui vexantur laboribus, alij nimis alleuantur, vel cum honores, & officia aliquibus copiosè conferuntur, alijs autem parum, aut nihil; indè generantur diſcordiæ, & inuidia inter eos*. Et certè, viſis paucis exaltatis, multis meritis paribus depreſſis, & humiliatis, diſcordiam, ſeditionemque excitari neceſſe eſt; quarè Ariſt. 5. pol. cap. 5. inquit: *In optimatibus autem ſeditiones fiunt interdum quidem ex eo, quòd pauci ſunt bonorum participes*.

## PRIMA CONCLVSIO.

5. Prouincialis, qui illos tres, vel quatuor Religioſos promouere conatur ad Religionis munera, ideſt ad Prælaturas (de alijs inferiùs) ſine meritorum diſcuſſione, nullā ponens differentiā inter dignos, & indignos, mortali culpæ obnoxius habendus eſt. Suadetur: qui ſe exponit proximo periculo mortaliter peccādi, inquiunt DD. mortaliter peccare; & ita homo habens conſuetudinem iurandi falſum, vel verum eſt in ſtatu damnationis ob periculum manifeſtum iurandi falſum, vt aſſerunt DD. in tractatu de iuramento: Prouincialis autem fouendo illos Religioſos pro Prælaturis confusè non inquirendo eorū merita, ſe exponit manifeſto periculo præferendi, indignos dignis, quòd eſt mortale: aſſerendum igitur eſt in damnationis ſtatu illum morari; ideò ait S.Th. ex Ariſt. 7. polit. lect. 3. *Ad hoc autem, quòd rectè Rector iudicet de iuſtis, & quòd rectè diſtribuat principatus, & bona communia ipſis ciuibus, neceſſarium eſt ipſum cognoſcere ciues, quales quidem ſunt ſecundum virtutem, & quam differentiam habent inuicem ſecundum virtutem, vt ſecundum exigentiam dignitatis, virtutis diſtribuat principatus; & indicet indifferenter ſecundum differentiam*

*tiam dignitatis eorum, at ſi vbi non ſit ſecundum hunc modum; oportet diſtributionem bonorum communium, & iudicium prauè ſe habere; circa enim iſta operari non ſecundum rationem rectam, ſed ſecundum proprium impetum periculoſum eſt & iniuſtum*. Prætereà, negligere iuſtitiam commutatiuam, quæ ſemper in communitate tendit ad bonum commune promouendum, eſt lethalis culpa: ſed in tali promotione cæca hæc negligitur in non paruum Religionis damnum, & ſolùm pro obiecto habetur ratio amicitiæ, vel conciuium, &c. ergo. Adde, quòd id Prouincialis præſtare nequit ſine aliorum electorum auxilio; nam ſolus ordinariè non habet ius eligendi; quarè precibus, vel beneficijs ad talem electionem eos mouere debet; vndè & ratione inductionis ad peccatum, & ratione muneris, ad quod ſpectat à ſubditis alienare peccata, & ratione malæ ſubornationis graui peccato ſe implicat: ergo. Ex hac doctrina vnum infertur, quandò electores abſque meritorum diſcuſſione inter ſe conueniunt de promouendis amicis, conciuibus, &c. non eſſe tutos in conſcientia, ſed graui culpa ſe inuoluere ratione periculi indignos dignis præferendi, & inductionis ad tam graue malum, ſeù promotionem cæcam, iuſtitiæquæ neglectæ.

## SECVNDA CONCLVSIO.

Si illi homines promoti, ſeù promouendi à Prouinciali ſunt digniores ſimpliciter, prout in prima acceptione, non eſt cenſenda lethaliter mala eorum promotio: ſecus ſi ſunt digniores prout in ſecunda. Prima pars multis in locis fuit perſuaſa; nam Prouincialis obſeruat iuſtitiam commutatiuam conſulendo vtilitati Eccleſiæ, adhæret diſtributiuæ maiora merita proemijs ornando, non ſemetipſum fouendo, ſed bonum commune ſublimando, fauet fidelitati Eccleſiæ ſibi commiſſæ homines inter omnes digniſſimos promouendo, ſed præſertim quia ad eius munus ſpectat reddere homines habiles, vt ſuo tẽpore poſſint ad maiores dignitates in vtilitatem, beneficiumque Religionis promoueri: ex quo apparet, quàm malè faciunt Prælati negando honores hominibus, quibus habitis, promouerentur in Definitores, Conſultores, Prouinciales, ac in alias dignitates, ſub prætextu boni communis, vt ore dicunt, ſed in corde firmant, ne ſibi arripiant locum. Sciant Prælati, quòd nunquam verè fouebunt bonum commune, niſi tria obſeruare conentur. Prim. ſeipſos expurgare ab omni cupiditate regnandi. Secund. curare, vt nulla ambitio excitetur in ſubditis, & nulla honorum petitio ab eis audiatur. Tert. ita ſe gerere in munerum diſtributione, ac ſi omnes dignitates ambirent, honoreſque poſtularent. Secunda pars ſuadetur: de ratione Domini eſt diſtribuere, ac diſpenſare ſua bona, cui placet; de ratione diſpenſatoris, ſeù adminiſtratoris eſt omnia merita in bonis diſtribuendis recognoſcere: nullum verò dubium videtur Prælatum non eſſe Dominum, ſed fidelem diſpenſatorem bonorum: ergo nequit tutò tantùm, ſeù principaliter illos tres promouere, alijs neglectis, qui in meritis ſunt pares; aliàs gerit ſe tanquam Dominum. Secund. ex officio tenetur ſub mortali arcere mala à congregatione, præſertim diſcordiam, & ſeditionem, quæ ſunt illa mala directè deſtruentia pacem, ac vnionem, quæ ſunt finis omnium regiminum: ſed tali partialitate excitantur, & introducuntur, teſte D. Antonin. vbi ſupr. *Ex improportionata*, ait, *honorum, & onerum diſtributione generantur ſeditio, & diſcordia*: vndè Ariſt. 5. pol. cap. 3. ait. *Seditionem autem concitat in paucorum quidem potentia multitudo indignè ferens, quòd, cũ ipſi ſint pares, non pariter honorantur*: Imò his principijs formantur factiones; nam neglecti ad fauorem, ac protectionem aliorum Patrum recurrunt, qui fortaſsè zelo boni communis ad obſtandum Prouincialis iniuſtitijs eos tuentur; vndè poſtea tractu temporis fiunt ſequaces, & factionarij agnoſcentes pro capite ſuos protectores; vndenam, quæſo, iſtud malum? ex malè adminiſtrata iuſtitia Prælati, & zelo aliorum Patrum in principio, deindè conuerſo inſenſibiliter in proprium commodum: ergo talis

lis protectio, ſeù promotio cenſenda eſt mortaliter peccaminoſa. Tert. ſuadetur ex fine officij: in ordine religioſo officium Prælati ordinatur ad hoc, vt ſubditi in regulari diſciplina, ab obſeruantia contineātur, & vt promoueantur ad perfectionem religioſam, ad quam Ordo ille eſt inſtitutus, quòd ſi fortaſsè à fragilitate humana quaſi coacta congregatio illa reliquit primum feruorem, & priſtinam diſciplinam, ac obſeruantiam relaxauit, cura Prælati eſt, vt paulatim deperditum reſtituatur: ſed talis Prælatus ſuis partialitatibus non propagat finem Prælaturæ, ſed eum grauiter offendit non continendo homines in obſeruantia regulari, nec eos promouendo ad perfectionem religioſam; nam munus ei inſeruit ad ſuſcitandas diſcordias, cæteraque mala excitanda: ergo promouendo tales homines non propagat Prouincialis rectū finem officij, vndè propriam animam grauiter offendit. Pro elucidatione maioris huius ſecundæ partis legat, quæſo, Prouincialis quædam verba D. Chryſoſtom. 4. ad Theſſalon. cap. 1. homil. 2. orat. 2. quæ optimè trahuntur ad rem noſtram. *Nam dic mihi, ſi oculus, qui totam corporis curam in manum conferret, & ſe ab alijs membris auertens illi ſoli attendat, nunquid perdit vniuerſum? meritò; ita nos quoquè ſi charitatem, quæ extendi debet in totam Dei Eccleſiam in vnum, & in alterum contrahamus, & nos ipſos, & illos, & vniuerſos perdimus; hæc enim non ſunt charitatis, ſed diſſidij, ſciſſura, & auulſa rupta; nam etiam ſi à toto homine auulſam accepero partem, ipſa quidem ſciſſura ſibi eſt vnita, & eſt continens, & conglutinata; cæterum ſic quoquè eſt ſciſſura, quoniam reliquo non eſt vnita corpori.* Ex qua doctrina deducitur, ſi Prouincialis tali modo promouendo digniores non eximitur à culpa lethali, quomodò eximetur à maximis culpis, ſi dignus dignioribus poſtpoſitis, indignoſque dignis ad munera promouebit? vndè electores morali certitudine cognoſcendo partialitatem Prouincialis à fidelitate Eccleſiæ obſeruanda, à qua ius eligendi acceperunt, inſtruuntur, talem hominem non eſſe aptum ad regendas oues commiſſas ſibi, nec eſſe dignum, vt benè dicit Lugo vbi ſupr. diſp. 35. ſect. 2. nu. 6. illa Prælatura; quarè tutò nequeunt eum denuò eligere. Audite, quæſo, electores quædam verba dicti Em. Lug. vbi ſupr. nu. 18. Eliguntur Paſtores præſertim Epiſcopi ad hoc, vt peccata ſubditorum impediant, vt grauioribus ouium neceſſitatibus opitulentur, vt eos in obſeruantia chriſtianæ legis contineant, vt deprauatos mores reforment, & in priſtinum fidelium ſplendorem, & puritatem, quantùm fieri poteſt, reſtituant: ex menſura ergo iſtorum verborum cōſiderate electores, ſi talis Prouincialis denuò veſtris ſuffragijs ſit denuò eligendus, & ad officiū quaſi Epiſcopale rurſus ſit promouendus: aduertite etiam cum ſupradicto Doctore vbi ſupr. diſp. 34. num. 12. non ſufficere, quòd eligens non ſciat poſitiuè illum eſſe indignum, ſed debet poſitiuè, moraliter tamen inquirere, & ſcire, eſſe dignum, & aptum.

### TERTIA CONCLVSIO.

6. Prouincialis promouendo illos homines ad munera Religionis, vt ſunt Lectoratus, Magiſterium, pulpita, &c. abſque idoneitate poſtponendo digniores, & aptiores, peccat mortaliter, tum quia negligit digniorum merita cum maxima eorum iniuria, nec non & bonum commune, tum quia fit acceptor perſonarum; nam quiſque tali vitio implicatur, vt omnes DD. affirmant, quandò attenduntur qualitates, & circunſtantiæ impertinentes, quæ non ſpectant ad munus, ad quod promouentur homines. Pro comperto habeant Prælati, quòd omnibus his officijs, ac dignitatibus, &c. digniores ſunt præferendi, eſto non ſint beneficia curata, propter munia tamen inquit Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. contr. 4. in fine; illis coniuncta poſtulant, vt ad illa eligantur digniores, non minùs quàm ad curata.

***

## DVBIM XCV.

*An prudens Prælatus magis inclinare debeat ad concedendam facultatem, vt pænitens abſoluatur à reſeruatis, quàm ad eam negandam.*

### SVMMARIVM.

1. *EX triplici genere hominum, perfectorum ſcilicet, imperfectorum, ac malorum formantur Religiones.*

2. *Recitantur opiniones: an Superior, dum ſubditus per ſe, vel per alium petit facultatem abſoluendi à reſeruatis, ei concedere teneatur: & ſoluuntur aliqui caſus, qui ad eam largiendam ex iuſtitia Superiorem cogunt.*

3. *Prudens Prælatus in omnium ſubditorũ fauorem, præſertim malorum propenſior debet eſſe ad concedendam facultatem, quàm ad eã denegandam: ſuadetur varijs DD. authoritatibus, nec non & rationibus, additur quadam limitatio; & ſoluuntur nonnullæ obiectiones.*

4. *Duo adnotantur circa præſentem materiam non mediocris conſiderationis.*

1. Not. prim. quòd triplex genus hominum degens in Religionibus deſignari poteſt. Prim. eſt perfectorum: qui non ſolùm arctè continentur intra terminos diuinæ legis, regulæ promiſſæ, aliorumque præceptorum præſcriptorum, ſed de die in diem toto conatu ad perfectionem anhelant, eam quaſi infinitis bonis operibus propagando. Sec. imperfectorum, qui, licèt ſuam voluntatem Deo, ac regulæ conſecrarunt, promptè obſeruando ea, quæ ſub præceptum cadunt, multaque alia; non ita tamen tam veloci curſu progrediuntur per viam acquirendæ perfectionis, ſicut primi. Tert. infirmorum, ac debilium, qui ſæpè, ſeù per fragilitatem, ſeù per malitiam diuina præcepta, & vota infringunt, qui in paruo numero inter Religiones reformatas enumerantur, ita ordinãte diuina Prouidentia, vt ſuperiùs multis in locis dixi.

De his malis ſic loquitur Trith. Abb. epiſt. 14. pag. 951. *Habemus in Religione, quos imitemur, bonos. Habemus, per quos excitemur, malos; quorum primi ſunt fauendi, ſecundi tolerandi: ſuſcipit autem Religio infirmos, vt curet, non vt inficiat valentes: ſuſcipit etiam bonos, non vt mali fiant, conſorcio infirmorum, ſed meliores præcedentium exemplo proficiant:* & paulò inferiùs. *Poſtremò, charitatem tuam exhortor, vt Ordinem Religionis propter culpas paucorum non velis totum contemnere, ſed malorum potiùs non iudicatis infirmitatibus Ordinem propter bonorum exempla ſincera mentis affectione amare. Mihi crede, quoniam multos habet Religio bonos, quorum, ſi velis exempla ſubſequi, nulla prauorum admixtione poteris corrumpi, nam etſi multi ſint imperfecti, poterunt tamen in Religione ſalubriùs conuerſari; magna enim Religionis præeminentia eſt, quam nulla peruerſorum prauitas, de bonorum ſinceritate poterit excutere:* De vberrimo fructu, quem colligit Deus de his malis in Religionis bonum, ſic loquitur S. Bonau. in opuſc. tom. 7. circam regul. S. Franc. qu. 19. *Apoſtolus 2. ad Corint. c. 11. inter cætera virtutum ſuarum merita, quibus ſe miniſtrum Chriſti excellenter gloriatur, enumerat pericula in falſis fratribus, eò quòd ei, & alijs bonis multiplex ſit occaſio virtutis, ſcilicet quòd primò eorum praua exempla ſunt bonis tentationis materia, & ſic victoriæ cauſa. Item ſecundò, zelo iuſtitiæ circa eorum vitia accenduntur, & vruntur ſcandalis infirmorum. Item tertiò, eorum miſerijs compatiuntur, ſicut mater filio ad perditionem properãti. Item quartò, magis laborant bonis exemplis eos corrigere, & monitis, & orationibus, & beneficijs. Item quintò, diſtortos mores patienter tolerant, & iniurias, quas eis pro iuſtitia inferunt. Item ſextò, ex eorum contubernio deſpectiones ſuſtinent ab extraneis, quaſi ipſi ſint tales. Item ſeptimò, timidiores, ac perhoc humiliores ſunt, & ne cadant ſollicitiores ſunt. Item octauò, Deo magis referunt gratias, quòd eos ne tales eſſent, benignè defenderit. Item nonò, ex malis iuxta ſe poſitis, virtutes iuſtorum clariùs elucent, & pulchriùs fulgent. Iſta, & alia bona ſunt, quæ Deus elicit ex conſortio malorum tum bonis. Sicut enim accidentale gaudium bonorum cumulat*

*mulat viſa pœna damnatorum; ita etiam in Eccleſia quodammodò decorat rectitudinem iuſtorum, deformitas iniquorum, diſponente hoc ſuperna Sapientia, quæ nil inordinatum in omni Regno dimittit.* &c. hæc S. Bonau. vndè meritò S. Auguſt. in pſal. 92. *Neceſſe eſt, vt, ſi proficis, inter iniquos viuas.*

2. Not. ſec. inter DD. quæſtionem agitari: an Superior teneatur dare facultatem ſubdito per ſe, vel per alium eam petenti, vt abſoluatur à reſeruatis: duplex opinio aſſignatur à Suarez de pœnitent. diſp. 30. ſect. 4. ab Emin. Lugo de pœnitent. diſp. 20. ſect. 10. §. 10. num. 233. altera negatiua, pro qua citantur Nauarr. Victor. quæ fundari poteſt in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vt videre eſt apud Suar. vbi ſupr. ſimul etiam in rationibus, quia aliter nullius roboris eſſet reſeruatio, maximè ſi concederetur facultas ad inſtantiam Confeſſarij; nam finis reſeruationis eſt per ruborem, & verecundiam accedendi ad Superiorem coercere, & præcauere peccata, quia etiam Prælatus eſt legitimus Iudex, ſi per ſe vult iudicare cauſam, nulli facit iniuriam, præſertim ſi eſſet idoneus miniſter: altera eſt affirmatiua, quæ videtur deſumi ex D. Thom. opuſc. 19. & 4. d. 12. quæſt. 3. art. 3. quæſt. 4. ad 4. ſequuntur eius doctrinam Sot. Ledeſm. Silu. relati à Suar. loc. citat. qui ſimul eas reconciliat, vt in diſcurſu videbitur: fundamentum horum DD. videtur eſſe, quia hæc iuriſdictio datur in commodum, & vtilitatem pœnitentis, & non authoritatis Prælati; quarè quoties pœnitens petit facultatem abſoluendi, tenetur Superior infirmitati pœnitentis conſulere, qui renuit ſua peccata Prælato aperire; aliter exponit ſubditum periculo peccandi, aut non integrè confitendi.

Not. tert. dari multos caſus, in quibus tenetur Prælatus ex iuſtitia hanc concedere facultatem, vt ſi pœnitens meritò timeret reuelationem confeſſionis; vel Superiorem vſurum ea ſcientia in graue ſuum detrimentum, & in vſum externæ gubernationis; vel graues inimicitias cum eo geſturum; vel quia Prælatus non eſt idoneus ad ferendum in hac materia iudicium; vel ignorans eſt, & improbus, vt ſi loco medicinæ ſit ſcandalum allaturus. Ratio eſſe poteſt, quia pœnitens habet ius ad vſum talis ſacramenti, nec Superior poteſt cogere, vt pœnitens ſe exponat periculo grauis nocumenti; in hoc quidem cuncti DD. pro vtraque ſententia citati conueniunt, vt refert Suarez, eiſque adhæret vnà cum Lugo vbi ſupr.

*CONCLVSIO.*

3. PRudens Prælatus magis inclinare debet ad concedendam facultatem, vt pœnitentes abſoluãtur à reſeruatis, quàm ad eam negandam. Quæ concluſio non firmatur, quaſi poſſit verti in dubium, quòd magna facilitas non ſit concedenda illis pœnitentibus tam perfectis, quàm imperfectis, de quibus in 1. notand. ſi aliquandò, permittente Deo, ob maius eorum bonum, vt accidit in Petri negatione, labantur in aliquod peccatum reſeruatum, quia talis Prælatus rigore vtendo meretur authoritate priuari, eò quòd ipſi pœnitentes reſeruationis finem quotidiè in humeris timoris Dei ſecum portant, & pudor lapſus eſt illa medicina morbum medens, & relapſum præcauens; ſed firmatur ob debiles, & infirmos, qui, vt benè dicunt Lugo vbi ſupr. & Auerſa de Sacramento pœnitent. quæſt. 17. ſect. 4. ob nimium ruborem, & verecundiam non audent propria crimina Prælato aperire. Et prim. prob. authoritat. DD. optimè aliquorum Prælatorum rigorem confundentium. S. Thom. vbi ſupr. docet peccare Superiorem, qui ſe præſtat difficilem in hoc. *Quia*, iquit, *multi ſunt adeò infirmi, vt potiùs ſine confeſſione moriantur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur*: & deindè ſubdit: *vndè illi, qui ſunt nimis ſolciti, vt conſcientiam ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis inyciunt, & per conſequens ſibi ipſis*: & poſt pauca: *quamuis ex tali licentia nonnulla mali occaſio ſequatur, per eã tamen multis maioribus occurritur*: veſtigia D. Th. ſequitur Cordub. in reg. S. Franciſc. cap. 7. q. 2. punct. 2. exponens illa verba. *Si quis fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad ſolos miniſtros Prouinciales, teneantur ad eos recurrere*, &c. dicit ex mente Vgonis in cap. 7. reg. quòd, quamuis de reſeruatis nullus poſſit abſoluere iuxta regulam,

lam, niſi ipſe miniſter Prouincialis, cui reſeruantur peccata, tamen non eſt bonum, neque expediens negare, ſeù reſtringere talem poteſtatem abſoluendi à reſeruatis occultis, quia talis reſtrictio eſſet cauſa, vt ſubditi manerent in ſuis peccatis multo tempore, timentes ea confiteri miniſtris; ideò expedit, vt committant hanc ſuam authoritatem alijs fratribus, prout viderint expedite; & ita voluit Gregor. IX. in ſua declaratione, vt fieret: hæc Corduba: adhæret etiā Sotus diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 5. in 4. hiſce verbis: In facultate concedenda difficiles eſſe non debent Prælati, ſed ſic debent bono communi proſpicere, ne tamen grauiſſimam reddant confeſſionis Religionem, ſed circumſpectis perſonis, & doctis caſus ſuos committant: conſentiunt Suar. & Lug. vbi ſupr. Primus dicit: Regulariter loquendo Superiorē debere eſſe facilem potiùs, quàm difficilem in hac facultate concedenda, hoc etiam intendunt, addit, D. Thom. & alij DD. citati, eſtque veriſſimum, quia moraliter loquendo minus periculi eſt in concedenda hac facultate, quàm in illa neganda. Secundus inquit: In hiſce omnibus caſibus (ſcilicet ab ipſo aſſignatis) prudens Prælatus magis inclinare debet ad concedendam, quàm ad negandam facultatem, vt ſe ſuorum Superiorum intentioni magis conformet: vtrumque ſequuntur Filliuc. de confeſſ. tract. 7. cap. 10. num. 294. Reginald. lib. 8. num. 49. in praxi, & Caſpenſis tract 24. de pœnit. diſp. 6. ſect. 5. num. 28. tandem concludit Auerſa loc. citat. Regulariter loquendo debere eſſe Prælatum promptiorem ad concedendam facultatem, & ita conſtat ex communi vſu, & praxi ſeruari, eſtque adhuc vtilis reſeruatio, quia pœnitens ediſcendo requiri ſpecialem Superioris licentiam, & coactus eam expectare, atque ad Confeſſarium redire, hac ipſa difficultate, & labore cautio redderur, vt à peccatis abſtineat, nec plus ex Conc. Trid. colligitur. Percipite Prælati ea, quæ dicit Chryſoſt. hom. 43. in Matth. 23. & quæ ad rem noſtram reduci poſſunt. *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter miſericordiam rationem dare, quàm propter crudelitatem? vbi enim paterfamilias largus eſt, diſpenſatur non debet eſſe tenax; ſi Deus benignus eſt, vt quid Sacerdos eius auſterus? vis apparere Sanctus? circa tuam vitam eſto auſterus, circa alienam autem benignus; audiant te homines parua mandantem, & grauia videant facientem.* Confirmatur ex tot priuilegijs conceſſis à Pontificibus Religioſis, vt poſſint à reſeruatis abſque ſuorum Prælatorum licentia abſolui; & licèt Clemens VIII. per conſtitutionem editam ad inſtantiam Procuratoris Generalis Carmelitarum libertatem eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à reſeruatis, quam concedebant illa indulta, præſertim Bulla Cruciatæ, temperauerit, & totum hoc negotium mandauerint eſſe ſubiectum diſpoſitioni ſuorum Prælatorum; nihilominus præcipit, & mandat eiſdem Prælatis, vt in vſu huiuſmodi poteſtatis ſe cum ſubditis benignos, & faciles exhibeant; imò in decreto vniuerſali pro Regularibus de caſibus reſeruatis pro rationibus mouentibus ipſum Pontificem, ad releuandum pœnitentem ab onere comparendi coram Superiore, vt abſoluatur à reſeruatis modo ibi deſignato, adducuntur & Prælatorum rigor, & aliquorum ſubditorum infirmitas: & Paul. V. in adiuncta declaratione ad decretum Clementis VIII. declarat, quòd, ſi Prælatus licentiam negauerit Confeſſario petenti pro pœnitente abſoluendo à reſeruatis; nihilominus Confeſſarius pro illa vice eidem pœnitenti beneficium abſolutionis impendere poſſit; quæ dictio, pro illa, non ſolùm debet intelligi pro vna vice tantùm, vt contendit Homobon. tom. 1. conſult. p. 4. reſp. 33. & refert Diana p. 3. tract. 2. reſol. 126. ex Tamburin. tom. 2. de iure Abbatum diſp. 16. num. 3. ſed probabile eſt, quòd intelligatur pro pluribus vicibus, ideſt quoties negatur facultas abſoluendi, eò magis ſi admittatur poſſe hominem vltra vnam vicem lucrari Iubilæum, in quo tamen poni ſolet ſimilis clauſula pro hac vice, vt cum alijs citatis probabile cenſet Diana p. 1. tract. 17. reſol. 49. & Iacob. Granad. de pœnit. tract. 10. diſp. 7. maximè quia in Iubilæo ponitur dictio pro hac, quæ eſt taxatiua, & in declaratione decreti pro illa; vndè magis videtur reſtringere dictio iſta, hac, quàm dictio, illa. Ita Alphonſ. Leon. tom. 2. de offic. Confeſſar. recoll. 6. num. 178. adhæret Baſſæus Capucc.

ſumm. tit. caſus reſeruat. n. 19. quarè verus ſenſus illius clauſulæ videtur eſſe, quòd, denegata facultate à Superiore nequeat Confeſſarius vltra vnam vicem pœnitentem abſoluere, ſi tamen pœnitens iterum cadat, & ruat in reſeruatum, & denuò recurratur ad Prælatum pro facultate, quæ iterum denegatur, iterum abſolui poteſt, non obtenta facultate, & ſic ſemper pro ſingulis vicibus. Ita Bordon. to. 1. var. reſ. 39. n. 50. quem citatum ſequitur Auerſa vbi ſupr. igitur ex tot authoritatibus clarè apparet Prælatos debere inclinare in benigniorem partem. Secund. ſuadetur rationibus: quandò medium extremorum difficiliter nequit haberi, conſcientia cogit ad illam partem eligendam, quæ faciliùs vetat peccatum, dum regula non habetur, quę contrariam partem ſecurè eligere præſtet: at in facilitate, & in rigore concedendi prædictam facultatem difficilè inuenitur medium, & in extremo rigoris faciliùs committitur peccatum, quàm in altero extremo, vt dixi ex mente Suar. vbi ſupr. & modò ex ſenſu Lug. vbi ſupr. confirmo: In vtroque enim, inquit, idest in nimia facilitate, vel nimia ſeueritate facilè poteſt peccare Prælatus, ſed faciliùs in ſeueritate, & rigore: ergo Prælatus à conſcientia inſtructus inclinare debet in benigniorem partem. Addo, quòd magis nocet Religioni peccator, qui ſordeſcit in peccatis, & in longum protrahit confeſſionem, & Sacramentis abutitur, quàm centum pœnitentes, qui ſpe veniæ, ae facilitate obtinendi facultatem ſe præcipitant in reſeruata, quia, vna oue putrida data, centū ad eius exēplum marceſcunt, maximè in genere debilium, ac infirmorum, de quibus præſertim eſt ſermo, & nil videtur magis horrendum, quàm Sacramentis abuti: ergo ad obſtandum huic maiori malo, quod oboriri poteſt ex rigore, in facilitatem inclinandum eſt, tanquam in partem benigniorem.

Aduertāt Prælati, quòd pro cauſa cōcedendi faciliùs facultatem ſat eſt nullam ſpecialem cauſam occurrere ad eam negandam, vt benè notat Filliuc. loc. citat. n. 294. & colligitur ex Lug. vbi ſupr. quòd, ſi videatur Prælato ſubeſſe cauſam iuſtam eam concedendi, puta, ſi timeatur graue damnum ſpirituale ſubditi, ſi facultatem neget, quamuis illud nocumentum ex proprio eius defectu euenturum ſit, quia reticebit aliquod peccatum in confeſſione, tardabit confeſſionem nimium, arripiet occaſionem peccandi, tenetur ex charitate inquit Suar. vbi ſupr. imò ex iuſtitia ratione officij aſſumpti, ait Lugo vbi ſupr. dare eiuſmodi licentiam, quia poteſtas non eſt data in detrimentum, ſed in ſubditorum vtilitatem.

Limitanda videtur concluſio, quòd, ſi peccatum tale ſit, vt vergat in damnum cōmunitatis, vel tertiæ perſonæ, cui Prælatus remedium, ſeruato ſigillo, adhibere poterit, & non alius, non poteſt, nec debet Superior, vt inquiunt Suar. & Filliuc. vbi ſupr. dare facultatem: hoc tamen præ oculis ſemper habendum eſt, ait Lugo, quòd in dubijs ſemper in benigniorem partem eſt inclinandum, ad quam decreta Pontificum, præſertim Clementis VIII. inclinare, & ducere videntur, quarè, niſi conſtet de graui pœnitentis, & aliorum damno, videtur concedenda facultas, ſemper tamen prudenti Confeſſario, qui vtiliter poſſit animæ pœnitentis conſulere.

Dices, ſi Superior magis debet inclinare in partem concedentem, quàm negantem, nullius roboris putanda eſt reſeruatio, quia intantum reſeruatur authoritas, inquantum æſtimatur medium opportunum, & congruum ad præcauenda peccata. Reſp. ex Suar. Filliuc. Lug. & Baſſæo vbi ſupr. tunc eſſe denegandam facultatem in caſu particulari, quandò moraliter timetur, ne futura ſit vtilior pœnitenti: pōderet ergo Prēlatus vtramque partem, & damnum pœnitentis tam ex facilitate, quàm ex rigore oriturum; in generali tamen ſemper eſt inclinandum in benigniorem partem.

Dices, iſta facilitas nequit eſſe in Religionis vtilitatem, quia multi infirmi ſpe facilitatis arripient occaſionem ruendi in reſeruata. Reſp. quòd hoc videtur eſſe illa Syrtes in alto mari regiminis occulta, in quam multi, & multi Prælati in nocte nimij zeli abſque debita ſcientia, & prudentia naufragantur, & à nimio rigore ſubmerguntur, trahendo ſecum infirmiores, ac debiliores, ignorando doctrinam D. Thomæ docentis, quòd non eſt bonum in toto Mundo, quo creatura humana abuti non poſſit, ſiquidem etiam

etiam Dei bonitate abutitur, ignorando quoquè, vt dixi ſuperiùs, magis nocere congregationi peccatorem Sacramentis abutentem, quàm centum pœnitentes intuitu facilitatis, & ſpe abſolutionis in peccata ſe præcipitantes; ideò dicitur cum S. Thom. vbi ſupr. quòd, quamuis ex tali licentia nonnulla mali occaſio naſcatur, per eam tamen multis maioribus occurritur. Prælati, qui zelo vti intendunt, memoriæ tradant ſẽtentiam D. Bernard. in cant. ſerm. 49. *Zelus minùs abſque ſcientia efficax, minùſque vtilis inuenitur, plerumque autem & perniciosus valdè ſentitur: quò igitur Zelus feruidior, vehementior ſpiritus, profuſiorque charitas, eò vigilantiori opus eſt ſcientia, quæ Zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem.* & Abb. Trithem. lib. de ruin. monaſt. Ordin. c. 8. *Zelus ſine ſcientia erit nimius, & indiſcretus, & ſine pietate odioſus.*

Dices, non videtur vtile Religioni inclinare in partem benigniorem, & dare licentiam ſubdito, quia aliqui obfirmato animo nolunt adire Superiorem, eſto facultatem neget; vndè non videntur diſpoſiti ad confeſſionis ſacramentum; nam illud firmum propoſitum non adeundi Superiorem, denegata facultate, eſt graue peccatum. Reſp. ex mente Lug. vbi ſupr. hoc argumentum nimiùm probare; reprobaret enim praxim Prælatorum, imò ipſius ſummi Pontificis, qui ad ſubueniendum infirmitati ſubditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti integrè confiteri, & hac de cauſa confeſſionem ſacrilegam faciunt, mittere ſolent aliquandò Confeſſarios extraordinarios cum plena poteſtate abſoluendi, vel per Iubilæum, aut Bullam, vel alio modo concedunt ſubditis facultatem eligendi Confeſſarium cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis, in quibus procedit eadem difficultas; nam illi ſubditi non videntur poſſe tunc facere confeſſionẽ validam ex vi talis facultatis, cum eis deſit diſpoſitio debita, nempè propoſitum ſeruandi illud Chriſti præceptum, quod de facto non ſeruatur, nec ſeruaretur, niſi hanc facultatem habuiſſent: hæc Lug. quarè reſpondendum eſt facultatem illam poſſe prodeſſe ſubdito. Prim. quia ſubditi illi fortè nondum decreuerunt non obſeruare præceptum, caſu quo à Superiore denegaretur facultas, ſed ob difficultatem vacillant, inſtando iterum, atque iterum pro facultate obtinenda; vndè Prælatus debet porrigere manum, & ſuccurrere ruinæ vacillantium, & adhibere remedium eis facultatem concedendo, priuſquàm præcipitentur in illud magnum incommodum reticẽdi peccatum in confeſſione, & Sacramentis abutendi, quod cedit in magnum Religionis detrimentum, & dato ſemel vno ſacrilegio, maxima cum facilitate alia reiterantur. Secund. licèt iam ſubditus decreuerit obfirmato animo à Superiore beneficium abſolutionis nõ recipere, & ad aliam abſolutionẽ nõ ſit diſpoſitus, adhuc prodeſt facultas conceſſa, quia, illa obtenta, animo tranquillo ſe poteſt diſponere, & habere dolorem etiam de illa culpa cum propoſito neceſſario ad ſacramenti valorem; faciliùs enim proponit pœnitens propoſitum in genere, & circa difficultatem non præſentem, nec explicitè propoſitam, quàm diſtinctè circa obiectum præſens arduum. Ita colligitur ex Suar. & Lug. vbi ſupr. qui addit hæc verba: Fateor tamen periculum plerumque eſſe, ne pœnitens careat diſpoſitione debita, quia proximè antea nolebat obſeruare Chriſti præceptum de confeſſione præmittenda Prælato, & data licentia, alteri confitetur; quarè accuratè diſponendus eſt, & ſuauitate trahendus à Confeſſario ad verum dolorem, & propoſitum concipiendum; ſufficit tamen generalis dolor, & generale propoſitum de omnibus peccatis commiſſis.

4. Pro fine quæſiti duo ſunt notanda. Prim. non teneri Superiorem dare facultatem generalem ſubdito, vt eligat Confeſſarium, quem voluerit, neque eligere illum propoſitum, licet idoneum, à pœnitente, ſed poteſt illam committere alteri, prout iudicauerit expedire ad bonum pœnitentis; verùm tamen eſt, quòd Prælatus non debet eſſe difficilis ad concedendam facultatem Sacerdoti poſtulato à pœnitente, quandò vel ſubditus eſt prudens, & timoratus, & Sacerdos re vera eſt idoneus, imò aliquãdò erit neceſſarium iuxta regulas ſuperiùs datas, quæ hic applicari poſſunt. Ita Suar. loc. citat. & partim Auerſa vbi ſupr. qui addit, quòd, Prælatus poteſt præfigere certa remedia, &

taxare

taxare certas pœnas, quas Confeſſarius iniungere debeat; poterit etiam interrogare, quodnam ſit peccatum, de quo licentia poſtulatur, & non ſiſtere in ſola generali notitia, quandò non adeſt periculum detegendi pœnitentem.

Sec. quòd, ſi Confeſſarius petat licentiā à Superiore pro ſubdito particulari, poteſt eum abſoluere à reſeruatis commiſſis poſt obtentam licentiam pro prima vice: ſecus ſi talis poteſtas fuerit poſtulata, & obtenta ab ipſo pœnitente. Ita Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 12. nu. 9. Leon. vbi ſup. tom. 2. recollect. 11. nu. 183. ſine limitatione tamen docent doctrinam Dian. par. 4. tract. 4. reſol. 109. Bonac. & Præpoſitus apud Lugo inferiùs, qui eam admittit in caſu ab ipſo propoſito: tandem Leon. recollect. 6. n. 131. cum Floton. de caſ. reſeru. cap. 3. §. 1. n. 1. notat, quòd Confeſſarius, ſi petat facultatem à Superiore pro vna perſona, vti ea poſſit pro ſua perſona; cautè tamen hoc eſt faciendum, & videantur Lugo vbi ſup. ſect. 8. & Diana par. 3. de ſacram. reſol. 142. & par. 8. tract. 7. reſol. 91.

## DVBIVM XCVI.

*Nonnullarum Religionum praxis videtur eſſe; vt facultas abſoluendi à reſeruatis committatur Confeſſarijs deputatis pro quocunque peccato non reſeruato, cum onere tamen, vt pœnitens à reſeruato abſolutus compareat coram Superiore; vel ſi videbitur expedire, onus comparendi ſuſcipiatur à Confeſſario abſoluente: quæritur, an iſte modus cenſeatur conueniens: an pœnitens teneatur ſub mortali ſe præſentare Superiori: & an Confeſſarius debeat eſſe facilis ad ſuſcipiendum onus comparendi pro pœnitente.*

## SVMMARIVM.

1. *Eccleſia nequit imponere onus iterum confitendi peccatum ritè confeſſum, de conſenſu pœnitentis poteſt: confutatur quædam doctrina Emin. Lugo aſſerentis Prælatū regularem abſque conſenſu ſubditorum poſſe præcipere huiuſmodi onus.*

2. *Poteſt Prælatus regularis ſuam facultatem abſoluendi à reſeruatis concedere Confeſſario cum onere, vt abſolutus recipiat in ſe onus comparendi coram ipſo Prælato.*

3. *Huiuſmodi onus non eſt imponendū tanquam pœna in ſatisfactionem peccatorum, quia de facili poſſet tolli.*

4. *Approbatur tanquam licita, & conueniens praxis illarum Religionum concedentiū Confeſſarijs deputatis in locis ad recipiendas confeſſiones facultatem abſoluendi à reſeruatis cum onere, vt abſolutus compareat coram Superiore.*

5. *Huiuſmodi onus comparendi obligat ſub mortali: deſignantur aliquæ cauſæ, quibus pœnitens abſoluitur ab onere ſuſcepto.*

6. *Accedente cauſa, debet eſſe facilis Confeſſarius ad ſuſcipiendum onus comparendi coram Superiore pro ipſo pœnitente.*

7. *In Superiore concedente faciliùs facultatem abſoluendi à reſeruatis ſufficit pro cauſa non habere cauſam eam denegandi; & in Confeſſario delegato requiritur cauſa poſitiua: & ſoluuntur duæ obiectiones.*

1. Not. prim. quòd nequit imponi præceptum etiam à Superiore Eccleſiaſtico, vt peccata ſemel ritè confeſſa ſiue Prælato, ſiue cuiuis alio Confeſſario iterum confiteantur: Ita Palúdan. Almain. Nauarr. Ledeſm. Durand. Ioann. Medina, S. Thom. quos citatos ſequitur Vaſquez in 3. part. quæſt. 91. art. 3. dub. 3. num. 9. & licèt art. 1. partim in contrariam opinionem Maioris, & Adriani, & aliorum ab ipſo relatorum inclinauerit; attamen art. 3. vt dictum eſt, eam reformauit: adhærent Suar. in 3. part. diſp. 22. ſect. 7. num. 8. Emin. Lug. de pœnit. diſp. 15. ſect. 6. §. 2. num. 93. Ratio Lug. eſt, quia ſi Chriſtus non præcepiſſet confeſſionem omnium peccatorum, nec Eccleſia potuiſſet hoc præcipere, eò quòd ſit res nimis grauis, & difficilis excedens poteſtatem Eccleſiæ; & ſi confeſſio peccatorum non haberet ex Chriſti inſtitutione annexam pecca-

torum veniam, eſſet grauiſſima: ergo, cum non ſit Chriſti præceptum latum de iteranda confeſſione peccatorum ritè abſolutorum, nec Eccleſia hoc poteſt ob difficultatem, & grauitatem rei imponere; aliàs ſi poſſet hoc, & illud, cum non videatur maior ratio. Sec. quia de ratione legis eſt, vt ſit ſecundum rationem tolerabilis, nullum dubium videtur, quin, ſi hoc præciperet, cum ſit res grauiſſima, excederet legis rationem: ergo. Tert. quia ſicut Eccleſia nequit mutare materiam neceſſariam Sacramenti; ita nec facere materiam neceſſariam ſacramenti, quæ ex inſtitutione Chriſti non eſt neceſſaria: ſed ſi bis præciperet peccatorum confeſſionem, efficeret materiam neceſſariam Sacramenti, quæ tanquam neceſſaria non fuit à Chriſto impoſita: ergo nec Eccleſia, nec alius Prælatus inferior huiuſmodi onus imponere poſſunt. Subdit tamen Nauarr. ſumm. cap. 9. num. 1. & in cap. Placuit de pœnit. diſtinct. 6. à num. 116. vſque ad 119. ſimul cum alijs tacito nomine relatis ab Em. Lug. vbi ſupr. num. 98. tale onus poſſe imponi de conſenſu pœnitentis; & ita reſpondet ad ſtatutum Ciſtercienſium, quo præcipitur, vt Religioſi, qui intra annum Confeſſario ordinario confeſſi fuerint, debeant in fine anni eadem peccata ſuo Abbati confiteri, quod deinde fuit à duobus Pontificibus confirmatum, tale ſtatutum non obligare ex mera authoritate Superiorum, ſed ex conſenſu inferiorum Religioſorum acceptantium illud, vel pacto tacito, vel expreſſo: quæ doctrina non placet Lugo vbi ſup. num. 98. nam aſſerit talem conſtitutionem potuiſſe prouenire ex Prælatorum authoritate abſq; conſenſu ſubditorum, quia Religioſorum perfectio concedit, poſſe condi ſtatutum obligans ad bis repetenda eadem peccata in confeſſione, & adducit quandam regulam ſuæ Religionis imperantem, vt ſubditus manifeſtet totam ſuam cõſcientiam bis, aut ſemel in anno Superiori, ita vt nihil graue ipſum lateat; imò addit tale medium eſſe ſuæ Religioni tanquam vnum ex magis ſubſtantialibus, & neceſſarijs ad finẽ proprij inſtituti: fateor me non intelligere fundamentum doctrinæ tanti viri; nam paulò ante docuit Eccleſiam non poſſe præcipere ſecundam confeſſionẽ eorumdem peccatorum; imò nec potuiſſe imponere præceptum confeſſionis, niſi priùs haberetur præceptum à Chriſto Domino: cum ergo poteſtas Prælatorum Regularium, vt vult Suar. 4. de Relig. tract. 8. cap. 1. num. 7. cum DD. cõmuniter emanet à Summis Pontificibus Religiones approbantibus, quomodò eorum Prælati huiuſmodi conſtitutionem ſtatuere poſſunt, ſi Eccleſia eis nequit talem authoritatem tradere? addo præſertim pro ſtatuto eius Religionis, quòd nulla poteſtas humana habet iuriſdictionem ſupra actus merè internos, vt omnes DD. fatentur; quomodò Prælati potuerunt obligare ſubditos ad manifeſtanda ſua peccata purè interna Superiori, niſi ſubditi tacitè, vel expreſsè talem obligationem acceptent.

2. Ex doctrina Nauarr. & aliorum ſequitur ſecund. not. nimirum poſſe Prælatum ſuam facultatem abſoluendi à reſeruatis delegare ordinario Confeſſario cum onere, vt abſolutus ſuſcipiat obligationem comparẽdi coram Superiore. Ita Henriq. quodlib. 1. quæſt. 31. & quodlib. 10. quæſt. 1. Maior. 4. 17. quæſt. 6. Adrian. in 4. mater. de cõfeſſ. quæſt. 5. §. ideò pro ſolut. Angel. tit. conf. Nauarr. ſumm. cap. 9. num. 1. & cap. 26. num. 12. Coninch. de pœnit. diſp. 8. dub. 15. Hurtadus de pœnit. diſp. 11. diffic. 11. Lugo vbi ſupr. diſp. 15. ſect. 6. num. 100. Suar. vbi ſupr. diſp. 30. ſect. 5. nu. 8. multùm tamen laborant hi authores in aſſignanda ratione, qua id fieri poſſit, vt videre eſt apud Coninch. vbi ſupr. ſed verum fundamentum ferè omnium DD. eſt, quia hoc fit ex conſenſu tacito ſubditorum; datur enim facultas illa Confeſſario à Prælato cũ pacto mutuo, quo pœnitens vtendo illa facultate ſe obligat ad comparendum coram Superiore; verùm tamen eſt, quòd, ſi ignorabat tale onus, eo non remanet obligatus, vt ſentit Coninch. ſed meliùs Lugo: Quãuis, inquit, fortaſſe ignorabat talem conditionem, tamen tacitè hoc ipſo, quòd vult validè abſolui, cenſetur acceptare illam cõditionem, ſine qua non intendebat Prælatus illam abſolutionis facultatem concedere. Scio, aliquos modernos Theologos negare poſſe facultatem concedi ſub hoc onere,

corum te,

re, quod ſi fiat, aſſerunt tamen confeſſionem ex vi talis facultatis factam eſſe validam; referuntur etiam pro iſta opinione nonnulli Theologi antiqui, vt videre eſt apud Suarez vbi ſupr. cum opinionis confutatione.

3. Not. tert. quòd, ſi huiuſmodi onus imponeretur tanquam pœna in ſatisfactionem peccatorum (quod non eſt admittendum) maxima cum facilitate poſſet tolli; nam pœnitentia illa ſemel impoſita, & acceptata poteſt commutari ab eodem, vel alio Confeſſario iuxta aliquorum ſententiam, ſaltem auditis iterum eiſdem peccatis, imò à Confeſſario non habente facultatem à reſeruatis, vt docent Vaſq. Fernand. Valer. quos citatos ſequitur Diana p. 1. tract. 1. miſcell. reſol. 53. Adde cum Lugo vbi ſupr. num. 96. poſſe per indulgentias plenarias tolli, præſertim quandò non fuiſſet impoſitum per modum medicinæ; imò, eſto eſſet impoſitum per modum medicinæ, adhuc poteſt tolli in ſententia Bonac. de Sacram. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 8. punct. 3. n. 5. & Dian. vbi ſupr. reſol. 137. dummodò fiat rationabili cauſa, & pœnitentia illa præſeruatiua in aliam præſeruatiuam commutetur.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. Praxis nonnullarum Religionum, vt Prælati Confeſſarijs deputatis pro ſpirituali locorum regimine concedant facultatem abſoluendi à reſeruatis pœnitentē cum onere, vt abſolutus compareat coram Superiore, eſt licita, & multūm conueniēs. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſatis probata cenſetur ex prim. & ſec. not. addo etiam, abſolutiones ſupra peccata iam ritè confeſſa, ſi denuò confiteantur, poſſe reiterari: ergo ad onus denuò repetēdi peccata coram Superiore, interueniente conſenſu pœnitentis, poteſt eſſe obligatio; & hæc quidem cenſenda erit adeſſe, quotieſcumque pœnitens petit abſolutionem à reſeruatis ab inferiori; nam qui vult antecedens, neceſſariò obligatur ad illud, quod ex neceſſitate ſequitur ex antecedenti: & ita Suar. vbi ſupr. inquit, hanc ſententiam ſic explicatam eſſe ſine dubio valdè probabilē propter fundamentum, & propter tot DD. authoritatem, & magna ex parte ſufficere ad defendendum vſum talis facultatis, & ad omnem effectum per illam intentum; quarè non eſt audiendus Paludanus vbi ſup. qui dicit, licèt iſte modus ſit probabilis, nō tamen eſſe conuenientem, non quia Eccleſia id ſtatuere non poſſit, ſed quia iuxta communem ritum non ſeruatur; & etiam quia fruſtra audiret, ex quo abſoluere non poteſt; eſto Eccleſia id non habeat in vſu in ſuis reſeruationibus, ſeù facultatibus Pōtificijs, quæ totam Eccleſiam reſpiciunt; ideò eſt, inquit Suarez num. 13. quia illa peccata ſemper habent annexam cēſuram; vndè huiuſmodi onus comparendi præcipuè videtur eſſe ratione cenſuræ; & quamuis admittatur tale onus non conuenire vniuerſitati Eccleſiæ, non ideò concluditur nō eſſe conueniens pro Religioſis maiorem perfectionem profitentibus; nam, experientia duce, cum magno fructu, & ſine incōmodis ad praxim reducitur: illud deniquè, quod Paludanus ſubdit fruſtrà audiri, ex quo abſolui non poteſt, non ſubſiſtit, quia in tali modo & ſuauitas, & rigor neceſſarius in tali materia habentur. Prim. eò quòd à quocumque Confeſſario abſque alia difficultate pœnitens poteſt abſolui abſque eo, quòd ſtatim teneatur Superiorem adire. Sec. quia multi ſi non amore virtutis, ſaltem timore ſe præſentandi coram Prælato ſe à culpis abſtinebunt, & ita rigor diſciplinæ ſeruatur tali medicina præſeruatiua: & eccè dictum Paludani nullius roboris, & ſecundā partem concluſionis (nimirum quod ſit conueniens) probatam; maximè quia talis præſentatio vtilis eſt, & cum fructu, & ex ea nullum habetur incommodum, cum onus comparendi ſpontè, & non coactè ſuſcipiatur.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. Communiter Theologi aſſerunt tale onus comparendi obligare pœnitentem ſub mortali. Ita Adrian. Medin. Henriq. Paludan. Suar. quos citatos ſequitur Coninch. vbi ſupr. num. 114. Hurtad. de pœn. diſp. 11. diff. 11. & Geſualdus de ſacram. part. 1. tract. 23. cap. 2. num. 35.

Vu 2 nam

nam videtur eſſe res grauis, & multùm pertinens ad ſeruandum rigorem regularis diſciplinæ, & in bonum animæ pœnitentium, nec non & boni communis, eò quòd magis retrahat homines à peccatis; vnde Caſpenſ. de pœnit. tract. 24. diſp. 6. ſect. 5. nu. 24. inquit pœnitentes teneri ſub mortali comparere, ſtatim ac habent opportunitatem; conſentit Bordon. conſil. Regular. reſol. 37. num. 25.

Aduertendum tamen eſt, quòd ſunt aliquæ cauſæ, per quas pœnitens eximitur à tali onere ſuſcepto; cunctæ illæ, quæ excuſant hominem ad reticenda aliqua peccata in confeſſione, vt videre eſt apud Bonac. de pœn. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 4. nu. 11. liberant quoque pœnitentem à tali onere, quia, ſi liberant ab eo, quod eſt de iure diuino, nempè ab integritate confeſſionis, quantò magis ab eo, quod non fundatur in tali iure, ſed in fidelitate: prætereà, omnes illæ, quæ de rigore iuſtitiæ neceſſitant Superiorem, & oriuntur ex parte ipſius ad concedendam facultatem ſubdito petenti, de quibus dixi in præcedenti quæſito, & modò repeto ex mente Coninch. vbi ſup. nu. 108. ſcilicet, quandò probabiliter timetur reuelatio ſigilli; aut timetur, ne Superior concipiat graue odium aduerſus pœnitentem; aut vtatur tali ſcientia in ordine ad regimen cum damno inferioris, &c. hæc, inquam, eximunt pœnitentem à tali onere, quia ſi cogunt Prælatum ad liberam concedendam facultatem, tantò magis cogere eum debent ad relaxandum tale onus, & toties intelligitur relaxatum, quoties aliqua ex cauſis aſſignatis inſurgit, quia ſicut tacitè firmatur pactum, ita tacitè diſſoluitur: Verùm hæc relaxatio nequit fieri à Confeſſario, quia eius authoritas eſt delegata cum onere præſentationis; ſpectat enim ad pœnitentem recognoſcere cauſam, ſeù ad Confeſſarium tanquam conſiliarium, ſi eius conſilium à pœnitente petatur, vt iuſtè fiat relaxatio.

*TERTIA CONCLVSIO.*

6. Cauſa interueniente, Confeſſarius debet eſſe facilis ad abſoluendum pœnitentem à reſeruatis ſuſcipiendo onus comparendi coram Superiore pro ipſo pœnitente. Quæ concluſio, adhibita illa diſtinctione de perfectis, imperfectis, atque infirmis, ſuadetur eiſdem argumentis vt ſupr. in præcedenti quæſito, cum ſit eadem ratio. Adde, conditiones in contractu etiam tacitas inter ſubditum, & Superiorē eſſe obſeruandas, inter quas enumeratur huiuſmodi facilitas; vel contractus ſit initus cum tota Religione in genere, quia ipſo nullo modo intendit grauare Confeſſarios, vt ſequendo rigorem magis ſe exponat periculo peccandi, vt dicebam in præcedenti quæſito, quia etiam vt ait Lugo vbi ſupr. diſp. 20. ſect. 10. §. 4. Prælatus adeò ſtrictè non tenetur ad procurandum maius bonum ſubditi, ſicut tenetur ad impediendum eius graue damnū, præſertim quandò id nō poteſt fieri abſque nota ſeueritatis, quam vitare aliundè eſt ſatis vtile, quod probabiliter timeri poteſt, quia tractatur de hominibus in tertio genere deſcriptis vbi ſupr. eò quòd ſicut faciles ad ſe præcipitandos in reſeruata cognoſcuntur; ita poteſt timeri, ne ducti à Confeſſarij rigore præcipitentur in Sacramentorum abuſionem, quod eſt illud ſummum malum præcauendum in Religionibus, de quo allegunt DD. Religioſos in illud lapſos difficilè corrigi, & emendari; vel celebretur quotidiè cum pœnitente, qui tali abſolutione indiget, quia pro parte ſubditi eſt multùm oneroſus, ita vt nec Eccleſia tota ſine eius conſenſu queat tale onus imponere; nec vtitur beneficio decreti Clementis VIII. pro Regularium reſeruatione alleuantis onus comparendi coram Superiore; nec declaratione Pauli V. quæ concedit Confeſſario, cui eſt denegata licentia abſoluendi pœnitentem à Prælato, pro illa vice, authoritatem eum abſoluendi, nec doctrinali intelligentia DD. explicantium diſtinctionem pro illa, quæ omnia arguunt in contractu facilitatis conditionem: ergo Cōfeſſarius magis inclinare debet ad ſuſcipiendum onus comparendi coram Superiore pro pœnitente, quàm ad illud relinquendum apud eum.

7. Verùm tamen eſt, quòd in Superiore concedente faciliùs facultatem abſoluendi requiritur cauſa, & ſufficit pro cauſa non habere cauſam iuſtè eam denegandi, at in Confeſſario delegata deſideratur cauſa poſitiua,

eò

eò quòd cum tali onere fruitur facultate; quæ cauſa non cenſetur adeſſe, quandò Confeſſarius nequit prouidere occaſioni proximæ relabendi, ſed tantùm Superior; in tali enim caſu pœnitens pro abſolutione à reſeruatis mittendus eſt ad Superiorem; nec etiam ſufficit pro cauſa communis verecundia pœnitentium, quam ſecum fert confeſſio, vt aduertit Fagund. in 1. præcept. Decal. cap. 45. ſed debet eſſe nimia, vt rectè notat Nauarr. in cap. placuit num. 14. Solam verecundiam, inquit, nimiam pœnitentis aliquandò eſſe ſufficientem cauſam, vt hæc facultas danda ſit; cuius doctrinæ adhæret Suarez vbi ſupr. aliàs nihil operaretur reſeruatio, cum lex ſemper debeat explicari, vt aliquid operetur; nec explicatio doctrinæ Nauarri à Coriolano de caſ. reſeruat. p. 1. ſect. 1. a. 17. facta videtur eſſe alicuius momenti, dum dicit erubeſcentiam debere eſſe tantam, vt pœnitens vereatur, ne ſe in periculo tacendi aliquod peccatum, vel aliquam eius circunſtantiam neceſſariò confitendam conſtituat, quia nulla eſſet facilitas, nam Prælatus tunc tenetur ex charitate, & iuſtitia concedere authoritatem, vt dixi in præcedenti quæſito.

Audite, quæſo, ea, quæ dicit Gerſon. 2. part. in epiſt. ad quemdam de verecundia. Denique, inquit, quid prodeſt? & certè obeſt plurimùm addere verecundiam ſuper verecundiam, onera grauia ſuper onera, & difficultatem confitendi talia peccata ſuper difficultatem, quæ tanta eſt, vt vix credi poſſit, & hoc præcipuè quandò peccatum ſecretum eſt, & tale, vt author perpetuò celaturus ſit ipſum, ſi velit, vt nec Epiſcopus, nec alius indè punitionem, vel notitiam inueniat; ſi dicas, talis, ſi non reuelet, damnabitur, fatemur, quidem, ſed obuiandum eſſet huic damnationi omnibus modis potiùs, quàm addenda occaſio: nunquid non requiretur ſanguis, & damnatio ab illis, qui occaſionem dederunt, præcipuè Prælatis maioribus? ſic certè, & iſtis ſatiſfacient pro iſto vſque ad vltimum quadrãtem euntes in eandem damnationem; cum ſint Prælati ad ſaluandum gregem Domini poſiti, & ad paſcendum, non occidendum, aut ſcandalizandum; vndè S. Antonin. 3. part. tit. 17. cap. 11. ex mente Guilielm. Pariſienſ. dicit, non expedire vtilitati communi reſeruare tot caſus, ſed hoc eſt ponere laqueos in via ſalutis.

Audite etiam ea, quę profert Crouſers in reg. S. Franciſc. c. 7. Multi, ait, per tam rigidam occultorum reſeruationem illaqueantur, dum ſcelera conſcientiæ ſuæ Prælatis aperire nõ audent; vel ſi aliquandò ſuperent hanc verecundiam, continuis tamen ſuſpicionibus agitantur, ſibique ſæpius perſuadent Superiorem vti cognitione, quam habet de eorum conſcientia, ſeque ſiniſtro oculo ab eo aſpici.

Dices, ſi Confeſſarius debet eſſe facilis ad ſuſcipiendum onus comparendi coram Superiore pro pœnitente, nullius roboris videtur eſſe reſeruatio tam neceſſaria pro rigore diſciplinæ regularis conſeruandæ. Reſpond. ſolutionem eſſe petendam à Summis Pontificibus, qui ſæpè, ac ſæpius præcipiunt, vt Prælati ſint faciles ad remittendam hanc obligationem; à Clemente VIII. qui tam fauorabile decretum pro pœnitentibus indulſit; & à Paulo V. qui id ampliauit, & non à rigidis verbis Prælatorum loquentium ſæpè ſine ſcientiæ fundamento: attamen dico, duplex malum in hac materia aſſignari, cui tenentur obſtare Prælati; alterum eſt, quod oritur ex Confeſſarij facilitate abſoluendi, ſuſcepto onere comparendi pro pęnitentibus, nempè reincidentia ipſorum pœnitentium: alterum verò eſt, quod oboritur ex rigore nõ ſuſcipiendi onus, nempè Sacramentorum abuſio à debilibus, & infirmioribus, de quibus loquimur, cum aliorum infectione; & cum iſtud ſecundum ſit malum maius primo, vt dixi ſuperiùs, proindè Confeſſarius loco Pręlati abſoluens tenetur facilitate obſtare ſecundo malo maiori, ſequens veſtigia ſummorum Pontificum, qui Prælatis præcipiunt facilitatem ad obſtandum imbecillitati multorum, qui ob verecundiam aperiendi peccata Superiori ſordeſcere in eis poſſunt cum Sacramentorum abuſione. Ita colligitur præſertim ex decreto generali Clementis VIII. pro reſeruatis, & S. Thom. hanc veritatem cognoſcens dixit ſuperiùs: *Quamuis ex tali licentia nonnulla mali occaſio naſcatur, per eam tamen multis maioribus occurritur*. Verùm aduertant Confeſſarij, quòd taliter ſe gerant,

rant, ne reddant reſeruationem fruſtratoriam, eamque ad nihilum redigant.

Dices, poteſt facilitas damnificare pœnitentem, qui obfirmato animo non adeundi Superiorem, ſæpè poteſt accedere ad Sacramentum pro abſolutione à reſeruatis, quia cum tali propoſito non eſt ad confeſſionem diſpoſitus. Reſp. ſolutionem eſſe petendam à reſponſione tertiæ obiectionis in præcedenti dubio.

## DVBIVM XCVII.

*An Prælatus notitia comparata ex ſola confeſſione vti poſſit ad externam gubernationem, vt faciat, vel omittat aliqua, quæ aliàs non eſſet facturus, vel omiſſurus.*

### SVMMARIVM.

1. *Peccatorum notitia ſecundum titulum non ſolùm intelligitur de ea, quæ intra terminos accuſantis, & abſoluentis habetur, ſed de ea, quam dat Confeſſarius petendo facultatem pro reſeruatis à Prælato, & pœnitens comparens coram Superiore poſt abſolutionem obtentam iuxta obligationem impoſitam ab abſoluente.*

2. *Tenetur pœnitens omnia peccata mortalia integrè confiteri: dantur tamen aliqui caſus eximentes eum ab hac obligatione.*

3. *Explicantur duæ opiniones, deſignata aliqua limitatione circa quæſitum.*

4. *Frangit ſigillum confeſſionis Prælatus vtendo notitia confeſſionis ad externam gubernationem in actibus, qui ſunt moleſti, & oneroſi pœnitenti: ſecus ſi illi actus ſunt ei grati: & duabus obiectionibus ſatiſfit.*

1. Pro tituli intelligentia ſit prim. not. quòd non ſolùm intelligitur de illa notitia, quæ verè intra terminos accuſantis, & abſoluentis includitur, ſed de illa, quæ comparatur à Confeſſario petente facultatem pro reſeruatis, ſeu à pœnitente comparente coram Superiore poſt abſolutionem obtentā iuxta obligationem impoſitam ab abſoluente, quia ſe habet tanquam pars quædam confeſſionis, & Prælatus tanquam miniſter conueniens ad ipſum Sacramentum; vndè omninò cenſendum eſt Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum cum hac poteſtate, vt Prælati poſſent ſibi reſeruare authoritatem abſoluendi peccata, eaque audiendi, ſicut poſtulare videtur bonum commune, eamque alijs Confeſſarijs committere, & eodem ſigillo ligarētur illis actionibus prædictis, ſicut miniſtri audientes, & abſoluentes. Ita Victoria ſumm. 190. Suar. de pœnit. ſect. 4. num. 3. diſp. 33. & diſp. 30. ſect. 5. n. 3. Emin. Lugo de pœnit. diſp. 23. n. 34. 35. Iacob. Granad. controu. 7. tract. 11. diſp. 4. de pœnit. Malderus tract. de ſigill. c. 13. Onufrius de ſigill. ſect. 9. dub. 6. Dianapart. 5. tract. 11. reſol. 12. & alij communiter.

2. Not. ſecund. certum eſſe apud omnes Theologos pœnitentem teneri explicitè, & integrè, quantùm cōmodè poteſt, cōfiteri numerum peccatorum in qualibet ſpecie. Ita habetur ex Conc. Florentino ſeſſ. vlt. tract. de hoc Sacrament. & ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can 7. dicitur, quantùm commodè poteſt, ad inſinuandum dari multos caſus, in quibus excuſantur pœnitentes ab integra confeſſione omnium peccatorum, vt videre eſt apud DD. fundamentum doctrinæ à priori videtur eſſe ipſamet inſtitutio Chriſti, quia ſcilicet erat multùm conueniens ſuaui prouidentiæ Dei, hominumque imbecillitati, nec non & huius remedij commoditati, inter quos hic enumeratur non teneri hominem ad confitendum aliquod peccatum cum morali periculo alicuius grauis nocumenti proprij, & hoc dicitur de ſenſu omnium DD. S. Thom. in 4. diſtinct. 17. quæſt. 3. art. 3. quæſt. 4. ad 5. Palud. ibi, quæſt. 5. Maior. quæſt. 5. Alenſ. 3. part. quæſt. 77. membr. 3. art. 1. ad 1. Nauarr. in ſumm. cap. 7. num. 3. & 4. Suar. vbi ſupr. ſect. 23. num. 1. Ratio eſt, quia, cum hoc præceptum Chriſti ſit poſitiuum, rationi conſentaneum videtur non obligare cum tanto diſpendio; & ideò qui aliter nequit confiteri aliquod peccatum, habetur tanquam impotens moraliter, ac proindè excuſatur. Quamobrem maximo cum fundamen-

damento ſuperiùs fuit firmatum ex ſenſu omnium DD. quibus addo doctiſſim. Auerſam de pœnit. quæſt. 17. ſect. 4. Superiorem ex iuſtitia teneri licentiam poſtulatam à reſeruatis abſoluendi concedere, quandò pœnitens habet iuſtam cauſam non comparendi coram Superiore; nempè quia timet aliquod graue damnum, vt illius odiũ, & perſecutionem, aut reuelationem confeſſionis, vel vſum talis notitiæ in externo regimine.

3. Not. tert. circa quæſitum extare duas opiniones, & vtramque habere ſuos patronos. Prim. affirmatiua eſt, quam ſequuntur plerique DD. vt Palud. Durand. Capreol. & alij quàm plurimi, quorum catalogum recenſet Sanch. lib. 1. de matrim. diſp. 16. quæſt. 1. & Auerſ. vbi ſupr. quæſt. 18. ſect. 8. modò effici poſſit abſque periculo detectionis confeſſionis. Secund. negatiua, quam tuentur Armil. tit. confeſſ. num. 7. Ban. 2. 2. quæſt. 23. art. 8. §. ad confirmationem reſpondetur. Onufr. de ſigillo ſect. 2. quæſt. 2. dub. 2. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 14. num. 22. Ioann. Sancius in ſelectis diſp. 8. num. 10. & 11. & alij. Tuſchus lit. C. concl. 686. & 687. Menoch. lib. 6. Præſumpt. 95. & de Arb. lib. 2. cent. 5. caſu 414. Coninch. diſp. 9. dub. 1. verſ. ſequitur vult. Verùm tamen eſt, quòd, licèt huic opinioni fortiter adhæreant Sanch. vbi ſupr. Fagund. præcept. 2. decal. lib. 6. cap. 3. Auerſ. vbi ſupr. Granad. controu. 7. tract. 11. diſp. 7. Lugo diſp. 23. ſect. 5. §. 1. diſtinguunt tamen nempè illicitum eſſe, & contra ſigillum vti hac ſcientia ad faciendum, ſeù omittendum aliquod onerosum, ſeù graue pœnitenti, ita vt difficilè reddere poſſit hoc Sacramentum, eumque retrahere rationabiliter à confitendis illis peccatis, ex quorum notitia timeret ſibi imminere aliquod incommodum, pudorem, & confuſionem; non verò eſſe contra ſigillum, nec illicitum vti illa ſcientia, ſeù notitia ad effectum aliquem gratum, ſeù non damnoſum pœnitenti. Quę ſententia iuxta hunc modum explicata eſt tenenda, & ad praxim reducenda, nitendo ad nihilum redigere alteram bono publico, & Religioni adeò damnoſam, vt euidenter probabitur.

*CONCLVSIO.*

4. PRælatus abſque fractione ſigilli confeſſionis nequit vti notitia confeſſionis ad externam gubernationem, ſeù fori externi, externorumque actuum, qui ſunt moleſti, & oneroſi pœnitenti, e. g. negare ſuffragium homini, qui exteriùs communi hominum opinione probus exiſtimatur, ſed eum nouit ex confeſſione improbum, & indignum: ſecus ad effectum aliquem gratum, ſeù non damnoſum pœnitenti. Prima pars ſic ſuadetur: in ſtatu legis Euangelicæ nil eſſe videtur tam acerbum, moleſtum, atque homini oneroſum, quàm præceptum de confeſſione Sacerdoti facienda; imò in hoc fortè eſt magis oneroſus ſtatus legis gratiæ, quàm fuit ſtatus ante gratiam Euangelij. Prim. quia peccata quoad numerum, & ſpeciem ſunt homini aperienda, à qua obligatione eximebantur homines veteris legis. Secund. quia non eſt de fide attritionē coniunctam cum Sacramento ſufficere ad iuſtificationem, & id poteſt eſſe falſum, vt dicit Suar. de pœnit. diſput. 15. ſect. 4. licèt poſt Concil. Triden. practicè ſit ferè certum, vt benè notat Baſſæus ſumm. tit. contritio num. 4. videantur Lugo de pœnitent. diſp. 7. ſect. 13. & Auerſa de pœnit. quæſt. 1. ſect. 9. Tert. quia eſto in veteri lege ad iuſtificationem requireretur vera contritio, ideſt vnus actus deteſtans peccatum ſuper omne deteſtabile includens charitatem Dei ſuper omnia; in lege etiam noua illa difficultas ſuper omne deteſtabile deſideratur in Sacramento pœnitentiæ cum ſola attritione cognita, cum iſta tamen differentia, quòd illud ſuper omne deteſtabile in contritione neceſſariò requiritur in actu formali doloris; in Sacramento verò in propoſito ampliùs non committenda peccata; ideò, ne magis reddatur formidabile hominibus, fugiendum omninò eſt, quidquid poteſt reddere illud Sacramentum acerbum, & odioſum: at Religioſis nil magis tale contingere poteſt, quàm percipere, vt ita dicā, per ſomnium, ſe poſſe priuari dignitatibus, officijs, & ordinibus, ac locorum mutationes pati, nec non & ſibi negari ſuffragia ad communes honores ob notitiam in confeſ-

ſione

ſione habitam; nam, vt homines ſe auertant à confeſſione, & abhorreant ſua peccata alteri aperire, & ſic fiat iniuria Sacramento à Chriſto Domino in animarum ſalutem inſtituto, ſatis eſt, quòd ſciant poſſe Superiores vti tali notitia, ac ſcientia confeſſionis in regimine ad dirigendos actus externos: ergo doctrina contrariæ ſententiæ tanquam acerba, rigida, & nociua Sacramento, & Religioni damnoſa non eſt docenda, & multò minùs ad praxim reducenda; maximè quia, vt rectè monent ſequaces illius ſententiæ ad ea vtendum neceſſariò requirirur tanta prudentia, & cautio, & tot circunſtantiæ deſiderantur, vt difficillimum ſit in praxim illam reducere: ergo tutò ea vti nequeunt Prælati. Suadetur ſec. afferre damnum notabile proximo ex ſenſu omnium Doctotum eſt peccatum mortale, tantò magis id erit, quandò damnificatur proximus communis, nempè Reſpublica, ſeù Religio; imò in doctrina omnium Doctorum, ne illud periclitetur, & ruat, vnuſquiſque cum diſpendio propriæ vitæ eius ruinæ obſtare tenetur, maximè Prælatus cuius obligatio eſt de iuſtitia: ſi autem Prælati ad dirigendos actus externos in regimine notitia confeſſionis vterentur, ſuffragia negando, honoribus priuando pœnitentes, eoſque à locis remouendo, &c. tolleretur peccatorum reſeruatio in maximum Religionis detrimentum, quia, vt dixi ſuperiùs, ex mente totius ſcholæ Theologorum, non tenetur Religioſus, quandò aliquod graue incommodum in regimine timetur, reſeruata confiteri Prælato; & quid erit Religio ſine reſeruationis freno? nó niſi deſertum abominationis: ergo. Et confirmatur etiam ex doctrina omnium DD. aſſerétium Prælatum, qui permittit, vt à ſubditis negligatur, & in deſuetudinem abeat regula vna, ſeù conſtitutio inſtituta ad profectum ſpiritualem hominum, & ad præcipuè finem Religionis conſeruandum peccare mortaliter: ergo tantò magis erit culpa grauis vtendo notitia confeſſionis ad regimen dirigendum cum reſeruationis ablatione. Tert. ſuadetur ex generali prohibitione Clementis VIII. in decreto edito die 26. Maij anno 1594. & confirmato ab Vrbano VIII. conſt. 26. quæ interdicit Superioribus vſum ſcientiæ per confeſſionem acquiſitæ in externo regimine; & eſt ſequentis tenoris: *Tam Superiores pro tempore exiſtêtes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerint, ad externam gubernationem vtantur, atque ita per quoſcunque Regularium Superiores, quicunque illi ſint, obſeruari mandamus*. Quæ prohibitio & ex grauitate materiæ, & ex verbo, mandamus, continet in ſe obligationem ſub mortali. Ita ſentit Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 9. num. 3. ſimul cum Diana part. 3. miſcell. 4. reſol. 202. Quamobrem Em. Lugo vbi ſupr. diſp. 23. ſect. 5. nu. 94. exquirens fundamentum prohibitionis à Pontifice factę dicit inſurgere ex natura ipſa rei, & ratione Sacramenti hunc vſũ eſſe vniuerſaliter illicitum, quia alioquin non potuiſſet Pontifex ita ſtrictè Prælatis regularibus talem vſum interdicere; nam, ſi per ſe licitus eſſet, in quibuſdam etiam caſibus ad vitandum grauiſſimum aliquod damnum, ſeù detrimentum ſub præcepto Superiores adſtringerentur ad vſum talis notitiæ, quarè non potuiſſet in his caſibus prohiberi; & tamen vniuerſaliter, & ſine exceptione interdicitur. Et confirmatur ex ipſa natura Sacramenti ob ſecuritatem, & leuamen oboritur tale ſigillum, vt non liceat reuelare peccata; tantò magis ex ipſius natura oboriri debet non poſſe vti tali notitia in incommodum, & grauem pœnitentis. Ex hac doctrina reſoluuntur multi caſus, qui breuitatis cauſa prætermittuntur, & referuntur à Fagund. vbi ſupr. num. 9. Malder. tract. de ſigillo cap. 14. Diana vbi ſupr. reſol. 76.

Secund. pars ſuadetur, ſeù potiùs explicatur: ea, quæ grata ſunt pœnitentibus, vt rogare Deũ pro ſalute eorũ, euoluere libros ad animabus cõſulendũ, & eas inſtruẽdas & ſimilia, ſine fractione ſigilli, poſſunt fieri, poteſt etiam Prælatus ſibi conſulere vitando illa pericula, & occaſiones, quibus nouit lapſum fuiſſe pœnitentem, admonere etiam alios de periculo abſque detectione illius perſonæ; adde eſſe licitum præcauere damna, quæ per notitiam confeſſionis ſibi ſcit imminere, abſque vlla tamen detectione, aut ſuſpicione perſonæ: hæc Auerſa vbi ſupr. quæſt.

quæſt. 18. ſect. 8. vide Fagund. vbi ſupr. cap. 3. Dian. part. 1. tract. 11. reſol. 3. Granad. de pœnitent. in 3. part. controu. 7. tr. 11. diſp. 7.

Dices, ſi doctrina hæc admittitur, admittitur etiam poſſe eleuari hominem improbum, cognitum talem per confeſſionis notitiam, ad dignitates, & ad animarum regimen in maximum Religionis damnum. Reſp. quòd illa notitia non eſt fori externi, ſed Dei, ac proindè nequit Prælatus ea vti pro regimine, vt benè habetur definitum in cap. ſi Sacerdos, de offic. ordinar. vbi prohibetur, ne Sacerdos remoueat hominem reum per notitiam confeſſionis à communione, quia non ſcit vt Iudex, ſed vt Deus. *Non nominatim*, inquit, *poteſt eum remouere à communione, licèt ſciat eſſe reum, quia non vt Iudex ſcit, ſed vt Deus*. Adde, quòd malus bonum periclitatur ob rationes notatas in probationibus, ac proindè de duobus malis minus ſemper eſt eligendum.

Dices, Sacerdos ratione ſigilli ſolùm obligatur ad tegenda ea, quæ nouit per confeſſionem; vndè ſequitur, quòd, quādò denegat ſuffragia, vel remouet pœnitentem ab officio, ſeù loco, nulli reuelat confeſſionem, & propter hoc videtur, eſſe introducta reſeruatio peccatorū, vt Prælati fiant prudentiores ad externam gubernationem ſubditorum. Reſp. per ſigillum Sacramenti primò, & principaliter prohiberi ea, quæ præſtant pœnitentis cognitionem; ſed minùs principaliter ea, quæ odioſam, & formidabilem confeſſionem reddere poſſunt, vt ſunt incommoda in damnum pœnitentium; quarè falſum eſt peccata reſeruata ſolùm eſſe talia pro maiori Prælatorum prudentia in ſubditis regendis, ſed propter alias rationes à DD. recenſitas in materia caſuum reſeruatorum, ipſos conſulite.

## DVBIVM XCVIII.

*An Religio, quæ ex plurimis Prouincijs conflatur, ad eas regendas, ac conſeruandas frequentes viſitationes exactè à Patribus omni virtute præditis peragendas, habere debeat.*

### SVMMARIVM.

1. *Deſignatis viſitationibus, de quibus loquimur, dicitur, quamlibet Religionem habere augmentationem, ſtatum, & declinationem.*

2. *Religiones in primo ſtatu, in quo virtutum flores ad ſui augmentum, & decorem colligunt, non indigent frequentibus viſitationibus; ſicut & in ſecundo, attamen in hoc maior frequentia concedenda eſt.*

3. *In tertio ſtatu, in quo virtutes deperduntur, refrigeſcente charitatis ardore, neceſſarium videtur frequentes viſitationes habere pro reformatione tam capitum, quam membrorum: & ſolutis duabus obiectionibus, triplici eleganti diſcurſu ſuadetur.*

1. Prætermiſſis illis viſitationibus, quæ à ſacris legibus, alijſque tribunalibus extra Religionem imponuntur Regularibus, quæ nullo modo ſunt negligendæ; hic tantùm loquitur de illis, quas dicunt DD. eſſe obſeruandas iuxta conſuetudines, & conſtitutiones cuiuslibet Ordinis, & quæ extenduntur in Prouincias ad corrigenda, ac reformanda tam in capite, quàm in membris ea, quæ reparatione, ac reformatione digna ſunt, vt pacatæ, & quietæ ſint, obſeruando legem diuinam, ordinationes Apoſtolicas, regulam promiſſam, ac ſancitas conſtitutiones, vt de die in diem magis, ac magis diſciplina regularis propagetur.

Pro intelligentia eſt hìc memoriæ mandandum, quod plurimis in locis dixi, præſertim in dubio 49. huius partis; nempè regimina etiam regularia, & præſertim hominum ſub illis morantium perfectio-

fectionem habere ſuum augmentum, in quo virtutes, aliaque bona augentur: ſtatum, in quo ampliùs non proficitur, nec etiã acquiſitum deperditur: declinationem, in qua virtutes langueſcunt, & charitas frigeſcit; ex cuius tepiditate, ac diminutione inquit Chryſoſtom. citatus in dub. 6. p. partis oriuntur diuiſiones, & maxima cum facilitate ob maiorem hominum imperfectorum partem morantium in qualibet congregatione, vt adnotaui in dub. 102. & ob regimen à diuina Prouidentia, ſicut omnia creata, addictum mortalitati.

## PRIMA CONCLVSIO.

2. SI Religionis Prouinciæ in primo augmentationis ſtatu, in quo charitas exardeſcit, cæteræq; virtutes floreſcunt in maximũ diſciplinæ Regularis, ac perfectionis religioſæ decorẽ, inſpiciantur, non ſunt frequenter in eas extendẽdę viſitationes per Viſitatores à ſupremis Prælatis deſtinatos, niſi debitis temporibus pro earum conſeruatione in virtutum augmento. Concluſio ſatis liquet, quia ſcopus viſitationis intentus à ſacro Concilio Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3. & ſeſſ. 25. à feruore acquirendarum virtutum habetur, dum homines toto conatu diſciplinam regularem propagant, ac deſiderium acquirendæ perfectionis magis, ac magis in eorum animo feruet; vnde fruſtra eſſet deſtinare frequentes viſitationes, niſi illas debitis temporibus pro conſeruatione augmenti ſpiritus faciendas: quod dicitur de primo ſtatu Religionis, ferè etiam dicitur de ſecundo: notatur, ferè, quia licèt ampliùs in virtutum acquiſitione homines non proficiãt, & nihil de acquiſito deperdant; nihilominus quia facilis eſt deſcenſus, proindè magis frequenter in hoc ſtatu debent eſſe viſitationes, quàm in primo.

## SECVNDA CONCLVSIO.

3. SI poſtea huiuſmodi Prouinciæ in declinationis ſtatu, in quo charitas frigeſcit, virtutes langueſcunt, ac diſciplina regularis deperditur declinãdo ad occaſum ſummæ relaxationis conſiderantur, congruum, imò neceſſarium eſt, quòd habeant frequentes viſitationes ad exquirenda ea, quæ ſunt reformanda tam in capite, quàm in membris: omiſſis illis probationibus, quas ſolent pro concluſionis probatione afferre Doctores, ſequentibus diſcurſibus in opere etiam inſertis, & à DD. non ita facilè indagatis probabitur concluſio. Primus eſt, *Quòd vbicunquè* inquit Ægidius Roman. de reg. Princip. 3. part. lib. 2. cap. 16. *eſt multitudo, ibi eſt confuſio, niſi multitudo illa reducatur ad aliquid unum*; *ſicut videmus in Vniuerſo, quod ipſum eſt maximè ordinatum, eò quòd multitudo entium exiſtentium in ipſo reducatur in unum primum ens, vt in unum Deum, à quo omnia ordinantur*; *ſic qualibet multitudo, ſi debet eſſe ordinata, oportet reduci in vnum aliquem, à quo ordinetur*. Ideò pro ordinatione, & conſeruatione à DD. præſertim à D. Thom. 1. de regimin. cap. 1. ſtatuitur Rector iuxta dictum Salomonis. *Vbi non eſt Gubernator, diſſipabitur populus*. Vt ſolicitè procuretur hominum concordia, & vnitas, teſte D. Thom. lib. 3. cont. Gentil. c. 146. *Sicut mediens in ſua operatione intendit ſanitatem, qua conſiſtit in ordinata concordia humorum*; *ita Rector Ciuitatis intendit in ſua operatione pacem, qua conſiſtit in ciuium ordinata concordia*: per quam ordinatur, & conſeruatur omnis multitudo; ideò pro fine Regentis in regimine intento à politicis ſtatuitur vnitas, & pax, vt ſæpè adnotaui plurimis in locis, & inſinuat Ægidius vbi ſupr. 2. part. lib. 3. cap. 3. porrò non poſſumus ſcire, quomodò multitudo ſit in vnitate conſeruanda, niſi etiam ea inueſtigemus, per quæ corrumpatur, ac diſſoluatur iuxta præcept. Ariſtotel. 5. polit. cap. 8. dicentis. *Illud ergo ante omnia patet, quòd, ſi ſciamus, per quæ corrumpantur Reſpublicæ, ſcimus etiam per quæ conſeruantur*; *contrariorum enim contrarij effectus*. Corrumpuntur, ac diſſoluuntur ergo Reſpublicæ, ac communitates ſeditione, tanquam deſtru-

deſtructiuò è directo deſtruente bonum vnitatis multitudinis, vt inſinuat idem Ariſtot. vbi ſupr. cap. 2. & vult Decianus de crimin. læſ. maieſtat. lib. 7. de ſeditioſ. cap. 19. tom. 2. Septem ab eodem Ariſtot. loc. citat. deſignantur initia huius peſſimi mali, de quo dicit Plato de Republic. *Nihil perniciofius Ciuitati, quàm diuiſio*: tantùm duo ſunt tangenda, adhibito tertio ex D. Antonin. Prim. propter lucrum; nam quandò magiſtratus fruuntur bonis communitatis, plus quàm par eſt, excitantur rixæ, & diſcordiæ inter ciues. *Propter lucrum*, inquit Ariſtotel. vbi ſupr. *irritantur inuicem*: & S. Anton. part. 2. tit. 4. cap. 8. §. 3. ait: *Propry commodi procuratio inordinata generat in Eccleſia, ac Ciuitate diſcordias*: ideò S. Thom. de regim. Iudæor. cap. 1. inquit. *Conſiderare debetis, quòd Principes terrarum ſunt à Deo conſtituti, non quidem, vt propria lucra quærant, ſed vt communem populi vtilitatem procurent.* Secund. propter honores; nam quandò aliqui de dignitatibus, ac honoribus participant, nonnullis idoneis exclusis, oboritur ſeditio. *De honore etiam*, ait Ariſtot. vbi ſupr. cap. 3. *clarum eſt, & quid valeat, & quomodò cauſa ſit contendendi; ipſi enim inhonorati, & alios honoratos cernentes, ſeditionem aggrediuntur*: Idem affirmat D. Antonin. vbi ſupr. quem ſequitur Ægid. vbi ſupr. 1. part. lib. 3. cap. 13. *Nam*, ait, *ſi ſpretis alys, ſemper ÿdem in Magiſtratibus, & Præpoſituris præficiantur, aly videntes ſe eſſe deſpectos ad ſeditionem conſurgunt, & Ciuitatem turbant.* Tert. propter inordinatam onerum diſtributionē; nam quandò maioribus, & amicis leuia onera iniunguntur, minoribus grauia imponuntur, excitatur diſcordia; ſic loquitur D. Antonin. vbi ſupr. *In Eccleſia, & Ciuitate generat diſcordiam onerum diſtributio improportionata.* Cum ergo diuiſio radicaliter oriatur ex defectu charitatis, quæ inuenitur in tertio ſtatu ex tribus aſſignatis in Religionibus; ideò facillimè ſunt orituta mala enarrata, & conſequenter ſeditiones, factiones, & diſcordiæ in maximùm Religionis detrimentum; proindè Prouinciæ frequentibus viſitationibus indigent ad hoc, vt metus vice charitatis, aliarumque virtutum, quæ debilitantur tam in Superioribus, quā in inferioribus, malis enarratis obſtet, & vt Viſitatores ita diſponant multitudinem, vt inquit Ægidius vbi ſupr. 1. part. lib. 3. cap. 13. vt conſeruetur in pace, & vt in ea ſeditiones non inſurgant; quòd ſanè facilè non deſiderabitur, *Si ſolicitè curabunt*, inquit Antonin. part. 1. tit. 6. cap. 2. §. 5. *vt iura ſeruentur vniuerſaliter, ideſt tam maioribus, quàm minoribus, vt honores, & officia pluraliter diſtribuantur, & non omnia, vel multa vni, & nihil alteri, vt omnia proportionaliter imponantur*: & Ægid. vbi ſupr. loquendo de honoribus ait: *Mutare aliquandò magiſtratus, & Principatus, & diſtribuere eos diuerſis perſonis, vt innuit Philoſoph. 2. polis. videtur facere ad quietum, & pacificum ſtatum ciuium*: Vndè Viſitatores, cæterique Prælati in ſuis regiminibus præ oculis ſemper habere debent illud pronunciatum eiuſdem Ægidij vbi ſupr. part. 2. lib. 3. cap. 2. dicentis: *Nam ſi in aliquo dominio, aut Principatū intenditur bonum commune, & omnium ciuium ſecundum ſuum ſtatum, ſic eſt æquale, & rectum; ſed ſi intenditur ibi bonum aliquorum, & aliorum oppreſſio, ſic eſt corruptum, & peruerſum*: quæ oppreſſio ferè ſemper inter Regulares inſurgit ſub rationibus ſpeciem boni præferentibus; vndè Viſitatores eas non debent permittere, niſi ob rationes maximi ponderis, per quas euidentiſſimè aliquod magnum bonum promouetur, vel aliquod magnum malum præcauetur, quia opprimentes ob eaſdem, vel ſimiles rationes præſertim poſſunt opprimi, cum vnuſquiſque habeat, in quo reprehendi poſſit; & conſiderent, quòd vnaquæque factio ſemper intendit bonum commune, & nihilominus vnaquæque opponitur bono regiminis, nempè vnitati, & paci, quæ bonum commune conſtituunt.

Secundus diſcurſus elicitur ex iuſtitia, quæ propriè eſt virtus Præſidentis, ac Prælati, vt dixi in pluribus quæſitis, cuius totum eſſe eſt ad aliud, & rectè exercetur per duo munera conſulendo ſubditorum commodis, & propriam vtilitatem negligendo; ideò dicebat Ariſtot. 5. Ethic. cap. 3. *Omnium virtutum ſola iuſtitia in bonis alienis dicitur, quia non ad ſuum commodum, ſed ad aliorum omnia confert*: & S. Gregor. Nazianz. 1. apol. num. 91. inquit. *Hic ſpiritua-*

*lis omnis Imperij finis eſt vbiquè, priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum conſulere*: Verùm hæc iuſtitia eſt illud ſolidum fundamentum, in quo firmantur, & conſeruantur Reſpublicæ, & Regna, vt dicit Ægidius vbi ſupr. 2. part. lib. 1. cap. 11. *Ad hoc autem, vt Regna ſubſiſtant, & pacificè maneant, iuſtitia eſt neceſſaria*: & S.Auguſt. 2. de Ciuitat. Dei cap. 21. ait. *Rempublicam regi, aut ſtare non poſſe ſine iuſtitia*. quandò ergo ruunt Ciuitates, Religioneſque diſſoluuntur? cum Superiores adhærent proprijs commodis; nam vertunt iuſtitiam in iniuſtitiam; vndè ſequitur regimen iniuſtum. *Si verò*, inquit S. Thom. 1. de regimin. c. 1. *non ad bonum commune multitudinis, ſed ad bonum priuatum Regentis regimen ordinetur, erit regimen iniuſtum, atque peruerſum*: quarè ex hac mala adminiſtratione, iniuſtoque regimine Tyrannorū nomen ſibi vendicant Prælati iuxta Ariſtotelis monitum 3. polit. cap. 5. aientis. *Tirannidem enim dicimus dominatum vnius ad proprium commodum intendentis*: Imò S. Thom. 3. de regimin. cap. 11. *Regnum*, inquit, *non eſt propter Regem, ſed Rex propter Regnum, quia ad hoc Deus prouidit de eis, vt Regnum regant, & gubernent, & vnumquemque in ſuo iure conſeruent, & hic eſt finis Imperij; quòd ſi aliud faciunt in ſe ipſis retorquendo, non ſunt Reges, ſed Tyranni*; Idem affirmat Ægid. vbi ſupr. 2. part. lib. 3. cap. 2. *Si verò dominans non intendit bonum commune, ſed proprium, non eſt Rex ſed Tyrannus.* Cum igitur hæc iuſtitia in tertio Religioſorum ſtatu, in quo deficit charitas, omnibus virtutibus langueſcentibus, facillimè poſſit ſub coloratis rationibus propriū munus deſerere negligendo aliorum iura, & commoda, conſulendo proprijs vtilitatibus, quæ cogunt Rectores à tramite rectæ iuſtitiæ inquit S. Thom. vbi ſupr. lib. 1. cap. 11. deuiare, & ita in Tyrannorum nomen Prælatos incidere excludendo homines aptos à dignitatibus, & Prælaturis ſub prætextu zeli, quod tandem reſoluitur, ne ſibi arripiatur locus, trahendo ad ſe ipſos multa Religionis commoda, & bona ſub ratione conſuetudinis, & dignitatis, eis ſubditis denegatis ſub reformationis prætextu; ideò firmiter eſt innitendum præcepto S. Thom. 1. de regimin. cap. 6. dicentis. *Sic eſt diſponenda Regni gubernatio, vt Regi iam inſtituto tyrannidis ſubtrahatur occaſio, ſimul etiam temperetur poteſtas, vt declinare de facili in tyrannidem non poſſit*: hoc autem non alio potenti medio obtineri poteſt, quàm ſepè repetitis viſitationibus, vt Prælati Viſitatorum metu vtantur iuſtitia ſecundum proprium munus, neglectis proprijs commodis conſulendo ſubditorum vtilitatibus, ac iuribus, & ita incolumis, quantùm fieri poteſt, conſeruetur Religio, Tyrannorum nomen euitando.

Tertius diſcurſus deſumitur ex perfectionis bono, ad quod Ordo eſt inſtitutus ſecundū regulā, & cōſtitutiones, cuius cōſeruatio maximè eſt neceſſaria ad Religioſorū profectū, Religióniſq; ſplendorē; nec hæc obtineri poteſt, niſi ſciamus per quod diſſoluatur iuxta præceptum Ariſtotel. vbi ſup. Variæ huiuſmodi perditionis cauſæ à D. Bonau. in opuſc. tom. 2. quæſt. 19. ſup. regul. S. Franciſc. deſignantur, quem ſequitur Cordub. in expoſition. eiuſdem regul. in introduct. quæſt. 3. à quibus originē trahit perfectionis relaxatio, & diſſolutio. Prim. eſt multitudo intrantium, quia multi nequeunt tam facile flecti, ſicut pauci, & vbi ſuot multa capita, multi ſunt ſenſus, qui maxima cum difficultate ad vnum ſenſum ſunt diſpoſiti. Secund. eſt defectus bonorum exemplorum, quæ per mortem multorum Religioſorum, qui in vitæ aſperitate, virtutibus, ac ſanctitate in primordio Ordinem ſuſtinuerunt, fuerunt ſubtracta, & licitè nonnulli alij fruantur hac vita, nonniſi debiles, ac infirmi in corpore; vndè iuniores non cognoſcentes mortuorum exempla, nec ardua in infirmis, ac debilibus inſpicientes, non penetrando eorum internas virtutes, eas imitantur, quæ in illis vident, & ita fiunt remiſſi, ac debiles in ſpiritu, & in vitæ rigore. Tert. eſt defectus Magiſtrorum, ac Prælatorum; nam cum quiſque neſciat docere, quod non didicit, cum regimu Ordinis deuoluatur ad iſtos Patres, moribus iuuenes, ac nouitios nutriunt, quibus ipſi ſunt imbuti. Quarta cauſa eſt, quòd ſenſim ſine ſenſu ſerpunt per Religionem non bonæ conſuetudines, & relaxationes, quæ facillimè à iunioribus, ac debilibus trahuntur in exemplum; vndè vna intro-

introducta, alia cohærens primæ ſequitur. Quiſ non videt in hoc tertio ſtatu ſenſuum rationes ſuſcitari, ac militare aduerſus eas ſpiritus,&ſub coloratis motiuis paulatim illű proſternere? vndè omnia illa à D. Bonauentur. ſuperiùs enarrata erunt introducenda in damnum perfectionis Religionis. Quamobrem eſt eis obſtandum viſitationibus ſępius repetitis, vt Patres, quibus onus viſitandi eſt commiſſum, ſcientia, zelo, ac authoritate, adhærendo rationibus ſpiritus, frenent nouitiorum receptiones, vitæ ſanctitate, ac ſermonibus diuini ſpiritus oleo delibutis mortuorum, ac viuorum debilium exempla ſuppleant, vt iuuenes cognoſcant, quæ vita in religioſis familijs ſit duenda, quæ virtutes, ac mores ſint induendi, vt ſuſtentetur Religio ad occaſum relaxationis ruens, puniendo eos, qui in virtutibus, ac vitæ aſperitate langueſcunt, non permittendo, vt aſſumantur ad Prælaturas, ne de illis dicatur, quòd ſint moribus iuuenes, ac nouitios inſtructuri, quibus ipſi ſunt imburi, & tandem prudenti, ac rigido ferro iuſtitiæ malas reſecando conſuetudines; præ occulis ſemper habendo, quòd iſte ſtatus maxima indiget reparatione, ac ſuſtentatione, ne quamprimum attingat relaxationis profundum, pro comperto tenendo illud pronuntiatum Gerſonis 2. part. ſumm. Alphabet. 39. lit. O. de non eſu carn. Carthuſ. dicentis. Semel lapſa Religio vix, aut nunquam reparari poteſt, & faciliùs de nouo à fundamentis conditur, quàm reformetur.

Dices, per iſtas frequentes viſitationes infirmatur Prælatorum potentia, quia timore ducti non audebunt malos coercere, ac debita pœna eos punire; vndè fiunt audaces, ad obediendum tardi, imò rebelles. Reſp. quòd tantùm eſt bonum, quod habetur ex repetitis viſitationibus in hoc infelici ſtatu, vt licèt authoritas eſſet diminuenda, nullius momenti ſemper id eſſet cenſendum; imò abſolutè eſt negandum eam fore infirmandam, quia Viſitatorum metu, & ſubditi debitam obedientiam præſtabunt Prælatis, & Prælati ſecundum iuſtitiam authoritate vtentur; vndè magis libera erit ad proprium munus exercendum, & repreſſa ad non trahenda ad ſe Religionis commoda iuxta dictum D. Thom. vbi ſupt. *Simul etiam temperetur poſteas, vt declinare de facili in tyrannidem non poſſit.*

Pro fine dubij addendum eſt, quòd ea, quæ inquirere pro munere ſuo rectè præſtando debet Viſitator, inueſtigare etiam pro dignè ſuffragio ferendo tenetur elector, quia cum officium eiuſdem electoris ſit bonum promouere, & malum præcauere, vt optimè inſinuat Eminent. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. num. 55. vtrumque munus non propagabit, niſi exquirat in dubio deſcripta ad hoc, vt ſuffragio promoueatur homo ad Pręlatiam iuſtitia Prędentis ornatus, qui exemplo, & prudentia propagare poſſit vnitatem iuris impediendo ſeditionem, ac diſcordiam orituram, nec non & bonum perfectionis, reſecando corruptelas introductas, ac obſtando naſcituris, & à ſe ipſo expellendo omnem tyrannidem, in quam proprijs commodis ductus incidere poteſt.

## DVBIM XCIX.

*Incommoda ex varijs DD. collecta præcauenda deſcribuntur, quæ quamprimum ad occaſum ſummæ relaxationis Religiones impellunt.*

### SVMMARIVM.

1. *Relaxatur Religio, dum Prælatus in negotijs pertractandis aliorum non vtitur conſilio, ſed nimis de ingenij ſui viribus, ac ſcientia ſibi promittit: dum à munere ſuo negligentiam non expellit: dum electores fideliter eligendi munus non præſtant, non excludendo homines à Prælatura, qui ab intereſſe ducuntur: dum Prælatus omnia vitia celare, vel omnia in publicum prodire intendit: dum in ferendis legibus non conſiderat tempus futurum, ſed tantum præſens, & non proſpicit hominum multitudinem, ſed tantùm inſpicit exiguum virorum in ſpiritu feruentium numerum: dum pro obſeruãtia diſciplinæ regularis legum multitudinem condit: dum amoris vinculo ſubditos non ligat: dum permittit, vt oratio non ferueat.*

2. *Relaxatur Religio, dum Generalis non de-*

*deſtruit factiones: dum tyrannidem à Prælatis non reſecat: dum ſe non conuertit ad Deum per orationem, vt regiminis molem ſuſtentare poſſit: dum pro reformatione alicuius grauis incommodi remedium à Conſiliario propoſitũ ob quamcumque difficultatem ſibi occurrentem repellit.*

*3. Relaxatur tandem Religio, dum Capitula prouincialia totius corporis Religionis reformationi non inſiſtunt.*

Multa, ac penè infinita congerunt DD. quæ quamprimum relaxationis profundum tangere Religiones cogunt, ſed modò tantùm erunt attingenda, quæ non ita facilè in libris inueniuntur.

1. Prælatus, qui nimis de ingenij ſui viribus, ac ſcientia ſibi promittit, ac timorem errandi à corde abiecit, in multa incommoda in negotijs pertractandis, iuſtitiaque adminiſtranda ruit, quia emergentia dubia propria ſcientia, ac ingenio abſque DD. conſilio dimetietur, aliaque negotia etiam magni ponderis ſua propria æſtimatione abſoluet; vndè neceſſariò inconuenientia ſunt oritura; quarè in Prouerb. c. 13. n. 10. habentur hæc verba. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt, qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia*: hoc eſt, vt optimè explicat Salazar. ibid. cum ſuperbi de re aliqua deliberant, dum ſuum quodlibet conſilium aliorum conſilijs, ac placitis præponunt, multæ quidem ſuboriuntur contentiones, ac iurgia; qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia, ideſt qui ex humilitate, & animi ſui deiectione, poſthabitis conſilijs proprijs, de aliorum conſilio, ac opinione cuncta gerunt, hi quidem ſapientiſſimè, ac prudentiſſimè res adminiſtrant, inter hos nullæ oboriuntur diſcordiæ, nullæ ſunt diſgregationes ſententiæ; nullus enim ita adhæret ſuæ, vt perſpecta ratione alteri libens non cedat: quarè cap. Omnis qui. diſt. 45. inter alia ad Prælatos ſpectantia habetur, quòd Iudex, vel Prælatus in omni negotio ſemper debet eſſe pauidus, timens, ac tremens, atque formidoloſus, ne à iuſtitiæ tramite deuians cadat, & vndè iuſtificatur, indè potiùs condemnetur: ex Iſaia 5. etiam habetur: *Væ vobis, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*: quaſi dicere velit: Superiores, qui omnia per ſe poſſe autumant, ſibi ſe ſolos ſufficere prædicant, auxilio opus eſſe, & non conſilio clamant, in ſua ſapientia decipiuntur, dum negotia peruertunt, iuſtitiamque in iniuſtitiam vertunt; vndè Caietan. 2. 2. qu. 49. art. 3. ait: Tam negligentia, quàm contemptus audiendi viros, & vita functos maret eſt imprudentiæ: & Horat. lib. 3. ode 4. inquit: *Vir conſilij expers mole ruit ſua*: Ratio videtur eſſe, qui humana mens dominantis ira eſt debilis, vt excogitare nequeat ea omnia, quæ poſſunt prodeſſe, vel obeſſe rei determinandæ, ac exequendæ.

Audire quæſo verba D. Bonau. in opuſc. de ſex alis ſeraph. c. 7. loquentis de Superioris diſcretione: *Vltimò etiam ipſa diſcretio, quæ cætera omnia diiudicat, circumſpiciat ſe ipſam, ne ei contingat, vt oculo corporis, qui cum alia videat, non videt ſe ipſum, videlicet, ne plus ſapiat, quàm oporteat ſapere, ne ſibi plus credat, quàm expedit, ne ſit ſapiens in oculis ſuis, quia, teſte D. Gregor. lib. 23. mor. c. 24. circa fin. ſicut ſubditorum tentatio eſt reprehendere in Prælatis, quòd in multis non rectè agant; ita Prælatorum tentatio eſt, quòd ſe cæteris ſapientiores æſtiment: vnde dicitur Prou. 20. Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habebit ſtultus; ſtultus enim ſibimet non confidens quærit conſilium à ſapientibus, ne decipiatur, ille autem, dum de ſe plus quam debet præſumit, etiam vbi errat, rectè ſe plerunque ſentire deceptus putat; inter omnes tentationes videtur iſta periculoſior cuique Chriſtiano, ſcilicet proprio ſenſui nimis inniti, cum enim nemo reperiatur ita perſpicacis intelligentiæ, quin poſſit in aliquibus falli, qui hoc totum, & ſolum reputat iuſtum, quod ipſe ſenſerit, aſtuto aduerſario ad varias ſeductiones ſub ſpecie boni liberum aditum pandit, ait enim Pſalmiſta 9. Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentẽ ibi enim libentiùs inſidiatur, vbi maiores meritorũ diuitias cernit inquiri, vt ibi innocentem inquirat, & occidat, vbi ſe Deo magis obſequium præſtare ſperabat; vndè cautum eſt ſemper Rectori conſilia libenter audire, & humiliter quærere, & in hoc triplex humilitas conſiſtit. Prim. ſi alij idem ſentiunt, quod & ipſe, ſecurior eſt, quòd non decipiatur. Sec. quidquid fecerit*

cum

*cum prudentium conſilio, ſi aliquid indè euenerit cõtrarijs minùs ei poterit imputari, quàm ſi de ſuo tantùm ſenſu id feciſſet. Tert. quòd ſæpè in merito humilitatis talis Deus dat ei agnoſcere per ſe, vel alium quod antè non intellexit*: & paulò inferiùs: *Aliqui verò, cum ad officium regiminis aſſurgunt, ita ſe continuò repletos ſpiritu ſapientiæ reputant, vt omnia anteceſſorum ſuorum facta ſtulta iudicent, & peruerſa, alij verò è contrario, cum ab eodem abſoluũtur officio, quæcunque ſucceſſores eorum faciũt, ſimili modo condẽnãt nõ attẽdẽtes, quòd ſicut ipſi alioũ facta deprimunt, ita eorũ facta alij poſsũt deſpicere: huic dicit Iſaias 37. Væ qui ſpernis, nõne & ipſe ſperneris? nonnulorũ enim facta tã ſtudioſè ſolent ab alijs obſeruãdo notari ſicut illorum, qui aliorum facta ſeuerè dyudicant, ſi fortè, in quo ipſi alios arguunt, reprehenſibiles deprehendantur*: hæc S. Bonau. vndè habetur, quòd voluntas Dei eſt, vt exercitium charitatis in dante conſilium exerceatur, & in accipiente humilitatis: hanc Deus declarauit in Moyſe, quia, etſi ipſemet Deus cum iſto familiariter loqueretur, noluit tamen illum erudire, quomodò populum gubernaret, ſed de hoc ab Ietro erudiri præcepit. Exod. 8. expreſſit quoquè hanc ſuam voluntatem in Dauide ſeruo ſuo; nam illi patefecit abſtruſa myſteria redemptionis humanæ, & tamen noluit ei reuelare, quòd ad ipſum non ſpectabat ędificatio templi, ſed voluit, quòd de hoc admoneretur à Natan Proph. 2. Reg. 7.

Prælatus, qui negligenter munere ſuo fũgitur, Religionem deſtruere conuincitur; vndè Hugo de S. Victore de clauſtr. an. lib. 2. c. 12. diſtinguit tres ſpecies Prælatorum negligentium; quidam enim ſunt, qui benè viuunt, & ſubditos malè viuere permittunt; alij, qui malè viuere volunt, & ſubditos benè viuere cogunt; tertij, qui malè viuunt, ac ſubditos malè viuere volunt. Primi, licèt exemplo præcedant, quia tamen errantes non corrigunt, Religionem in maximam relaxationem adigunt; vnde S. Bernard. ſerm. ad Paſtor. in ſynod. congreg. dicebat: *Sine iuſtitia non ſolùm Reſpublica, ſed nec etiam parua domus ſubſiſtere poteſt*: & Petr. Damian. epiſt. 11. ad Gotif. lib. 7. inquit: *Illud etiam mihi non mediocriter diſplicet, quia in plectendis flagitijs, & temerarijs iniquorum hominum auſibus coercendis remiſſior cerneris eſſe, quàm debeas, & dum peccatoribus parcis, augere peccata conuinceris, eneruato quippè rigore iuſtitiæ, ſtatus euertitur diſciplinæ, & dum vltoriè ſeueritatis cenſura reprimitur, temeraria delinquenti licentia relaxatur; inordinata ſanè pietas nutrit impietatem, & timida manus medici vulnus auget ægroti*: Secundi verò errantes quidem reuocant, ſed fortè occidunt, reuocant verbis, occidunt exemplis, ex quo graue detrimentum patitur Religio; nam *Capite langueſcente*: c. Ex merito qu. 1. in. 6. *cætera corporis membra inficiuntur*: & S. Greg. lib. 6. epiſt. reg.. epiſt. 7. *Mala actio*, inquit, *Præſidentis valdè nocet ſubditis*: & Philo lib. de vit. Moyſ. *Si Princeps totum ſe voluptatibus ad vitam delicatam deflectit, vniuerſa propemodum ſubditorum multitudo ad voluptates proclinat*: Huiuſque rei rationem reddit D. Gregor. 21. moral. cap. 1. *Quia rationales noſtri ſpiritus, dum in Prælatorum intentione defixi ſingulis, quibuſque actionibus permiſcentur, vt tales fætus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident*: Tertij verò non ſolùm relaxationem introducunt, ſed ad inſtar Diabolorum, qui non ſunt contempti per ſe facere malum, ſed etiam alijs ſuggerunt, & quantùm poſſunt ſubditos contaminare, Religionemque exinanire conantur: attendite etiam ea, quæ habet Chryſoſt. hom. 23. in Matth. *In iudicio ſedens ſi quidem benè vixeris, & benè docueris, omniũ Iudex es, ſi autẽ benè docueris, & malè vixeris, tui ſolius condemnator es; nam benè viuendo, & benè docendo populum inſtruis, quomodò debeat viuere, benè autem docendo, & malè viuendo Deum inſtruis, quomodò te debeat condemnare.*

Electores, qui fideliter munus eligendi non præſtant, Religionem relaxant; multa enim debent meditari, quæ poſſunt videri in opere inſerta, ſed præſertim duo ab Em. Lugo de iuſt. ſect. 5. diſp. 35. n. 55. deſignata, nempè vt promoueant bonum commune, & mala morali probabilitate euentura præcaueant, & hoc præſertim fiet, ſi à Prælaturis arceantur homines quærentes proprium lucrum, propriamque conſeruationem; nam ſicut bonum commune ſatis promouetur cum electores eleuant hominem ad

dignita-

dignitates, qui in ſuo regimine propagabit vnitatem, concordiamque multitudinis tanquam rem ſummè neceſſariam Religioſis, teſte D. Bonau. de profect. vitæ ad ſorores c. 4. *Clauſtralibus ſummè eſt neceſſaria pax*: malumque præcauebitur, cum aditum factionibus claudent, teſte Ægid. Rom. de regim. Princ. lib. 3. p. 1. c. 13. *Sic eſt diſponenda multitudo, vt ibi ſeditiones non inſurgant*: ita arcendo homines, qui in Prælatutis intenduut proprium lucrum, propriamque vtilitatem, vtrumque munus fideliter exerceut, ac præſtant; quarè P. Miraud. to. 2. q. 5.ar.5.concl. 1. intuens malum, quod oboritur ex Prælato, qui inhæret proprio commodo, ita affatus eſt: Nihil enim eſſe credo Reipublicæ; ac regularibus congregatiouibus cunctis adeò damnoſum, atque nociuum, quàm Prælatos, ſiue Iudices commodo ſuo proprio, ac priuato iuhærere, & ita de his meritò dici poteſt, quòd, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti: hæc ſunt, quæ Reſpublicas omnes in fruſtra diuidunt, atque in diuiſiones magnas, ſchiſmataque innumera trahunt: hinc prodeunt æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, inſectationes, & multa alia genimina viperarum, quæ ex radice proprij commodi ortum, atque originem ducuut: ad hoc facit etiam quàm maximè, quod dicere frequenter ſolitus erat Titus Liuius 2. lib. *Quòd reſpectus rerum priuatarum ſemper officit, officietque publicis conſilijs, & quòd ex priuatis affectibus ferè omnis humanæ vitæ pernicies naſcitur, cum publicum bonum priuata interdum ſtudia peruertunt*: quarè S. Aug. ſerm. 37. in Ioann. tom. 9. plorans tam graue malum iu hæc prorupit verba. *Vndè inter fratres diſcordia? vndè perturbationes pietatis? niſi dum curatur anima eorum, & partem ſuam reſpicit quiſque, & parti ſuæ opimandæ & exagerandæ operam impendit, & in poſſeſſione ſua vult habere vnitatem, qui cum fratre ſuo poſſidet diuiſionem*. Nec obſtat, quòd in mente ſedeat propriæ exaltationis cupiditas: quo fit, vt difficilè dignoſci poſſit, quia ſatis in opus exit artificijs, amicitiarum procuratione, alijſque ſimulationibus, quibus huiuſmodi homines abundare conſpiciuntur, quarum quidem rerum notitia inueſtigari fideliter, ac ſedulò ab electoribus debet, vt munus ſuum rectè gerant, ac immunes à culpa ſint.

Prælatus, qui totum ſtudium ponit, vt vitia quantùm poteſt eelet, æſtimans ſe ſic metam veri regiminis attingere, vel quantùm poteſt delicta etiam occulta aperit, vt pœna debita delinquentes puniantur, hoc pacto bonum publicum fouere putans, Religionem relaxat: Cum ſacrum animarum regimen ſit ars artium, vt notant SS. PP. petit hominem ſupra hominem, idque etiam à diuino Platone fuit cognitum, vt inquit Rodriq. tom. 2. qu. 73. art. 2. qui dicebat: *Sicut oues non cuſtodiuntur, & gubernãtur ab alijs ouibus, ſed ab animali, quod ſit aliquid pluſquam animal, ſcilicet homo; ita homo non poteſt cuſtodiri ab alio homine, ſed ab aliquo, qui ſit pluſquã homo, & per conſequẽs homo diuinus*: quarè non mediocri indiget prudentia, ſine qua Prælatus animarum regimen ad optatũ finem ducere nequit; vndè Ariſt. 3. pol. c. 3. aiebat: *Prudentia propria virtus eſt Præſidentis; nam cetera virtutes videntur communes tam eorum, qui præſunt, quàm eorum, qui ſubſunt, at prudentia non eſt virtus eius, qui ſubſit*: & Plato c. 2. ad Dionem: *Nulla Ciuitas poteſt eſſe felix, niſi vbi cum prudentia ſub iuſtitia viuitur*: quarè Bann. 2. 2. qu. 33.art.3.dub. 2. intuens prudentiam, quæ neceſſariò requiritur in animarum cura, deficit, & dicit ad ſolum Deum eſſe recurrendum. Sunt Prælati, inquit, qui pacem communitatis exiſtimant eſſe, quòd nulla delicta appareant in foro exteriori, cum tamen plurima fiant pernicioſa, quæ deberent in iudicio puniri propter bonum communitatis, quod quidem malum oritur ex eo, quòd non vigilant ſuper gregem ſuum, & nullum fraternaliter corrigunt, vndè paulatim ſerpunt vitia per communitatem, alij verò ſunt per alterum extremum peccantes, qui ſingulis ſubditis inſidiantur per media extraordinaria, vndè fit, vt multa veniant in ipſorum notitiam, quæ relinquenda eſſent iudicio Dei; deindè quæ fraternaliter poterant corrigi, cupiunt ſub prætextu communis boni ad iudicium deferri, ibique publicè punire, vt cæteris timorem habeant, & ſe ipſos magnificent; quò fit, vt ſolicitent quoſdam, vt accuſent, vt teſtes ſint, atque ita efficiunt, vt ſubditus publicè infametur,

qui

qui ſecretò, aut coram paucis poterat corrigi, & dum communitatis bonum dicunt ſe intendere, potiùs nocent communitati, quàm proſint: quiſquis igitur eſt, qui inter extrema medium ſe ſequuturum confidit, nimis de ſua prudentia ſibi promittit: ergo opus eſt cum Salamon. Sap. 9. inuocare Dominum, ac dicere: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*, &c. hæc Bann. Primi verò attendere debent verba D. Bonau. opuſc. de ſex alis Seraph. c. 3. *Zelatores iuſtitiæ caueant, ne malum, ſcilicet publicum, inultum eſſe patiantur, quia aliquod bonum parit peccati caſtigatio, ſcilicet, quod ipſe qui fecit, prohibetur vltra peccare, dicente Domino: Iam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquod contingat; item quia purgatur à peccato, ne à Deo poſtea duriùs puniatur; ait enim Script. Prou. 23. Tu virga percuties illum, & animam illius de inferno liberabis: item quia per hoc alij erudiuntur, vt caueant ſimilia perpetrare iuxta illud Prou. 18. Peſtilente flagellato, ſapientior erit paruulus, ideſt tenellus, & nouus cautior eſſe diſcet: item ipſe Prælatus Vicarius æterni Iudicis liberat animam ſuam à peccato negligentiæ officium ſic implendo:* & paulò inferiùs: *Triplicem Deo rationem. Prim. pro ſua negligentia, quandò non fecit id, ad quod ex officio tenebatur; nam ait Sap. 6. Cum eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, nec ſecundum voluntatem eius ambulaſtis, horrendè, & citò apparebit vobis; quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet, &c. Sec. quia omnia peccata ſubditorum, quæ poterat, ac debuerat correxiſſe, ac præcauiſſe, imputātur ei; vndè dicitur Ezech. 33. Si non fuerit loquutus, vt cuſtodiat, ſe impius à via ſua, ipſe in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu ſua requiram. Tert. pro abuſione honoris, ac poteſtatis, quam ad propriam gloriam, & commodum retorſit, & non ad quod data eſt ei: Tolliſe ab eo talentum, ait Chriſtus Matth. 25. & inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Secundi conſiderare debent ea, quæ dicunt Emm. Rodriq. tom. 2. quæſt. 21. art. 2. & Peirin. tom. 2. quæſt. 2. cap. 7. §. 15. in fin. ille inquit: Epiſcopus, ſeu Prælatus regularis, qui quærit potiùs verberibus timeri, quàm verbis, ab officio eſt deponendus, vt dicitur in iure cap. Epiſcopum, diſt. 45. & notat Bertachin. in tract. de epiſc. 3. par. lib. 4. num. 25. hic ait: Aliqui parum prudentes, imò maligni, & venenati Prælati ſunt, qui de quacumque etiam leuiſſima culpa proceſſus formant, & ſi non formant, tam venenatis verbis mordent, vt acerbam putent ſibi ſubditi eam eſſe vitam, iſti ſunt Prælati parum prudentes, minùs miſericordes, multùm maligni, in ſummo gradu ſuperbi, & hypocritæ peruerſi, à conſortio hominum arcendi; nam ait S. Gregor. lib. 8. reg. epiſt. 16. in diſt. 3. *Plerumque plus virium habet diſcreta in correctione remiſſio, quàm in exequenda vltione diſtrictio, adeò vt non nunquam hæc fideliorem, & ſubiectum, illa verò obſtinatum faciat, & æmulum.*

Relaxatur Religio, quandò in condendis legibus ſolùm conſideratur tempus præſens, & non futurum, ſolùm attenditur exiguus hominum numerus charitate feruentium, & non hominum multitudo, in qua longè plures ſunt, inquit Sot. de iuſt. lib. 1. quæſt. 6. art. 2. qui virtutum habitibus non ſunt imbuti, ſed cum prauis, corruptiſque affectibus colluctantur: cum ergo lex condi debeat in communi, quia vnumquodque, quod eſt propter finem, neceſſe eſt, vt ſit fini proportionatum, & cum finis legis ſit bonum commune, quod ex multis conſtare videtur; ideò lex debet reſpicere perſonas, negotia, & tempora; ob id enim in communi ferri debet lex; quarè Sotus vbi ſupr. art. 1. magis diſtinguens ea, quæ legi ſunt ſubiecta, dicit: Sunt, inquam, qui legibus parere coguntur ſenes, & iuuenes, potentes, ac debiles, ſapientes, & ignorantes, quibus multa poſſunt negotia contingere: debet ergo legifer hiſce omnibus proſpicere, quod fieri aliter nequit, quàm ſi lex in communi ponatur; contra hanc legis naturam delinquunt, qui ſingulis caſibus occurrere legibus contendunt; contra eandem faciunt zelo

ducti, ſed non prudentia, qui in condendis legibus futurum tempus à conſideratione excludunt, ſolùm præſens præ oculis habentes: quò fit, vt non mediocre damnum, & incommodum ſequatur à Soto vbi ſupr. & à Sayr. lib. 5. c. 3. n. 6. notatum hiice verbis: Sunt, inquam, qui exiguum numerum perſonarum charitate feruentium conſiderantes graui onere legum Religionum familias premunt, quas, cum poſteri ferre nequeant, ceruices excutiunt; videatur Caiet. 1. 2. quæſt. 97. art. 1. ex qua doctrina habetur neceſſariò in Religionibus ſequuturam eſſe relaxationem, ſi prudentia in legibus condendis non ſplendeat, conſiderando multitudinem tam præſentem, quàm futuram, & iuxta illam leges ſanciantur; vndè concludit Sot. vbi ſupr. vtiliſſima doctrina eſt leges debere ſic in communi ferri, vt multis temporibus, perſonarumque qualitatibus, & caſibus coaptari poſſint: & Clauis reg. vbi ſupr. num. 6. Iniuſta, ait, protſus cenſeri debet lex, quæ ſine vllo diſcrimine omnes eadem menſura metiri vellet.

Relaxatur Religio, cum legum, ſeù ſtatutorum multitudo ſancitur, quæ opprimere, & obruere ſubditos ſolet, ex quo ſequitur quædam moralis impoſſibilitas, quæ efficit, vt leges paruipendantur, ſeù efficiantur telæ aranearum, quibus non leones, ſed tenues muſcæ capiuntur. S. Thom. 1. 2. quæſt. 45. art. 3. Sot. de iuſt. lib. 1. quæſt. 5. art. 3. Mirand. tom. 1. quæſt. 25. art. 9. explicantes illas duas conditiones, quæ connumerantur ab Iſidoro, inter conditiones pro lege iuſta ſancienda. ſcilicet *quòd ſit neceſſaria, & vtilis*; dicunt legem ſanciendam debere eſſe neceſſariam ad præcauenda incommoda, & nocumenta, quibus Reſpublica maximum aliquod pateretur incommodum, vtilis ad aliquem finem, & commune Reipublicæ bonum conſequendum, per quod intelligitur leges non ſine cauſa, ac neceſſitate, atque euidenti vtilitate eſſe ſtatuendas: ex qua doctrina colligit Sotus vbi ſupr. incommodum ſuperius allatum hiſce verbis: Vndè id maximè legiferi deberent conſiderare, ne legum multitudine ſubditos obruent, ſed illis eſſent tantùm contenti, quæ ſunt prorſus neceſſariæ; nam ipſa multitudo fit ſtatim impoſſibilis, vnde illicò efficiuntur veluti aranearum telæ, quibus muſcæ arcentur, & non leones: idem colligit Mirand. vbi ſupr. Per quod, inquit, & meritò reprehenditur quorundam Iudicum, & Prælatorum facilitas, & propenſio nimia ad condendas, & faciendas leges, quarum proindè obſeruatio quaſi impoſſibilis reddatur, quæ ad nihilum deſeruiunt, niſi vt paruipendantur, ſeù efficiantur telæ, quibus non leones, ſed tenues muſcæ capiuntur; vndè concludit Sot. quòd legum immodica turba hoc ſolùm præſtat, vt boni, ac mites, qui legibus non indigent, circumſepti viuant, pertinaces autem, & indomiti leges plurimas habeant, quas peſſundēt ob ſuas explendas libidines: & cum neceſſaria lex, inquit Medina 1. 2. quæſt. 95. art. 3. ſtatuatur ad malos coercendos, bonoſque fouendos, atque protegendos, & eum ipſa multitudo malos non frenet, nec bonos protegat, imò aggrauet, & obruat; ideò neceſſariò ſequitur relaxatio in Religionibus, quarè, vt Prælati relaxationi obſtent, tria ſunt neceſſariò obſeruanda. Prim. vt modica turba legum ſubditos circumuallet: Sec. vt non ſit ardua, vt etiam circumuallare poſſit imperfectos, vt optimè inſinuat Sot. vbi ſupr. qu. 6. art. 2. Ob idque, inquit, non ſunt legibus, quæ omnibus debent eſſe communes, onerandi; quæ ſolis integris viris, ac ſpiritu feruentibus poſſibiles ſunt, ſed prorſus iis, quas imperfecti adire, atque ferre poſſunt, vt illis faciliotibus imbuti, ad alias, quæ arduæ ſunt, valeant ſua ſponte conſcendere. Tert. vt homines ad obſeruandas tales leges alliciantur more ſuo, vt ſcilicet gradatim eorum imperfectione appulſa promoueantur; quarè Sotus paulò inferiùs addit: Ac non citiùs in vſu veniant, vt dum nimia legum anguſtia ſepiuntur, in deteriora proſiliant; nam vt legitur Prouerb. 30. *Qui nimis emungit, elicit ſanguinem*: & Matth. 9. *Si vinum nouum*, ideſt ardua calore feruentia mandata, *mittatur in vrnas veteres*, ideſt in homines impuros, corruptiſque affectibus laceros, *vinum effunditur*: hoc eſt præcepta contemnuntur, & ex contem-

ptu

ptu iniqui in peiora prorumpunt; quarè ſæpè eſt memoriæ mandandum monitum S. Baſil. orat. 6. de inſtit. & admonit: *Nam* inquit, *ea diſciplina, quæ violenta eſt, diuturna eſſe non ſolet, at ea, quæ cum delectatione quadam ex iucunditate percipitur, neſcio quomodò firmiùs animis noſtris inhæret.*

Relaxatur Religio, quandò Superior non ligat amoris vinculo ſubditos, ſed ſtudium ponit, vt timeatur, præ manibus ſemper geſtans virgam pœnæ, præſertim quandò imponit leges, ſeu mandata ſub grauibus pœnis temporalibus exequutioni mandanda: quandò etiam non vigilat, ne oratio tepeſcat, ſed magis in Religioſorum cordibus ferueat: Cum ergo amor, vt inquit Mirand. vbi ſupr. quæſt. 23. art. 42. concl. 3. ſit, ac debeat eſſe totius regiminis boni, ac rectæ gubernationis exordium, eo deficiente, deficit quoquè obſeruatio diſciplinæ regularis, ac paulatim introducitur relaxatio; & ideò dicit Sot. vbi ſup. quæſt. 5. art. 3. Humanam diſciplinam in hoc conſiſtere, quòd ſit in noſtra facilitate, ideſt poſſibilis ſecundum naturam, amore, & vſu legis præſcripta ſequi: & Emm. Rodriq. tom. 3. quæſt. 47. art. 1. verſ. Dices innumeræ, &c. loquendo de legum multitudine ſub pœnis imponendarum inquit: Ordinatio deficiens eſt, quæ præcipit, vt omnes aliæ ſub grauibus pœnis temporalibus exequutioni mandentur; ſuauiter enim hæc omnia exequutioni debent mandari: debent Prælati inſtruere ſubditos in ſpiritu lenitatis conſiderantes ſe ipſos, ne & ipſi tententur; non enim Deus dedit illis ſpiritum timoris, ſed virtutis, ac dilectionis, &c. ſobrietatis, nec ſubditi acceperunt ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamant Abba pater. S. Bonau. vbi ſupr. c. 6. ait: *Prælatus ſtudeat magis amari, quàm timeri, quia libentiùs obeditur ei, qui diligitur, quàm ei, qui timetur, obedientia dilectionis propriè eſt voluntaria, timoris magis eſt coacta: quantò ergo illa habet de voluntario, tantò ſublimior eſt merito:* multiplicentur quidè ordinationes, ſanciantur leges, imponantur tranſgreſſoribus pœnæ pro reformatione, nunquam in cœnobijs illa enitebit, nunquam ſubditis reformatis gaudebit Religio, niſi Prælati ſtudeant amore allicere ſubditos, & ſubditi ſtudeant amore proſequi Prælatos, & amore ſtudeant mandata exequutioni mandare, quarè Prælati, qui magis ſtudent timeri, quàm amari, præ oculis ſemper habeant præceptum S. Th. 1. de regim. Princ. c. 10. *Timor eſt debile fundamentum; nam qui timore ſubduntur, ſi occurrat occaſio, qua poſſint impunitatem ſperare contra Præſidentes, inſurgunt eò ardentiùs, quò magis contra voluntatem ex ſolo timore cohibebantur.* Relaxatur quoquè Religio, cum Superior non inſiſtit, ne orationis feruor deficiat: nam Religioſi, dum ad habitum aſſumuntur, aſſumuntur etiam ad prælium ſpirituale, teſte Eccleſ. 2. n. 1. *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*: variæ adducuntur rationes à SS. PP. cur accedenti ad ſeruitutem Dei parata eſt tentatio, quæ poſſunt inſpici apud Cornel. à Lapid. in loc. cit. Eccl. vnam tantùm hic attingam, & eſt S. Bonau. opuſc. de profectu Relig. lib. 2. c. 1. *Religioſus non tantùm in quiete deuotionis, & dulcedine conſolationis ſpiritualis, ſed etiam in labore certaminis, & exercitio bonæ actionis debet quærere. ſtudium perfectionis, & merendi occaſionem*. hinc S. Franciſc. vt haberi ſpeculum vitæ eius in doctrina ipſius c. 12. dixit: *Annulus eſt tentatio, quo Deus animam ſerui ſui ſibi deſponſat; nemo enim ſeruum Dei ſe æſtimet, donec per tentationem, & tribulationem tranſierit; illa enim probatur virtus perfecta, amplioris gratiæ ſignum eſt, nihil in ſeruo ſuo impunè relinquere quandiù viuit in hoc Mundo*: medium ergo non ſuccumbendi tentationibus, ac pugnæ canendi victoriam, ne in via perfectionis acquirendæ deficiat Religioſus, & dicatur verè ſeruus Dei, eſt oratio, dicente S. Bonau. vbi ſupr. cap. 66. *Omnia contraria ſaluti reprimit, & neceſſaria confert, & conſeruat, & perficit*: & S. Chriſoſt. in ſermon. var. tom. 1. ſermon. de Moyſ. ait. *Oportet*, inquit, *Chriſtus Luc. 11. ſemper orare, & non deficere, dum oportet, dicit, neceſſitatem inducit, neceſſitas autem tanta vi adſtringitur, vt quod neceſſe eſt, & ſi nolis præterire, non poſſis: deniquè manducandi, bibendi, veſtiendi*

*neceſſitas à natura illata præteriri non poteſt, ſine quibus geri vita iſta non poterit: igitur ſi pretermitti iſta non poſſumus, ſine quibus non poteſt vita iſta celebrari, quomodò tutus ab hoſte eſſe poterit, qui, quòd oportet ſemper orare, contempſit?* medium ergo non reſiſtendi pugnæ, adhærendi peccato, ac deſtruendi virtutum ſtructuram eſt orationis contemptus; hinc dicebat S. Bonau. opuſc. de ſex alis Seraph. c. 3. alibi relatus: *Cauenda eſt perturbatio ſtudij deuotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impinguatur: arida eſt omnis Religio, quæ non oleo iſto ſaginatur: inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ deuota orationis frequentia non compaginatur, ſicut paries lapidum ſine cæmento: in omni Religione, vbi deuotionis feruor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ; lampades fatuarum virginum ſine oleo extinguuntur: Matth.* 25. addo pro fine: *Quantò*, dicit idem Sanctus vbi ſupr. de profect. Relig. c. 69. *frequentiùs quis orat, tantò fiet ei oratio delectabilior, & efficacior, & quantò rariùs, tantò inſipidior, & tædioſior, ſicut experientia ſæpè docet.*

2. Relaxatur Religio, dum Generalis toto conatu non nititur obſtare malo, quod directè aduerſatur bono regiminis. Pro intelligentia eſt notandum, quòd ſicut in viuentibus, nempè vegetatiuis, ſenſitiuis, & rationalibus datur augmentatio, ſtatus, ac declinatio; ita in regiminibus, vt optimè inſinuat Lipſius in cent. ad Belgas ep. 7. *Magna Imperia*, inquit, *limites habent, quo, cum venerunt, ſiſtunt, retroeunt, ruunt*: quod etiam adnotauit S. Bonau. alibi relatus loquendo præſertim de Clericis, & Regularibus: cum ergo tandem Imperia quaſi naturaliter tendere debeant ad occaſum, profectò ab aliquo principio, & non niſi ſpecialiter à ſuo contrario impelluntur; quodnam, quæſo, erit iſtud tanta malignitate ardens? ſeditio quidem, vt rectè aduertit Decian. de crim. læſ. maieſt. lib. 7. de ſedition. c. 19. n. 3. tom. 2. *Serpunt enim*, ait, *ſenſim ſeditiones, & quod ſanum eſt in Republica, vitiant; æterna enim forent Reſpublicæ æternæ Regna benè inſtituta, & iuſtis legibus munita, ſi ſeditiones forent incognitæ; ſed Dij immortales id vnum venenum eam labem Ciuitatibus, & Regnis imminere voluerunt, & Imperijs, vt ſicut omnia creata mortalia forent*: elicitur etiam ex Albert. Magn. lib. 4. polit. cap. 1. C. & cum non magis res deſtruatur, quàm à ſuo contrario; ideò tota vis zeli Generalis inſiſtere debet ad obſtandum magis huic malo, quàm cæteris alijs, quia, introducta factione, ac ſeditione, tota vita regularis, ait D. Antonin. relatus in 5. dub. p. p. deficit: & licèt aliqua perfectio adhuc eniteat, nullius roboris videtur eſſe, dicente S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 3. *Diſcordes & ſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferunt, profectò nulli ſunt, quia non ex vnitate charitatis oriuntur*: proindè Generalis ipſe præſertim obſtare debet principio ſeditionis, vt adnotauit paulò inferiùs Decian. *quia compertum eſt modicam ſcintillam magnum excitaſſe incendium*: imò S. Thom. 5. polit. lect. 7. ex Ariſt. *Aliquandò*, inquit, *contingit, quòd ſubintrat talis ſeditio, quæ fit ſecundum modica, & latet propter eius paucitatem, vel non curatur, & ſi negliguntur huiuſmodi præuaricationes, facient vnam magnam præuaricationem, quæ corrumpet Rempublicam; ſicut enim paruæ expenſæ frequenter factæ corrumpunt totam ſubſtantiam alicuius, ſic paruæ, & modicæ præuaricationes frequenter factæ corrumpunt totam Rempublicam: huiuſmodi corruptio latet ſæpè, quia non fit ſimul, & ſecundum magna, ſed fit paulatim, & ſecundum modica*: & Albert. Magn. lib. 5. Polit. c. 5. M. *Tranſmutationes etiam latent, eò quòd ſoluuntur paulatim, ideſt ſucceſſiua tranſgreſſione*: & ideò quia latent, debet Generalis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ iſtas paruas vniones, de quibus loquutus ſum præſertim in tract. de munere Generalis in dub. 114. prohibere, & imponere electoribus, ſi eas agnoſcunt, vt illis hominibus maximè capiti, qui eas formant pro quacumque dignitate vota denegent: videantur ea, quæ dixi in dub. 28. cuius titulus incipit: An doctrina allata in duobus, &c. O ſi

loqui

loqui poſſet Prouincia illa, de qua loquutus ſum in prima parte, diceret inquam, diceret à capite vſque ad pedes non eſt in me ſanitas, ſed tota ſum corrupta à potentibus factionibus, quę me faciũt gemere, & erumpere in clamores vſque ad ſydera: ſi primæ ſcintillæ huius peſſimi mali parua gutta aquę pro remedio eſſet appoſita, in ſinu meo hoc magnum incendium non arderet. *Nam ad officium Præſidis eſt*, vt optimè aduertit Canonherius in ſept. aphoriſm. Hippoc. in 3. aphoriſm. x. *in tempore occurrere malis, quia meliùs eſt in tempore occurrere, quàm vulneratam cauſam remedium quærere*: & Alb. Magn. vbi ſup. *Occurrendum eſt in principio quandiù paruus eſt error, quia ſi incrementum acceperit, difficilior eſt medicina.* Tria ergo, vt magis loquar in particulari, debet Generalis arcere à congregatione, à quibus originem trahunt diſcordiæ, ac ſeditiones, inquit S. Antonin. 2. p. tit. 4. c. 8. §. 3. Prim eſt proprij commodi procuratio inordinata alicuius, ſeù aliquorum, quia indè multi grauantur, & cum eis modicam poſſunt habere concordiam, vndè Ariſt. 3 polit. c. 4. ait: *Conſtat igitur, quòd quæcumque Reſpublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ certè rectæ ſunt ſecundum ſimpliciter iuſtum, quæcumque verò ad propriam eorum, qui præſunt vtilitatem, aberrant quidem, ſuntque omnes rectarum Rerumpublicarum tranſgreſſiones, & labes; gubernant enim quaſi à dominis: Ciuitas autem eſt liberorum ſocietas*: quarè à regiminibus debet arcere illos Prælatos, qui præ alijs abſque iuſtitiæ diſtributiuæ regula volunt frui bonis, ac commodis Religionis, pro quibus conſequendis ſuſcitantur ambitiones, ac factiones, quæ ſunt labes Religionis: debet etiam expellere à congregatione quaſdam induſtrias, ac artes, quæ fiunt ad cumulanda vota; nam Generalis prę oculis ſemper habere debet, quòd ſerpunt ſenſim ſeditiones, vt dicit Decian. & *quòd ſeditionem*, inquit Franc. Patrit. de Republic. lib. 6. c. 5. *mouet inuria, & deſidia eorum, qui ciuili ſocietati præſunt*. Sec. cum honores, & officia aliquibus copioſè conferuntur, alijs autem parùm, aut nihil impertiuntur, generatur diſcordia: *Vbique*, dicebat Ariſt. lib. 5. polit. c. 1. *propter inæqualitatem oritur ſeditio*: quarè omnibus ſecundum meritorum menſuram diſpenſare debet aliquod officium, & curare, vt ab omnibus id præſtetur exemplo Dei, inquit Antonin. vbi ſupr. *Qui facit concordiam in ſublimibus, Iob. 25. ideſt in Angelis diuerſa officia concedens, quorum nemo officium vſurpat alterius*: & S. Chryſoſt. in policratico lib. 1. ait: *Tunc Reipublicæ corpus roboris ſui integritate vigebit, tunc optimè compoſitionis ſpecie venuſtabitur, & elegantis pulchritudinis decorem induet, ſi ſingula quæque locum teneant ſortita decenter, ſi fuerit officiorum non confuſio, ſed diſtributio*. Tert. quandò non puniuntur delicta, tunc ſequitur diſcordia; nam ex hoc datur audacia malis ad lædendum alios: quò fit, vt excitentur diſcordiæ, ac inimicitiæ, ſicut etiam ſuſcitantur, ſi tantùm multantur flagitia impotentium, excluſis potentibus: pro certo Prælatus habeat, quòd parua perfectio Religionis in concordia ſemper creſcit, maxima perfectio in diſcordia ſemper ruet vſque ad extremum exitium, dicente Seneca in Prouerb. *Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*: legat etiam quæſo nonnulla verba S. Hieronym. in regul. Monach. de charit. & pace. tom. 9. *Pax quærenda eſt, vt fugiamus bella, nec ſufficit eam quærere, niſi inuentã, fugientemque omni ſtudio perſequamur, quæ exuperat omnem ſenſum, in qua habitatio Dei eſt, Propheta dicente: Et factus eſt in pace locus eius: infernus itaque inter fratres diuidit: quidquid igitur ſeparat inter fratres infernus dicendus; concordia enim paruæ res creſcunt, ſic in diſcordia maximæ dilabuntur: pulchrè igitur perſequutio pacis dicitur.*

Relaxatur Religio, cum Generalis non ſtudet à regiminibus aliorum inferiorum Prælatorum reſcindere tyrannidem, quæ facillimè in eorum actionibus, & ſub coloraris rationibus exercetur. Pro intelligentia ſunt notanda verba Abulenſ. in exod. c. 10. qu. 19. dicentis, quòd Principes, & Prælati non debent curare de bonis ſuis, ſed de bonis communitatis conſeruando ſtatum politicum; nam iſtorum ſolicitudo eſt diſtribuere iuſtitiam omnibus de politia; iuſtitia autem non eſt bonum proprium, ſed alienum: qui ergo iuſtitiæ ſtuder, non ſtudet ſibi, ſed alteri, ſic declarat Ariſt. 4. Ethic. &

ideò dicit, quòd eſt difficiliùs eſſe iuſtum, quàm habere alias virtutes, quia per quodlibet aliarum virtutum ornamentum quilibet eſt bonus ſibi, per iuſtitiam eſt ſolùm alteri bonus; magis autem inclinant homines ad ſe ipſos, quam ad alteros: ex hoc concludit Philoſophus in eod. lib. ex authoritate Biantis, quòd Principatus oſtendit virum, ideſt quandò aliquis eſt virtuoſus, & non eſt Princeps, non incumbit ſibi onus diſtribuēdi iuſtum, & vacare aliorum vtilitatibus, ſua relicta; quādò autem eſt Princeps incumbit ei onus ceſſādi à ſuis vtilitatibus, & quia hoc eſt valdè graue, ibi demonſtratur, quis eſt vir ideſt, quis eſt virtuoſus, vel ſi fortè aliquis ante ſe habebat benè in rebus ſuis, & ex hoc iudicabatur virtuoſus, cū cœperit principari ceſſando à ſuis vtilitatibus, & ſtudendo vtilitatibus aliorum, videbitur, ſi erat verè virtuoſus, vel non: hæc Abulenſ. Eſt etiam notandum, vt dictum eſt hominem magis inclinare ad ſeipſum, & ad ſua commoda procuranda, quam ad alios, eorumque vtilitatibus vacandum; ideò facillimè à recto iuſtitiæ tramite recedere poteſt; & ſi quæras cauſam, alia deſignari nequit, niſi proprium commodum, vt elicitur ex S. Th. 1. de reg. Princ. cap. 11. *Nullus enim à iuſtitia declinat, niſi cupiditate alicuius commodi tractus*: ex qua doctrina, videlicet ex difficultate iuſtitiæ poſſidendæ ſecundum intrinſecum munus, & facilitate adhærendi ſibi ipſis, commodiſque proprijs, Prçlati deflectere de iuſtitiæ via facillimè poſſunt, non procurando ſubditorum vtilitatem, ſed proprium, & ita incidere in tyrannidem opprimendo ſubditos in bonis, quæ eis ex iuſtitia ſecundum meritorum proportionem debentur: qua ex re oritur maxima relaxatio in Religionibus; nam Prælati ſub coloratis rationibus propria commoda defendunt, ſubditi verò putant ea licitè poſſidere; quò fit, vt ſtudeant varijs modis eadem conſequi, vndè excitantur ambitiones, formantur factiones, audiuntur murmurationes, multaque alia mala in non paruum Religionis detrimentum: quarè S. Th. 1. de reg. Princ. c. 6. ab hac facilitate inſtructus aiebat: *Sic eſt diſponenda Regni gubernatio, vt Regi iam inſtituto tyrannidis ſubtrahatur occaſio, ſimul etiā temperetur poteſtas, vt declinare de facili in tyrannidem non poſſit*: inter media à Religionibus exiſtimata apta ad hoc exequendum eſt electio ſupremi Prælati, nempe Generalis, cuius munus eſt omnibus inferioribus Prælatis præeſſe, vt timore ſupremæ authoritatis contra propriam inclinationem, & propenſionem colant iuſtitiam, omnibus ſubditis ea præſtando, quæ ipſorum ſunt, propriamque vtilitatem negligēdo, vt æquitas in bonum pacis, ac quietis ſeruetur, & hoc eſt, teſte D. Ambroſ. in dub. 7. relato, de intrinſeca iuſtitiæ ratione: *Iuſtitia eſt*, inquit, *quæ vnicuique, quod ſuum eſt, tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communē æquitatem cuſtodiat*: quare Generalis, vt proprio muneri ſatisfaciat, tres ſpecies tyrannidis à Prælatis arcere debet. Prim. quandò ipſi imperant, & gubernant ad opulentorum commodum; nam hoc videtur tyrannicum iuxta doctrinam Ariſt. 3. pol. c. 5. *Tyrannidem eſſe dicimus paucorum potentiam, cum ad opulentorum commodum gubernant*. Sec. quandò ſub varijs rationum coloribus depauperare ſatagunt dignitatibus inferiores, ac ſubditos, quæ rationes tandem reſoluuntur, ne ſibi arripiant locum, id etiam eſt tyrannicum ſecundum præceptum Ariſt. 5. polit. c. 11. *Tyrannus ſatagit ciues depauperare; nemo enim impoſſibilia aggreditur*: Tert. eſt, quandò verbis, alijſque medijs ſanctitatem, vir-virtutem, ac excellentiam virorum obtenebrant, ac ſi in ſe ipſis nullus defectus videretur, & eſſent de cœleſti ſtirpe: *Qui autem*, inquit. Ariſt. 5. polit. c. 11. *ſubditorum vel honeſtati ſtudent, vel libertati minuere excellentiam, & præeminentiam Tyranni videntur; oderunt ergo illos Tyranni tanquam euerſores poteſtatis ſuæ*: demum Generalis reſcindere omnes alias ſpecies tyrannidis debet, quæ ſatis cognoſcuntur ex verbis ſequentibus Abulenſ. vbi ſup. Qui autem Princeps, vel Prælatus eſt magis vacans vtilitati ſuæ, quàm diſtributioni iuſti politici, non Prælatus, aut Princeps, ſed Tyrannus eſt, quæ ſatis dura definitio eſt noſtris Principibus, & Prælatis.

Relaxatur Religio, cum Prælatus, qui grauiſſimum onus regiminis animarum ſuſtinet, non ſe conuertit ad Deum per quotidianum cultum orationis, vt poſſit di-

uinas illuminationes mereri ad rectè gubernandum, iudicandum, ſubditiſque ſecundum merita prouidendum; aliter enim faciendo ſub tanto onere corruet, regimen confundendo, multorum merita negligendo, propriamque animam multis peccatis vinciendo; nam quis ignorat omnem poteſtatem eſſe à Domino, vt refert D.Thom. 2. de reg. Princ. c. 16. ex D. Paul. ad Roman. c. 13. *Vndè & vices Dei Rector*, inquit Sanct. *gerit in terris, propter quod tota virtus dominij ex Deo dependet, ſicut eius miniſter, vbi eſt dependentia à Domino, neceſſaria eſt Superioris reuerentia, quia per ſe nihil eſt, vt in miniſtris regaliũ curiarũ contingit, propter quod in Apocalypſi quotieſcumque agitur de cœleſtium ſpirituum miniſterio, qui per ſeniores tanquam maturiores in actionibus, & animalia, quæ potius aguntur, ex vehementi irradiatione diuina, & in miniſterio deſignantur, ſemper de eiſdem ſubiungitur, quòd ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt Deum*: quarè Prælatus, qui perfectionem Religionis propagare exoptat, debet in propriæ exininationis faciem cadere recognoſcendo poteſtatem gubernandi à ſummo Deo dari, eumque adorare implorando diuinum auxilium ad rectè ſuſtinendam tantam regiminis molem, aliàs corruet, Religionem relaxando: percipe, & in corde imprime hæc verba D. Thom. vbi ſupr. cap. 15. *Reges, & Principes communes habent actiones, & vniuerſalem diligentiam ſubditorum, cum non ſufficiat homo ſolus ad proprias actiones, oportet, quòd in multis deficiant, quia talis actio, ſiue actiones, quæ ſunt populum gubernare, iudicare, ac vnicuique ſuorum ſubditorum ſecundum merita prouidere tranſcendunt virtutem naturæ, propter quod dicitur, quòd eſt ars artium regimen animarum; & arduum eſt valdè, vt, qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, Iudex fiat alienæ vitæ, ſecundum quam cauſam Sauli aſſumpto, & vncto in Regem per Samuelem prophetam præcipitur, quòd aſcenderet ad cuneum prophetarum, vt ibidem per eleuationem mentis prophetando, cum eis circa populum gubernandum ex diuina influentia haberet notitiam agendorũ, quod factum fuit, vt patet in 1. Regum 10. vndè impoſſibile eſt Reges, & Principes non errare propter dictam cauſam, niſi ad illum, qui omnia gubernat, & omnium eſt conditor ſe conuertant, & propter hanc cauſam dicitur in Eccleſiaſtico de Regibus Iſraelitici populi, quòd præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam, qui fuerunt viri ſpirituales, & à Deo illuminati, omnes peccauerunt Domino.*

Relaxatur Religio, quandò aliquod incommodum magni momenti eſt à Religione euellendum, & ab aliquo ex Conſultoribus, ad quem ſpectat reformatio, proponitur remedium, quòd facillimè repudiatur ob quamcumque difficultatem occurrentem, cuius ſolutio non habetur in promptu: quò fit, vt repudiantes errent, & contra ſcientiam ignorantes, quòd leges nequeunt omnia incommoda euitare, ſed illæ ſanciuntur, ſub quibus minora ſequuntur: quarè dicebat Ægid. Roman. de regim. Princ. 2. p. lib. 3. c. 5. *Vix ſunt aliqua geſta humana, quæ ex aliqua parte non exponantur periculis, illa tamen magis cauenda ſunt, quæ pluribus periculis exponuntur*: & contra prudentiã, cuius munus eſt ponderare res non ſecundum apparentiam alicuius rationis ſibi occurrentis, ſed ſecundùm eſſentiam ipſarũ, & non ab extrinſeco ſecundum opinonem alicuius hominis, ſed ſecundum æſtimationem, quam de illis facit Deus, & conformare electionem earum huic iudicio, & ſic magnas magni facere, & paruas paruipendere: quarè S. Chryſoſt. c. 24. in Matth. homil. 51. inquit; *Prudentem voco ego non hominem ſapientem, & doctum tantùm, ſed illum, qui habet iudicium ſanum, & illuſtratum, & qui ponderat res iuxta naturam ipſarum, & illis vtitur ad præſcriptum rationis*; & ita remedium denegatur non paruo incommodo, & continuò Religio relaxatur.

3. Relaxatur Religio cum Capitula prouincialia reformationi Prouinciarum non intendunt: dico Capitula prouincialia, quia ab iſtis magis dependet reformatio totius Religionis, quàm à Capitulis generalibus, ſeù à Generali, ſeù à Prouinciali. Pro intelligentia multa ſunt conſideranda. Prim. Religionem diuidi in duas partes, ſcilicet in Superiores, qui vocantur maiores, & ſubditos, in quibus contingere poſſunt defectus reformandi, & quælibet pars moraliter lo-

quendo

quendo propter propenſionem, quam vnaquæque habet ad ſe ipſam, & propter commiſerationē, quę vnaquæque ſe reſpicit (pręſertim illa Superiorum) putat aliquid ſibi conuenire, non eſt apta ad corrigendam, reformandamque ſe ipſam, quia quælibet ſub coloratis rationibus apparentibus multa poteſt intelligere ſibi conuenire, quæ Religionis perfectioni obſtare videntur; vndè Tiraquel. de pœn. temp. ſeru. 51. à n. 82. inquit: Tantus eſt amor ſui, vt quiſque etiam ſanctiſſimus cæcutiat in proprijs: & Ægid. Roman. de reg. Princ. 1. p. lib. 3. c. 9. ait: *Homo nimis decipitur in proprio commodo, ſemper videtur ei ſe plus debere recipere, quàm accipiat*: & paulò inferiùs: *Quilibet deceptus in iudicando de ſe ipſo appretiatur ſe plus valere, quàm valeat*: & S. Baſil. in conſtit. monaſt. c. 23. in fin. inquit: *Illud firmiſſimum tenendum eſt rem omnium eſſe difficilem ſe ipſum cognoſcere, & curare, proterea quòd naturaliter quiſque ſe ipſum amat, & quilibet quia naturaliter in ſe propenſus eſt, in veritatis iudicio fallitur, at verò ab alio curari, cognoſcique facile eſt, cum ei, qui alios regit, ad veritatem diſcernendam, nequaquam obſtet ſui ipſius amor*: & hoc præcipuè in Superiorum parte tum propter dignitatem, tum propter merita, tum propter labores à propria authoritate defenſa, quæ obtuere ſubditos poteſt mille modis etiam ſuauibus, ſi aliquid contra ipsā loqui volūt, & ideò ait Rodriq. to. 3. q. 47. ar. 3. verſ. ſecund. ratio, celebrantur Capitula tā generalia, quàm prouincialia vt viſitentur Prælati, & de ſuis defectibus publicè puniantur, vt ſucceſſoribus ſint in exemplum, vel ſaltem metu pœnę à ſimilibus patrandis ſe abſtineant. Secund. Generalem eſſe ſubditum Capituli generalis, ac proindè ipſum obligari ſicut alias perſonas ad obſeruandas leges eiuſdem Capituli, non ſolùm quoad vim directiuam, ſed etiam quoad vim coactiuam; vndè Generales temporales functi officio viſitantur, & puniuntur de defectibus commiſſis contra leges à Capitulo generali ſtatutas. Ita Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 8. n. 18. tr. 8. idem eſt philoſophandum de Capitulo prouinciali aduerſus ſuum Prouincialem: adde, quòd Capitulum generale ſicut poteſt eligere Generalem, ita poteſt eum deponere; punire, eius authoritatem augere, & minuere ob ſupremam authoritatem. Ita Suar. vbi ſupr. tr. 10. lib. 10. c. 4. idem dic de Capitulo prouinciali aduerſus Prouincialem. Tert. Generales, ſeù Prouinciales in ſuis Capitulis ſub mortali teneri non eſſe negligentes ſupra Religionis reformationem, & intendere debere, quomodò diſciplina regularis obſeruetur, quomodò ambitio ſit extirpanda, quomodò regula negligatur, qui mores ſint corrigendi, quomodo Superiores tyrannici ſint euellendi, &c. vt inquit Rodriq. vbi ſupr. art. 2. & 3. & his omnibus remedium apponere: aduertant tamen, quòd tantùm inſiſtere ſubditorum reformationi, & non Prælatorum non videtur tutum in conſcientia, quia, vt benè dicit Zerola in praxi p. 2. tit. reformatio, quem citatum ſequitur Peirin. de ſubdito tom. 1. qu. 1. c. 7. Prælatus nequit præcipere vni Monacho, vt reformetur, niſi reformentur & alij: ergo tantò màgis ſub mortali tenentur Capitula intendere ſupra omnium reformationem, quia finis Capitulorum eſt reformatio Religionis: ex hac tota doctrina colligitur, quòd reformatio totius Religionis difficile poteſt haberi à Capitulo generali, quia, cum ferè ſemper componatur ex Superioribus maioribus, qui ſunt vna ex partibus Religionis ob rationem ſuperiùs dictam difficile defectus in ſemetipſis moderabuntur; ideò non eſt medium congruum pro reformatione introducenda, licèt ſit aptum pro reformatione ſubditorum: nec ita facilè poteſt haberi à Generali, quia, cum aſſumatur ex his Patribus, maioribus poteſt aliquo modo dubitari fore, vt non intendat tanta vi, quanta eſt neceſſaria ad reformandos Prælatorum defectus (licèt faciliùs ab ipſo haberi poſſit, quàm à Capitulo generali, maximè quandò eſt vir ab omni affectione humana alienus, ambitionis inimicus, electionumque partialium deſtructor) & quia ſemper non eſt præſens Capitulis prouincialibus pro corruptelarum deſtructione, quæ tractu temporis in parte Superiorum oboriuntur, & ſub coloratis rationibus nutriuntur, & defenduntur. Concluditur ergo maximam, ac virilem reformationem ferè ſemper dependere à Capitulis prouincialibus, quia ibi ſunt Superiores maio-

res

res pro ſubditorum reformatione, & pro Prælatorum moderatione eſt ferè totum. Capitulum non compoſitum ex Prælatis maioribus,ſed ex ſubditis ordinarijs,qui ęgrè ferunt corruptelas, ac commoda in Superioribus maioribus ab eorum authoritate introducta, ac ab eadem conſeruata, & quòd ipſi ſemper ſubeant reformationis onus, & Superiores maiores,quorum defectus totam inficiunt Religionem; nam quod agitur à Prælatis facilè trahitur in exemplum, vt dicitur c. Magnæ,de votis: leuiter, aut nunquam tale onus portent: qua ex re clarè habetur, quòd ſi Religio non reformetur à Capitulis prouincialibus,in relaxationis profundum ruet.

Tota difficultas erit in aſſignando modo ſuaui, qui prædictæ relaxationi obſtet, qui pacem inter ſubditos, & Superiores conſeruet, qui libertatem loquendi abſque Superiorum timiditate ſubditis tribuat. Modus pro meo captu aptiſſimus erit, vt Prouincialis tanquam caput totius Capituli id congreget, & vnuſquiſque capitularis ſecum ferat ſchedulam,in qua ſint defectus notati, de quibus intenditur reformatio: eligantur poſtea à toto Capitulo tres homines inter omnes digniores, qui non ſint, nec fuerint inter Superiores maiores connumerati, indè in præparatam vrnam mittantur ſchedulæ illæ, & extractæ legantur à Superioribus maioribus electis in illo Capitulo vnà cum illis tribus hominibus, ſi ſex conueniant in aliquo defectu reformando, ſi defectus inficiat ſubditorum partem, ne aliquod impertinens ſub vota cadat,recognoſcatur à Superioribus maioribus, ſi eis viſus fuerit reformatione indigere, proponatur Capitulo, vel tantùm Superioribus maioribus tam præſentibus, quàm præteritis, prout magis videbitur expedire, & ſi pro reformatione maiorem partem votorum ſecretorum habuerit, intelligatur prorſus reformatus: ſi verò defectus contaminet partem Superiorum maiorum, tres illi Religioſi electi iudicent in ſecreto de eius reformatione, & proponatur tantùm Capitulo,ſi reformatione indigebit, &c. ſi autē vtramq; partem fædet tam Superiores maiores in illo Capitulo electi, quàm illi tres electi iudicium ferant de eius reformatione, & proponatur, &c. recordentur omnes, quòd *bonum cuiuſlibet menſurati, & regulati*, ait S. Th. 1.2. qu. 64. art. 1. *conſiſtit in hoc, quòd conformetur ſuæ regulæ, ſicut bonum in artificiatis eſt, vt ſequatur regula artis*: regula ergo præſentis reformationis non eſt ſolùm zelus diſciplinæ regularis, ſed ſimul vnitus cum fragilitate humana, vt ſatis elicitur ex D. Ambroſ. relatus in dub. 19. An Religioni vtilius ſit ferè ſemper in opinionibus DD. partem inclinantem ad mortale, &c. & Soto ſuperiùs allegato de condendis legibus;ideò regulata debent conformari huic regulæ, aliàs mille incommoda ſunt ſequutura: & conſiderata etiam hac regula, & ante oculos tanquam ſpeculum hac habita, adhuc poteſt oboriri malum, vt habetur ex S. Th. vbi ſupr. *Malum autem per conſequens in huiuſmodi eſt per hoc, quòd aliquid diſcordat à ſua regula, vel menſura, quod quidem contingit vel per hoc, quòd ſuperexcedit menſuram, vel per hoc, quòd deficit ab ea, ſicut manifeſtè apparet in omnibus regulatis, & menſuratis.*

Modus iſte mihi videtur eſſe aptiſſimus ad ſatisfaciendum obligationi oneris reformationis, quod ſub mortali incumbit Capitulis,ad conſeruandam pacem inter Superiores, & ſubditos,ad timiditatem expellendam, libertatem loquendi concedendam, & tandem ad occurrendum Religionis relaxationi: ſi fortè alicui non videatur aptus, meliorem tradat, cui meipſum illicò ſubſcribo.

## DVBIVM C.

*An tuta conſcientia Capitulum prouinciale poſſit magnum reformationis negotium committere Prouinciali, ac Definitoribus.*

### SVMMARIVM.

1. *Capitulum prouinciale pro Prouincia condere poteſt leges perpetuò duraturas.*
2. *Idem Capitulum reformationis negotium ad ipſum ſpectans Prouinciali, ac Conſultoribus*

*ſultoribus committere poteſt: quadam habetur limitatio, ſimulque dicitur, quod non eſt conueniens.*

*3. Quilibet capitularis habet annexam obligationem inſiſtendi reformationi, nec ob metum reuerentialem excuſatur.*

Superiùs dixi, quòd multa facere poteſt Capitulum generale, idem reſpectiuè eſt philoſophandum de Capitulo prouinciali: poteſt ergo condere leges, & decreta perpetuò duratura pro Prouincia obligantia omnes, qui incorporati viuunt in ea; Prouincialem quoque poteſt ipſum eligere, deponere, punire, eiuſque authoritatem minuere, ac augere, omniaque facere, quæ Prouincialis ipſe facere poteſt, eò quòd habet authoritatem ſupra ipſum: quò fit, vt ſi Capitulum generale poteſt regulam iam collapſam, & relaxatam ad priſtinum ſtatum reſtituere, obligando ſubditos ad obſeruantiam illius reformationis, eò quòd hęc regulæ reſtauratio concernat ipſam, nec ſit ſupra ipſam, & profeſſi, qui ſunt membra Religionis teneantur etiam cum proprio incõmodo ipſius bonum, & conſeruationem procurare. Silu. tit. Relig. 6. Cordub. in expoſit. regul. S. Franc. c. 10 punct. 6. Sanchez ſumm. lib. 6. c. 2. n. 35. multos alios citans; ita Capitulum prouinciale iſtud idem poteſt pro ſua Pouincia efficere, imò addit Sanch. vbi ſupr. n. 37. quemlibet priuatum Superiorem, cui non datur condere ſtatuta, ſed præcepta imponere, quæ ſiue morte ipſius, ſiue officio terminato expirant poſſe in ſuo conuẽtu, ſeù Prouincia pręcepta imponere obligantia ad ea, quæ prudenter iudicat neceſſaria ad prioris regulæ obſeruantiam, & reformationem, tum quia ſicut Capitulum generale ſtatuere poteſt leges perpetuò duraturas; ita huiuſmodi Superiores eandem poteſtatem habent imponendi præcepta non perpetua, tum quia eorum officium petit, vt in loco ſibi ſubiecto obſeruetur regula, & quæ collapſa eſt, reſtauretur.

*CONCLVSIO.*

Capitulum pouinciale tuta conſcientia poteſt ſuam authoritatem Prouinciali, eiuſque Conſiliarijs concedere, vt nomine ſuo Prouinciam reforment, non eſt tamen conueniens. Suadetur: poteſt augere, ac minuere authoritatem Prouincialis, vt dictum eſt: ergo ei poteſt tribuere reformandi authoritatem: poteſt Compromiſſarijs ius eligendi conferre, vt dicitur in electionis materia: ergo etiam reformandi authoritatem compromittere in huiuſmodi Patres. Limita modò ſint idonei; ſi enim probabiliter timetur, ne reformatio ſolùm ſupra ſubditorum, & non ſupra Prælatorum partem cadat, non ſunt idonei miniſtri pro reformatione, & Capitulum id efficiens ſuæ obligationi non ſatisfacit: dixi, non eſſe tamen conueniens, tum propter propenſionem, quam vnaquæque pars ſibi ipſi habet, tum quia, augmentata poteſtate, augmentatur defenſio propriorum defectuum reformatione dignorum ſub coloratis rationibus, tum quia Iudex in propria cauſa non eſt cõpetens ad ferendum iudicium; & ideò Capitulum ipſum debet reformationi inſiſtere, aliàs Religio ſemper ruet, cum experientia compertum ſit, quòd regula, & Religio, quæ non reformantur, quotidiè ad ruinam, ac maximam relaxationem tendunt.

Aduertendum tamen eſt, quòd, ſi Capitulum, vt propriæ obligationi ſatisfaciat, ſuo niſu reformationi inſiſtere velit, Prouincialis verò renuat, & ad locum capitularem cum toto Capitulo accedere recuſet, ſuo beneplacito ſocietas capitularis in vnum congregetur, quia nihil, vt inquit Suar. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 8. n. 8. ſine præſentia, & præſidentia Prælati per ſe, aut per ſuum vicarium facere poteſt, ac ordinare: non eſt tamen alienum à veritate poſſe Capitulum poſt trinam requiſitionem factam Prouinciali renuenti Capitulum congregare, licitè ſe ipſum congregare, & de reformatione tractare, &c. videatur Samuell. de elect. can. tr. 1. diſp. 2. contr. 4. concl 4. verùm tamen eſt Pouincialem reum eſſe mortalis culpæ, quia reſiſtit reformationi, ad quam incumbere ex officio debet, ſicut etiam lethaliter peccaret Capitulum non inſiſtendo reformationi, quandò incommoda reformanda ſerperent per Prouinciam, maximè in parte Superiorum maiorum: ex quo habetur vnumquemque capitularem ſtatim

ſtatim ac eſt electus contrahere obligationem vacandi reformationi.

Nec quiſque excuſatur ob metum ortum ex ſola reuerentia, quæ maioribus debetur, quia ſola reuerentia per ſe non inducit ſufficientem excuſationem, ne culpa incurratur, vt eſt communis opinio, vt teſtatur Tuſch. lit.M. concl. 219. in fin. Suar. 3. de Relig. lib. 6. c. 4. n. 16. niſi accedant adminicula ex ſententia Alciat. conſ. t. n. 14. cui ſententiæ adhæret Menoch. de arbitrar. Iudic. lib 2. c. 136. n. 10. Primum videtur eſſe, quandò is, cui debetur reuerentia, minatur, & potens eſt minas exequi, tunc cadit metus in conſtantem virum, vt multis relatis docet Sanch. de matrim. lib. 4. diſp. 6. n. 20. Suar. vbi ſupr. n. 17. Limita cum Panormit. Couar aliiſque citatis à Sanch. vbi ſupr. n. 21. id procedere ſolùm, vbi minans ſolitus eſt exequi minas, & vbi vocatur in dubium: an ſolitus ſit: Ita Sanch. vbi ſupr. n. 22. Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub. 52. n. 6. Sec. quandò ſimul cum reuerentia vnitur ſeueritas, vel terribilitas, tunc habetur pro iuſto metu. Ita Panorm. in c. cauſam matrimon. cum vir. Felin. in eod. c. n. 4. off. deleg. hinc dixit Bald. in c. 1. §. ieiunia col. penult. de pace firm. potentis vultum terribilem incutere iuſtum, & ſufficientem metum, quia ibi virtute clauduntur minæ: adhæret Sanch. vbi ſupr. n. 13. alijs relatis: metus ergo his adminiculis roboratus poteſt excuſare à peccato capitulares, qui reformationi non inſiſtunt, eò quòd cum tanto incommodo, ac damno officium non ſuſceperunt, nec ab alijs tribuitur eis: verùm tamen eſt, quòd debent monere Generalem de violentia facta, vt ſua authoritate remedium apponat, maximè quandò eſt vir virtute ornatus,

Addo, quòd ſi capitularis poteſt petere auxilium ab alijs capitularibus, & ſimul vniti poſſunt occurrere minis Superiorum maiorum (ſicut facilè exiſtimatur à multis eſſe præſtandum auxilium, quia in Capitulis Religionum reformatarum non deſunt homines zelo reformationis accenſi, qui facillimè minis obſtabūt) nequit dici, quòd ſit metus cadens in virum conſtantem. Ita colligitur ex reg. damnum de reg. iuris in 6. l. fin. in princ. ff. quòd met. cauſ. Bellon. conſil. 18. num. 14. Tuſch. lit. M. concluſion. 218. num. 20. Sanch. vbi ſupr. diſp. 2. num. 23.

Addo etiam pro fine, vt rectè dicit Innoc. in c. 1. de his, quæ à maiori parte, & Miranda man. tom. 2. quæſt. 23. art. 35. quòd, ſi in Capitulo tractatur aliquid illicitum, atque damnabile, tenentur capitulares contradicere, aliàs habentur pro conſentientibus, & inuoluuntur peccato cum alijs conſentientibus expreſſè.

# R. P. F. IACOBI
# RAGGII
## GENVENSIS
## ORDINIS CAPVCCINORVM
## DE
# REGIMINE REGVLARIVM
## SECVNDA CENTVRIA

*In treſdecim Tractatus diſtributa.*


I. De duratione, & multiplicatione Prælatorum.
II. De Generalis munere.
III. De cauſarum auocatione.
IV. De denuntiandis ad Superioris edicta.
V. De iuſtitia diſtributiua.
VI. De munere proprio ad Definitores ſpectante.
VII. De Priorum, ſeu Guardianorum creatione.
VIII. De Prioribus, ſeu Guardianis Conuentuum.
IX. De Diſcretis eligendis.
X. De ſuffragijs conferendis ab electoribus.
XI. De ſubornatione in electionibus.
XII. De electorum ſuffragijs, ſeu votis nunquam in canonica electione nec publicè, nec priuatè propalandis iuxta præcep. Sacr. Conc. Trid.
XIII. De iuramento præſtando antequam electiones celebrentur.



GENVÆ, M. DC. LIII.

EX TYPOGRAPHIA BENEDICTI GVASCHI.

*DE LICENTIA SVPERIORVM.*

# INDEX DVBIORVM SECVNDÆ CENTVRIÆ.

## TRACTATVS PRIMVS.

Dub. 101. AN Religionum Prælatura ſit perpetua.

102. An expediat, Religionum Generalem eſſe potiùs perpetuum, quàm temporalem.

103. An neceſſariū ſit ad ſupremas Prælaturas, ac dignitates tam Prouinciarum, quàm Religionis pro pacifico ſtatu plures Religioſos eligere.

104. An ex vi perfectionis prædicta viciſſitudo Religionum regiminibus ſit inferenda.

## TRACTATVS SECVNDVS.

105. AN Generalis teneatur ſuæ Religionis Prouincias reformare.

106. An Generalis in viſitationibus Prouinciarum curare teneatur, vt Religioſi Prælationum; præſertim ſupremarū, ac officiorum ſeruantur viciſſitudine.

107. An Generalis immiſcendo ſe electionibus Prouinciarū Religionis, dum eas viſitat, peccet mortaliter.

108. Nonnullæ rationes exponūtur, quæ cogunt Generalem ad debellandas factiones.

109. An Generalis, reluctante inferioris Prę lati voluntate; qui pœnam debitam ob delictum perpetratum ſubdito impoſuit, eam relaxare poſſit.

110. An Generalis poſſit de nouo Prouinciā erigere, & fundare, atque erectam, & fundatam diuidere: & an de poteſtate abſoluta poſſit Religioſum vnius Prouinciæ in alia eiuſde Ordinis incorporare.

111. An Generalis eximere poſſit Religioſū ab obedientia ſui Prouincialis, ſeù Guardiani, in cuius conuentu commoratur.

112. An Miniſter Generalis transferre poſſit Prouincialem ex vna Prouincia in aliam: & an poſſit declarare ſtatuta, ſeù leges ſācitas à Capitulo generali.

113. An Generalis poſſit accuſationem non acceptare, & ea accepta, ipſam reſcindere, atque repellere.

114. An Generalis vniones, ac amicitias ſuffragatorum, quæ poſſunt fieri in quacumque electione tàm Prælatorum, quàm Definitorum, ac Diſcretorum ſub pœna excōmunicationis ipſo facto incurrenda, poſſit, ac debeat prohibere.

115. Nōnulla ſelecta pro directione regiminis Generalis, cū Prouincias viſitat, breuiter enucleantur.

# TRACTATVS TERTIVS.

116. AN Generalis ſubditorum cauſas pendentes coram Prælatis inferioribus, ac ordinarijs ad ſe auocare poſſit.
117. An cauſarum auocatio facta à Superioribus maioribus abſque cauſa, cenſenda ſit inualida.
118. An acta Iudicis inferioris facta poſt auocationem cenſenda ſint valida.
119. Nonnulla notantur, ſpectantia ad auocationis materiam.

# TRACTATVS QVARTVS.

120. AN ad Prælati edictum teneatur ſubditus denuntiare, vel teſtificari, ſi tanquam teſtis interrogetur, fratris delictum, quod ei eſt detectum pro conſilio, vel remedio capiendo, vel ſub ſigillo ſecretum conſignatū.
121. An ad Superioris edictum peccata præterita, etiam emendata ſint denuntianda.
122. An, quandò Superior per edictum generale, ſeù ſpeciale ſub excommunicatione, vel alia quacunque pœna præcipit, vt, qui nouit delictum, ſibi manifeſtet, teneatur ſubditus illud aperire, cùm tantùm ſit notum tribus, aut quatuor.
123. An, quandò quis ſcit delictum fratris, & ſimul ſcit delinquentē probè ſcire crimen illud nulli alteri eſſe notum, ad edictum, ſeù præceptum Superioris ſub quacunque pœna teneatur illud aperire, quandò ex reuelatione timet aliquod graue incommodum ſibi euenturum.
124. Praxis nonnullarum Religionum eſt, quòd cum Generalis, ſeù Prouincialis ingrediuntur Monaſterium, pro eius viſitatione, vt ſuo muneri ſatisfaciant, imponatur pręceptum in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ſubditi ea, quę reformatione, ſeù reparatione digna ſunt, ſibi denuntient: quæritur quomodò ſit intelligendum huiuſmodi præceptum.
125. An ad huiuſmodi edicta Superioris crimina audita, & nō viſa ſint aperiēda.
126. Pro fine huius tractatus in ordine ad Regulares multa ſunt addenda.

# TRACTATVS QVINTVS.

127. AN in conferendis honoribus, & dignitatibus locū habeat in Religionibus iuſtitia diſtributiua.
128. An Religionis conſeruatio petenda ſit à rectè adminiſtrata iuſtitia diſtributiua.
129. An Prælatus ſingulorum ſubditorum merita, vt honore, dignitate, cęteriſq; commodis decorentur, inquirere debeat.
130. An lapſorum merita ſub prædictam inquiſitionem, vt tandem Prælaturis, cæteriſque officijs, ſicut & aliorum decorentur, cadere debeant.
131. An infirmorum, ac debiliū merita ſint exquirenda, vt tandem fruantur honore Pręlationū, aliorumq; officiorū.
132. An Prælatus tantùm ſuo conſilio, ac prudentiæ innixus, aptus ſit ad ſubditorum

ditorum merita indaganda.

133. Quænam lex ſit ſtatuenda pro praxi iuſtitiæ diſtributiuæ applicandæ cum circunſtantijs ſuperius præſcriptis, vt regimen ſuauitatem redoleat.

134. Qua obligatione Capitulum generale teneatur prædictam legem ſtatuere.

125. An iuſtitia diſtributiua ſit medium cōgruum ad ambitionis vitium à Regularibus delendum:

136. An Prouincialis, qui in diſtributione familiarum diſtribuendarum per cœnobia optimis ſubditis, ac officialibus in commodum aliquorum amicorū, qui aliquibus locis præſunt, vtitur, lethaliter peccet.

137. Quibus motiuis à diuina iuſtitia Prælati, qui Religionis bona vltra menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ, ac dignitates in proprium commodum, ac vtilitatem conuertunt, iudicandi ſint.

138. An Superiores præſertim maiores, qui iuſtitiæ diſtributiuæ iura negligunt, diuidendo inter ſe præſtantiora bona communitatis in diuino Iudicio, tanquam ſeditionis peccato inuoluti, damnandi ſint: & an ſubditi, qui tàm grauem patiuntur iniuriam contra eos aliquid agere poſſint.

139. An leges, ſeù ſtatuta, quæ aliquandò ſanciūtur in aliqua Religione de votis alternatiuis, ſeù de votis per nationes diſtribuendis, oboriantur ex neglecta iuſtitia diſtributiua, ex. g. vt ex qualibet natione eligatur vnus Definitor, ſeù vt Prouincialis modò eligatur ex vna, & modò ex alia natione.

# TRACTATVS SEXTVS.

140. AN conſenſus actus expediendi in Collegio, ſeù Definitione collegialiter habendus ſit.

141. A quodam Prouinciali fuit prolata ſententia definitiua contra P. F. N. Sacerdotem ob delicta commiſſa, cui Reo imponitur grauis pœna, præſertim carcer ad tempus, vnius, ex quibus debebat petere conſilium, conſilio neglecto: Quæritur, an huiuſmodi ſentētia ſit inualida, ac nullius valoris.

142. An Definitores, qui tacent, dum Prouincialis abutitur poteſtate, multa operando, quę ſub pœna nullitatis actuum, abſque conſenſu ipſorum Definitorum nequit operari, ſibi præiudicent.

143. An ſententia prolata in Definitorio à maiori parte, ſit à minori, quæ votis ſuis in eam nō conſentit, ſubſcribēda.

144. An Definitores, ſeù Conſultores teneantur liquidò, ac ſincerè ſuam ſententiam in Definitorio aperire.

145. An, quandò crimen occultum ſubditi ti eſt reuelatum Prouinciali tanquā Patri, poſſit ipſe omnibus ſuis Conſultoribus, ſeù Definitoribus illud pro remedio aperire.

146. An Definitores teneantur ſub mortali de ijs, quæ tractantur, ac terminantur in Definitorio ſeruare ſecretum.

147. An Definitores vnà cum Prouinciali poſt latam ſententiam contra Reum poſſint pœnam minuere, vel aliquo modo in illa diſpenſare.

148. An vnio, ſeù fœderatio facta à maiori parte Patrum ex Definitione, vt regimen ordinetur ſecundum eorū ſenſum, ſit lethaliter peccaminoſa.

149. An actus, qui deciduntur à nullis Patribus ſimul vnitis, prout in concluſionę pręcedentis quęſiti, ſint à iure nulli.

# TRACTATVS SEPTIMVS.

150. AN magis expediat Priorū creationē fieri à locorū familijs, quā à Definitoribus, vnà cum Prouinciali.

151. An vniones duorum, vel trium Patrum ex Definitione, quæ fiunt tempore celebrandæ electionis Priorum, ſeù Guardia-

Guardianorum, vt ſuffragentur aliquibus in Guardianos ratione ſitus, amicitiarum, ſeù conciuium, &c cenſeodæ ſint lethaliter malæ: & an electi in Priores poſſint tandè vota ferre pro illis tribus Patribus, qui eos elegerunt, vt conſeruentur in poſſeſſis Prælaturis.

152. An Priorum, ſeù Guardianorum electiones, quę ſequuntur ex vnionibus prædictis, factæ à maiori parte Patrũ ex Definitione, ſint à iure nullæ.

An promiſſiones, quas ad inuicem ſibi faciunt Patres Definitores, ſcilicet dicit Titius alij Definitori: ſi ſuffragium præſtes meo amico, ſeù conciui in Priorem, ego dabo votum meũ tuo nepoti, &c. cenſendæ ſint ſimoniacę.

153. An Prouincialis, ſeù Definitor, qui in Guardianorum electionibus præſtant vota ſæpè pro amicis, ſint in ſtatu damnationis æternæ.

An, quandò tractatur de aliquo promouendo in Guardianum, poſſit ex. gr. Prouincialis manifeſtare eius delicta ſecretè, nota in viſitatione, Definitoribus, qui habent vota electiua.

154. An in Definitorio ex quatuor, vel quinque Patribus conſtante poſſit Definitor, qui ratione pro munere Guardiani, ſeù Prioris præſtando habet duas voces, conſentiendo electioni quaſi de ſe factæ, augere numerum, electionemq; complere.

155. In quadã Religione Priores, ſeù Guardiani creantur à Prouinciali, ac Definitoribus per fabas, & lupinos, ſeù calculos, tali præſcripto modo, vt quilibet Guardianus creandus pro quolibet cœnobio nominetur à Prouinciali, & hic ſubijciatur votis omnium electorum; ſi maiorem partem votorum habebit, intelligatur electus: quęritur, an nominatio, ſeù præſentatio facienda à Prouinciali ſit coactiua, an directiua.

156. An, renuente Prouinciali exponere votis nominatos à Definitoribus, poſſint hi eos exponere, & tandem eligere in Guardianos.


# TRACTATVS OCTAVVS.


157. AN huiuſmodi Priores, ſeù Guardiani ſint verè Prælati.

158. Quoniam iure diuino, an humano fruãtur huiuſmodi Prælati tali iuriſdictione.

159. An authoritas competens Prioribus electis à familijs per electionem canonicam competat etiam illis Prioribus, qui aliter, quam per electionẽ inſtituuntur; & an ea poſſit limitari à Superioribus.

160. An confirmatio in forma ſpeciali deroganteiuri communi, quòd ſcilicet electio Guardianorum creetur aliter, quàm per electionem, intelligatur etiam, quòd ſit derogatum iuri communi, itaut poſſit Religio coarctare, & limitare iuriſdictionem Prælatorũ localium, quæ eis competit ſecundũ ius commune.

161. Quandò in confirmatione aliqua explicatur ſecundum ſubſtantiã, nulla facta mentione aliorum, ſed tantùm in communi, dicendo, reliqua confirmantur omnia, & ſingula ſecundum omnes partes, articulos; &c. & clauſulę motu proprio, & ex certa ſcientia cadunt tàm ſuper illa ſingillatim explicata, quàm ſuper reliqua tantùm in communi: quæritur, an confirmatio ſit in forma ſpecifica reſpectu omniũ, an verò ſolùm reſpectu eorũ, quorum tenor ſaltem ſecundum ſubſtantiam eſt inſertus.

162. An Abbas, ſeù Prior in ſuo cœnobio, cui præeſt, pacẽ teneatur procurare.

163. An Abbas, ſeù Prior curare teneatur, vt ſui ſubditi vnione, ac pace fruantur.

164. An Abbas, ſeù Prior in ſuis functionibus conſilia adhibere teneatur.

165. An Abbas, ſeù Prior ſolò ſuo arbitrio abſque aliorum conſilio ſuis ſubditis præcepta imponere poſſit.

166. An Prælatus, qui numeroſæ familiæ præeſt, ita regularem diſciplinam in tali loco tueri debeat, vt tres, vel quatuor

tuor vigiles,& cuſtodes ponere poſſit in locis communibus, & publicis,vt explorent, & referant actiones, vt,ſi correctione dignę ſint,corrigâtur.

167. An Prælatus tuta conſcientia tolerare poſſit ſubditum,omnia referêtem, quę de eo ſubditi obmurmurant.

168. An Prælato locali licitum ſit ſocium adhibere ſubdito ſuſpecto de minùs honeſta côuerſatione,vt ſibi, tanquam Patri, ad fraternè corrigendum illum denunciet.

169. An liceat Prælato locali, quandò habet ſubditum ſuſpectum de aliquo delicto commiſſo in conuentu, ſeù extra cum muliere,ſeù fratre, cuius fama non eſt diuulgata, eum ſtatim ab illo loco remouere.

170. Quænam potiſſimùm conferre poſſunt ad rectam gubernationem cœnobj.

# TRACTATVS NONVS.

171. AN ſit expediens Religiones habere ſtatutum,vt aſſumantur Diſcreti à cœnobiorũ familijs pro ferendo ſuffragio in Capitulo Prouinciali.

172. An modus eligêdi Diſcretos de neceſſitate conſcientię ſit auferendus à cœnobiorum familijs.

173. Quinam modus ſit deſignandus pro nouo modo eligendi Diſcretos.

174. Alius deſignatur modus ſeligendi Diſcretos.

175. Alius eligêdi Diſcretos mod⁹ proponitur.

176. An, ſecluſo iuramento, ſub mortali teneantur electores ſeligere digniores,& aptiores,vt fungantur munere Diſcretorum,& quomodò ſint confirmandi.

177. An illegitimi nati poſſint eſſe Diſcreti mittendi ad prouinciale Capitulum.

178. An huiuſmodi Diſcreti,ſeù Socij poſſint renūciare voci tàm actiuę,quā paſſiuę.

179. An repudiata, ac renūciata voce à Diſcretis, poſſint eam reaſſumere.

# TRACTATVS DECIMVS.

180. AN ſub mortali electoribus exiſtat obligatio conferendi vota digniori, & vndenam dignioritas ſit exquirenda.

181. Quæ vtilitas primò, & principaliter eſt demandata ſtudio, curæque Præſidentis,ex cuius propagatione dignoſcitur dignior: quibuſque medijs eſt tandem procuranda.

182. An Prælatus propria commoda, vtilitatemque quærens ſit idoneus miniſter ad prædictam vnionem propagandam: & an electores ſub mortali ei vota denegare teneantur.

183. An Prouincialis,qui in creatione Priorũ, ſeù Guardianorum plurimos amicos eligit, poſſit ab electoribus tuta conſcientia denuò eligi,ſeù confirmari in Prouincialatus officio.

184. An electores Prouinciali, qui pluries promouit multos amicos in Guardianos,ſeù Priores,quorum vota, experiētia duce, ei inſeruie runt ad ſe confirmandum in Prælatura aſſumpta, teneantur in conſcientia denegare vota.

185. An,quandò ex quadam experientia habetur amicos inter ſe mutuò præſtare vota, Prouincialis non mediocris ſanctitatis in ſua prima creatione Priorũ, ſeù Guardianorum eligens multos ſibi familiares, & amicos argui firmiter poſſit,quòd ducatur intereſſe, & propenſione habendi vota amicorum in ſui confirmatione, ita vt electores teneantur ei denegare vota tanquam nō non apto ad propagandam vnitatem, & pacem pro conſeruatione multitudinis neceſſariam.

186. Quædam Prouincia Regularium conflatur ex quatuor quaſi nationibus ſic conſtitutis ex ſitu,ſeù Oppidis,ac Ciuitatibus,in quibus ſunt Religioſi geniti, & quælibet Religioſorum multitudinem numerat: quæritur, an elector, cuius munus eſt ſeligere, ex. g. quatuor Definitores,qui vnà cum Prouinciali

uinciali creant Priores, ſeu Guardianos, cæteraque negotia adminiſtrant, poſſit tuta conſcientia vnum Religioſum ex ſingulis partibus eligere in Definitorem.

187. An homini factioſo ſub mortali exiſtat obligatio electoribus negandi ſuffragiũ pro Prælatura:& an deſignari poſſint cauſę, ſi Deꝰ permitteret, vt ab electoribus ille aſſumaretur in Prælatum.

188. Electorum vota ſe diuidunt in duas partes ſuffragando duobus viris, quos Titius clarè cognoſcit eſſe indignos, & ex his vnus eſt eligendus: quæritur, an Titius, prætermiſſo digniori, cui præſtat ſuffragium, poſſit accedere ad minùs indignũ, vt euitentur maiora mala ſequutura ex electione magis indigni.

189. In quodam Religioſorum Monaſterio fuit celebrata Prioris electio hoc modo: ibi tantùm morabantur duo ex familia, apud quos tota poteſtas eligẽdi remanſit, alter elegit alterũ in Priorem; hic verò ceſſit iuri ſuo: quæritur, an hæc electio cenſenda ſit valida, & canonica.

190. Intra familiam ex nouem electoribus conſtitutam, & pro eligendo Superiore locali congregatam legitimè in loco conſueto ab habente poteſtatem congregandi orta fuit quædam contentio; minor pars, nempè quatuor aſſerebat vnum ex quinque non poſſe eligere, quia ligatus erat maiori excõmunicatione; alij verò negabant, minor pars reliquit locum, & in alio loco honeſto, & decenti elegit Superiorẽ: celebrata hac electione, ſubſequitur alia electio; nam illi, qui remanſerunt in loco, aſſumpto illo, de quo erat cõtrouerſia, an poſſet eligere, crearunt alium Superiorem in eodem loco, in quo fuerunt congregati, imò priuſquã exirent è loco: quæritur quænam cenſenda erit canonica electio.

191. An elector, qui ſuo Prælato exponit hęc verba, ad nutum tuum eſt meum votũ, lethali culpæ obnoxius ſit: & an quãdò maior pars electorum inclinat in dignũ, poſſit, ac debeat Caius elector, neglecto digniori, digno illo ſuffragari.

# TRACTATVS VNDECIMVS.

192. Quænam ſubornatio, ſeù votorum procuratio in canonicis electionibus interdicatur.

193. Circa quod verſari debeat præſertim ſubornatio bona.

# TRACTATVS DVODECIMVS.

194. Quænam ſit mens, & intentio ſacr. Concil: Trid. in allegatis verbis.

195. An ſecretum impoſitum à forma Sacr. Concil. tollat ſecretum traditum in c. Quia propter de elect.

196. An elector, qui ante ſcrutinium amico, ſeù amicis dicit, cui ſit ſuffragaturus, vel poſt electionem, cui eſt ſuffragatus, infringat ſecretum à Sacr. Concil. impoſitum, & conſequenter nullam reddat electionem.

197. An, ſi vnus ex electoribus alteri in actu electionis ſuum votũ propalat, id permittente Capitulo, electio ſecuta ſit irrita.

198. An elector, qui amico, ſeù cuicunq; alio propalat ſuũ votum, vel ſchedulã, qua eſt ſuffragaturus, mortaliter peccet.

# TRACTATVS TERTIVSDECIMVS.

699. An electores priuſquã ferant ſuffragia in electionibus iuramentũ teneatur pręſtare: & an eius omiſſio reddat nullam, & irritam electionem.

200. Quid importet iuramentum de eligendo meliori, ac aptiori.

# R. P. F. IACOBI RAGGII DE REGIMINE REGVLARIVM SECVNDA CENTVRIA

In treſdecim tractatus diuiſa.

## TRACTATVS PRIMVS DE Duratione, & multiplicatione Prælatorum.

### DVBIVM CI.

*An Religionum Prælatura ſit perpetua.*

SVMMARIVM.

1. *DEſignata quadripartita diſtinctione, concluditnr neque de iure diuino, neq; canonico, neq; ciuili Religionum Prælaturas eſſe perpetuas.*

2. *Concluditur de iure ſpeciali eſſe inſpiciendas cuiuslibet Religionis ordinationes.*

Quatuor modis intelligi poteſt quæſitum. Prim. de iure diuino. Secund. de iure canonico. Tert. de iure ciuili. Quart. de iure ſpeciali.

*PRIMA CONCLVSIO.*

NVllum ius diuinum ſtatuit, vt huiuſmodi Prælationes ſint perpetuæ. Ita Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 7. n. 2. Tamburin. to. 1. diſp. 12. q. 1. n. 1. quia nec ſcriptura, nec traditum oſtendi poteſt; imò Suar. addit: Probabile exiſtimo in vniuerſa Eccleſia catholica nullam Prælationem eſſe ex iure diuino abſolutè perpetuam, ita vt non poſſit quis ea inuitus priuari, vel ſub ea lege haberi, niſi ſolus Pontificatus ſummus.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

EX aliquo textu canonico deduci non poteſt regularem Prælaturam debere eſſe perpetuam. Ita DD. citati contra Nauarr. aſſerentem monaſteriorum Prælatos ſecundum ius commune perpetuos eſſe debere, idque probantem ex cap. Nullum 18. qu. 2. vbi dicitur: Nullam poteſtatem relinqui Monachis expellendi Abbatem, aut ſibimet alium ordinandi, quod non alia ratione dici poteſt, niſi quia Abbas ex vi iuris perpetuus eſt, & hoc idem ſupponitur in toto titulo de ſtatu Monachorum: verùm contra Nauarr. inſurgit Suar. vbi ſupr. n. 2. quē ſequitur Tamburin. vbi ſupr. dicit ergo: Non inuenio ius aliquod poſitiuè definiens, vt hæ Prælationes perpetuę ſint, nec Nauarr. illud adducit; illud enim c. Nullum ſolū ſtatuit, vt Monachi nō poſſint deponere Abbatē pro arbitrio ſuo, aut aliū creare, quandò voluerint, quod longè diuerſum eſt; nam licèt Prælatura ſit temporalis, non poterit deponi Prælatus arbitrio ſubditorum, ſed definitio tempore ex lege, ſeù ſtatuto, vel ipſo iure amittet officium, vel tenebitur renunciare, & ad id cogi poteſt iuxta conſtitutionis tenorem; neque enim etiam in toto titulo de ſtatu Monachorum aliquid inuenio, quo hęc conditio perpetuitatis pro hoc munere decernatur, & præſcribatur: hæc Suar. cuius doctrina admittitur à Barboſ. in coll. DD. in cit. cap. Nullum.

Subdit tamen Suar. quòd negatiuè Prælaturæ Religionum de iure communi ſunt perpetuæ. Prim. quia illud ius non prohibet, quin perpetuæ ſint, aut temporales. Secund. quia in eo ſemper eſt ſermo de tali dignitate, tanquam perpetua; imò illa, quæ ibi ſtatuuntur, perpetuitati congruunt, quia nimirum illam conditionem ſupponit, vndè virtualiter illam approbat, ac defendit, qui videtur eſſe proprius ſenſus dicti cap. Nullum declarat enim poſtquam Religioſi ſibi eligūt in Abbatem aliquem abſolutè, & ſimpliciter, ac ſine vlla temporis limitatione, talem Prælaturam ita eſſe perpetuam, vt non poſſit ab inferioribus deponi; liberum enim eis fuit poteſtatem in ipſos dominandi tradere, poſtquam autem eam abſolutè dederunt, auferre non poſſunt: hæc Suarez.

Verùm, vt verum fatear, textus explicatio per verbum negatiuè ſecundum primam rationem mihi placet, quia ſicut non præcipit perpetuitatem; ita nec prohibet, quin ſint perpetuæ, aut temporales, & ita in hoc ſenſu poteſt affirmari Regulariū Prælaturas eſſe de iure communi perpetuas; diſplicet tamen ſecundum aliam rationem, quam modò nolo impugnare. De iure ciuili dicēdum eſt etiam potiùs eſſe temporales, quàm perpetuas, & licèt ad tale ius non ſpectet circa quæſitum aliquid ſtatuere, quia res monaſticæ per ſe non cadunt ſub ius ciuile, nihilominus multa adducemus in ſubſequenti dubio ex tali iure elicita, quæ indirectè confirmabunt concluſionem, dum clarè videbitur, quantùm ius ciuile deteſtetur perpetuitatem in magiſtratibus.

*TERTIA CONCLVSIO.*

DE iure ſpeciali, nempè particularium cuiuslibet Religionis ordinationum, ſeù conſtitutionum multa in hoc varietas dignoſcitur: aliquæ Religiones gaudent, loquendo de ſuprema dignitate, perpetuo Generali: nonnullæ aliæ temporali, qui tamen ab initio perpetuus fuit inſtitutus: aliæ verò ſemper vię ſunt temporali, quę omnia diſtinctè poſſunt videri apud Peirin. de Prælato q. 1. ca. 4. reliqui autem Prælati inferiores, qui etiam exactè deſcribuntur à Doctore citato n. 3. in omnibus Religionibus, inquit Suar. vbi ſupr. n. 4. temporales ſūt iuxta proprias ordinationes, & apoſtolica indulta, vt ex vſu conſtat, & vnicuique licet videre in proprijs inſtitutis, ſolùm in Ordine Carthuſienſiū Priores durant perpetui, ſicut in Ordine Caſſinenſium Abbates. Ex hac ergo diuerſitate, ac varietate orta eſt celebris quæſtio: an ex natura rei magis expediens ſit Superiores Religionum eſſe perpetuos, quàm temporales, & vice verſa: fundamentum quæſiti eſt, quia res humanæ rectè inſtitutæ ſolent multa afferre commoda, imò ad hoc fuerunt conditæ; non ideò licet argumentari: ergo nulla incommoda inſurgent, quia inſurgent; nam ijs, experientia teſte, ſubiacent, & teſte eadem experientia, nequeunt vitari; ideò præcipuum punctum humanę prudētię eſt tunc id eligere, quod minus habet incommodi: in primis ſoluenda

eſſet

eſſet quæſtio ex vſu ferè omnium Religionum, quæ omnibus Prælaturis tam ſupremis, quàm medijs, & infirmis perpetuitatem abdicarunt, qua ex re oritur regimina temporalia vtiliora eſſe Religionibus, & magis adaptari hominum infirmitati, minoraque incõmoda afferre; ſed id meliùs videbitur in ſubſequenti quęſito, quod, licèt erit de Generali; meliùs tamen, paucis deductis, applicari poterit omnibus alijs Prælaturis.

## DVBIVM CII.

### *An expediat, Religionum Generalem eſſe potiùs perpetuum, quàm temporalem.*

### SVMMARIVM.

1. *De expoſito titulo dua habentur principaliores opiniones, quarum argumenta extenduntur, & deſignantur aliorum DD. opiniones.*

2. *Per leges, & nã per homines, qua omnia vitia ob hominum imbecillitatem prohibere nequeunt, meliùs reguntur, & gubernantur Reſpublica.*

3. *Deſcribuntur rationes tam à priori, quàm à poſteriori, cur Religiones deficiant à primauo feruore; ex hoc enim, ſicut in viuentibus ſequitur triplex ſtatus.*

4. *In ſtatu ſcilicet augumentationis, & conſiſtentia tam expediens eſt, vt Generalis ſit perpetuus, quàm temporalis: & nonnullis obiectionibus ſatisfit.*

5. *Expenſa Religione ſub illo triplici ſtatu, & nullo deſignato remedio, ſtatus quaſiti videtur problematicus, eoque dato, aſſeritur temporalem Generalem ob varias rationes magis conuenire Religioni: & ſoluuntur diuerſa obiectiones.*

De iſta grauiſſima quæſtione tres extant opiniones, inter quas duæ videntur principaliores. Prima, quæ eſt affirmatiua, mordicus defenditur à Nauarr. comment. 3. de Regul. nu. 3. de ſtatu Monach. lib. 3. conſ. 7. n. 8. aſſerente hanc mutationem fuiſſe inuentam à iuuenum deſiderio cupiditate regnandi, quem ſequitur eadem tenacitate Mirand. man. Prælator. tom. 2. qu. 7. art. 6. adhæret etiam Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 7. n. 8. Azor. 1. part. lib. 12. c. 20. qu. 21. & alij. Secund. negatiua firmiter defenditur à Peitin. tom. 2. de Prælat. qu. 1. c. 4. §. 1. pro ſe referente D. Thom. 4. de regim. Princ. c. 7. & 8. Canonh. Scriban. & in terminis Sarton. de his ergo duabus opinionibus validiſſima arguméta proponã.

Prima hiſce argumentis à Nauarr. alijſq; adductis fulcitur. Prim. quia per mutationem Prælatorum continua eorum authoritas minuitur, & infirmatur ob timorem ſubditorum, pro quo adducit illud celebre dictum c. Viſis. 16. qu. 2. *Humani eſſe moris illum timere, cuius iudicio nunc erigitur, nunc deprimitur.* Secund. ex iſta mutatione, ac viciſſitudine Prælatorũ infinita incommoda oriuntur, quorum primum eſt ambitio capiens maiorem partem Monachorum, Prælaturas optantium, ex qua ſequitur eneruatio diſciplinæ; ob vota enim ab electis electores capiunt impunitates, priuilegia, & gratias promiſſas, &c. oriuntur prætereà conuentiones, ſimoniæ, quibus alij alijs ſuum fauorem, & auxilium in futuris electionibus promittunt, vt in pręſenti ipſis faueant, contra c. Quampio 1. qu. 2. & c. Pactiones. de pactis, vbi acriter huiuſmodi pactiones prohibentur: oriuntur etiam perpetuæ ſubornationes, colluſiones, quibus alij ſibi, vel alijs ſuffragia in futurum procurant: hinc etiam prodeunt factiones, diſſidia, ſuſurrationes, murmurationes, detractiones, dum alij aliorum defectus tam veros, quàm falſos, tam naturæ, quàm morum non dubitant aperire, vitiaque imponere ad maculandam partis opinionem, ne caput extollat: demum oriuntur iniuſtitiæ, quibus oppreſſa ſemper pars contraria videtur, cum illi negentur ea, quæ alijs liberaliter ſunt conceſſa, nempè gratiæ, & priuilegia, &c. & ferè quadam crudelitate impetatur punitione, correctione, alijſque animaduerſionibus, quaſi omnia mala ab ea ſint perpetrata. Tert. opinionem ſuam confirmat exemplis SS. PP. Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Dominici, etiam Seraph. Franciſci, qui pro bono regiminis augumento, obſeruantiæ profectu, ac conſeruatione pacis, ac quietis in Religionibus Generales perpetuos, vt videre eſt apud eorum monumenta, conſtituerunt: adducit etiam

A 2 Nauarr.

Nauarr. exemplum Tiberij Cæſaris, qui, vt refert Suetonius Tranquill. in eius vita, tardiſſimè, aut nunquam Prouinciarum Rectores à regimine amouebat, eò quòd, experientia teſte, peccata, vitiaque populorum diſſimulatione ſolebant præterire, dum ad modicum tempus regimen erant habituri, & vſque ad ſanguinem ſubditos emungebant; vndè alij, & alij noui his ſuccedentes reſiduũ ſanguinis exugebant: poteſt etiam confirmari hæc opinio exemplo Ieſuitarum, quorum Generalis eſt perpetuus. Tãdem Nauarr. de ſtatu Monach. vbi ſupr. huic quæſtioni finem imponens hæc verba habet. Supradicta omnia teſtor, atque teſtificor, vt annoſus teſtis, & conſultor, ad quem innumerorum peccatorum tam ſimoniæ, quàm ambitionis, ſuperbiæ, factionum, diſcordiarum, ac murmurationum cognitio frequentiſſimè tum per Confeſſarios, tum per ipſoſmet Prælatos, & ſubditos pro medicina contra ſcrupulos concurrentes, peruenit: teſtor, inquam, quòd ſi abſque ſcandalo poſſem perpetuitatem Prælatorum reuocare, quam SS. PP. vbi ſupr. inſtituere, reſtituerem; ſeruatis ad vnguem Canonibus, quibus Prælati ſuo munere abutentes deponerentur, & eijcerentur, & ſinè vlla negligentia caſtigarentur: hæc ille. Vltim. probatur, qua prudens regimen ab experientia longa habetur, quæ deſideratur in Prælatis temporalibus deuorantibus monaſteriorum bona, quia ad modicum tempus regimen ſunt poſſeſſuri.

Secunda opinio his argumentis firmatur, quæ directè opponuntur probationibus primæ ſententiæ. Prim. ſicut temporale regimen timorem ſubditorum habet annexum; ita perpetuum Imperium nimiam ſuperbiam, & audaciam Prælatorum in ſubditos nutrit; dum eos opprimendo ſibi regnare videntur Prælati, ita vt filij amore nati, tanquam ſerui habeantur: liberas etiam Religiones tanquam proprias ſeruas tenent, & velut homines hæreditarij ſine diſcretione congregationis corpus adminiſtrant, quaſi dominium, & Imperium abſolutum in illud liberè poſſint exercere; & quod peius eſt, obtinent; vt ſubditi ab ore pendeant contra libertatem ſpiritus. Secund. ſicut in temporali mille incommoda ſequuntur; ita in perpetuo: audi ea, quæ dicit Peirin. vbi ſupr. Ex diuturnitate ſecuritas adeſt, facilè aures, & manus perpetui Superioris incommodis laxant, munera accipiendo, omnia in vſum proprium conuertendo, ea amicis largiendo: oriuntur munerum largitiones, ſimoniæ, ſubditorum odia, detractiones, ac murmurationes, &c. quis enim enumerare poterit vitia in Prælatis pro ſui conſeruatione? quas tyrannides non exercent? quas iniuſtitias? quas depreſſiones hominum virtute prædictorum? pecunias emungunt, conuentus expilant, Monachos expoliant: tandem multa alia facere audent, vt in perpetuitate ſe videant, & quos ſubditos non excæcant, inſurdeſcunt pecunia, alijſque muneribus, & ita obtinent, quod cupiunt, & volunt: hæc Peirin. Et nunquid factiones, diſſidia, ſeditiones abſunt ab his regiminibus? minimè quidem, quia licèt non tam frequenter ob raras electiones formentur, formabuntur tamen ob fauores, honores, indulgentias ſuis ſuffragatoribus, & amicis à Prælatis conceſſas, quæ omnia alijs negantur; & ſi aliqua eis præſtantur, maxima cum difficultate, & labore, ac ſi non eſſent, vt ita dicam, de corpore Religionis, ac, ſi horum labores pro Religione impenſi non eſſent proemijs digni; nec non formabuntur ab ipſo Imperio in vno, ſeu in paucis cumulato, quia cum appetitus honoris inſit naturaliter hominibus, teſte Val. Max. à D. Thom. relato de regim. Princip. lib. 4. c. 7. *Nulla eſt tanta humilitas, quæ hac dulcedine non tangatur*: multi profectò nec diſſidijs abſtinebunt, vt ad honores aſcendant, videre paucos exaltatos, multos meritis pares oppreſſos, & humiliatos, diſcordiam, ac ſeditionem parit iuxta ſententiam Ariſtot. 5. polit. c. 7. *In optimatibus autem*, inquit, *ſeditiones fiunt, interdum quidem ex eo, quòd pauci ſunt honorum participes*. Addo tandem plus poſſe deſtruere malum Prælatum perpetuum; & quoad ſpiritualia, & quoad temporalia, quàm centum temporales; quia, ſi vnus tẽporalis deſtruit, alter ædificat, teſte experientia, quæ docet in ſuorum regiminum primordio pro Religione, ac Dei cultu omnes ædificare, ſaltem ad celandam ſuam ambitionem, & malitiam; at continuatio perpetui, ac mali Prælati

lati omnia bona Religionis ambitione, ſuperbia, iniuſtitijs, alijſque peſſimis moribus exterminant, & eradicat. Tert. ſi ſententia contraria roboratur exemplis multarum Religionum, quæ ab initio beneficio Generalatus perpetui fruebantur, iſta etiam ſolidatur exemplis multarum Religionum, vt videre eſt apud Peirin. vbi ſupr. n. *6.* quæ ab initio ſemper temporales Generales habuerunt, imò multæ ex illis authoritate ſedis Apoſtolicæ ad petitiones ipſorum Religioſorum inclinatæ perpetuum Generalem in temporalem mutarunt, eò quòd maxima authoritate, & auſteritate ſubditis imperabant, & propter magnam potentiam, qua pollebant, Viſitatoribus pro eorum reformatione miſſis reſiſtebant. Ita docet Rodriqu. tom. 1. qu. 1*6*. art. 1. in fin. Quart. ſi Nauarr. ſuam ſententiam confirmat Tiber. Cæſar. exemplo, hæc ſententia firmatur exemplo Caroli V. Imperator. de quo Scriban. 1. Pol. Chriſt. c. 7*0*. ait, quòd dedit cōſilium Philippo filio ſuo, ne gubernationes magnas diù ſub vno capite permanere fineret. Quint. ſi temporalia regimina ob modicum tempus monaſterij bona dilapidant, multò magis perpetuum dominium, eò quòd Prælati ea poſſident, tanquam res hereditarias, quæ filijs, ac nepotibus relinqui poſſunt. Tandem ſextò, ſi perpetuitas dat, ob longam experientiam, magnam prudentiam in Prælatis, & temporale dominium non eam denegat, ducc experientia, in viris aptis, & idoneis, quia, quod bonum, & malum fuit in præterito regimine, inſeruit eis pro doctrina ad prudenter gubernandum; vndè Tacit. 1. hiſt. in orat. Galbæ ad Piſ. ait: *Vtiliſſimus, ac breuiſſimus bonarum, malarumque rerum delectus cogitare, quid nolueris ſub alio Principe, aut volueris*; hæc ſunt principaliora, ac validiora argumenta, quibus ſectatores vtriuſque ſententiæ ſe ſe muniunt, atque confirmant.

Quid ergo dicendum? niſi quòd vtrinque ſicut habentur maxima incommoda, ita mille commoda; vndè tertia opinio inſurgit, & eſt Layman. in qq. can. c. 28. n. 255. ita loquentis: Non deſunt, qui expedire magis exiſtimant, vt Ordinū Prælati in perpetuum inſtituantur, ſed hanc rem difficile eſt definire, cum ex vtraque parte tam commoda, quàm incommoda exiſtant: & ante illum Io. Bapt. Anthoniucius in Cathec. Neapol. lib. 5. de ſimon. priuat. c. *6.* fol. mihi. 184. vbi ſic aſſerit: Ego, licèt Nauarri opinionem de perpetuitate Generalium aliquandò probauerim; hodiè tamen in re anceps ſum, cum valdè probabiles rationes pro vtraque parte ſint, tum propter iuſtitiam diſtributiuam, tum propter incautam electionem ab initio factam, & præſertim quoad capita Ordinum. Tamburinus verò de Iur. Abbat. tom. 1. diſp. 23. qu. *7.* n. 4. putat hanc eſſe rem ſatis arbitrariam, & alterutram partem eligi poſſe, dummodò incommoda, quæ in vnaquaque illarum contingere poſſunt, quantùm fieri poteſt, euitentur. Pro quæſiti veritate ſit.

Prim. not. quòd incōmoda, quæ in natura humana, quaſi in propria ſede regnāt, originē ducunt ex hominū imbecillitate, ac fragilitate, qui ab intrinſeco ad malum ſunt proni: hinc eſt, quòd S. Thom. 1. 2. qu. 95. art. 1. reſoluit, quem ſequuntur Medin. ibid. Mirand. tom. 2. quæſt. 25. art. 5. vtilius eſſe, Reipublicæ gubernari optimis legibus, quàm hominibus, licèt hi ſint res animatæ, illæ verò inanimatæ, eò quòd, cum in Mūdo plures ſint proterui, & ad vitia proni, neceſſarium fuit per vim, & metum à legibus inflictum, à malo eos cohibere, non per homines, qui ſæpè, ac ſæpius amore, vel odio affecti iudicium perturbatum habent; vndè in iure multis in locis cautum eſt, vt quàm pauciſſima Iudicum arbitrio relinquantur, ſed ſecundum leges omnia iudicentur, vt habetur in cap. Omnis qu. 1. & in cap. Iudicet 7. qu. 7. & in cap. Summoperè 11. qu. 3. quarè dicebat Plat. lib. 4. de Republ. *Vt enim euidenter conſtat Rempublicam illam eſſe beatam, in qua non leges Principibus, & Magiſtratibus, ſed Principes, & Magiſtratus legibus obediunt*. per leges ergo Reſpublicæ ſunt regendæ, quæ, ſecluſa omni cupiditate, amore, odio, & humana affectione, ſtatuunt, & ordinant ea, quæ neceſſaria ſunt, inquit D. Thom. ad pacem hominum, & virtutem: quæ tamen leges nequeunt omnia vitia prohibere, vt inquit S. Thom. vbi ſupr. qu. *6.* art. 2. Medin. ibid. S. Antonin. 1. part. tit. 17. §. 4. Sot. de iuſtit. lib. 1. qu. *6.* art. 4. quia, cum men-

mantur, & perfectio tendit ad occaſum; & ſicut natura non operatur in iſtanti, ſed in tempore; ita in quolibet ſtatu aſſignari debet id, per quod quilibet ſtatus moueatur: Aduertendum tamen eſt, quòd ſi ſtatus declinationis non ſuſtentetur bonis exemplis, reformationibus, alijſque medijs neceſſarijs, præſertim claudendo ianuam ingredientibus, magna velocitate ad interitũ, cum natura prona ſit ad malum, declinabit: his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

Conſiderando Religiones in primordio ſuarum originum, ideſt in primo ſtatu, in quo Religioſorum feruor, quaſi ignis augumentabatur, cum vnuſquiſque ad hoc virtutum materiam colligeret, perfectioniſque ſtatum magis, ac magis cuperet propagare, earum vtilitati, ac profectui tam expediens eſt, vt Generalis perpetuo regimine fruatur, quàm temporali gaudeat. Suadetur: incommoda allata à prima opinione contra regimen temporale Generalium exoriuntur præſertim ex ſubditis, & ex deprauato modo electionum: incommoda relata à ſecunda opinione, quæ exterminate conatur Religiones, quæ ſub perpetuitate primi capitis reguntur, præſertim emanare videntur à Prælatis: ſed in noſtro caſu, neque ex parte ſubditorum, neque ex parte Prælatorum labi poſſunt: ergo: maior videtur clara in ſuperioribus: minor probatur, quia ex parte ſubditorum ſuffragia ferentiũ in electionibus omni prudentia, iuſtitia, ſanctitate, nec non & ſimplicitate dabuntur; quare nec diſciplina regularis eneruabitur, nec ſubornationes, colluſiones, ſuſurrationes, murmurationes, conuentiones, ſimoniæ, aliaque incommoda ſuperiùs enarrata orientur: ex parte etiam Prælatorum perpetuorum nimia audacia, & ſuperbia in ſubditos non excitabitur, nec alia incommoda ſuperiùs recenſita audientur, eò quòd omnes in ſpiritu feruentes magis, ac magis perfectionem anhelabunt; ſubditi parui æſtimantes Prælationes; ſuperiores quietem ſubditorum maximo cum deſiderio optantes; hi cum omni iuſtitia, æquitate, ac pace munus ſuum exercentes; illi cum omni patientia, & alacritate recipientes quidquid à Superioribus erit ordinatum, vt videre eſt apud annales Religionum: ergo tam vtilis eſt Religionibus in illo primæuo ſtatu Generalis perpetuus, quàm temporalis; vndè Ariſtot. 3. polit.c. 5. ait: *Quandò igitur, vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione ſequuntur, has eſſe rectas Rerumpublicarum ſpecies neceſſe eſt*: argumentum etiam videtur concludere de ſecundo ſtatu Religionum ratione perfectionis, quia, licèt ampliùs non proficiat, gaudet tamen profectu aquiſito excludente ab illa multitudine Religioſorum mala recenſita.

Dices, In omni congregatione plures ſunt infirmi, nec liberi ab omnibus affectibus, vt dictum eſt: ergo etiam in illo primæuo ſtatu ſubditi ab affectibus ducti erunt Prælationes prætendentes, & ita in enarrato ſtatu mala recenſita ſuſcitabuntur. Reſpond. quòd Suarez loquitur de congregationibus Religioſorum amplectentibus illum triplicem ſtatum, in quibus veriſſimum eſſe videtur, multò plures degere infirmos, ac in ſpiritu debiles, quàm fortes luctantes contra proprias concupiſcentias; quare S. Bonau. vbi ſupr. ait: Hoc præſertim exoriri ex multitudine intrantium, qui non tam facilè flectuntur, ſicut pauci, & ex ſubtractione virorum, qui ſuis exemplis, vitaque ſancta iuuenes inſtruere ſoliti erant: at verò non loquitur de primo illo ſtatu ſolùm, quia, experientia duce, maior pars illorum hominum abſque dubio ſunt fortes, in ſpiritu fruentes, acriter luctantes contra Mundum, carnem, & Diabolum, ac ſemper interiorem hominem mortificantes, Crucem Domini portantes; non negat tamen, quòd aliqui pauci infirmi morari ibi non poſſint.

Dices, in iſto etiam ſtatu poteſt Generalatus indigno conferri, vt patet in initio Seraphicæ Religionis in fratre Elia, qui ſua ambitione, & ſuperbia totam conturbauit Religionem: ergo ſolutio ad argumentum difficultatem non ſoluit. Reſpond. quod id ſequitur per accidens, non tamen abſque diuina Prouidentia, quæ ſemper ſolet ex malo eligere bonum, & regulæ generales non inficiuntur exemplis, quæ

ratò

ratò occurrunt, exemplo petito ab alijs Religionibus, quæ in ſuo ortu non ſunt paſſæ huiuſmodi incommodum.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

SI poſtea conſideretur Religio ſub illo triplici ſtatu deſignato, in quo multitudo imperfectorum quaſi neceſſariò inſpicitur, ſtatus quæſiti prorſus problematicus eſt; & ita Layman, & Anthoniucius meo iudicio veritatem attigerunt, eò quòd, ſi incommoda exoriuntur ex vna parte, ex altera non deſunt, & ideò non ſine arte modo deſcripto argumenta ſecundæ opinionis propoſui; legite, & denuò legite, quia veritas concluſionis perbellè eluceſcit.

*TERTIA CONCLVSIO.*

COnſiderando illum triplicem ſtatum in qualibet Religione, ſimul adhibitis remedijs ad euitanda incommoda, vt dicit Tamburinus, non audeo recedere à ſententia Peirini aſſerẽris, temporalem Generalem eſſe magis expedientem ob vtilitatem quàm maximam ſequuturam. Probatur prim. ex ſacra Scriptura Machab. 8. vbi approbatur annualis electio Romanorum magiſtratuum: *Et committunt*, inquit textus, *vni hominum magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari vniuerſæ terræ, & omnes obediunt vni, & non eſt inuidia, neque Zelus inter eos*: ſuper quem locum dicit Dionyſ. Carthuſ. durante autem hac bonitate regiminis Romanorum in multis profecerunt, & in breui venerunt ad maximum incrementum: non diſſentit Gloſſa; imò S. Thom. 1. Machab. c. 8. vult, quòd ibi nõ erat innidia, neque zelus, quia non aderat boni particularis præponderatio. Secund. ditare Rempublicam optimis viris, per quos Reſpublica regatur, vt, vno deficiente, alter de regimine ſtatus informatus illicò ſuccedat, videtur vtilius; nam de nouo alium eligere non informatum maxima incommoda afferre ſolet bono communi, vt rectè monet Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. n. 58. at ſi Generalis eſſet perpetuus, & priuaretur bonum commune his hominibus, & millia incomnoda inſurgerent, eo deficiente, maximè in ſenectute regiminis, & annorum, quia alius informatus difficilè inueniretur, & ſi fortè inueniretur, toti Religioni non placeret, quod eſt dignum magna ponderatione: ergo ne priuetur Religio hac ſumma vtilitate, frui debet Generali temporali. Tert. admittere, vt ſint in Republica, in qua multitudo languentium iacet, plures homines, qui tanquam inimici ei obediunt, periculoſum eſt, & id ſequitur, quandò apti excluduntur ab honoribus, teſte Ariſtot. 3. polit. c. 7. aſſerente: *Excludere illos*, ideſt aptos, *penitus ab honoribus periculoſum eſt, cum multitudo inopum ſit in Ciuitate, eàdemque ab honoribus excluſa, neceſſe eſt Ciuitatem plenam eſſe hoſtibus Reipublicæ*: ſed ſi Generalis perpetuus eligeretur in maximo diſcrimine poneretur Religio, quia cum ſit plena hominibus non viriliter pugnantibus aduerſus malas inclinationes, vt dicit Suar. qui tanquam inopes in ea morantur, ac vagantur, eſſet admittere in ea plures, non dicam inimicos, ſed parùm contentos, eò quòd excluſi viderentur ab honoribus, quos proprijs meritis progreſſu temporis tandem eſſent habituri, qui vni ſemper obedire, quem exaltatum ſupra ſe vident, ægrè ferrent ob varias rationes; hinc eſt, quòd multi in ea viuunt ab omni alacritate alieni, quaſi portent præ triſtitia totum Orbem ſupra humeros ob vitam aſſumptam, de ſtaturis, ac Superiorum moribus dolent, nec non, & de eorum vita murmurant cum maximo damno Religionis: ergo Generalis temporale regimen gerens non poteſt niſi laudari; vndè Patritius lib. 1. de Repub. tit. 6. inquit: *Præfinitum tempus magiſtratus habere debet; nam perpetuò imperare in libera Ciuitate odioſum eſt; parere enim, vt imperare diſcat, optimo ciui expedit*: S. Thom. 4. de regim. Princip. c. 7. ait. *Dare principatum vni ſoli eſt cauſa ſeditionis in multitudine*; & ita eſt ratio Ariſtot. in 2. polit. vbi dicit, quòd *Socrates ſemper facit eoſdem Principes, quod ſeditionis eſt cauſa apud nullam dignitatem poſſidentes*. Quart. lex, quæ multitudini imponitur, in qua maior pars in virtute infirma videtur, ob infirmitatem omnia vitia cohibere nequit; vndè ſi non adaptatur eius

con-

conditioni labili, atque fragili, cenſetur iniuſta, vt dicunt D. D. & ſuperiùs adnotaui: ſed ſi lex ſtatueretur de eligendo ſupremo Superiore perpetuo, non eſſet iuxta naturam humanam, quia, licèt multi perfecti degant in Religione, nihilominus imponitur multitudini, in qua maior pars viriliter non luctatur cum prauis affectibus, in qua viget aliquo modo appetitus honoris, teſte Valer. Max. vbi ſupr. ergo huiuſmodi lex non videtur eſſe vtilis religioſæ Reipublicæ; vndè optimè S. Thom. 2. polit. lect. 11. aiebat. *Non eſt poſſibile, quòd; qui non habent partem in regimine Ciuitatis, ament talem ordinationem Ciuitatis; vndè relinquitur ſeditionis materia.* Quint. vnum præ cæteris extollere periculoſum eſt Reipublicæ, tum quia difficile eſt, ne moueatur in ſuo officio timore, vel odio, & ita iudicium alienum à perturbatione difficilè poteſt habere, vt benè notat S. Thom. vbi ſupr. in prim. not. tum quia non habet, qui eum frenet, & cuſtodiat in præiudicium regiminis cuſtodiam poſtulantis; vndè Ariſtot. præceptum eſt 5. polit. c. 11. *Communis verò cuſtodia omnis dominationis vnius eſt, neminem vnum præ cæteris magnum facere, ſed plures; nam ſe inuicem cuſtodiunt*: ſed ſi Religio niteretur habere Generalem perpetuum, vnus præ cæteris extolleretur in maximum Religionis periculum, quia in iudicandis ijs, maximè quæ pendent à ſuo intellectu, vt ſunt merita, & demerita ſubditorum, difficilè videretur eſſe odio, vel amore eum non ductum iri; quarè Mirand. tom. 2. q. 25. art. 5. inquit. Homines vt cumque perfecti, carne cum ſint induti, ſæpiſſimè paſſionibus perturbantur, multiſq; alijs rebus, quæ ipſos à recto tramite, & à veritate deflectere faciunt: & licèt id inueniri poſſit in Generali temporali; attamen ob futuram abſolutionem ab Imperio, curabit, vt actiones, & iudicia exeant ab omni affectione, quantùm fieri poteſt, libera, vt inſinuat Eutropius lib. 1. hiſtor. *Et placuit, ne Imperium longius tempus, quàm annum haberet, ne per diuturnitatem poteſtatis inſolentiores redderentur, ſed ciuiles ſemper eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent futuros eſſe priuatos*. Et Ægid. Roman. de Regim. Princip. lib. 3. part. 1. cap. 13. *Multa mala, & multas iniuſtitias committerent Præpoſiti Ciuitatis, ſi ſcirent eſſe perpetuò tales, à quibus cauerent, ſi conſiderarent ſe eſſe ab huiuſmodi officio remouendos*: quia etiam regimen deficeret à cuſtodia; nam plures ſunt, qui ſe inuicem cuſtodiunt, moderando ea, quæ fuerunt digna reprehenſione in prædeceſſoribus, & extirpando ea, quæ malè in vinea Domini ſeminata fuere: ergo tanquam res periculoſa à Religionibus huiuſmodi perpetuitas eſt releeanda. Sext. quantò magis pacatum eſt regimen, tantò magis vtile Reipublicæ cenſendum eſt: ſed hoc magis habetur ſub Imperio multorum ſibi ſuccedentium, quàm ſub perpetuo dominio vnius: ergo: maior clara apud omnes: minor probatur: vnius paſſiones reddunt nimis durum, & rigidum regimen, quia ferè ſemper ijdem laborando incommodorum oneri ſuccumbunt, & ijdem ferè ſemper commodorum bonis fruuntur: multorum verò paſſiones reddunt regimen magis leue, & pacatum, quia qui ſub vno incommoda patiuntur, ſub altero commoda ſortiuntur, & viciſſim ſibi præſtant tam commoda, quàm incommoda: ergo ſemper erit vtilius regimen temporalium Generalium, tanquam magis pacatum. Septim. illud regimen eſt magis vtile Reipublicæ, quod eſt bonis magis carum, & illud videtur eſſe magis carum, quod poteſt ab omnibus participari; vndè S. Ambr. 5. in Exaem. c. 15. ait: *Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus, & honorem eſſe communem*: ſed hoc habetur in ſummo regimine temporali, & non in perpetuo: ergo tanquam carum omnibus, & magis vtile Reipublicæ erit illud, & non iſtud. Octau. plus mouet mutatio antiquæ conſuetudinis, quàm ipſa vetus conſuetudo, quia illa mutatio non in aliquibus locis, ſed in multis, imò in tota Eccleſia facta eſt, non ſolùm in Religionibus, quæ ab antiquo feruore defecerunt, ſed in illis, quæ eum retinent, vel ad illum ſunt reuocatæ, vel de nouo ſunt inſtitutæ, quod eſt ſignum, illam mutationem non eueniſſe ex errore, aut imperfectione, ſed quia, experientia duce, cognitum eſt

temporale regimen eſſe magis conueniens: ergo: Non. Apoſtolica Sedes in hanc partem inclinauit, vt Prælati omnès Religionum eſſent temporales; vndè videmus perpetuitatem regiminum eſſe mutatam in temporaneam, & nunquam è conuerſo temporaneam gubernationem in perpetuam eſſe commutatam; imò quod erat ad arbitrium Superioris maioris, vel per plures annos, eius authoritate tempus limitatum, vel abbreuiatum eſt: ergo ſenſus Sedis Apoſtolicæ eſt, vt procul ſit perpetuitas à Religionum regiminibus: ergo ſemper erit vtilius Religionibus Generalem habere ad tempus dominantem. Vlt. perpetuitatem in regimine damnarunt Romani, dum per legem ſtatuerunt debere eſſe temporale, cuius legis verba ſcribit Cicero lib. 3. de legib. eſt etiam præceptum Philoſ. 5. polit. c. 8. & lib. 6. c. 2. non deſunt leges, quibus interdicitur, ne quis honorem continuet, aut repetat: eſt etiam textus in l. honor. §. gerendum. ff. de mun. & hon. in l. cum tot tit. C. de mun. & honor. non contr. lib. 10. vbi ponuntur interualla temporum, quæ poſtremis legibus in id ſtatuta ſunt: & in §. vlt. auth. de defenſ. Ciuit. vbi inter cætera textus eſt ſingularis, quòd vnus tantùm de Collegio poteſt impedire, ne quis continuet eundem magiſtratum, etiamſi omnes conſentiant; id enim fieri non poteſt, niſi cuncta Ciuitas, reluctante nullo, eum elegerit; hæc enim ſunt verba illius textus, quem ad hoc expendit Bart. in l. omnes populi 2. q. pr. ff. de iuſt. & iur. & in l. quod. maior ff. ad mun. Ang. qui eum textum dicit ſingularem in reb. de arb. col. 6. verſ. limita prim. locum non habere, & ſingulari ſuo 95. heri fuit interrogatus: latiſſimè confirmat exemplis, & legibus Tiraq. in princip. l. ſi vnquam C. de reuocan. donat. tom. 2. in præfact. num. 24.

Pro fine duo ſunt aduertenda. Prim. quòd tale regimen quamprimum ruet in relaxationis profundum: percipe verba D. Thom. 1. de regim. c. 15. *Sunt tria, quibus bonum publicum permanere non ſinitur, quorum quidem vnum eſt à natura proueniens; non enim bonum multitudinis ad vnum tantùm tempus inſtitui debet, ſed vt ſit quodammodò perpetuum; homines autem cum ſint mortales, in perpetuum durare non poſſunt, nec dum viuunt, ſemper ſunt in eodem vigore, quia multis variationibus humana vita ſubijcitur, & ſic non ſunt homines ad eadem officia peragenda æqualiter per totam vitam idonei.* Nec obſtat talem hominem tandem ſenectutis morbo laborantem in graue damnum Religionis fore ſubleuandum ab onere regiminis, quia priuſquam feratur iudicium de conuocandis electoribus ad hoc, vt deponatur, & in vnum congregentur, & ſententia feratur per ſuffragia pro depoſitione, multi ſudores ſunt ſpargendi, necnon & labores impendendi, ac multi anni ſunt decurrendi, in quorum difficultate, & ſpatio multa incommoda excitabuntur, quæ deſperatæ reparationis, ſeù vt modeſtiùs loquar, difficillimæ reſtaurationis fient. Secund. quòd tale regimen, quandò ad occaſum tertij ſtatus, de quo præſertim loquimur, declinat, fit peius alijs regiminibus, teſte D. Thom. de regim. lib. 1. c. 3. *Quod ſi in iniuſtitiam declinat regimen Monarchicum, expedit magis, vt ſit multorum, vt ſit debilius, & ſe inuicem impediant.*

Dices, mutatio Prælatorum ex D. Bonau. vbi ſupr. facit ſtatum Religionis à ſua perfectione declinare: ergo vtilior erit Superiorum perpetuitas. Reſp. quòd loc. cit: D. Bonau. loquitur problematicè, concedit mutationem Prælatorum eſſe cauſam declinationis à primo feruore, non negat tamen id non ſequi ex perpetuitate, dum dicit mutationem eſſe bonam, eò quòd à regimine malos expellat: attamen in libell. Apologetico in eos, qui Ordini Fratrum Min. aduerſantur. qu. 5. tom. 7. laudat mutationem: *Bona eſt Prælatorum mutatio, ne fiant aliquandò inſolentes ſi ſcirent ſe permanſuros diù, vt ſic in humilitate ſeruentur, vt ſubditi, quibus fortè grauis eſſet alicuius alterius Prælatio de ſpe facilis abſolutionis eius conſolentur: ſunt etiam quidam boni ſubditi, ſed inutiles pro Prælaturis; ideò deponuntur.* Et S. Thom. lib. 1. de regim. c. 7. reddens cauſā, quarè Romani electionē annuam imperabant, de qua in principio concluſionis. *Ea fuit, inquit, vt electus non inſolès diù maneret, & moderatio citò ſuccurreret.* Enimuerò plus poteſt deſtruere Prælatus

perpe-

perpetuus, quàm temporaneus, eò quòd, ſi vnus temporaneus deſtruit, alter ædificat, vt dicebam ſuperiùs, & inuicem ſe cuſtodiunt; & quamuis perpetuo regimini aſſignetur remedium, cæteris paribus, magis vtile erit Religionibus regimen temporale, quia magis adaptatur fragilitati humanæ conditionis, & ita omnium iudicio debet eſſe lex humana.

Dices, proprium eſt Religioſorum tendere ad perfectionem cum contemptu omnium honorum procul ab omni ambitione, ac deſiderio dominandi, & videtur eſſe eorum finis: ergo melius hoc habebitur à perpetuitate Generalium, quæ claudet oſtium ambitioni, quàm à temporali illud aperiente ob ſpem tandem deueniendi ad anhelatum regimen. Reſp. quòd proprium eſt hominum Chriſtianorum inter terminos diuinæ legis ſe continere, imò hic eſt eorum finis, attamen lex humana, quæ neceſſariò eis imponitur ad cohibenda vitia à fragilitate naturæ deriuantia, ne in maiora proſiliant, omnia mala cohibere non intendit, ſed multa permittit: proprium eſt etiam Iudicum vitia punire, quia expedit bono communi, vt crimina impunita non remaneant, leuia tamen diſſimulant ob hominum imbecillitatem, quia qui nimis emungit, elicit ſanguinem: proprium eſt omnium Religioſorum ſemper in perfectione progredi, natura tamen cogente, vt monet S. Bonau. vbi ſupr. neceſſitantur ad declinationem tendere, & ad vltimum ſtatum è tribus deſignatis peruenire: ergo, licèt ſit etiam proprium Religioſorum contemnere omnia commoda honorum, ac dignitatum; non ideò lex prorſus obſtare debet cupiditati hominum, quæ eſt naturalis: *Omnes*, inquit S. Thom. 3. polit. lect. 8. *appetunt honores naturaliter*: ſed fragilitati eorum ſe accommodare, non fauendo ambitioni iuxta ea, quæ dico in dub. 56. in ſecunda obiectione, ſed ſuccurrendo bono communi, ne multitudo imperfectorum in maiora mala declinet; & ideò lex de temporali Generali non aduerſatur perfectioni Religioſorum, ſed magis conſentanea eorum ſtatui videtur.

Dices, incommoda, quæ euertunt Ordines præſertim ex deprauato modo eligendi exoriūtur; quarè cum ſæpè ad eligendum temporaneum Generalem reiterari electio debeat, conſequenter ea ſunt pullulatura. Reſpond. ſolutionem pendere ex tractatu de iuſtitia diſtributiua, vide ibi præſertim dub. 133. de lege ſtatuenda.

## DVBIVM CIII.

*An neceſſarium ſit ad ſupremas Prælaturas, ac dignitates tam Prouinciarum, quàm Religionis pro pacifico ſtatu plures Religioſos eligere.*

### SVMMARIVM.

1. *Vris vnitas propria cenſetur eſſe finis regiminis: habentur etiam media pro eius conſecutione.*

2. *Rationibus probatur huiuſmodi vnionē inter Regulares ſeruandam eſſe, vna ſoluta obiectione.*

3. *Suprema regimina viciſſim hominum pluralitate ſunt propaganda.*

4. *Proponuntur, & diluuntur quædam obiectiones: & quæſtio aliquibus ſcitu dignis concluditur.*

Quamuis de hac grauiſſima quæſtione plurimis in locis præſertim in dub. 56. ſatis prolixè dixerim; nihilominus ob quandam rationem vtiliſſimum erit denuò veritatem quæſiti aperire. Pro intelligentia ſit prim. not. quod à D. Antonin. part. 1. tit. 6. c. 2. §. 4. ingenioſè, ac doctè quædam vnitatum pluralitas non minùs vtilis, quàm neceſſaria ad gubernationem tā ſpiritualem, quàm temporalem totius Vniuerſi deſignatur, quæ apud ipſum inſpici poſſunt, inter quas ea non minimæ virtutis eſt, quæ ab ipſo Doctore nuncupatur politialis vnitas neceſſaria ad multitudinis directionem cuiuſlibet congregationis, Ciuitatis, ac Regni; idque maximo cum fundamento, quia finis omnis Imperij, vt aſſerunt DD. præſertim D. Thom. 1. de regim. Princip. c. 2. eſt vnitas multitudinis: verùm ſicut in hoc nulla eſt difficultas; ita non parua inſurgit in ea deſignanda, quæ nam ſit: an vnitas concor-

diæ, an pacis, quæ inter ſe diſtinguuntur, vt habetur ex D. Thom. 2.2. qu. 29. art. 1. *Vbicunquè*, inquit, *eſt pax, ibi eſt concordia non tamen vbicunquè eſt concordia, ibi eſt pax, ſi nomen pacis propriè ſumitur*: an iuris, ideſt iuſtitiæ, quæ reddit vnicuique quod ſuũ eſt, quæ omnes conuenire poſſunt multitudini pro eius directione; nam à D. Auguſt. epiſt. 6. ad Marcell. tom. 2. pro fine regiminis Ciuitatis deſignatur vnitas concordiæ: *Quid eſt Ciuitas, niſi multitudo hominum ad vnum vinculum redacta concordiæ*. idemmet Auguſt. 2. de Ciuit. Dei c. 21. aliam ſtatuit, nempè illam iuris: *Populus*, ait, *non eſt omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus iuris conſenſu, ac vtilitatis communione ſociatus*: S. Anton. verò part. 4. tit. 5. c. 4 § 2. determinat illam pacis: *Finis autem Reipublicæ, in quem populus eſt ordinatus, eſt pax temporis*: S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 5. deſignat vnitatem iuris, ac pacis: *Conſonum videtur naturæ, vt dominium ſit conceſſum pro pace, & iuſtitia ſeruanda, & iurgijs, & diſcordijs reſecandis*: quid ergo dicendum? quòd licèt inter ſe precisè, & formaliter diſtinguantur, non tamen in ratione finis, quatenus à DD. deſignantur; nam nequit eſſe vera concordia, niſi ſit vera pax, neque vera pax, niſi adſit iuſtitia, quæ vnicuique tribuit, quod ſuum eſt: vndè dicendum eſt formaliter, & præciſè vnitatem iuris eſſe finem regiminis, in quem induſtria, & ſolicitudo Regentis pro multitudinis directione tendere debet. Ita ſtatuunt S. Thom. 2. 2. qu. 42. art. 1. S. Antonin. part. 2. tit. 4. c. 8. §. 1. ex S. Auguſt. relato, & ſic vnitas, inquiunt S. Thom. & S. Antonin. cui opponitur ſeditio, eſt vnitas iuris communis vtilitatis; quarè ſeditio, quæ ex genere ſuo eſt peccatum mortale, opponitur iuſtitiæ, ac bono communi, teſtantur Sancti, idque maximo cum fundamento, quia ex iuſtitia ritè adminiſtrata à Regente exoritur, inquit S. Thom. 2. 2. qu. 29. art. 3. ex illo Iſa. 32. *Opus iuſtitiæ pax*; tanquam effectus, pax, & conſequenter concordia, quia in pace, vt dixi ſuperiùs, includitur concordia: hinc S. Ciprian. de 12. abuſion. & S. Auguſt. in pſalm. 84. tom. 8. exclamant: Ille: *Iuſtitia Regis pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis*, &c. Hic: *Nemo eſt, qui non vult pacem, ſed non omnes volunt operari iuſtitiam; vis venire ad pacem? fac iuſtitiam; ideò alius pſalmus dicit tibi: Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam; hoc eſt ama iuſtitiam, & tunc quære pacem*: hinc Emm. Rodriq. 3. part. qq. Regul qu 34. art. 5. inquit, loquens de Regularibus: Ex iuſtitia oriuntur pax Religionis, iuramentum obſeruantiæ, immunitas communitatis, nutrimentum ſpirituale, Monachorum gaudium, &c.

Not. ſec. nihil eſſe ſcire vnitatem iuris, eſſe finem regiminis cuiuslibet dominij, ac Imperij, niſi etiam ſciamus media pro eius conſecutione, & conſeruatione: *Cauſatur*, inquit D. Antonin. pat. 1. tit. 6. c. 2. §. 5. *& conſeruatur hæc vnitas in Ciuitatibus, quandò ad hoc vnum attenditur, vt iura ſeruentur vniuerſaliter, ideſt tam minoribus, quàm maioribus, vt honores, & officia pluraliter diſtribuantur, & non omnia, vel multa vni, & nihilum alteri, vt onera proportionabiliter imponantur; nam ſi amicis, vel maioribus leuia iniunguntur, minoribuſque grauia, & importabilia, oportet ſequi diſcordiam, inuidiam, ſeditionem, aliaque mala deſtruentia Ciuitatem*: idem repetit part. 4. tit. 5. c. 4. §. 2. *Media autem*, ait, *huic fini conuenientia ſunt legum, & ſtatutorum moderata diſciplina, officiorum communium proportionata diſtributio, bonorum proemiatio, tranſgreſſorum punitio, & alia huiuſmodi*: quæ omnia ſatis prolixè etiam part. 2. tit. 4. c. 8. §. 3. explicantur ab eodem Sancto vnà cum malis ex neglecta vnitate ortis.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

HViuſmodi vnitatem iuris pro multitudinis directione tam electores, quàm Superiores Regularium in ſuis functionibus, ac electionibus ſub pœna lethalis culpę ſolicitè tenentur obſeruare, ac procurare. Suadetur: vnuſquiſque tenetur ſub mortali bonum commune tueri, nec in diſcrimine ponere, vt aſſerunt DD. præſertim Caietan. 2.2. qu. 90. art. 8. ergo pro Regular. regiminibus iuris vnitas eſt ſolicitè procuranda, ac ſeruanda: antecedens ab omnibus admittitur: conſequentia probatur, quia multitudo hominum religioſorum in regimine

mine eſt dirigenda ad aliquem finem: ergo ad talem vnitatē, qua propagatur omnis recta gubernatio; ex hoc enim exoritur pax, & excitatur concordia ſummè neceſſaria, ait S. Bonau. opuſc. de perf. vitæ ad ſorores, Clauſtralibus, & maximo cum fundamento, quia in illis tota machina ſpiritualis ædificij, ac perfectionis fundatur, ac erigitur, dicente S. Gregor. in Paſtoral. part. 3. admon. 23. *Penſemus, quanta ſint mala diſcordiæ, quæ niſi extincta funditus fuerint, bonum ſubſequi non permittunt*: & S. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. §. 5. *Eſt enim*, inquit, *neceſſaria talis vnitas ad bonam gubernationem multitudinis, vt ſcilicet quæratur principaliter bonum commune ſpiritualiter, & temporaliter poſtponendo omne priuatum commodum*: & etiam reſpiciuntur Religioſorum merita, quibus per profeſſionem non renuntiarunt; aliàs in diſcrimine ponitur bonum commune; aperitur enim via ſeditionibus, factionibus, ac diſcordijs, vt probaui in dub. 7. & 98. & inſinuat S. Antonin. loc. cit. Præterea, ſi talis vnitas pro regiminibus Regularium ab electoribus, ac Superioribus non eſt procuranda; maximè quia eximuntur ab incommodis, quæ alia regimina patiuntur: ſed hoc eſt falſum, quia ſunt addicta mortalitati, ſicut alia regimina, vt dixi in dub. 1. habent ſuum augumentum, ſtatum, & declinationem, vti videtur in dub. ſuperiori: ſuccumbunt etiam Superiorum tyrannidi, vti in dub. 30. ergo talia regimina ſunt de neceſſitate conſcientiæ iuris vnitate propaganda; nam per hoc, quantùm fieri poteſt, occurritur malis recenſitis.

Dices, perfectio Religioſorum, ad quam tenentur tendere, negat meritorum recognitionem pro Prælaturis, ac dignitatibus, & aduerſatur incommodis enarratis. Puerilis ſanè obiectio; quarè reſpondetur Religioſos per profeſſionem emiſſam, quæ eos cogit ad acquirendam perfectionem, non cedere iuri meritorum; & ideò, quandò negliguntur, non parua eis iniuria irrogatur, ac regiminis vnitati, nec eorum perfectio dat perpetuitatem regimini, vt nō ſit mortale, & caducum, ſicut omnia creata vndè Plato 8. de Republ. loquendo de Ciuitate optimis legibus munita aiebat. *Difficile quidem eſt Ciuitatem ita optima politia conſtitutam à ſuo ſtatu moueri; verùm cū omne, quod genitum eſt, corruptioni ſit obnoxium; talis etiam conſtitutio ſemper manere non poterit, ſed ſoluetur.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

Sub mortali ſuprema regimina Regularium ſecundum meritorum proportionem, & aptitudinem hominum pluralitate ſunt propaganda, & tandem inter ipſos ea viciſſim ſibi debent præſtare. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur: finis talium regiminum eſt vnitas iuris, cuius violationem conſpirant DD. eſſe peccatum mortale: ſed ſi non multiplicarentur homines, diſſolueretur huiuſmodi vnitas, quia multi idonei, ac apti negligerentur, ac poſtponerentur, ex hoc enim ſequuntur ſeditiones, ac factiones, teſte Ariſtot. 5. polit. c. 5. alibi relato: *In optimatibus autem ſeditiones interdùm fiunt ex eo, quòd pauci ſunt honorum participes*: ergo ad ſaluandam vnitatem iuris nequeunt electores negligere huiuſmodi pluralitatem. Præterea ſuadetur ex doctrina D. Antonin. part. 4. tit. 5. c. 4. §. 4. in hac materia præcipua deſcribentis tres ſpecies regiminis, nempè Monarchiam, Ariſtocratiam, & Democratiam, & valdè commendat Monarchiam, nihilominus inquit: *Quia verò pax multitudinis maximè conſeruatur, quandò omnes in Principatu aliquam habent partem; ideò optima politia eſſet, quæ ex prædictis tribus mixta conſtaret, nempè ex Sapientioribus electis in Principes, vel Præfectos, eccè Ariſtocratiam: ex vno electo ex Sapientioribus, qui tam ijs quàm populo perficiatur, eccè Monarchiam: & ex populo quatenus ad ipſum ſpectat electio horum hominum ſapientiorum, eccè Democratiam*: nonne iſtud Imperium mixtum, & pulcher modus regendi in omnibus ferè Religionibus elucèſcit? profectò: ergo ad hoc, vt perfecta pax, quæ exoritur ex tam eminenti modo regendi habeatur, iuſtitiæque vnitas foueatur, cuncti meritis ornati ſupremis Prælaturis, ac dignitatibus fruantur; idcircò idem ſanctus part. 2. tit. 4. c. 8. §. 3. inſtructus à diuino Imperio aiebat: *In vno corpore congregationis, vel Ciuitatis debent eſſe multi poſiti in officijs diuerſis,*

*diuerſis, non vni totum, vel plura, alteri nihil, ſed cuique, quod ſibi congruit, nec debet vſurpare exercitium alterius, nec eum contemnere, vt vilius, ſed eius auxilio vti exemplo Dei, de quo dicit Iob.* 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus, ideſt Angelis, diuerſis diuerſa officia concedens, nec vnus officium alterius vſurpat, ſi autem ſecus fiat, diſcordia ſequitur*: Sec. pars ſuadetur ex eo, quia vnicuique ſub mortali incumbit onus ſaluandi, atque conſeruandi Rempublicam: ſed id non deſideratur, dum viciſſim communicantur ſupremæ Prælaturæ, dicente S. Thom. 5. polit. lect. 6. *Reſpublica ſaluatur propter mutuam communicationem ſecundum aliquam proportionem: huiuſmodi communicatio* (nota) *ſecundum proportionem iuſtitia eſt; quare Reſpublica ſaluatur iuſtitia exiſtente*: ergo ad hoc, vt Religio conſeruetur, conſeruetur etiam mutua communicatio ſupremarum Præfecturarum.

Dices contra primam partẽ, digniores ſunt tantùm ſublimandi, dignis poſtpoſitis, vt eſt communis doctrina DD. iſti experientia duce, ſunt pauci: ergo pauci ſunt eleuandi ad illas dignitates. Reſp. prim. & ſecundum communem doctrinã DD. quòd cum dignioritas oboriatur ex maiori vtilitate, quæ Eccleſiæ affertur, vt plurimis in locis adnotaui; proindè pro erigendo pacato regimine, re funditus conſiderata, multi exiſtimati digni, inter digniores ſunt computandi, tum quia difficilè datur tantus exceſſus meritorum, vti dixi in dub. 6. ita vt alij cenſendi ſint vilis grex, & bruta animalia; & licèt in nonnullis aliquis exceſſus dignoſcatur, in moralibus pro nihilo reputatur; vndè cenſetur ſuo patuo iuri meritorum cedere pro pacato regimine vti dixi ex mente Salonij, & Sanchez in citato dubio, tum quia æquum eſt, vt qui habent ius ad omnia munera Religionis, participent de incommodis, & commodis, vt adnotaui in dub. 7. vndè dicebat Ariſtot. lib. 1. de Republ. c. 3. *Imperare, ac parere non ſolùm neceſſe eſt, ſed etiam vtile*: hinc fortè eſt, quod idem Ariſtot. 5. polit. c. 11. pro regiminibus ſequens præceptum adnotauit: *Communis verò cuſtodia omnis dominationis vnius eſt, neminem vnum præ cæteris magnũ facere, ſed plures; nam ſe inuicem cuſtodiunt*: & ideò Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. n. 58. ait: multum expedire ad bonum commune, vt Prælaturæ regulares non maneant apud paucos, ſed multi apti fiant, & varientur perſonæ; & quamuis aliquis magnus exceſſus in aliquo homine dignoſceretur, adhuc non eſt longo tempore ſuſtinendus in Prælatura ad arcenda mala facillimè oritura, nempè tyrannidem tam in commodis, quàm in dignitatibus ex fortè deſpotico dominio; quarè Ariſt. 5. polit. c. 8. monet: *Qui maximos gerunt magiſtratus, quandò longo tempore durant, tyrannidem inuadunt*: & ideò ſubdit Lugo vbi ſupr. Quarè poteſt, imò debet aliquandò prætermitti Senior ille, qui diù gubernauit, & probauit ſe digniorem, & eligi alius iunior, tum vt Prælaturæ non præſcribantur apud paucos, tum vt alij paulatim apti fiant. Sec. quòd ſecundum rigorem doctrinæ S. Thom. ex Ariſt. 5. ethic. lect. 2. verum eſſe paucos enumerari inter digniores, quia inquit S. Thom. *Multi poſſunt vti virtute in proprijs, qui non poſſunt ea vti in his, quæ ſunt ad alterum*: idem dicit Albert. Magn. lib. 5. ethic. tract. 1. c. 4. n. 12. *Multi enim in proprijs quidem virtute vti poſſunt, & habent facultatem; in his autem, quæ ad alterum ſunt, vti virtute non poſſunt*: & hæc eſt iuſtitia, quæ conuenit Præſidenti, quæ ab intrinſeco dicit negligere propriam vtilitatem, nec non & adhærere aliorum commodis; & ideò, ſi multi ſunt emicantes in hac virtute, de qua ſpeciatim loquutus ſum in dub. 90. & 98. obſeruandum eſt, quod notatur in prima reſponſione.

Dices contra ſecundam partem, mutatio etiam mutua Prælatorum cauſat incommoda; nam neceſſe eſt multitudinem ſe accommodare genio tot hominum, eorumque conditionibus, quod nequit fieri, vt praxis docet ſine incommodis. Reſp. verum eſſe, ſed maius incommodum eſt negligere fundamentum regiminis, quod eſt vnitas iuris, ideò de illis non eſt curandum; maximè quia ex illa mutua communicatione non deſiderantur aliqua commoda ſatis deſcripta à S. Ambroſ. lib. 5. Exaem. cap. 15. *Quiſquam non inſoleſcit, nec diuturno ſeruitio frangitur, nec vllus audet alium ſeruitio*

*premere*

*premere, cuius ſibi ſucceſſuri in honorem mutua forent ſubeunda faſtidia, nemini labor grauis, quem dignitas ſequutura releuaret.*

Concludenda eſt ergo hæc materia ſatis agitata tam in præſenti, quàm alijs in locis hiſce grauiſſimis verbis Franc. Patrit. de Republ. lib. 6. tit. 5. *Nihil igitur magis formidandum eſt in Republica, quàm eos ad paucos redigi, quorum Imperium nec diuturnum vnquam fuit, nec ſine cæde, ac direptione:* ſi quis veritati non acquieſcit, & nutrit aliquas rationes, ſemper cenſendæ erunt nullius roboris, & ſoluendæ verbis Patrit. vbi ſupr. *Ambitio, inquit, plerunquè compellit potentiores Reipublicæ ad conſpirationem, vt inter ſe munera partiantur, populumque honore, ac publico lucro defraudent, quæ ex re ad paucorum potentiam ex multorum ſtatu deuenitur, quia dominatus paululum quippiam à tyrannide abeſt.*

## DVBIVM CIIII.

### *An ex vi perfectionis prædicta viciſsitudo Religionum regiminibus ſit inſerenda.*

### SVMMARIVM.

1. *Religioſorum regimen in vnum debet colligi, & per iuris vnitatem, & per charitatem, de qua explicantur laudes.*

2. *Per patientiam Monachus fit Religioſus, imò Religioſorum cœtus abſque tolerantia fit confuſio.*

3. *Rationibus deſumptis ex tribus virtutibus, ſatisfiodetur Prælaturarum viciſſitudinem eſſe adminiſtrandam in Religionibus.*

Licèt præſenti dubio multis in locis fuerit ſatisfactum, præſertim in duobus præcedentibus quæſitis; nihilominus exiſtimo punctum eſſe roborandum poſitiuis, & immediatis rationibus. Pro quarum intelligentia ſit prim. not. quòd ex Ariſt. 8. ethic. c. 9. vnà cum S. Thom. ibid. lect. 9. elicitur, quòd omnem humanam ſociationem in alicuius rei communione fundari neceſſe eſt, vt vectorum in nauigatione, commilitonum in re bellica, condiſcipulorum in doctrina Magiſtri, mercatorum in pecunia: qualis ergo erit res illa, quæ in medio verſatur, talem eſſe oportet illam conſociationem: nemini quidem eſt hæſitandum, quin multitudo, ſeù conſocietas Religioſorum in politiæ medio moretur, proindè per aliquod vnum colligari debet, & ſic per iuris vnitatem, vt in præcedenti quæſito adnotaui, inter ſeſe Religioſi vniuntur; habent enim ius ad omnia bona Religionis: morantur etiam in medio perfectionis per media congrua iuxta cuiuslibet Ordinis inſtitutum ad eam perfectè acquirendam; ideò debent ſimul conglutinari per aliquod vnum, per charitatem videlicet; proindè dicebat D. Paulus ad Coloſſ. c. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis: hoc eſt autem,* inquit Chryſoſt. ibid. *quod vult dicere illa nihil proſunt; diſſoluuntur enim illa omnia, niſi fiant cum charitate; ipſa omnia illa conſtringit, quodcumque bonum dixeris, ſi ea abſit, nihil eſt, ſed diffluit: & quomodò in naui etiam ſi magna ſint inſtrumenta, & non ſint, quæ eam ſuccingant tabulata, nihil prodeſt: & in domo ſi non ſint contignationes: & in corpore, etiam ſi magna ſint oſſa, non ſint autem ligamenta, nihil iuuat; cuiuſmodicunque enim quiſpiam bona habeat opera, & rectè facta, euaneſcunt omnia, niſi ſit charitas: non dixit autem faſtigium, ſed quod eſt maius vinculum; hoc enim eſt magis neceſſarium, quam illud; nam faſtigium quidem eſt intentio perfectionis; vinculum autem eſt complexus, & comprehenſio eorum, quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix:* hoc idem S. Auguſt. hom. 7. ſup. Ioan. breuibus verbis cumulauit, dum dixit: *Radix omnium bonorum eſt charitas:* hinc idem Chryſoſt. hom. 58. ad pop. antioch. de vita Monachor. loquens ait: *Nullus ibi magnus, nullus paruus: quid igitur? confuſio? abſit: ſed perfectiſſimus ordo; licèt enim quis paruus ſit, magnus hoc non reſpicit, ſed & illo ſe rurſum inferiorem exiſtimat eſſe, & ita maior efficitur: vna menſa, & miniſterium ſuſcipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita; magnus illic vilius opus arripiens, non eſt ibi meum, & tuum, ſed hoc verbum eliminatum eſt infinitorum cauſa bellorum: & quid miraris, quod ſit vna omnibus diæta, veſtis, & menſa? quippè cum omni-*

*omnibus ſit vna anima, non tantùm quoad ſubſtantiam; hoc enim eſt omnibus, verùm quoad charitatem?* vndè S. Hieron. in reg. monaſt. inſpiciens hoc bonum, quodà Monachorum charitate fluit, in hæc prorupit verba: *Hac*, ideſt charitas, *Religioſos, hac Monachos facit, ſine hac cœnobia ſunt tartara, habitatores ſunt Dæmones, cum hac verò ſunt Paradiſus in terris, & ip eis degentes ſunt Angeli.*

Not. ſec. quòd ſicut charitatis munus eſt Monachos efficere; ita patientiæ virtus de hoc idem gloriari poteſt, dicente S. Auguſt. ad fratr. in eremo ſer. 16. *Si habuerimus obedientiã, & negligẽtia omninò carebimus, adhuc non ſufficit, niſi & cum Iſaac patientiã habeamus; nam ſicut per impatientiã omnia deſtruũtur bona, omniaque ſuffocãtur optima, ſic & per patientiam omnia generantur bona, omnes iniquitates demerguntur in profundum; qui verò fratres mei patiens non eſt, Monachus non eſt*: vndè quia moraliter poſſibile non eſt hanc trahere vitam ſine defectu; ideò Monachi de patientia mutua tanquam de re multùm neceſſaria conuiuendum gloriari debent; aliàs maxima confuſio cum diſſidio, belloque vnita in clauſtris ſemper dominabitur: audite, quæſo, aurea verba D. Chryſoſt. elicita ex Apoſt. verb ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate: Quoniam*, inquit, *fieri non poteſt, vt homo viuat abſque defectu, admonet, ne rigidi ſint expenſores alienorum delictorum, ſed tolerent etiam proximorum defectus, vt & ipſorum delicta tolerentur ab alijs; ſicut enim in ſtructura domus non omnes lapides eundem habent locum, ſed hic quidem in angulum eſt accommodus, ad fundamenta non item; ille contra ad fundamenta commodus eſt, non item ad angulum, itidem ſanè eſt in corpore, quod eſt Eccleſia, quin & in noſtra carne licet idem cernere, attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requirimus; nam ex communi facie collectio, & corpus, & ædificium conſtituit, & ſic adimplete legem Chriſti: non dixit implete, ſed adimplete, hoc eſt ſimul omnes implete vos inuicem ferendo: veluti ille eſt iracundus, tu ſomnolentus; tolera igitur illius acrem impetum, vt viciſſim ille tuam ferat ſegnitiem, & ita fiet, ut nec ille peccet, dum abs te toleretur, neque tu dum in his, in quibus moleſtus es ſuſtineris à fratre tuo: ad hunc modum vobis inuicem, ubi lapſus imminet periculum, manum porrigentes mutuis officijs implete legem, ſic, ut unuſquiſque, quod proximo deeſt, ſua tolerantia ſuppleat: porrò niſi ſic egeritis, ſed quiſque proximi uitam tendat excutere, nunquam inter uos fiet quicquam eorum, quæ fieri decet, ut enim in corpore ſi quis ab omnibus membris eundem poſtulat uſum, nunquam conſtiterit corpus; ſic inter fratres graue bellum erit, ſi ab omnibus omnia requirimus.* O verè aurea verba ab aureo ore D. Chryſoſt. prolata, quæ ſatis inſtruunt non poſſe erigi, & formari (loquendo ad rem noſtram) Religionis corpus, niſi ad inuicem per tolerantiam feramus defectus, cum vnuſquiſque habeat, in quo reprehendi poſſit; aliàs ſemper erit in diſſidio, ac bello congregatio rectis etiam legibus munita.

*CONCLVSIO.*

PErfectionis monaſticæ vis exigit, vt multiplicentur Prælati, iuxta vnius cuiuſque meritorum, & habilitatum menſuram. Suadetur ex tribus virtutibus, quæ præſertim Monachorum clauſtra illuſtrant: In primis ex charitatis virtute: omnia bona Religionis à charitate habent, vt hac perfectione fruantur, quòd ſint omnibus communia: ſed Prælaturæ regularis bonum firmatur, ac radicatur in charitate: ergo omnibus, niſi demerita obſtent, commune eſſe debet: maior certa habetur ex D. Chryſoſt. vbi ſupr. ideò dicebat Dioniſ. Carthuſ. in D. Paul. ad Galat. c. 5. *Perfecta charitas omnia facit communia*: minor deſumitur ex Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 7. n. 7. dicente: Religioſa gubernatio magis fundari debet in charitate, quàm alijs reſpectibus; & maximo cum fundamento, quia ſi Religioſi ratione perfectionis, quam inter clauſtra profitentur, debent inter ſe ſe conglutinari per aliquod vnum, per charitatem ſcilicet, vt dixi ſuperiùs, idque maximè obtineri debet per illud, quod cenſetur maximum bonum in Religione, nempè per Prælaturam, eam ſibi ad inuicem communicando: igitur Prȩlaturȩ munus hac frui debet perfectione, vt ab omnibus participetur. Sec. inter dignas prærogatiuas, quæ in-

ttin-

trinſecè eleuant charitatem tanquam fundamentum totius perfectionis ædificij, ea præſertim emicat, quòd, neglecta propria vtilitate, faueat aliorum commodis, nec intendat ſe ipſam eleuare ad dignitates, ſed alijs eas conferre. Ita S. Anſel. 1. ad Corinth. c. 13. explicans verba Pauli: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*; *quia*, inquit, *propter aliorum commoda ſuas vtilitates negligit, nec ſe, ſed alios exaltare ſtudet*: ſed ſi tantùm pauci poſſident Prælaturas, non propagatur charitas, ſed propria concupiſcentia ei contraria, quæ docet, aliorum commodis neglectis, adhærere proprijs, & non alios exaltare, ſed ſe ipſam ſublimare: ergo ad hoc, vt charitas eluceſcat ſecundum hoc præcipuum munus, eluceſcant etiam in communicatione Prælaturæ Regulares. Tert. non minùs præcipua prerogatiua charitatis eſt, vt homines obſequium ſubiectionis ſibi inuicem preſtent. Ita S. Ambroſ. ad Gal. c. 5. explicando remedium, quod Paulus tradit aliquibus Galatarum, qui nonnullos alios ad iudaiſmum adducere conabantur ob cupiditatem regnandi, ſtudiumque dominandi: videatur etiam expoſitio D. Chryſoſt. ibid. vt ergo expellerent ambitionem, ſeditionemque reſecarent, in quam ducti cupiditate regnandi inciderant, ac denuò in vnum redigerentur, dixit eis Apoſtolus: *Per charitatem inuicem vobis ſeruite*: *Non per affectum*, inquit S. Ambroſ. *carnis charitatem habendam, ſed per dilectionem ſpiritus exhortatur, vt inuicem ſibi ſubiecti ſint*: ſed hoc præcipuum munus extenditur in Religionibus, dum ad inuicem communicantur Prefecturę; nam per hoc vnuſquiſque obſequium ſeruitutis, ac ſubiectionis ſibi præſtat: igitur quis non dignoſcit charitatem ab intrinſeco poſtulate huiuſmodi communicationem? quæ tandem ſolet diſſidia, ſeditiones, ęmulationes, aliaque mala abſcindere, quæ ſuboriri ſolent ex cupiditate hominum regnandi, ac perpetuò imperandi. Suadetur quart. ex patientiæ virtute: nequit perfectè formari Religionis corpus, ita vt bella, diſcordiæ, iurgiaque in eo non cognoſcantur, niſi per patientiæ tolerantiam homines ad inuicem onera propriarum infirmitatum, ac defectuum portent, cum vnuſquiſque habeat, dum mortalitate eſt indutus, in quo reprehendi poſſit, & miſeratione dignus ſit, vt inſinuat D. Chryſoſt. vbi ſupr. ergo Superiores, qui in infirmitatibus ſuorum regiminum per patientiam tolerantur à ſubditis, eis communicare debent Prefecturas, vt per patientiam defectus ipſorum, quibus ſunt communicatæ Prælaturæ, portent; aliàs nunquam Religionis corpus in pace viuet, ſed ſemper in eo iurgia, diſcordiaque excitabuntur, ſi ſemper onera defectuum nonullorum Religioſorum in regiminibus erunt ferenda: vndè, quæſo, aliquandò Religiones morbo factionum, ac ſeditionum laborant? nonniſi quia alter alterius onera infirmitatum in regiminibus ferre recuſat. Tandem ſuadetur quint. ex humilitatis virtute: docet Suar. vbi ſupr. ſtatum religioſum non eſſe per ſe ſtatum Prælationis, ſed ſubiectionis, ac humilitatis, ſolùmque ob neceſſitatem Prælationem admittere: ergo omnes participare debent de perfectione ſtatus Religionis: igitur Præfecturæ dignitas modò vnum, modò & alterum, &c. ornare debet; aliàs homines ſpiritum ducerent in medio ſtatus ſubiectionis, ac humilitatis abſque ſubiectione, ac humilitate, quod eſt multùm rationi diſſonum.

c TRA-

# TRACTATVS SECVNDVS DE GENERALIS MVNERE.

## DVBIVM CV.

*An Generalis teneatur ſuæ Religionis Prouincias reformare.*

### SVMMARIVM.

1. *Tria genera rerum, quæ Religionem labefactant, extenduntur.*

2. *Tenetur Generalis corruptelas, quæ in Prouincijs introducuntur, reformare.*

3. *Præſertim eas, quæ ſerpunt inter Superiores maiores Prouinciarum.*

4. *Maximè congruum erit, vt inſiſtat pro vera reformatione, vt vnuſquiſque, proprio commodo neglecto, communi bono adhæreat: & duo maximi ponderis adnotantur.*

1. Hic non loquimur de reformatione erigenda, quandò Religio eſt deformata, ſeu relaxata quoad ſubſtantiam Religionis, ſcilicet tria vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, aliaque præcepta regulæ promiſſæ eſſentialia, quia de hoc videndi ſunt DD. præſertim Vaſquez 1. 2. diſp. 154. c. 4. Sanch. lib. 6. ſumm. c. 2. n. 35. Iacob.Granad. tract. 3. p. 1. diſp. 2. ſect. 4. contr. 7. de legib. neque de reformatione extendenda ſuper contumaces, & rebelles ſubditos, quia de hoc audiendi ſunt Rodriq. tom. 3. qu. 34. art. 9. & Mirand. in manual. Prælator. to. 2. q. 5. ar. 5. concl. 3. ſed loquimur de corruptelis, in quas tractu tẽporis humana ſocietas propria fragilitate ducta labitur, quæ perfectionis religioſæ nitorem labefactant, cum experientia compertum ſit, ait Lezana in ſumm. qu. regul. c. 7. n. 19. quòd regula, & Religio, quæ non reformãtur, quotidiè ad ruinam, & maiorem relaxationem tendunt; ideò celebrantur, ait Rodriq. vbi ſupr. qu. 47. art. 3. Capitula ad recuperandum antiquum nitorem. Addit etiam, quod, ſi videntur aliquæ Religiones ſpiritu exinanitę, & vſque in profundum demerſæ, id non accidit ex eo, quòd temporibus congruis non celebrentur Capitula, ſed quia, quę in ipſis tractantur, ad electiones Prælatorum, & officialium reducuntur, & de obſeruantia proprij inſtituti, & regulæ parum, & nihil agitur, cum illud, quod principaliter in his ventilari, & conſuli oportet, ſit morum reformatio, & inſtituti proprij reformatio, quibus cum deficiat iſte ſubſtantialis cibus, aliquas fame proprijs oculis perire videmus, & propinquantes morti ſuum mortis periculum deplorare: hæc Rodriq.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. Obligationi eſt addictus Generalis etiam ſub mortali inſiſtendi reformationi corruptelarum, quæ fragilitate hu-

mana attēta, in Prouincijs introducũtur, quę grauiter labefactare ſolent perfectionem religioſã, de quibus diximus in 3. p. 1. cent. dub. 75. tum quia inquit Lugo diſp. 9. ſect. 2. nu. 24. de iuſt. Prælatus regularis ex munere ſuo tenetur promouere ſubditos ad eam perfectionem, quam ſtatus, & conditio ſui Ordinis poſtulat, ita vt communitas ob eius negligentiam non cadat à ſuo feruore, & fine ſibi proprio: idem repetunt Connich. de charit. diſp. 28. dub. 3. num. 24. & Caſtr. Palaus de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 3. nu. 5. Primus ait: Tenetur Prælatus, quantùm poteſt, dare operam, vt integrè ſeruetur Religionis ſtatus. Secundus inquit: Obligatione afficitur Prælatus, vt non ſolùm bono ſpirituali proximi attendat, ſed ratione officij Superioris, quo tenetur, vt religioſa diſciplina conſeruetur, & nullo modo eam labefactandam permittat, quia ex permiſſione corruptelarum, ſi graues ſunt, & nociuæ, ſolet religioſa diſciplina nimium labefactari: tum quia Prælati, ait Rodriq. tom. 3. q. 34. art. 3. ſunt reformatores ſuarum Religionum, & præ oculis, addit art. 5. ſemper debent habere bonum commune, quod per iſtas corruptelas labefactatur.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. EAs præſertim tenetur ſub mortali reformare Generalis, quæ ſerpunt inter Superiores maiores Prouinciarum, ideſt inter Prouinciales, ac Definitores, ſeù Aſſiſtentes. Ratio videtur eſſe, quia *qualis Rector eſt Ciuitatis, tales & inhabitãtes in ea*. Eccleſ. 10. & ideò, ſi bonus eſt Princeps, boni fiunt ciues, vndè dicebat Lipſius in Polit. lib. 2. c. 8. *Iam & Principi cura altera, vt cum ipſe bonus, ſubditi etiam tales; vbi virtus abeſt, quæ ſocietas non dicam laudabilis, & firma?* & ideò, ſi mali ſunt Rectores, mali fiunt ſubditi; quarè aiebat Cicero 3. de legib. *Vitia non ſolum ipſi Principes concipiunt, ſed etiam in Ciuitatem infundunt, pluſque exemplo, quàm peccato nocent*: multiplices de hoc deſignari poſſunt rationes. Prima habetur ex eo, quia mores, & conuerſatio Rectorum, & Principum ſunt in Ciuitatis, ſeù Religionis ſchola, velut Magiſtri publicæ diſciplinæ, per quas inſtruuntur ſubditi. Ita S. Hieron. ad Heliod. *Domus Epiſcopi, & conuerſatio in ſpeculo poſita, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ, quidquid fecerit, id ſibi faciendum omnes putant*. Secund. quia eorum virtutes, ac vitia ſunt velut quædam leges, & præcepta, quæ ad eis parendum cogunt ſubditos. Ita Quintilianus declam. 8. *Hæc conditio Principis, vt quidquid faciat, percipere videatur*. Tert. quia ſubditi, dum ſequuntur Magiſtri veſtigia, vix aliquid ad culpam ſibi imputare queunt. Ita Parrit. de Republ. lib. 3. tit. 3. *Senatores inſtar totius populi habendi ſunt; vbi enim delinquunt, longè magis exemplo, quam culpa peccare videntur; minores namque veſtigia ſequuntur, vixque ſe errare putant, cum eiuſdem criminis reum aliquem Senatorem oſtendunt* Quar. quia ſubditi, dum pendent à Superioribus, non audent diſſimiles mores induere, ne exprobrare Regis crimina videantur. Ita Lactantius lib. 4. de diuin. inſtit. *Quoniam mores, & vitia Regis imitari genus obſequij indicatur; abiecerunt omnes, ne exprobrare ſcelus Regis viderentur, ſi piè viuerent*. Quamobrem Generalis pro comperto teneat, nunquam reformationem in Religionem fore introducendam, niſi priùs reformentur Superiores maiores Prouinciarum, cum veriſſimum ſit illud pronunciatum Theodorici Regis Gothorum ad Senatum, populumque Romanum à Caſſiodor. in var. epiſt. 3. relatum. *Facilius eſt errare naturam, quàm diſſimilem ſui Princeps poſſit Rempublicam formare*: & obliuioni non tradat dictum Senecæ in epiſt. *Quod longum iter eſt per præcepta, breue, & efficax per exempla, plùs ex moribus, quàm ex verbis trahimus.*

*TERTIA CONCLVSIO.*

4. PRo vera Prouinciarũ reformatione inſiſtere debet Generalis, vt nemo, ſed præſertim Prælati maiores quærãt, quæ ſua ſunt, ſed intendant bonum commune. Suadetur primò authoritate D. Thom. 2. 2. quæſt. 183. ar. 2. dicentis: *Diſcedit quis ab vnitate ſpiritus, (quam ſollicitè ſeruare debent Religioſi in vinculo pacis) dum quærit, quæ ſibi ſunt propria; ſicut etiam in terrena Ciuitate pax tollitur ex hoc, quod ciues*

*ſinguli,*

*ſinguli, quæ ſunt ſua, quærunt*. Secund. ratione: ſubditorum munus eſt, inquit Caietan. 2.2. qu. 90. art. 8. tueri bonum commune, nec id in diſcrimine ponere; Generalis munus eſt, ait Emin. Lugo de iuſt. ſect. 2. diſp. 9. num. 24. curare, vt ſubditi non quærant, quæ ſua ſunt, ſed bonum commune: igitur quis non videt veritatem concluſionis? magis eluceſcit, ſi attentè conſiderabimus bonum, quod oboritur ex communi bono intento, & malum, quod inſurgit ex proprio intereſſe procurato; vtrumque enim deſcribitur à D. Antonin. 1. part. tit. 6. c. 2. §. 5. meditante originem progreſſus, & augumentationis, ſimul etiam deficientiæ, & diminutionis, imò deſtructionis Romanorum. *Romani*, inquit, *dum vniti fuerunt ad quærendum bonum cõmune, totius Orbis dominium adepti ſunt, & è conuerſo, diuiſi ad quærendum quippè propria, ad nihilum deuenerunt*: ergo, vt bonum profectus Religionis de die in diem augumentetur, & malum deſtructionis arceatur, ſatisfaciat Generalis ſuæ obligationi, prout in concluſione.

Dixi præſertim, Prælati maiores, quia ex bono communi ab iis ſpecialiter intento, oboriri debet iuſtitia, quæ, inquit Rodriq. tom. 3. q. 34. ar. 5. eſt pax Religionis, tutamentum obſeruantiæ regularis, immunitas communitatis, nutrimentum ſpirituale Monachorum, gaudium, & ſilentium, & ſecuritas in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta: at ex illo neglecto ab eiſdem Patribus, & particulari intento præcipuè circa Prælationes, & officia ſequitur, inquit Cicero 1. offic. obliuio iuſtitiæ: *Maximè ducuntur quidem, vt eos capiat iuſtitiæ obliuio, cum in Imperiorum honorem, gloriaue cupiditatem inciderint*: ex hoc etiam, ait idem Rodriq. ibid. æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, ſectationes; & alia genimia viperarum emergunt, quæ in proprio intereſſe radices emittant, exinaniunt Religionem vſque ad fundamentum.

Ex hac ergò doctrina pro omnium Prælatorum inſtructione duo ſunt maximi ponderis conſideranda. Prim. quòd tunc eorum intentio cenſenda erit ſancta, & recta bonum commune affectans, cum bonum proprium à ſe fugabunt: Ita dicit Ægid. Roman. 2. part. lib. 3. c. 4. *Tunc enim Principans rectam habet intentionem, ſi non intendat bonum proprium, ſed commune*: quarè oportet, aiebat Rodriq. vbi ſupr. Prælatos conſiderare debere commune bonum à ſuo proprio eſſe alienum. Secund. quòd tunc peruerſa putanda erit diuidens ſubditos in factiones, cum ſe diuertit à bono communi inhærens proprio. Ita inquit S. Thom. 1. de regim. c. 5. alibi relatus. *Quicunque ex Præſidentibus pluribus ſe diuertat ab intentione boni communis, diſſenſionis periculum in ſubditorum multitudine imminet, quia, diſſentientibus Principibus, conſequens eſt, vt in multitudine ſequatur diſſenſio*: hinc eſt, quòd diuina Prouidentia, quæ in ſuis diſpoſitionibus nunquam fallitur, non ignorans malum oboriturum aduerſus bonum commune multitudinis, dum regentes bonum proprium affectant, decreuit, vt in eis iuſtitia enitteret, quæ propriam vtilitatem negligit, aliorumque commodis inhæret. Ita habetur ex D. Ambr. lib. de Parad. *Iuſtitia magis alijs, quàm ſibi prodeſt, vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens*: videantur, quæ dixi in ſecund. not. dub. 90. tert. part. prim. centur. & recordetur Generalis, quòd tenetur inſtruere electores de hac conditione, requiſita in eligendo: legat, quæſo, dub. 182.

## DVBIVM CVI.

*An Generalis in viſitationibus Prouinciarum curare teneatur, vt Religioſi Prælationum, præſertim ſupremarum, ac officiorum fruantur viciſsitudine.*

### SVMMARIVM.

1. *Trimembris diſtinctio tituli deſignatur, & oſtenditur iuſtitiam eſſe neceſſariam Regentibus, ex qua triplex beneficium in fauorem populi emanat.*

2. *Religioſorum regimen non eſt ſeruorum, ſed liberorum; & ſatisfit cuidam obiectioni.*

3. *Pro Religionis conſeruatione requiritur iuſti-*

*iuſtitia, quæ habet ſpecialem operandi modum.*

4. *Specialis operandi modus eiuſdem iuſtitiæ eſt, vt ad inuicem ſinguli homines ſibi præſtent Prælationis commoda; & ſoluuntur tres obiectiones.*

5. *Tam electores, quàm Generales ſub mortali huiuſmodi iuſtitiam prædictis viciſſitudinibus propagare tenentur.*

1. Præter ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt de iuſtitia, quæ ſatis quæſiti veritatem demonſtrant, nihilominus aliquid fortè clariùs remanet dicendum in præſenti quæſito. Pro cuius intelligentia ſit prim. not. quòd id contigere poteſt tripliciter. Prim. inter indignos, & dignos. Secund. inter dignos, & digniores. Tert. inter tantùm digniores.

Not. ſec. iuſtitiam, vt plurimis in locis adnotaui, eſſe pro recta adminiſtratione, atque conſeruatione Reipublicæ neceſſariam; quarè aiebat Ariſtot. 7. polit. c. 14. *Difficile eſt ſtare Rempublicam, quæ conſtituta ſit, præter iuſtitiam*; ideò hæc enitere debet in Rectoribus, ac Regibus, tanquam in primis motoribus totius molis regiminis. Xenoph. de Cyri exped. lib. 7. aiebat: *Ego verò nullas opes viro, ac præſertim Principi pulcriores, honeſtioreſque cenſeo, quàm virtutem, & iuſtitiam*: imò Sapient. 1. habetur. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram*, & Prou. 29. *Rex iuſtus erigit terram*: hebr. legit. *Rex in iudicio ſtare facit terram*; ideſt ſtatuit, ſtabilit terram, alludit ad centrum terræ, eique comparat Regem, vel potiùs iuſtitiam, & iudicium Regis, quaſi dicat: Rex iuſtus ſtabilit terram inſtar centri, vel potiùs per iuſtitiam, quaſi per centrum; ſicut enim centrum terræ, teſte Ariſt. lib. 1. de Cœlo, corporibus omnibus, quæ ad illud tendunt, confert triplex beneficium, vnitatem ſcilicet, conſeruationem, & quietem; ſic & Rex per iuſtitiam, quam omnibus adminiſtrat, omnes in eadem ſibi vnit, ideò dictum fuit ex S. Auguſt. S. Thom. & S. Antonin. in dub. 103. finem cuiuslibet Regni, & Imperij eſſe vnitatem iuris, ſeù iuſtitiæ: & in concordia, amotis ſeditionibus, conſeruat; proindè S. Thom. in lib. 2. polit. Ariſt. lect. 9. ait: *Per iuſtitiam conſeruatur pax Ciuitatis, transgreſſio verò iuſtitiæ eſt ſeditionis cauſa*: ex qua te ſumma tranquillitas, & quies, quæ eſt tertium beneficium, oboritur; cuius laudes extenduntur à S. Ephrem tract. de patient. & conſum. ſæculi. *O quies Monachorum profectus. O quies ſcala cœleſtis. O quies via Regni Cœlorum. O quies compunctionis mater. O quies pœnitentiæ conciliatrix. O quies peccatorum ſpeculum, quæ homini ſua ſcelera, atque delicta oſtendis. O quies, quæ lachrymas nequaquam impedis. O quies manſuetudinis procreatrix. O quies humilitatis contubernalis, & ſocia. O quies animæ ſecuritas. O quies iugum ſuaue, & onus leue, reficiens, portanſque portantem te. O quies animæ, & cordis lætitia. O quies oculorum, & aurium, linguæque frenum. O quies pietatis, ac Religionis mater. O quies paſſionum carcer. O quies omnis virtutis cooperatrix. O quies voluntariæ paupertatis hoſpita, & amica. O quies Christi ager fructus optimos proferens. O quies diuino timori coniuncta, murus, & propugnaculum decertare cupientium propter Regnum Cœlorum.*

2. Pro tert. not. ſit diſcrimen inter regimina recta, & non recta Politiarum notatum ab Ariſtot. lib. 3. polit. c. 5. & commentatum à S. Thom. ibidem lect. 5. inquit ergo Ariſt. *Conſtat igitur, quòd quæcunque Reſpublicæ ad communem vtilitatem intendunt, hæ rectæ ſunt ſecundum ſimpliciter iuſtum; quæcumque verò ad propriam eorum, qui præſunt vtilitatem, ſolum aberrant, ſuntque omnes rectarum Rerũpublicarum tranſgreſſiones, & labes: gubernantur enim quaſi à Dominis; Ciuitas autem eſt liberorum ſocietas*: ait ergò S. Thom. *Concludit ex dictis diſtinctionem rectarum politiarum ab iniuſtis; cum enim ita ſit, quòd Principatus liberorum ſit ordinatus ad vtilitatem ſubditorum; manifeſtum eſt, quòd in quibuſcumque politijs Principes intendunt communem vtilitatem, illæ ſunt rectæ politiæ ſecundum iuſtitiam abſolutam; in quibuſcumque verò politijs intenditur vtilitas Principantium, illæ ſunt vitiatæ, & corruptiones quædam rectarum politiarum; non enim in eis eſt iuſtum ſimpliciter, ſed iuſtum ſecundum quid, vt infrà dicetur; principantur enim dominatiuè Ciuitati, vtentes ciuibus, ſicut ſeruis, ſcilicet*

ad

*ad ſuam vtilitatem, & hoc eſt contra iuſtitiã, quia Ciuitas eſt communitas liberorum; ſeruus enim non eſt ciuis.* Nec obſtat deſcriptum regimen non poſſe adaptari Regularium regimini, quia non ſunt liberi; nam per votum obedientiæ ſubijciuntur Religionum Prælatis, quia hic non deſcribitur libertas, quæ nullum ſuperiorem agnoſcit, ſed illa, quæ opponitur ſeruis, quorum totum eſſe ferè refertur ad dominorum vtilitatem, & quæ habet ius ad omnia bona multitudinis, & quæ ſimul ſtat cum ſubiectione, vndè iſtorum liberorum dominium ita deſcribitur à D. Thom. vbi ſupr. lect. 3. *Eſt quidem Principatus, ſecundum quem aliquis principatur nõ ſicut dominus ſeruis, ſed ſicut liberis, & ſibi æqualibus, & hic eſt ciuilis principatus, ſecundum quem in Ciuitatibus nũc hi, nunc alij aſſumuntur ad principandum*: quæ omnia clarè videntur in Religioſorum congregationibus; nam eorum ſubiectio, inquit Suar. 3. de Relig. lib. 6. cap. 2. non eſt tamquam a ſeruis, quia non ordinatur ad bonum, & vtilitatem Prælati: *Seruus enim*, ait S. Thom. part. 1. quæſt. 96. art. 4. *ordinatur ad alium*: ſed ad vtilitatem ipſorum, & ad bonum Religionis; quarè tota dominatiua poteſtas reſidens in Religionum Prælatis, non ordinatur ad commodũ, ac vtilitatẽ ipſorũ Prælatorũ, ſed ad bonum ſubditorum, ſubdit Suar. vbi ſupr. nonne eorum dominium eminet in æqualibus? profectò; nam omnes homines, dummodò ſint idoneitate prædìti, habent ius ad omnes Prælationes: nonne omnes ad inuicẽ aſſumuntur ad officia, ac Religionis dignitates? ſanè: clarè ergo rei veritas apparet.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. AD conſeruandum, ſeù ſtabiliendũ Reipublicæ, ſeù Religionis ſtatũ neceſſariò requiritur iuſtitia, quæ ſpecialem operandi modum pro pacato, & tranquillo regimine exigit. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſatis intelligitur probata in ſec. not. per hoc enim propagatur vnitas multitudinis, de qua grauiter loquitur S. Pet. Damian. in opuſc. 14. tom. 3. *Illud ſanè cũcta videtur excellere, illud omnibus ſanctè viuentibus dignè cenſetur virtutibus eminere, quòd tanta eſt inter fratres charitas, tanta vnitas voluntatum vicarij amoris igne conflata, vt vnuſquiſque ſe nõn ſibi, ſed omnibus natum credat, quod alienum eſt, ipſe poſſideat, & quod ſuum eſt, in omnes extenſo amore transfundat*: & colitur concordia, de qua ita affatus eſt S. Hilarius ſuper Matth. *Intantùm humanæ pacis Chriſtus ſtuduit concordiæ, vt vnitatis meritò omnia, quæ à Deo precanda ſunt, impetranda eſſe confirment, & vbi duo, vel tres pari ſpiritu, & voluntate collecti ſunt, ibi ſe medium pollicetur futurum*: & non deſideratur quies, de qua S. Ephrem Syrus vbi ſupr. hæc grauia verba habet: *Melior eſt bucella panis in ſale cum quiete, & tranquillitate, quàm menſa ſumptuoſis inſtructa dapibus cum diſtractionibus, & curis*: vnde hæc pars concludenda eſt cum S. Tho. in 3. polit. Ariſt. lect. 10. aſſerente: *Iuſtitia eſt maximè ſaluatiua Ciuitatis*. Secunda pars ſuadetur ex Ariſt. 5. polit. cap. 9. cum S. Thom. commento lect. 7. *Tria verò inquit ille, debent habere illi, qui principales magiſtratus ſunt ſuſcepturi: Prim. vt ament præſentem Ciuitatis ſtatum, deindè vt habeant potentiam maximam ad ea exequenda, quæ magiſtratus requirit. Tertium, vt habeant virtutem, & iuſtitiam in vnaquaque Republica ad ipſam Rempublicam; niſi iuſtum idem ſit in cunctis rebuſpublicis, neceſſe foret, & iuſtitiæ eſſe differentias*. S Thom. ait *Oportet enim principantẽ habere prudentiam, hoc autem non eſt, niſi habeat appetitum rectum, ſed rectitudo appetitus eſt per virtutem moralem; quarè oportet, quòd habeat virtutem, & iuſtitiam ſecundum quãlibet Rempublicam: in qualibet enim Republica intenditur æquale ſecundum aliquam dignitatem propriam ei, & ideò in vnaquaque Republica oportet eſſe iuſtitiam ſecundum illam Rẽpublicam; & dico ſecundum illam Rempublicam, quia non eſt eadem iuſtitia ſecundum vnamquanque, & hoc apparet; ratio enim habitus ex obiecto ſumitur; obiectum verò iuſtitiæ iuſtum eſt: ergo ratio iuſtitiæ ſumitur ex ratione iuſti: ſed iuſtum non eſt idem ſecundũ vnamquanque politiam, ſed ſunt diuerſæ differentiæ eius: ergo iuſtitia non erit eadem ſecundum vnamquanque Rempublicam, ſed erũt differentiæ illius.*

SE-

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

4. SEruandæ iuſtitię in Religionibus modus eſt, vt ſinguli homines ad inuicem ſibi præſtent Prælationis commoda, loquor præſertim de ſupremis Prælaturis. Suadetur tribus argumentis ex S. Th. deſumptis. Prim. habetur ex doctrina tradita in 3. not. quæ deſignat differentiam inter principatus liberorum, & ſeruorum, ſed id fortè clariùs habetur in lect. 10. lib. 7. polit. dum dicit duplicem eſſe dominatum, ſeù principatum; vnus quidem, qui dominatur principaliter ad bonum principantis, & eſt dominium Domini ad ſeruos; alius autem eſt, qui principaliter eſt propter aliquod bonum ſubditorum, & nuncupatur liberorum dominium, ideſt ſimilium ſecundum naturam. Primus veró non exigit vicißitudines principantium ſecundum tempus, quia ſerui non ſunt ſimiles ſecundum naturam: Secundus quidem huiuſmodi vicißitudines petit, quia ſunt ſimiles ſecundum naturam: ſed regularium regimen non vtitur dominio inter dominos, & ſeruos, ſed inter liberos, & ſimiles ſecundum naturam; nam omnes homines iuxta meritorum proportionem habent ius ad omnia Religionis bona: ergo modus iuſtitiæ ſeruandæ in Religionibus poſtulat, vt inter homines Prælationũ vicißitudines eluceſcant. Sec. ex eadem lect. 10. elicitur. *Illi*, inquit, *qui ſunt ſimiles ſecundum naturam, & virtutem habent idem iuſtum, & æquale, & æqualiter debent recipere de communibus; principari autem honor communis eſt, & ideò illi qui ſunt ſimiles ſecũdum prædictum modum æqualiter debent principari: ſed non poſſunt ſecundum idem tempus omnes: ergo ſecundum aliud, & aliud*: ergo Religioſorum iuſtitia intrinſecè requirit prædictas vicißitudines. Tert. etiam eodem loco habetur: *Reſpublica fundata ſuper iniuſtum ſubditorum, non eſt benè manſiua, quia ſubditi grauati per iniuſtitiam ſunt amaro animo, & de facili poſſunt corrumpere Rempublicam: ſed Reſpublica, in qua idem ſemper principatur, ſimilibus exiſtentibus, fundatur ſuper iniuſtum, & inæquale: ergo benè manſiua non eſt*; ergo: verùm concluſio erit ſemper intelligenda, quandò homines erunt ſimiles ſecundum merita, quia digniores præſertim ad Prælaturas ſupremas ſunt eligendi, vt dicunt cõmuniter DD. & dixi plurimis in locis in prima centuria, & id etiã fuit cognitum ab Ariſtot. videatur S. Thom. in 3. polit. lect. 10. quæ dignoritas nequit eluceſcere niſi in hominibus iuſtitia prædictis, neceſſaria omnibus Præſidentibus, quæ docet aliorum vtilitati, proprio emolumento neglecto, adhærere: videantur, quæ dixi in dub. 90. prim. centur. Ex hoc ergo ſequitur, quòd Prælationum vicißitudines in Religionibus eluceſcere nequeunt ſecundum prim. & ſecundam acceptionem notatam in prim. not. ſed tantùm ſecundum tertiam, & aliquandò iuxta ſecundam; vide ea, quæ dixi in 6. & 103. dub.

Dices, licèt talis iuſtitia ſeruanda in Religionibus poſtulet prædictam vicißitudinem, nihilominus Prælatorum mutatio, vt inquit S. Bonauent. opuſ. c. 2. qu. 19. ſuper regulam S. Franciſci, ſolet incommoda in relaxationem congregationum afferre. Reſpond. cũ Suarez relato in 3. not. 3. du. prim. centur. quòd res humanæ huiuſmodi ſunt, vt nunquam omnibus incommodis careant; vndè propter aliqua ſuſcitanda non eſt negligendum fundamentum talis regiminis, quod eſt iuſtitia modo explicato; nam, ea destructa, deſtruitur totum ædificium, & Reſpublica ſuper iniuſtum fundata ſubditorum, inquit S. Thom. vbi ſupr. ſubſiſtere nequit; vndè neceſſariò ſunt excitandæ factiones, ac ſeditiones, maximè in tertio Religionis ſtatu, in quo virtutes langueſcunt, quæ ſunt illud deſtructiuum diſſoluens pacem, ac vnitatem multitudinis, per quæ conſeruatur; ideò eſt obſeruandum, ac meditandum dictum S. Thom. in lib. 2. polit. lect. 9. ſuperiùs relatum. *Per iuſtitiam enim conſeruatur pax Ciuitatis, tranſgreßio verò iuſtitiæ eſt ſeditionis cauſa*: & inſiſtendum, vt, qui debeant frui huiuſmodi vicißitudine, habeant æquale, vel quaſi æquale meritum in ordine ad Eccleſiæ vtilitatem, quia inquit S. Thom. 5. polit. lect. 7. *Ciuitates propter dignitates collatas præter proportionem corrumpuntur.*

Dices, per iſtam vicißitudinem infirmatur Prælatorum potentia, quia, cum ſe cognoſcant citò fore officio priuandos, non audent rebelles ſubditos toto conatu frenare, ac obſtare corruptelis, quæ per fragilitatem

tatem humanam in Religionibus introducuntur. Reſpond. quòd, licèt ex iſto capite obotiatur in potentia Prælatorum aliquã infirmitas; nihilominus ex alio capite, nempè ex perpetuitate ſuſcitarentur mille iniuſtitiæ, ac alia multa mala, vt notat Ægid. Roman. de reg. Princ. 1. part. lib. 3. c. 13. *Nam multa mala, & multas iniuſtitias committerent præpoſiti Ciuitatum, ſi ſcirent ſe eſſe perpetuò tales, à quibus cauerent, ſi conſiderarent ſe eſſe ad huiuſmodi officio remouendos*: & Patric. de Republ. lib 3. tit. 5. inquit. *Dignitates perpetuas eſſe in Republica periculoſum arbitror; earum ſiquidem diuturnitas plerumque hominum mores mutare ſolet, & nonnunquam tyrannidis occaſionem præbet*: & cùm de duobus malis minus ſemper ſit eligendum; ideò amplectenda eſt prædicta viciſſitudo, licèt paululum debilitetur Superiorum potentia, quia per hoc non deſtruitur Religio, ſicut diſſoluitur per perpetuitatem, cuius iniuſtitiæ totum fundamentum regiminis, nempè iuſtitiam euertunt; proinde S. Thom. vbi ſupr. optimè dicit: *Tranſgreſſio verò iuſtitiæ eſt ſeditionis cauſa*: ſed ſit dictum gratis. Vera ergo reſponſio ſit, quòd ſi homines ad munera Prælationum per viciſſitudines ſublimandi, præditi erunt virtute iuſtitiæ, quæ requiritur in Præſidentibus, non infirmabitur eorum poteſtas; nam, cum ipſa vilipendat proprium commodum, nihil obſtabit eorum abſolutio ab officio; quin exerceant illud ſecundum debitam prudentiam, & potentiam, & contra ſubditos rebelles eos coercendo, & contra corruptelas, eas reſecando. Addatur etiam alia non inferioris virtutis: eſto veriſſimum ſit politicum regimen ſuaui arte pertractandum, nec ſubditos in rigore regi poſſe, ſicut in regio regimine, vt demonſtrat S. Thom. 2. de reg. Princip. c. 8. ob rationes ibi deſignatas, & ob aliam magis immediatam Nauarri in cap. Nullum de Regul. n. 33. 34. Non decet Regulares, ac Eccleſiaſticos ita regere in virga ferrea, vt eorum defectus apud ſæculares manifeſtentur; nihilominus Regis potentia, de qua loquitur Salom. Pro. 20. *Rex, qui ſedet in ſolio, diſſipabit omne malum intuitu ſuo*; nunquam ab incommodis orituris Regnum defendet, niſi cum amore viuat cum ſubditis, niſi amicitia, regiæ maieſtati vtilis, eos liget, vt optimè demonſtrat S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 10. Si ergo Regis potentia ab incommodis ſtatum liberare nequit, niſi mediante amore copuletur cum ſubditis, quomodò illa Superiorum Religionum incommodis ſubditorum rebellium obſtabit, niſi ſint conglobata cum omnibus alijs meritorum paribus per animorum concordiam? quæ quidem per huiuſmodi viciſſitudines conciliatur, vt inquit Patric. de Repub. lib. 1. tit. 6. *Æqualitas inter ciues concordiam parit*: hæc eſt illa potentia, quæ redarguit inſolentes ſubditos, eoſque in ſuis incommodis frenat, & non illa, quæ ſub coloratis rationibus, ne ius dominij amittatur, fundatur in iniuſtitia excludendo homines ab honoribus; hæc enim excitat ſeditiones, inuidias, & ſtatum infirmat, & rebelles ſubditos audaces facit: audiantur verba Patric. vbi ſupr. *Qui ſe videt honore ſibi debito priuatum, ſpeque ſe eſſe fraudatum, nunquam animo quieſcet, & vel negligentior in Republica erit, vel malè omninò animatus, hinc ſeditiones inter ciues oriuntur; hinc ſimultates, & inuidiæ, quæ quidem res ſtatum publicum infirmiorem reddunt*: & ſæpè memoria reuoluatur illa verba S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 10. *Non eſt ergo facile, vt Principis perturbetur dominium, quem tanto conſenſu populus amat*.

Dices, huiuſmodi doctrina Religioſorum perfectioni, quæ honoris temporalis contemptum docet, obſtare videtur. Reſp. argumentum eſſe illorum, qui ſæpè recurrunt ad ſubditorum patientiam ad ſaluandum aliquod durum ideò nullius roboris: videantur ea, quæ dixi in 2. not. 3. dub. prim. centur. nihilominus ab ipſis quæro: Religioſorum dominium, ſeu regimen eſt ne ſubiectum ſubditorum ſeditionibus, & Prælatorum tyrannidi? negari nequit; ideò tot tribunalia eriguntur, & viſitationes extenduntur ad vtraque inueſtiganda, vt bona communitatis Superiores in proprium vſum non conuertant, & vt ſubditi, vt filij tractentur, & non vt ſerui, ideſt in propriam vtilitatem ab eiſdem, & vt idem ſubditi ab vnitate non ſe ſeparent, debitumque obedientiæ Prælatis præſtent: Religioſorum ius non ſe extendit ad omnia Religionis munera? profectò; nam

ita declarat profeſſionis contractus: incommodis ergo deſcriptis quonam remedio erit obſtandum? ſanè, ſi ſunt vitia aſſignari debet aliqua virtus, quæ eis obſtet, aliàs non eſſet rectè ordinatum Imperium; quænam erit deſignanda? nonniſi iuſtitia, vt omnes DD. fatentur, cuius obiectum eſt iuſtum, æquale, quod ſatis ſuperiùs fuit explicatum, & denuò explicatur à S. Thom. 3. polit. lect. 7. *Iuſtum æquale*, ait, *videtur eſſe, vel conſiſtere in quadam æqualitate ſecundum proportionem, quæ non ſolùm attenditur ex parte rerum, quæ diſtribui debent, ſed ex parte ſuppoſitorum, quibus debet fieri diſtributio; in iuſtitia enim facienda etiam attenditur æqualitas proportionis ex parte perſonarum, quibus debet fieri iuſtitia ſecundum aliquam dignitatem, & eandem oportet eſſe proportionem rerum, quæ diſtribuuntur, vt ſi ſint æquales ſecundum virtutem, æqualiter diſtribuantur eis de bonis*: hoc igitur iuſtum, dum docet æquales, ſaltem viciſſim, debere potiri Prælaturis, obſtat Superiorum tyrannidi, qui ſemper eis frui volunt; tyrannicum enim eſt participare magis de bonis cõmunitatis, quàm par eſt; dum etiam omnibus concedit, quæ ſua ſunt, reprimit ſeditiones à communitate, iuraque omnium non negligit, & tandem perfectionem fouet; quia abſque iuſtitia omnis perfectio ruit, & ita S. Thom. lib. 3. contra Gentil. c. 71. *Optimum*, ait, *in gubernatione qualibet eſt, vt rebus gubernatis ſecundum modum ſuum prouideatur; in hoc enim conſiſtit iuſtitia regiminis*.

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. TAm electores, quàm Generales ſub mortali talem iuſtitiam prædictis viciſſitudinibus propagare tenentur; illi votis, ac ſuffragijs; hi admonitionibus, ac cohortationibus, ſi ad ipſos non ſpectant electiones. Prima pars ſuadetur, tum quia tenentur bonum talis Reipublicæ colere, quod eſt iuſtum ſimpliciter, inquit S. Thom. in 3. polit. lect. 10. nam huiuſmodi iuſtum petit prædictam viciſſitudinem, vt dixi ſuperiùs; ideò Plato id penetrans aiebat in præcept. Reipubl. *In Republica non debet vnus occupare omnia munera, ſed alijs viciſſim dare locum*; tum quia tenentur omnium merita recognoſcere, & non negligere, nequeunt eodem tempore, ſaltem viciſſim; proindè S. Thom. in 3. polit. lect. 5. ex Ariſt. dicebat præter ea vbi ſupr. *Quandò principatus ſit vt inſtituti ſecundum æqualitatem, & ſimilitudinem ciuium; tunc dignum videtur quod in vna parte temporis quidam principentur, in alia verò alij*: tum quia tenẽtur obſtare malo è directo deſtruẽti vnitatem multitudinis, ſeditioni ſcilicet; ſi enim huiuſmodi iuſtitiam eorum votis non colerent, inhonorati per denegatam iuſtitiam cognoſcentes alios honoratos, voluntatibus ab iſtis diſſiderent, & tandem ab hac cauſa, tanquam à mala radice excitarentur ſeditiones, & factiones. *Cum enim* inquit S. Thom. 5. polit. lect. 2. *aliqui non honorãtur videntes alios honoratos faciunt ſeditiones: tunc enim deſſident voluntates; hoc autem eſt radix ſeditionis*. Secund. pars ſuadetur; nam Prælatorum munus eſt, ait S. Thom. de regim. Princip. c. 5. iuſtitiam, pacemque ſeruare, iurgia, ac diſcordias reſecare: id votis præſtare nequeunt: ergo ſaltem admonitionibus, & cohortationibus, alijſque medijs congruis, vt ignorantes inſtruant, ſcientia præditos animent, ac diſcordes pœna æterni iudicij terreant. Dixi, ſi ad ipſos non ſpectant electiones, ad inſinuandum, quòd, ſi illæ à Generalibus ſunt celebrandæ, tenentur huiuſmodi viciſſitudines fouere ad talem iuſtitiam ſeruandam, pacem colendam, & diſcordias reſecandas. Recordentur Supremi Prælati ſuam obligationem eſſe ſupremi ordinis, & ſæpius lectione repetant aurea verba Ægid. Roman. de regim. Princ. 2. part. lib. 1. c. 12. & S. Thom. 5. Ethic. lect. 2. Prim. ait, *Nam*, vt dicitur 5. ethic. *ſicut melior eſt, qui non ſolùm eſt bonus in ſe, ſed etiam bonitate ſua ſe extendit ad alios, ſic peior eſt, qui non ſolùm malus eſt in ſe, ſed etiam malitia ſua extendit ad alios, & quantùm ad plures ſe extendit malitia eius, tantò peior exiſtit: tantò igitur ſummoperè ſtudere debent Reges, & Principes, vt ſeruent iuſtitiam, & iniuſtitiam vitent, quantò ex eorum iniuſtitia poteſt conſequi maius malum, & pluribus inferri poteſt nocumentum*. Secundus inquit ex Ariſt. *Sicut peſſimus eſt ille, qui vtitur malitia, non ſolùm ad ſe ipſũ, ſed etiã ad amicos; ita optimus dicitur ille, qui vtitur virtute non ſolùm ad ſe ipſum, ſed etiam in comparatione ad alterũ*

Con-

Concludendum eſt ergo iſtud quæſitum cum S. Thom. de regim. Princ. lib. 4. c. 23. *Tunc eſt perfecta ſocialis congregatio, quandò quilibet in ſuo ſtatu debitam habet diſpoſitionem, & operationem.*

## DVBIVM CVII.

*An Generalis immiſcendo ſe electionibus Prouinciarum Religionis, dum eas viſitat, peccet mortaliter.*

### SVMMARIVM.

1. *Quæſiti titulus quinque explicatur modis.*
2. *In quo conſiſtat reuerentialis metus.*
3. *Generalis, qui ſe immiſcet electionibus prout in prima acceptione, non eſt damnandus lethali culpa: ſecus prout in ſecunda.*
4. *Itidem damnandus eſt graui culpa, ſi operatur ſecundum tertiam acceptionem: & duabus obiectionibus ſatisfit.*
5. *Itidem non eximitur à culpa graui, ſi operatur iuxta quartam, & quintam acceptionem.*

1. Quinque modis, eis prætermiſſis, qui ſimoniam ſapiunt, de quibus iam dictum eſt in dub. 11. prim. centut. id facere poteſt. Prim. electores doctrinis illuminando, rei grauitatem demonſtrando, grauibuſque verbis eos exhortando, vt meliores in boni cōmunis vtilitatem, & commodum ad Prælaturas eleuent, qui præſertim iuſtitia pro recto, ac pacifico ſtatu Religionis Præſidentibus neceſſaria polleant. Secund. coarctādo, ac reſtringendo electionem ex. g. Prouincialis ad tres, ſeù quatuor. Tert. vtendo ſubditis, eorumque actionibus, ac functionibus ad promouendum amicum; hoc præſertim videtur in diſpoſitionibus familiarum pro electione Diſcretorum, ſeù Priorum, qui pro amico ſuffragia præſtabunt. Quart. proponendo hominem abſque vllo artificio electoribus, ita ut à metu riuerentiali impulſi eum promoueant. Quint. recurrendo ad vota factionaria, vt electores iuxta proprium ſenſum, & inclinationem, celebrent amici electionem.

2. Not. ſecund. quòd metus reuerentialis à Reginald. in praxi lib. 31. nu. 83. hoc ſequenti modo explicatur: Dicitur ille, quo inferior ex reuerentia erga ſuum Superiorē (vt filius erga Patrem, & ſic de cæteris) adducitur ad præſtandum in matrimonium conſenſum, ſiue expreſſum, vt cum verbis, aut cum alijs ſignis illum exteriùs declarat; ſiue præſumptum, vt cum Pater, filio præſente matrimonium contrahit pro eo, nec ipſe contradicit: ex tali enim taciturnitate præſumitur conſentire. ex cap. vnico. de deſponſ. inpub. §. Porrò in 6. quæ explicatio non videtur eſſe ſufficiens, quia, cum metus incutiat inuoluntarium mixtum, vt inquit Pontius inferiùs citandus, & multa fiant ab inferioribus interceſſione Superiorū, quibus reuerentia debetur, quæ aliter non fierent, & nihilominus liberè fiunt; ideò eſt meliùs explicandus iſte metus. Emin. Lugo de Iuſtit. diſp. 22. ſect. 7. nu. 151. ex mente multorum DD., præſertim Sanch. lib. 4. de matrim. diſp. 9. nu. 12. habet hæc verba. Aduertant tamen nomine metus reuerentialis quoad hoc non debere intelligi metum, & verecundiam, quæ naturaliter ineſt filijs coram Patre, vel alijs, quibus debetur reuerentia, vt cum alijs multis notat Sanch. qui addit non ſufficere, quòd conſenſus nō daretur, eo metu non intercedente; multa enim fiunt interceſſione parentum, vel aliorum, quibus reuerentia debetur, quæ aliter non fierent, & tamen libenter fiunt, ſed requiri, quòd, repugnante omninò voluntate, & quaſi coactus conſentiat filius, vel ſubditus, non audens præ pudore, & reuerentia contradicere, quamuis nullum aliud malum timeat: hæc Lugo: cuius doctrina videtur ſufficiens eſſe ad explicandum huiuſmodi metum; ſed meliùs explicatur à Baſilio Pontio de matrim. lib. 4. cap. 5. Reuerentiæ metus eſt, inquit, futuri mali exiſtimatio, quod nobis ab his metuimus, in quorum legitima poteſtate ſumus, & quos cultu, & honore dignamur. Quamobrem ex hac explicatione ſequitur eum, qui ob reuerentiam debitam parentibus, aut maioribus aliquid agit, non operari ex reuerentiali metu; nam aliud eſt, inquit Pontius ex Franci-

ſco Sarmet. lib. 2. ſalut. cap. 11. num. 10. debita reuerentia Superiori, aliud reuerentialis metus; hæc enim non ſunt idem; ſi enim filius amet obedire parenti, & complaceat in obediendo illi, nullum eſt inuoluntarium, & tamen operatur ex reuerentia; metus autem efficit inuoluntarium mixtũ: quarè, vt metus reuerentialis ſit, neceſſe eſt adeſſe cognitionem imminẽtem mali, quod ſequitur, vel timetur ex eo, quod non ſeruetur patri reuerentia, quod in eo conſiſtit, quòd eſt patrem habere ſibi infenſum, & ſuperciliosum, toruè aſpicientem, nec loquentem placidè, etiamſi nec verbera imponat, nec minetur; quod, vt vitet malum, eligit præſtare, quod pater vult; metus enim eſt cum impendentis mali cogitatione; vndè concedendum eſt metum reuerentialem dari in illo, qui iure aliquo ſubiectionis ſubeſt alteri, vt optimè inſinuant, & caſus enumerant Pontius, Reginald. vbi ſupr. Barboſ. in collect. DD. cap. Ex litteris tit. 2. de deſponſ. impub. an poſtea talis metus ſine minis, aut læſione aliqua cenſeri debeat grauis metus, ſatis eſt controuerſum, vt videre eſt apud Pontium, ipſe tamen inclinat in partem affirmatiuam à multis DD. ductus: quæ doctrina modo explicato ſuperiùs, admitti poteſt pro foro interno, ſequendo ſententiam Nauarri, & aliorum inferiùs citandorum aſſerentium in foro conſcientiæ metum reuerentialem inualidare actum factum ex tali metu, quatenus ille metus fuit cauſa, ſaltem ſine qua nõ, illius actus: dixi ſine minis, aut læſione, ad oſtendendum, ſi præceſſerunt minæ, vel verbera metum reuerentialem inualidare actum in vtroque foro, vt ex multis probat Gaſpar Antonius Theſaur. lib. 1. qq. forenſ. qu. 51. num. 5. dixi pro foro interno; nam ſi metus reuerentialis reſcinderet contractus etiam in foro externo, omnes ferè contractus ſubiacerent reciſioni, & ita Reſpublica incommoda infinitarum litium pateretur in non paruum publicæ pacis damnum, quod intentioni iuris eſt aduerſum in l. Properandum. C. de Iudic. & c. finem litibus, de dolo, & contu.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. GEneralis, qui, dum officio viſitationis fungitur, ſeù quocumque alio tempore, in fauorem Prouinciarum Religionis ſe immiſcet electionibus celebrandis, prout in prima acceptione, ideſt docendo, & illuminando electores pro erigendis hominibus inter omnes dignioribus, qui vnitatis, perfectioniſque bonum in Religionis commodum propagare poſſint, non eſt cenſendus aliqua culpa reus; imò apud Deum multis meritis coronandus: ſecus ſi ſecundum ſecundam acceptionem operatur coarctando electiones ad tres, ſeù quatuor. Prima pars ſatis liquet ex eo, quod Prælati ſunt conſtituti Rectores ſuper gregem Chriſti, ad eum doctrinis illuminandum, & inſtruendum, vt rectè per viam mandatorum Dei, ac diuinorum conſiliorum progrediatur: audiant verba S. Chryſoſt. hom. 3. ex varijs in Luc. tom. 2. *In hoc debet eniti Rector, vt credita eroget; accepta diſpenſat; aperiat obſcura; quæſtiones in lucem deducat; inſiſtat fortiter; perſeueret inſtãter; meminerint ſe ſpeculatorem eſſe cũctorũ, vt ouibus paſcua ſalubria tribuat; agnis puri fontis vndas exhibeat; exterminet ab ouibus lupos, ab agnis nociuas beſtias excludat; vulneratos curet; errantes reuocet; ignaros inſtruat; erigat lapſos; generaliter omnes, ſpecialiter ſingulos doceat; ſua vita prouocet vniuerſos exemplo, ſit eius doctrina duplex, vt verbis facta conueniant, actus doctrinæ reſpondeat, in nullo ſit minor, qui cunctis eſt potior, ſit cum authoritate humilis, cum humilitate ſublimis, non ideò melior, ſed ideò maior, quia melior, multiplicet populos, & eos docendo meliores faciat, quàm accipit; ſic fit, vt dum hominibus feruenter inſiſtit, Dominum ſibi conſtituat debitorem*: & hom. 15. tom. 4. explicans illa verba 1. Tim. 5. *Qui benè præſunt presbiteri*, &c. ait. *Multùm etiam omninò ad Eccleſiæ ædificationem confert, ſi Præſules doctrinæ gratia polleant, quæ niſi adſit, plurima Eccleſiaſtica diſciplina peribunt; neque verò eum ſermonem laudauerim, qui faſtu tumidus externæ peritiæ iactantiam ſequitur, ſed qui virtutis, & ſucci habeat plurimum, qui ſenſibus grauis ſit, & ſapientia plenus*: Recordetur Generalis, quòd ſcopus doctrinæ

pro

pro electorum inſtructione eſt, vt proponātur conditiones neceſſariò requiſitæ in Prælato eligendo, præſertim illa iuſtitiæ, quæ, vt bonum æquitatis in pace, & concordia promoueatur, duo includit, nēpè vt negligat Prælatus propriū emolumentū, & ſubditorum vtilitatibus adhæreat, vt optimè inſinuat S. Ambroſ. citatus in dub 90. tert. part. prim. centur. aliàs nequit excuſari à graui culpa, quia omnia mala, quæ in Religione oboriuntur, ortum ducunt à peſſima radice proprij commodi, vt inſinuat Rodriq. tom. 3. qu. 34. art. 5. Ex prætenſionibus officiorum, inquit, æmulationes inuidiæ, diſcordiæ, ſectationes emergunt, quę, cum in proprio intereſſe radices emittant, exinaniunt Religionem vſque ad fundamētum in ea, ita ut poſſit dici, quòd ſicut radix omniū malorum eſt cupiditas; ita cupiditas proprij cōmodi in Religionibus eſt radix omniū malorū, quæ in ipſis ſæpè, ac ſæpius cōtingunt: quarè de Prælatis, qui proprij commodi intuitu ducuntur, dici poteſt illud Ezech. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebāt ſemetipſos*. Sec. pars ſuadetur, tum quia tollitur libertas neceſſaria in electionibus celebrandis; nam ad electionem celebrandam requiritur plena libertas, vt cap. Cum terra. & cap. Vbi periculum §. Cæterum de elect. in 6. & ideò tanquam nulla habenda eſt, & nullius valoris, vt docent Canoniſtæ in dictis iuribus, & Rodriq. cum ſuo compendio, Peirin. Sigiſmud. Mirand. Caſtellin. quos citatos ſequitur Samuellius de elect. canon. tract. 2. diſp. 1. controu. 4. Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. c. 19. n. 233. referens Cunham Lauorium, & Abbatem: videatur etiam Bordonius in conſil. regul. reſol. 26. n. 29. & habetur deciſio huius doctrinæ ſacræ Congreg. Concilij, à qua quæſitum fuit: an, ſtante electionis libertate, liceat Prælato proponere duos, vel tres, ex quibus neceſſariò vnus eligatur. Sacra Congreg. Concilij Trident. interpretum cenſuit non licere. Roborcrus Cardinalis Vbaldinus locus ſigilli: tum quia non parua irrogatur iniuria alijs, qui, cum ſint meritorum pares, negliguntur, & poſtponuntur, tum quia grauiter læditur bonum commune, quod propagatur per pacatum regimen, & id habetur ex communi conſenſu electorum, vt notat Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. contr. 4. & non ex coarctato: aduertendum tamen hic eſt, ſi præter quatuor nominatos diceret Generalis, vel alium quemcunque idoneū &c. electionem nō intelligi coarctatam, ſed plena libertate frui, nec alijs idoneis iniuriam irrogari, nec bonum publicum pacato regimine priuari. Ita Samuellius vbi ſupr. multos alios referens. Pro fine concluſionis ſciant electores, quòd ſi, ſtancte reſtrictione, eligunt tamen alium idoneum, electio tenet, & valet, & eſt confirmanda. Ita Sigiſmund. de elect. dub. 52. n. 5. & Samuellius vbi ſupr. imò addo ego eſſe eligendum ad reſecādas huiuſmodi coarctationes, quæ ſemper cedunt in publicam perniciem.

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. Generalis, qui ſe electionibus intromittit, prout in tertia acceptione, lethali culpa damnandus eſt. Suadetur: irrogare non paruam iniuriam hominibus, concordant DD. eſſe lethalem culpam: ſed dum Generalis vtitur ſubditis ad ſublimandum amicum, ex. g. in Prouincialem, maxima irrogatur iniuria, quia eis tanquam ſeruis dominatur; nam, vt dixi in præcedenti quæſito, duplex principatus aſſignatur: alius ſuper homines tanquam ſeruos, & ſemper in commodum principantium, & hic conuenire nequit Religioſis, quia eorum obedientia non ordinatur ad bonum Præſidentis: alius ſuper homines tanquam æquales, & liberos, & hic cadit ſuper Religioſos, nam omnes habent ius ad omnia bona Religionis, & ſecundum merita viciſſim debent participare de omnibus commodis, & ordinatur in ſubditorum bonum, quæ differentia ſatis fuit explicata in præcedenti quęſito à D. Thom. & fortè clariùs ab eodem enodatur in 3. polit. in initio lect. 16. dicente. *Dictum eſt, quòd non expedit vnum dominari multis ſimilibus, ſed fortè in aliquibus expedit, in aliquibus autem non expedit; vndè eſt intelligendum quòd aliquid eſt iuſtum, & conferens ſecundum naturam in ordine ad dominatiuam; aliud eſt iuſtum, & conferēs in ordine ad politiam, & manifeſtum eſt, quòd iſta non ſunt vnum, & idem; & hoc apparet,* quia

*quia principatus dominatiuus eſt,in quo aliquis principatur alteri, qui natus eſt ſubijci, ſicut eſt ſeruus, & principatur primò, & principaliter ad bonum proprium; Principatus autem politicus eſt, in quo principatur aliquis liberis, & aqualibus ſecundum virtutem, & ad bonum ſubditorum: ſicut ergo principatus iſti ſunt diuerſi, ſicut iuſtum, quod eſt in ordine ad vnum, non eſt idem, quod iuſtum in ordine ad alium principatum; & ideò manifeſtum eſt, quòd non ſunt idem iuſtum dominatiuum, & iuſtum politicum*: ergo nequit Generalis lethali culpa vacare. Prætereà, qui vtitur iuriſdictione ſuper homines, quæ ſibi non competit, aſſerunt S. Tho.& alij relati in 7. dub.prim. centur. ex genere ſuo eſſe mortale peccatum: ſed Generalis vtendo ſubditis pro exaltatione amici vtitur iuriſdictione, quæ non ſibi competit, quia eius poteſtas tota ordinatur ad bonum ſubditorum, nec non & Religionis, & non ad bonum proprium, & amicorum: ergo in huiuſmodi artificijs quærendo amicum quçrit etiam peccatum.

Dices, licèt intendatur electio hominis, vt amici, eſt tamen dignus; imò inter omnes dignior, & ſingulariter ob hanc dignioritatem promouetur. Reſpond. quòd, quandò actio emanat à duplici fine,ſi alter eſt bonus, alter verò malus lethaliter, iſte, licèt ſecundarius, deſtruit totam bonitatem finis boni primarij; vndè actio fit tota lethaliter mala, exemplo petito ab eo, qui dat eleemoſynam gratia ſubleuandi miſeriam mulieris, eamque trahendi ad fornicationem; dicunt enim.DD.omnes actum eleemoſynæ eſſe totaliter malum, & mortaliter peccaminoſum, quia illa ſuperaddita malitia deſtruit totam bonitatem; ita eſt in caſu, quia, licèt homo ille promoueatur, vt digniſſimus, actiones tamen pro eius exaltatione emanant etiam à fine lethaliter malo, nempè ab amicitia, per quam ordinat Superior regimen, & ſubditos ad ſeipſum, quod fieri nequit: videantur ea, quæ dixi in 7. dubio prim. patr. prim. centur.

Dices, vis malitiæ in hoc conſiſtit, quòd vtendo ſubditis,eorumque actionibus Generalis in ordine ad ſe ipſum, excedit limites propriæ iuriſdictionis; & ideò eis irrogatur iniuria, dum ergo amicus eſt inter omnes dignior, bonum commune promouetur, & conſequenter nulla inſurgit iniuria, imò ſi inſurgeret, tenentur ſubditi cedere ob bonum, quod promouetur. Obiectio verè ſubtilis ad celandum affectum proprij commodi,quod emanat ab amico promouendo; quarè reſpondetur primò falſum eſſe promoueri bonum commune, quia media ſunt mala, & non ſunt facienda mala, vt eueniāt bona: ad illud verò, quòd tenentur cedere incommodo iniuriæ, dicitur; quarè magis ſubditi tenentur cedere,&c. quàm Prælatus expoliare ſe affectu amicitiæ? vndè clarè apparet, dignioritatem prætenſam in amico eſſe potiùs inuentam ab amicitia, quàm ab idoneitate; nam, ſi eſſet ab hoc ſecundo, eius ſublimatio non indigeret huiuſmodi artificijs,vndè electores eum eligerent abſque alia induſtria; quarè opus eſt dicere eam dignioritatem eluceſcere ex affectione, cum vnuſquiſque in proprijs cæcutiat; & patet, quia tantùm amici, & non alij eum debent promouere; ideò fiunt tot mutationes, & tot artificia adhibentur. Expoliet, expoliet ergo ſe Generalis affectu, quia etiam expoliabit amicum dignioritate, & ceſſabunt artificia, & induſtriæ in ſubditorum præiudicium. Secund. eſto in eo dignioritas eniteret, & bonum commune ex iſto capite foueretur;nihilominus ex alio in exceſſu damnificatur, quia his artificijs tota Prouincia, experientia teſte, euertitur, ſubditi conturbantur, exiſtimantes ſeipſos non paruam pati iniuriam, vndè erumpunt in clamores, murmurationes, & querelas redarguentes Generalem de acceptione perſonarum, affirmantes ipſum ei gratificari, quia amicus eſt, proindè exemplo ducti hanc formant propoſitionem: non virtute indigemus, ſed amico; & ita hominem potentem quærunt, eumque laudibus, vt beneuolum reddant, extollunt, & muneribus cumulant, adhibitis etiam ſæcularium poſtulationibus, & ita paulatim diſtrahuntur in diuerſas partes, factiones formando in maximum Religionis damnum: heù heù quanta mala ex amico! quomodò poterit ò Generalis huiuſmodi homo ex tot maledictionibus natus benedictionis pacem ſuper gregem ſeminare, vnitatem propagare, iuſtitiamque colere, dum à beneficio electionis coactus opus eſt, vt amicos,

amicos, qui eum elegerunt, foueat, & ſe partialem oſtendat? vndè nam eſt dignoſcenda eius dignioritas, quæ inſurgit ex multitudine conſeruanda in vnitate animorum, & ox propagatione perfectionis? euaneſcit, euaneſcit quidem. Quamobrem Generalis, cæterique Prælati in ſuo regimine duo aduertere debẽt. Prim. deſignatur à Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 2. Neceſſarium eſt, vt Iudices, & Prælati conſtituantur ita recti, vt ab omni affectione humana videantur liberi, ita ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram ab æqualitate ſeruanda recedant. Secund. habetur ex Ægidio Roman. 2. par. lib. 3. cap. 15. de regim. Princ. *Principijs tranſgreſſionem eſt obſtandum, & inhibendæ ſunt obliquitates etiam modicæ, præſertim, quæ excitantur inter maiores*; nam inquit S. Th. 5. polit. lect. 3. *Paruæ ſeditiones, & diſſenſiones inualeſcunt citiùs, quandò ſiunt inter Dominos, habentes poteſtatem in Ciuitate.*

### TERTIA CONCLVSIO.

SI poſtea Generalis in Prouinciarum viſitationibus vtitur artificijs prædictis ad amicos ſublimandos, qui in futuro Capitulo generali ſuffragia ferrent ad eleuandum hominem in Generalem ab ore eius pendentem, ne iure dominij priuetur, lethali culpa inuoluitur; imò tanquam Tyrannus habendus eſt. Prima pars ſatis liquet ex præcedenti concluſione. Secund. ſuadetur: qui in libero principatu vtitur ſubditis tanquam ſeruis, ideſt in propriam vtilitatem, præſertim dominij de, quo loquuti ſumus in præcedenti quæſito, exercet Imperium tyrannicum. Ita habetur ex D. Thom. in 3. polit. Ariſt. lect. 6. *Tyrannus eſt*, inquit, *quædam Monarchia dominatiua politia communitatis, quia ſcilicet vtitur ciuibus, vt ſeruis*: ſed Generalis, dum tali induſtria, & arte enarrata, vtitur ſubditis pro ſui conſeruatione in amicũ; nã *amicus*, ait Ariſt. 2. Reth. & 9. Ethic. *eſt alter ego*; eos tanquam ſeruos tractat; nam differentia inter dominatus in liberos, & in ſeruos, ea eſt, vt dixi in ſuperiori quæſito, quia primus ordinatur ad eorum commodum; ſecundus verò ad Principantium vtilitatem: ergo tanquam Tyrãnus inſpiciendus eſt; ideò doctus Abulenſ. in Exod. 20. quæſt. 19. hanc penetrans veritatem in hæc verba ſatis dura Prælatis erupit. Qui autem Princeps, vel Prælatus eſt magis vacans vtilitati ſuæ, quàm diſtributioni iuſti politici, non Prælatus, ſed Tyrannus eſt, quæ ſatis dura definitio eſt noſtris Principibus, ac Prælatis.

### QVARTA CONCLVSIO.

5. COnſiderando tandem Generalem operantem, vt in quarta, & in quinta acceptione, nequit ſe eximere à labe mortali. Veritas quartæ acceptionis clarè habetur, quia metus reuerentialis in foro cõſcientiæ inualidat actum factum ex tali metu, quatenus ille metus fuit cauſa, ſaltem ſine qua non, illius actus, vt ſentiunt Nauarr. in ſumm. latin. cap. 17. num. 29. & lib. 1. conſil. de reſtit. conſil. 10. referens ſuam doctrinam ex mente Hoſtienſ. Ioan. Andr. in cap. Verùm de iureiurand. ex verbis Adriani. 124. de reſtit. cap. Aggredior. verſiculo ex quibus omnibus. ex Soto de iuſtit. quæſt. 5. lib. 4. ar. 4. ad 2. Ludouic. Lopez lib. 2. de contract. c. 10. §. Igitur in hoc dicturus Th. Sanch. de matrim. lib. 4 diſp. 9. n. 11. qui citat Angelum, Silu. Salzed. Bernand. Diaz. Molin. Veg. & alios Rodriq. to. 2. qu. 51. ar. 10. Lauor. de elect. can. tit. 4. c. 21. n. 8. inualidatio autem actus in electionis materia ſeminarium mille incommodorum eſt, præſertim quia in foro conſcientiæ nulla exiſtit obligatio Superiori parendi. Veritas quintæ acceptionis ex dubijs 34. & 35. ſecund. part. prim. centur. ſuadetur, quia ibi nõ ſolùm clarè demonſtraui ſub mortali Prælatum obſtringi ex officio ad factiones debellandas, vnionemque introducendam; nã Rectores præſertim dantur in hunc finem, ſed etiam oſtendi eas non poſſe permitti; quomodò ergo modo à mortali excuſabitur dum ad factiones recurrit pro hominis exaltatione ad ſuum arbitrium; heù, heù, abijcit, inquit Rodriq. vbi ſup. ar. 1. nomen Iudicis, & Prælati, cum ſit partialis, & fauctor factionum, & ſeditionum, prout ſolet in iure appellari iuxta allegata à Baldo, Speculatore, & Auendaño.

## DVBIVM CVIII.

*Nonnullæ rationes exponuntur, quæ cogunt Generalem ad debellandas factiones.*

### SVMMARIVM.

1. *FActioſus Prælatus ſpiritu Dei non duci videtur, nec geri vicem Dei, & vtrũque munus conſeruatio multitudinis petit.*

2. *A manu proprij conſilij ducitur: quò fit, vt nomen Tyranni acquirat.*

3. *Sub oppreſſionis onere multitudo cogitur inſurgere contra Tyrannum cum magno Religionis detrimento.*

Occaſione vltimæ acceptionis expenduntur ſequentes rationes, quæ demonſtrãt vim obligationis Generalis factiones deſtruendi, & præſertim contra capita diriguntur; nam, ijs debellatis, debellantur ſequaces, cum vis earum in capitibus conſiſtat.

1. Prima videtur eſſe, quia Prælatus in ſocietate Religioſorum dirigenda inſtinctu Dei ducitur, & ipſius vicem gerit; & conſeruare homines in ciuili ſocietate vtrumq; munus exigit: audiamus D. Th. 3. de regim. Princ. c. 5. *Inquantum homines virtuoſi, ac ſua probitate præpollentes pro gubernanda populi multitudine, quæ regi indiget, & Rectorem non habet, curam aſſumunt, & ſub legibus populum dirigunt, non tantùm inſtinctu Dei moueri videntur; ſed vicem Dei gerunt in terris, quia conſeruant hominum multitudines in ciuili ſocietate, qua neceſſariò homo indiget, cum ſit animal naturaliter ſociale, vt Philoſophus dicit in prim. polit.* quid eſt, quæſo, viuere in ſocietate ciuili? eſt quippè homines in reciproco amore, & amicitia dies iſtos ærumnis, & calamitatibus plenos trãſigere, cuius laudes ſub ſilentio non prætermittunt D. Thom. 1. de regim. Princ. c. 10. & S. Iſidor. lib. 3. de ſumm. bon. Prim. inquit: *Nihil eſt inter omnia mundana, quod amicitiæ dignè præferendum videatur; ipſa namque eſt, quæ virtuoſos in vnum conciliat, virtutem conſeruat, atque promouet: ipſa eſt qua omnes indigent in quibuſcumque negotijs peragendis, quæ nec proſperis importunè ſe ingerit, nec deſerit in aduerſis, ipſa eſt, quæ maximas delectationes affert, intantùm vt quæcumque delectabilia in tædium ſine amicis vertantur: quælibet autem aſpera facilia, & propè nulla facit amor.* Secundus ait: *Amicitia proſperas res dulciores facit, & aduerſas communione temperat, & leniores reddit*: vndè maxima cum ratione Auguſt. dixit: *Verus amicus dimidium animæ, vitæque medicamentum*: hinc eſt, quòd Ariſt. lib. 8. c. 1. ethic. ad Nicom. pro Reipublicæ conſeruatione eam præponit iuſtitiæ. Ratio verò deſignatur à D. Th. ibidem lect. 1. hiſce verbis: *Legiſlatores magis ſtudent ad amicitiam conſeruandam inter ciues, quàm etiam ad iuſtitiam, quam quandòque intermittunt, puta in pœnis inferendis, ne diſſentio oriatur.* Quamobrem ex eodem Ariſt. idem Sanctus paulò poſt, amicitiam æquiparat cõcordiæ, quæ à multitudine reſcindit ſeditionem deſtructiuam omnis Imperij. *Concordia namque ſimile quid amicitiæ videtur eſſe; hanc autem maximè affectant Legiſlatores, contentionem ciuium, vt inimicam maximè expellunt.* Clarum eſt, vt dixi in 2. dub. Prælatum factionarium nec inſtinctu Dei duci, nec vicẽ ipſius gerere, quomodò conſeruabit multitudinem in ſocietate humana?

2. Ex hac ratione ſequitur alia impellens Generalem ad expellendum huiuſmodi Prę latum; nam cum eius regimen non regatur Dei inſtinctu, oboritur, quòd in manu proprij conſilij dirigatur, & ab ipſa ducatur; vndè nomen Tyranni ſibi vendicat iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 42. ar. 2. ad 3. quem ſequitur D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 1. *Magis autem*, inquit, *ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias, & ſeditiones nutrit, vt tutiùs dominari poſſit; hoc autem tyrannicum eſt, cum ſit ordinatum ad bonum Præſidentis cum multitudinis nocumento*: ex hoc enim ſequitur, quòd nunquam regimen erit pacificum, ſed multis odioſum, & occaſione orta, quæ non de raro contingit, varijs agitabitur tumultibus, vndè limites in longum protrahere nequit, vt eſt doctrina S. Thom. 1. de regim. Princ. 1. 10. *Tyrannorum verò dominium diuturnum eſſe non poteſt, cum ſit multitudini*

*titudini odioſum, non poteſt enim diù conſeruari, quod votis multorum repugnat.*

Tertia ratio ex humana imbecillitate elicitur, quæ, cum diù oppreſſionis pondus ferre nequeat, multitudo quaſi coacta ad oppreſſionis molem ſubleuandam contra dominum tyrannicè dominantem, inſurget, vt eſt præceptum Ægid. Roman. de regim. Princ. 2. p. lib. 3. c. 13. *Contingit aliquos inſidiari Tyrannis, vt liberent patriam ab oppreſſione eorum*: quocircà nonnulli Religioſi, qui inter omnes ſpiritu ducuntur, vt Prouinciam liberent ſub onere mille oppreſſionum depreſſam, eas notant, in callendario ſcribunt, & tandem tempore congruo Superioribus maioribus, imò ſupremis tribunalibus propalant, exiſtimantes obſequium ſe præſtate Deo, vndè nunquam miſera Prouincia quieſcit, ſed repetitis literis, informationibus, acclamationibus, ac litibus fluctuat, & agitatur vſque ad Superiorum tædium.

Imò his tumultibus, qui congruè expoſiti æſtimantur, alij eorum Religioſorum adhibentur, qui fortè ob ſua demerita (& hæc eſt quarta ratio) ea non fruuntur patientia, quam ſolet Deus ſuis partialibus amicis largiri, de qua loquitur Nauarr. comm. 4. de Regul. n. 24. Nimis durum eſt, inquit, omni honore, ac officio in Religionibus priuari, & opus eſt maxima patientia; non eſt enim omnium, ſed paucorum, quos Iupiter Æquus amat, & ardens euexit ad æthera virtus: hi enim agnoſcentes tyrannicum Prælatum cum ſequacibus bonum commune non quærere, ſed gloriam, ac honorem affectare Prælationum, earumque commodis, alijs denegatis, frui, ab illorum cupiditate attracti, ſub zeli prætextu literas eorum Religioſorum de quibus ſup. augumentant, informationes augent, acclamationes cumulant, liteſque excitant, vndè quaſi mare, feruens ab vndis infinitarum paſſionum vltrò citròque miſera, ac infelix Prouincia agitatur in totius Religionis damnum, idque ſanè praxis, docet, & monet Ægid. Roman. vbi ſupra tanquam proprium illorum, qui oppreſſi à ſimili Tyranno ſub eo miſerrimè viuunt, *Nam*, inquit, *cum honor, gloria, & lucrum inter bona exteriora ſint maximum bonum; multi videntes Tyrannum non quærere niſi honorem, & gloriam propriam, & non honorare ſubditos, & non quærere bonum commune, volentes adpiſci ea bona, quæ conſpiciunt in Tyranno, inuadunt eum.*

3. Quinta ratio deſignatur ex eo, quòd ſi per impoſſibile huiuſmodi regimen tyrannicum intra limites debitæ iuſtitiæ ſe cohiberet, itaut nulla poſſet inſurgere cauſa clamoris excitandi (dico per impoſſibile; nam eo ipſo, quòd eſt tyrannicum, opus eſt, vt iniuſtitijs nutriatur depauperando contrariam partem ob timorem Regnum amittendi; nam, inquit S. Thom. 5. polit. lect. 11. *Proprium Tyrannorum eſt eos, ideſt qui contra ipſum inſurgere poſſunt, impotentes reddere, faciendo eos pauperes, & ratio eſt, quia nullus manus mittit ad illa, quæ credit eſſe impoſſibilia*) nihilominus humana conditio eſt, vt nullus homo pondus vitæ ferat abſque præſſuris, & ærumnis, proindè his inſurgentibus, ſaltem vnus ex aduerſa parte oppreſſa contra Prælatum dominantem inſurget, qui ſecum tandem trahet totam partem, vndè conturbationes ſuperiùs deſcriptæ excitabuntur: doctrina eſt D. Thom. 1. de regim. Princ. c. 10. *Vix enim à quocunque præſens vita tranſigitur, quin aliquas aduerſitates patiatur; aduerſitatis autem tempore occaſio deeſſe non poteſt inſurgendi contra Tyrannum, & vbi adſit occaſio, non deerit ex multis vel vnus, qui occaſione non vtatur: inſurgentem populus votiuè proſequitur, nec de facili carebit effectu, quod cum fauore multitudinis attentatur.*

Vltima ratio ex impetu elicitur, quia, cum aliqua ex prædictis occaſionibus oboriatur, oboritur etiam magno conatu, ac vi tumultus; nam cum in oppreſſione, duce timore, à Prælato ſint detenti illi homines, eò ardentiùs contra eum inſurgunt, quò magis contra voluntatem ex ſolo timore fuerunt repreſſi, & ideò S. Thom. vbi ſupr. vim rationis ponderans in hæc verba prorupit. *Timor autem eſt debile fundamentum; nam qui timore ſubduntur, ſi occurrat occaſio, qua poſſint impunitatem ſperare, contra Præſidentes inſurgunt eò ardentiùs, quò magis contra voluntatem ex ſolo timore cohibebantur; ſicut ſi aqua per violentiam includatur, cum aditum inuenerit, impetuoſiùs fluit.* Subdit tandem S. Thom. (quod aduertat Deus ab omni congregatione, quia eſſet vltimum Religionum exitium.) *ſed nec ipſe timor caret periculo,*

*cum ex nimio timore plerique in deſperationem inciderint; ſalutis autem deſperatio audacter ad qualibet attentanda precipitat.*

## DVBIVM CIX.

*An Generalis, reluctante inferioris Prælati voluntate, qui pœnam debitam ob delictum perpetratum ſubdito impoſuit, eam relaxare poſſit.*

## SVMMARIVM.

1. *Negat Rodriq. partem affirmatiuam, innixus Concilij Tridentini dicto.*

2. *Extenduntur differentiæ, quæ ſunt inter Metropolitanum, & Religionum Generalem.*

3. *Poteſt Generalis pœnam impoſitam ſubdito à Priori locali tollere: tribus rationibus ſua detur.*

1. Pro prim. not. ſit ſententia Rodriq. tom. 1. qu. 22. art. 8. aſſerentis nullo modo id fieri poſſe, idque non probat ex ratione deſumpta ab intrinſeco, ſed à ſimili, quia Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. de reform. præcipit, vt Metropolitanus nequeat ſuſpenſum ab Ordinario contra eius voluntatem promouere. Ratio eſt, ne iudicantis authoritas à ſubditis contemnatur: aduertit tamen, ſi Prouincialis, ſeù Prior condemnans expleuerit officium, tunc poſſe Generalem nulla requiſita licentia à Guardiano moderno, ſeù ab eo, qui Reum condemnauit, pœnam relaxare, quia eius authoritas non contemnitur: huic doctrinæ adhæret Caſtrus Palaus tom. 1. de diſpenſat. leg. diſp. 5. p. 6. n. 13.

2. Not. ſec. quòd non parua differentia eſt inter Metropolitanum, & Generalem circa eorum authoritatem; nam primus, eſto ſit ordinarius Iudex Suffraganeorum ſuorum, vt ex textibus, & DD. demonſtrat Barboſ. de iur. Eccl. lib. 1. c. 7. n. 44. nihilominus ſubdit cum alijs multis eum nullam poſſidere in ſubditos Epiſcopos authoritatem, niſi quatenus expreſſum in iure reperitur. Secundus verò plenam habet authoritatem in omnes Prælatos Religionis ex voto obedientiæ, vt benè tradit Suarez 4. de Religi tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 22. quem ſequitur Paſqualig. in deciſion. 16. deciſ. 57. vndè iſtorum voluntas nequit eſſe efficax contra voluntatem Superioris, imò nec iuſta, quia ratione voti ex iuſtitia obligatur ſe conformare ad voluntatem Generalis: inſuper poteſtas Metropolitani, ſeclusa appellatione, alijſque caſibus in iure deſignatis, non ſe extendit ſupra Epiſcoporum ſubditos, vt habetur in cap. 1. de ſuppl. negl. Prælat. c. Paſtoralis. in princip. de offic. Ordin. c. Romana c. Venerabilibus de ſentent. excom. in 6. videantur Scacc. de appellat. quæſt. 8. num. 98. Quaranta in ſumma Bullarij, tit. Archiepiſcopi authoritas. num. 12. Marc. Anton. Genuenſ. & alij, quos citat, & ſequitur Barboſ. vbi ſupr. num. 51. & in collect. DD. in d. cap. Paſtoralis num. 3. poteſtas autem Generalis immediatè cognoſcit, & exercet iuriſdictionem in ſubditos cuiuſcunque Prælati concedendo, & prohibendo aliqua, ipſos transferendo de loco ad locum, imò de Prouincia ad Prouinciam, quod Prælati inferiores nequeunt facere: multa alia etiam quoquè Generali competunt ſupra ſubditos, quæ nequeunt alijs Prælatis conuenire.

## CONCLVSIO.

3. Opinio Rodriq. & Caſtri Palai ſuperiùs recitata, quibus additur Sanctorius in conſtit. Fratr. min. de obſeru. cap. 12. ſtat. 12. verſ. decimoquinto, non videtur improbabilis; probabilior tamen eſt poſſe Generalem, renuente Priore, ſeù Prouinciali, tollere pœnam impoſitam ſubdito ab ipſo Priore, ſeù Prouinciali. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſatis intelligitur probata in prim. not. & ob authoritatem eorum DD. & ob rationem

nem. Secunda ſuadetur ex eo, quòd lex pœnalis, & odioſa non habet extenſionem ad caſum in lege non comprehenſum etiam ob ſimilitudinem, vel identitatem rationis, vt communiter dicunt DD. præſertim Bonacin. de legib. diſp. 1. punct. 8. q. 1. n. 23. citãs Sayrum, Suar. & alios: videatur Dian. p. 1. de legib. reſol. 26. cum Caſtr. Palao p. 1. tract. 5. diſp. 5. punct. 3. §. 4. n. 3. ſed ſi Generalis ex vi Concilij non poſſet pœnã tolere impoſitã ſubdito à Prouinciali, niſi ipſo conſentiente, lex pœnalis, & odioſa extenderetur ad alium caſum; nã prohibitio Concilij fit tantùm Metropolitanis, & in promotione ad ordines, & verſatur circa materiam odioſam; nam reſtringitur eorum authoritas: ergo per hoc nequit intelligi coarctatam eſſe poteſtatem Generalis, itaut non poſſit, renuente Prouinciali, relaxare pœnam ſubdito condemnato. Prętereà, ratio formalis, quarè Concilium impoſuit huiuſmodi prohibitionem Metropolitanis eſt, ne ſubditi Epiſcoporum authoritatem eorum contemnant: ſed hæc ratio non adaptatur ſubditis regularibus, quia, ſi dicitur eos liberari à Generali poſſe à pœnis impoſitis ab inferioribus Prælatis, ipſis etiam reluctantibus, dicitur quoq; poſſe eos frenare minis, ac pœnis, ne ſuos Prælatos cõtemnant, quia ſunt ſubditi Generalis, vt dixi ſuperiùs, quod non poteſt dici de Metropolitanis, quia Epiſcoporum ſubditi nõ cognoſcunt per ſubiectionem ipſos Metropolitanos; & ideò facillimè incidere poſſunt in contemptum aduerſus Epiſcopos: ergo prohibitio facta Motropolitanis nequit extendi ad Genarales Ordinum. Quanti roboris ſit hæc ratio; ſciatur, quòd ratio legis eſt anima legis; vndè ſi huiuſmodi ratio caſum non comprehendit, nec lex ipſa quantumcunquè eius verba generalia ſint: videatur Sanch. lib. 2. da matrim. diſp. 27. n. 3. id optimè explicans, & audiantur verba Couarr. de ſentent. excomm. p. 1. §. 9. ſub n. 9. Vera ratio eſt moderatrix cuiuſque legis, quæ in legibus diuinis, naturalibus, & humanis tantam habet vim, vt commodè non valeat legis alicuius interpretatio adſumi, niſi ratio viam veritatis aperiat. Pro tertia probatione addi poteſt, quòd id conducit bono communi Religionum, quod eſt pacato, ac ſuaui regimine propagandũ, quia perpetuò morari in tali ſocietate, quæ ex varijs nationibus conflatur; quarum homines diuerſas matres agnoſcunt; vndè coguntur varias portare qualitates, contrarioſque mores, & coguntur vni homini obedire, cuius mores ſæpè pugnant cum ſubditorum moribus, difficillimum eſt; & ideò tot Superiores ſubordinati eriguntur, tot viſitationes ordinantur, vt, ſi ſub vno rigor opprimit, alterius ſuauitas ſubleuet, & ita conſeruetur animorum tranquillitas in fauorem pacati regiminis, tam neceſſaria pro Religionis conſeruatione, perfectioniſque boni augumento.

## DVBIVM CX.

*An Generalis poſsit de nouo Prouinciam erigere, & fundare, atque erectam, & fundatam diuidere: & an de poteſtate abſoluta poſsit Religioſum vnius Prouinciæ in alia eiuſdem Ordinis incorporare.*

### S V M M A R I V M.

1. *Nequit Generalis de nouo Prouinciam erigere, atque fundare, ſimiliter nequit eam diuidere, ac ſeparare: & ſatisfit cuidam obiectioni*

2. *Poteſt Generalis Religioſum vnius Prouinciæ in alia incorporare.*

### *C O N C L V S I O.*

1. QVæ ſpectat ad primi quæſiti reſpõſionem, eſt negatiua, vndè neç Generalis, nec alij Prelati Religionum poſſunt de nouo Prouinciam erigere, atq; fundare, nec poſſunt erectam diuidere, ac ſeparare, imò nec vnam Prouinciam alteri ſubijcere abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia. Ita ſentiunt Rodriq. tom. 1. q. 23. art. 8. Mirand. man. tom. 2. quæſt. 7. art. 11. & probant à ſimili ex varijs textibus, præſertim ex cap. Felix. 16. qu. 1. nam cum de ſimilibus idem ſit iudicium ferendum, prohibitio facta in iure; ne fiat noua conſti-

uctio ſedis Epiſcopalis, neque diuiſio, neq; ſubiectio abſque Papæ facultate, debet accommodari ad erectionem, diuiſionem, & vnionem Prouinciarum: videatur etiam Silu. tit. caſu qu. 8. & 9. Nec obſtat rationem nullam habere efficaciam in præſenti caſu; nam ſimile argumentum tanquam inualidũ pro præcedentis quæſiti concluſione fuit datum, vndè probare nequit præſens intentũ, quia non eſt par ratio; nam ratio per quam prohibetur Metropolitanis, ne, renuente Suffraganeo, ordinent ſuſpenſum ab ipſo Suffraganeo, nequit adaptari Religionibus, vt dictum eſt; ideò talis prohibitio non extenditur ad Ordinum Generales: at prohibitio, ne fiat noua conſtitutio Sedis Epiſcopalis, neque diuiſio, ac ſubiectio abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, neceſſariò debet extendi ad Regulares, quia cum ſit res grauiſſima erectio, diuiſio, atque ſubiectio Prouinciarum Religionum, & propter manus Principum, quæ ſe poſſunt his rebus immiſcere, & propter nonnullorum Religioſorum ambitionem, & propter votorum multiplicationem in Capitulis ferendorum, & propter alias rationes, ideò huiuſmodi textus ampliandi ſunt ad Religionũ Prouincias; aliàs non parua excitaretur in Religionibus conturbatio in damnum earum, imò Sedis Apoſtolicę: non eſt tamen reſumprobabilis id poſſe efficere Capitulũ generale, vt docet Paſqualigus in quæſt. canon. quæſt. 145. ex Peirino.

Verùm pro fratribus minoribus veritas doctrinæ non eſt diſputanda, quia habetur expreſſa prohibitio Nicolai IV. cuius textus recitatur à Rodriq. vbi ſupr. videatur idem Author. tom. 3. quæſt. 43. art. 1. cum ſuo compendio reſol. 121. Mirand. vbi ſupr. Porrell. tit. Prouincia. n. 1.

2. Pro ſecundo quæſito concluſio ſemper erit intelligenda affirmatiua contra Porrell. vbi ſupr. n. 2. citantem Rodriq. & Hieron. Rodriq. reſol. 121. tum quia voluntates omnium ſubditorum, imò omnium Prælatorum ſubijciuntur ratione voti obedientiæ voluntati ſupremi Prælati, vt inquit Suar. vbi ſupr. in præcedenti quæſito; vndè nequeunt eſſe efficaces contra voluntatem Generalis; imò nec etiam iuſtæ, quia ratione voti ex iuſtitia obligantur ſe conformare voluntati Superioris: independenter igitur à voluntatibus Religioſorum Prouinciarum poterit Generalis in quacumque Prouincia Religioſum incorporare, tum quia, inquit idē Suar. vbi ſupr. poteſt Generalis limitare iuriſdictionem inferiorum Prælatorum: ergo poterit Prælatis Prouinciarum præcipere, ne obſtent incorporationi Religioſi, imò præcipere incorporando Religioſum, ne obediat Prælatis in caſu, quo eum à Prouincia expellere vellent.

## DVBIVM CXI.

*An Generalis eximere poſſit Religioſum ab obedientia ſui Prouincialis, ſeu Guardiani, in cuius conuentu commoratur.*

### SVMMARIVM.

1. *Explicatur, quid ſit exemptio, quæ duplex eſt, alia localis, alia verò perſonalis, & hæc etiam duplex eſt.*

2. *Ad ſummum Pontificem tantùm ſpectat ſubditum ab obedientia immediati Superioris totaliter eximere.*

3. *Ad Generalem etiam in aliquo caſu, & iuſta interueniente cauſa: & confutatur quædam doctrina Suarez.*

4. *Gratiæ factæ à Generali durant etiam terminato officio.*

1. Not. prim. quòd exemptio eſt quædam libertas, qua eximitur homo à iuriſdictione, & poteſtate Ordinarij, ita ut maneat, vel ſoli Papæ, vel etiam ſuo Prælato maiori ſolùm ſubiectus. Ita Silu. tit. Exemptio, initio: quæ exemptio duplex eſt: quædam perſonalis, quæ videtur eſſe, quandò perſonæ eximuntur per ſe, & non ratione loci à iuriſdictione alicuius, vt ſi concedatur Clericis alicuius Eccleſiæ, vt non poſſint excommunicari, neque interdici, tunc perſonæ manent exemptæ, & non locus: quædam verò localis, quæ videtur eſſe, quandò exemptio conceditur alicui loco; vt ſi hoſpitali, vel monaſterio concedatur, vt non poſſit interdici; ſolus locus manet exemptus, perſonæ verò,

verò, quæ in ipſo commorantur aliquo modo manent exemptæ, non omninò, & per ſe, ſed ratione loci, ideſt quatenus loci libertas exigit, e. g. quia locus nequit interdici, perſonę manent liberæ ad celebrandum in eo diuina officia: vide Barboſ. in cap. Per exemptionem, de priuileg. in 6. in ſuis collect. DD. Sanch. opuſ. lib. 6. c. 9. dub. 1. Silu. vbi ſupr. qu. 2. in præſenti loquimur de perſonali.

Not. ſecund. quòd exemptio perſonalis etiam duplex eſt: altera ſecundum totum, ideſt quandò Religioſus ſubditus à Prouinciali eximitur à totali obedientia ſui Guardiani, ſeù Prioris; altera verò ſecundum partem, ideſt quandò in aliqua cauſa particulari ab obedientia Ordinarij eximitur, & liberatur: his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. SOlus Papa communiter loquendo totaliter eximere poteſt ſubditum ab obedientia immediati Superioris; vndè Prouincialis nequit liberare Religioſum ſubditum talis Guardiani ab eius totali obedientia, nec Generalis poteſt eximere Guardianum, ne ſit ſubditus Prouincialis. Habetur ex cap. Frater. verſ. Et cum oportuiſſet. 16. qu. 1. & cap. 1. 13. qu. 1. & cap. 1. iuncta Gloſſa. verſ. exemptionis de priuileg. in 6. D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 9. §. 1. Henriq. lib. 7. c. 24. n. 3. Sanch. vbi ſupr. n. 5. Mandoſius in ſignaturis gratiæ, tit. exemptiones ab Epiſcopis. Panorm. & Gloſſa cap. Cum olim. 1. de priuileg. lib. 5. tit. 5. p. 1. Silu. tit. exemptio §. 1. & ibi Armil. n. 1. Fernand. 4. p. ſui exam. c. 15. §. 2. n. 1. dicto 5. Mirand. tom. 2. qu. 7. art. 6. Rodriq. tom. 1. qu. 23. art. 3. Portel. tit. Generalis n. 3. à S. Fauſto in ſuo theſauro lib. 6. qu. 146. Peirin. tom. 1. priuil. in conſtit. 5. Iulij II. num. 6. & conſtit. 15. eiuſdem Papæ. Bordon. reſol. 80. n. 49. tom. 2.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

GEneralis in aliquo caſu, iuſta interueniente cauſa, poteſt eximere ſubditum ab obedientia, ſeù iuriſdictione ſui Prouincialis, ſeù Guardiani: id dic de Prouinciali. Ita Rodriq. & Mirand vbi ſupr. Mandoſ. de inhibit. qu. 4. n. 2. & qu. 100. n. 2. tom. 5. tract. 5. Tuſchus tit. Exemp. concl. 554. n. 7. Roman. conſil. 37. in princip. Peirin. in formul. lit. E. c. 35. n. 3. Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 2. n. 22. tract. 8. tum quia inferior Prælatus in ſuo eſſe pendet à Superiore: ergo etiam in iuriſdictione, tum quia inferior eſt ſubditus Prælati ſuperioris: ergo ſi ei præcipiatur, vt in hac re, vel in illa non ſe intromittat, tenetur illi obedire, tum quia poteſt præcipere ſubdito, ne obediat in tali caſu Guardiano, ſeù Priori: ergo hoc modo limitare poteſt iuriſdictionem inferioris Superioris.

Addit tamen Suar. vbi ſupr. n. 23. quòd licèt Prælatus nequeat iuriſdictionem inferioris in aliquo caſu coarctare abſque legitima cauſa ex vi ſui muneris, tum quia Prælatus inferior habet aliquod ius in re quoad iuriſdictionem ſuam ordinariam, tum etiam quia, vel eſt pœna illata ſine culpa, & ſic illicitè, vel peruerſio, aut immutatio ordinis de ſe instituti ad bonum commune, & ſic etiam illicitè, maximè quia bonum commune ex conturbata pace, & ſcandalis ſine dubio orituris maximum pateretur detrimentum; nihilominus cenſet huiuſmodi reſtrictionem etiam ſine cauſa factam eſſe validam, quia non inuenitur aliqua lex poſitiua, quæ huiuſmodi factum irritet, neque ex ſola natura rei poteſt cenſeri nulla, quia multa illicitè fiunt, quæ facta tenent, inter quæ videtur hoc computandum: verùm tamen eſt inquit Suar. paulò inferiùs, quòd id eſt intelligendum ex defectu cauſæ, quia ſi aliundè contineret intolerabilem errorem contra bonos mores, euidenter nulla eſſet: cuius doctrina difficilè poteſt ſuſtineri; nam ſicut inquiunt Sot. 4. diſt. 18. q. 2. ar. 3. ad 2. Ruard. art. 3. cont. Luth. Emin. Lugo de Sacram. pœnit. diſput. 20. ſect. 3. Becan. de ſacram. c. 40. qu. 5. n. 3. & quidam alij nimis ſtrictam reſeruationem peccatorum factam ab Epiſcopo, ſeù Prælato regulari cenſendam eſſe inualidam, quia Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. dicit Epiſcopos hanc reſeruationem debere facere in ædificationem, non in deſtructionem; ita talis exemptio ſine cauſa facta cenſeri debet inualida, tum quia poteſtas Prælati eſt ei conceſſa in ædificationem, & non ad ſuum beneplacitum, in ſubditorum

vtili-

vtilitatem, vt affirmant omnes DD. & non ad proprium commodum, tum quia eſſet Dominus, & ſubditus ſeruus contra doctrinam ipſius Suar. relatam in dub. 7. Ita ſentit Paſqualig. deciſ. 63. n. 3.

Pro fine eſt addendum, quòd Generalis poteſt facere aliquam gratiam ſubdito, ex. g. quòd non accedat ad matutinum, quòd in menſa non teneatur legere, quòd non interſit Capitulo culparum, &c. Ita Bordonius in conſil. Regul. reſol. 80. n. 49. tom. 2. qui addit ſequens dubium reſol. 58. qu. 32. tom. 2. quod ad literã extenditur pro explicatione authoritatis Generalis in ordine ad gratias.

An Superior ſolùm per limitatũ tempus durans, ex. g. per triennium, poſſit aliquid indulgere vltra ſuum triennium, ex. g. an Generalis, ſeù Prouincialis poſſit inſtituere confeſſarium perpetuum in ſua Prouincia: an poſſit dare facultatem abſoluendi à reſeruatis duraturam etiam ſub alijs Prouincialibus poſt ipſum eligendis: an poſſit concedere Priori pro tempore exiſtenti licentiam admittendi ad profeſſionem. Videtur quòd non, quia allata exempla continent ordinationes quaſdam, quæ, cum ſint factæ à Superiore propria authoritate, non dicuntur leges, neque ſtatuta à iure, ſed facta, vt ab homine, modò ordinata, vt ab homine, durant ſolùm, & vim habent pro eo tempore, quo ordinans, & diſponens eſt in officio: ergo, ceſſante eius officio, ceſſant quæcumque ordinata fuerunt ab eo homine, qui officio fungebatur, vt iuribus, & doctoribus allegatis dixi reſol. 6. q. 24. n. 30. pag. 51. Reſpond. prædictas licentias perfici etiam ceſſante officio, donec à ſucceſſore reuocentur: probatur, quia huiuſmodi licentiæ habent rationem gratiæ factæ, gratia autem facta non expirat per mortem concedentis, vel amotionem ab officio, ſed vlterius durat iuxta tenorem conceſſionis, cap. Relatum 19. cap. Gratum 20. de off. deleg. cap. Si ſuper gratia 9. eod. in 6. cap. Si cui 36. de præbend. in 6. Confirmatur, quia fauores ſunt ampliandi, & decet Prælati beneficium eſſe manſurum ex vulgatis iuribus.

Quòd ergo facta ab homine, vt ſic, non durent vltra eius officium, locum habent in odioſis, & ordinationibus factis, quæ ſubditis ſunt onerosa, vt ſi ordinetur, ne quis exeat clauſura ſub pœna ſuſpenſionis, ne ingrediatur domum talem, ne alloquatur quãdam mulierem, hæc, & ſimilia ab homine ſuperiore facta expirant, ceſſante eius officio, cum ſint onerosa; odioſa enim ſunt reſtringenda ex vulgatis iuribus.

Pœna verò ſine dubio executioni mandanda eſt à Reo vſque ad pręfinitum tempus, quia ratione diuturnitatis temporis æquatur culpæ, & ſic de iure illi debita eſt, & non tantùm ab homine; pręterquamquod aliud eſt inflictio pœnę, quæ imponitur à Iudice; aliud eſt illius executio ex parte patientis, qui debet illam ſuſtinere iuxta ſententiam contra ſe latam, quod præſtare poteſt, & debet, nullo etiam exiſtente Iudice, à quo in hoc non dependet, niſi inquantum ille eam exequi debet iuxta tenorem ſententiæ.

## DVBIVM CXII.

*An Miniſter Generalis transferre poſsit Prouincialem ex vna Prouincia in aliam: & an poſsit declarare ſtatuta, ſeù leges ſancitas à Capitulo generali.*

### SVMMARIVM.

1. *Epiſcoporum tranſlatio de vna Eccleſia ad aliam ad Summum Pontificem ſpectat.*

2. *Tam Generalis, quàm Prouincialis in ſuos ſubditos poteſtate quaſi Epiſcopali fruuntur.*

3. *Attento iure communi, nequit Generalis tranſferre Prouincialem vnius Prouinciæ in aliam: habetur quædam limitatio.*

4. *Generalis directè tenetur ad obſeruandas leges Capituli generalis.*

5. *Duplex interpretatio, alia iuridica alia doctrinalis.*

6. *Miniſter Generalis iuridicè nequit declarare leges ſãcitas à Capitulo generali ſecundum ius commune; ſecus ſecundum indulta Pontificum; doctrinaliter etiam ſecundum ius commune poteſt.*

1. Not.

1. Not. prim. quòd translatio Epiſcoporum de vna in aliam diœceſim eſt Summo Pontifici reſeruata, & is ſolummodò eam præſtare poteſt, vt habetur ex cap. Ex illo. de translatione Epiſcopi. Barboſ. eod. cap. in ſuis collect. DD. & de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 50. n. 5. p. 3. Reginald. in praxi lib. 30. tract. 3. n. 257.

2. Not. ſec. Generalem, & Prouincialem habere in ſuos ſubditos poteſtatem quaſi Epiſcopalem, ac facultate frui, quæ Epiſcopis tradita eſt vigore Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. ita eiuſdem Concil. Emin. interpretum Sac. Congregat. cenſuit ſub die tert. Aprilis anno 1621. teſte Ioann. Mar. Nauarr. in lucerna Regul. tit. Prælati. S. Thom. 2.2.qu. 33. art. 7. ad 5. Mirand. tom. 2. quæſt. 16. ar.6. Portell. tit. Prælatus n. 5.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. GEneralis, iure communi attento, nequit transferre Prouincialẽ vnius Prouinciæ in alteram ſine ſpeciali licentia Summi Pontificis. Ita Silu. tit. caſus. caſu. 2. Rodriq. tom. 1. qu. 23. art. 1. cum ſuo compend. reſol. 68. n.10. Mirand. tom. 2. qu. 7. art. 5. Portell. tit. Generalis in addit. n. 1. Bordon. reſol. 80. n. 20. tom. 2. Ratio horum DD. videtur eſſe, quia ſicut nullus inferior Papæ poteſt transferre Epiſcopum de vna in aliam diœceſim, vt habetur ex prim. not. ita Generalis nullo modo Prouincialẽ vnius Prouinciæ ad regimen alterius transferre poteſt, eò quòd Prouinciales fruantur iuriſdictione Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali.

Limita, modò huiuſmodi Prælatura ſit tantùm electiua, tunc talis cenſetur, quando duo concurrunt. Prim. vt procedatur in ea per electionem, quæ exigit confirmationem Superioris. Sec. vt electio fiat per Capitulum cathedralis Eccleſiæ, vel collegiatæ, ſiuè conuentualis: videatur Sigiſm. à Bonon. de elect. dub. 47. quia ſi eſt manualis, tunc poteſt Generalis transferre Prouincialem vnius Prouinciç ad regimen alterius. Ratio videtur eſſe, quia Prouincialis per hoc non deſinit eſſe Religioſus, & obedientiarius Generalis, ac proindè vtitur iure ſuo, & non facit ei iniuriam. Ita ſentit ex multis Aloyſ. Riccius in praxi tom. 4. reſol. 51. nu. 4. Sigiſm. à Bonon. vbi ſupt. Dian. p. 2. in dub. Regul. reſol. 117. quorum doctrina ſemper eſt intelligenda in ordine ad bonum commune Religionis; nam ſubditi ſe obligarunt inſeruire Religioni, & non commodo Prælati, aliàs ſe gereret tanquam Dominum, & non adminiſtratorem: verùm tunc æſtimatur Prælatura manualis, non concurrentibus illis duabus conditionibus, vt rectè notat Sigiſm. à Bonon.

Ex hac doctrina colligitur omnes Prælatos regulares, qui ad Prælaturas aſſumuntur per viam electionis non poſſe mutari, vel ſpoliari eiſdem Prælatijs; ſecus eſt dicendũ de Prouincialibus Societatis Ieſu, qui à ſolo Generali inſtituuntur, & de Guardianis, ſeù Prioribus, qui eliguntur à Definitoribus vnà cum Prouinciali; hi omnes poſſunt mutari ab eiſdem prouiſoribus iuxta limitationem, quam ſuperiùs adnotaui, modò contra ipſos non procedatur per viam delicti commiſſi, quia tunc huiuſmodi actio cenſetur pœna, quæ non poteſt imponi, niſi priùs probato delicto. Ita Sigiſmund. à Bonon.

4. Not. prim. pro ſecundi dubij titulo, quòd Generales tenẽtur directè ad obſeruandas leges Capituli generalis, ſicut tenentur alij Prælati inferiores, vt dicam in ſec. not. ſequentis dubij.

5. Not. ſec. quòd declaratio, ſeù interpretatio duplex eſt; altera iuridica, ſeù iudicialis quę vim, & robur obligandi habet; altera verò doctrinalis iuxta regulas, quas tradunt DD. quandò loquuntur de interpretatione legum. Ita Salas de legib. diſp. 21. ſect. 2. Bonacin. de legib. diſp. 1. q. 1. pun. 8. n. 2. Tamburin. vbi ſupr. qu. 7. n. 12. & alij: his ſuppoſitis.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

6. MInister Generalis reſpiciendo ius commune per ſe ipſum ſolummodò declarare nequit ſtatuta, ac leges ſancitas in Capitulo generali iuxta primam acceptionem: ſecus iuxta ſecundam. Concluſio duas habet partes, quarum prima ſuſtinetur à Panormit. & Io. Andr. in cap. Ex parte. de verborum ſignificat. Bald. in

l. omnes populi ff. de iuſtit. & iure, Rodriq. tom. 1. qu. 68. art. 6. Mirand. man. Prælat. qu. 29. art. 9. Tamburin. vbi ſupr. elicitur etiam ex doctrina Salas, & Bonacin. vbi ſupr. Ratio eſt in promptu, quia eſt ſubditus Capituli generalis, conſequenter eius legibus ſubiacet, vnde inferior nequit eſſe ſupra Superiorem, neque ſupra eius mandata; & ideò in l. in proprijs ff. de prætorum ſtipulationibus, & cap. Licèt 11. qu. 1. & alij ſimiles textus ſunt, in quibus dicitur illius eſſe leges, & canones interpretari, cuius eſt condere.

Quæ concluſio eſt intelligenda, quandò interpretatio eſſet valdè dubia, atque ex tali interpretatione ſequi poſſit aliquod arduum circa ius, legem, & ſtatutum. Ita Panormit. vbi ſupr. Rodriq. Mirand. Tamburin. & Salas vbi ſupr. ſecus quandò eſſet clara, ac iuri conſona, tunc poteſt Generalis hoc ipſum efficere, & ſtatuta interpretari. Ita Innoc. in cap. Cum ſpeciali de appellat. Bartol. in l. dicta omnes populi, Mirand. & Rodriq. vbi ſupr.

Verùm ad tollendos omnes ſcrupulos, qui poſſunt contingere in his declarationibus, habetur in compendio Ordinis Ciſter. tit. conſtitutiones, ſiue definitiones §. 1. ad hoc ſpecialis facultas conceſſa Prælatis à Martino V. & Eugenio IV. qua etiam vti poſſumus nos, & omnes Ordines, & Religiones priuilegium habentes communicationis, quæ eſt tenoris ſequentis. *Quòd Generalis reformator, & Capitulum generale huius congregationis pro directione, ac ſubditorum animarum ſalute, ſtabilitateque monaſteriorũ, ſaluis regulæ ſubſtantialibus quaſcunq; in ſpiritualibus, & temporalibus circa ipſam regulam, & eius obſeruantiã occurrentes ambiguitates, obſcuritates, & dubia declarãdi, dilucidãdi, interpretãdi, & diſpenſandi, ſtatutaq; & ordinationes, ſeu eiuſdem definitiones, etiam interpretandi, modificandi, dirigendi, & reformãdi, mutandi, variandi, tollendi, renouandi, caſſandi; & alterandi; nec non noua edendi, condendi, & faciendi plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica facultatem, & poteſtatem habent.*

Secunda pars ſuadetur, tum quia frequẽter eſt vſus, & neceſſaria hæc doctrinalis interpretatio, vt Legiſlatoris voluntas intelligatur, & ſeruetur, tum quia ſic colligitur ex l. vnica C. de profeſſoribus l. 1. ff. ſi certum petatur, & ex alijs iuribus, quæ communiter à DD. referuntur, tum quia hæc doctrinalis interpretatio eſt in praxi, & in vſu, & habetur tanquã communis opinio, quam ſequitur D. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 5. Caietan. ibid. Sotus lib. 1. de iuſtit. qu. 4. art. 5. Couarr. regul. Poſſeſſor. 2. part. §. 6. n. 2. Layman. lib. 1. tract. 4. c. 18. n. 1. Bartol. & alij, quos citat, & ſequitur Salas de legib. diſp. 25. ſect. 2.

## DVBIVM CXIII.

### *An Generalis poſſit accuſationem non acceptare, & ea accepta, ipſam reſcindere, atque repellere.*

### SVMMARIVM.

1. *Definitur tam denunciatio, quàm accuſatio.*
2. *Tã vi directiua, quã coactiua tenetur Generalis ad obſeruãdas leges Capituli generalis: quod Capitulum poteſt eum deponere, punire, eiuſque authoritatem minuere, & augere.*
3. *In triplici differentia ſe habent accuſationes, quarum primæ à quocumque Iudice, etiam inferiori, poſſunt non admitti, eiſque admiſſis, reſcindi: ſecus eſt dicendum de Iudice inferiori quoad ſecundas.*
4. *Supremus Princeps iuſta de cauſa poteſt in initio accuſationes repellere, eaſque admiſſas abolere, quandò per illas bonum intenditur commune: habetur quadam limitatio, itidem quadam ampliatio.*
5. *Id nequit fieri à Iudice inferiori, niſi per epicheiam: ſatisfit cuidam obiectioni.*
6. *Generalis nequit accuſationes quoad ſecundam, & tertiam differentiam in principio repellere, aut admiſſas poſteà abolere, & habentur conditiones obſeruandæ in tradendis accuſationibus.*

1. Not. prim. quòd denunciatio iudicialis ſecundum Fagund. in 8. præcept. decalog. lib. 8. c. 45. n. 1. eſt mera criminis manifeſtatio, & reuelatio ſine aliqua actione, vel

vel accuſatione, qua denuntiator crimen ſui proximi ſuperiori Iudici, ſeù Prælato tanquam Iudici denuntiat, vt ipſe ex officio faciat, quod ei videtur ſecundum ius: accuſatio verò eſt delatio criminis ad Iudicem ad vindictam publicam libello factam cum obligatione probandi delictum. Ita Silu. tit. Accuſatio. Clauis Reg. lib. 2. cap. 14. n. 11. Azor. lib. 13. cap. 19. p. 3 Leſſ. de iuſtit. lib. 2. cap. 30. dub. 1. Bonac. tom. 2. diſp. 10. qu. 3. punct. 1. Trullench in decalog. lib. 8. c. 2. dub. 1. n. 2. & colligitur ex Iul. Clar. in prax. crimin. §. fin. q. 12. & ex Farinac. in prax. crimin. quæſt. 12. num. 2. Porrò ex prima definitione habetur finis denuntiationis, nempè vindicta, ſeù bonum denuntiātis, vt deliquens ſatisfaciat. Ita Baſſæus in ſumm. tit. denuntiatio n. 3. ex ſecunda finis accuſationis, ſcilicet vindicta publica ad exemplum populi, vt omnes ſibi caueant. Ita Trullench, & Baſſæus num. 4. vbi ſupr.

2. Not. ſecund. quòd Generalis tenetur directè ad obſeruandas leges Capituli generalis, ſicut Abbates, & alij Prælati locales non ſolùm quoad vim directiuam, ſed etiam quoad vim coatiuam; eſt enim ſubditus huiuſmodi Capituli: idem eſt dicendum de Prouinciali reſpectu legum Capituli Prouincialis, vndè nequeunt appellari Legiſlatores, licèt ad leges condendas conueniant. Ita habetur ex Azor. 1. p. lib. 5. c. 11. qu. 1. Salas de leg. diſp. 14. ſect. 2. Suar. 3. de legib. c. 35. n. 19. & 4. de Relig. lib. 2. c. 8. tract. 8. Malderus in 1. 2. S. Thom. qu. 29. art. 5. Vaſq. 1. 2. diſp. 167. c. 3. Rodriq tom. 1. qu. Regul. art. 3. Tambur. de iur. Abbat. tom. 3. diſp. 3. q. 4. n. 1. Adde, quòd Capitulum generale ſicut poteſt eligere Generalem; ita poteſt eum deponere, punire, eius auhoritatem augere, & minuere ob ſupremam authoritatem. Ita Suar. 4. de Relig. tr. 10. lib. 10. c. 4. idem dic de prouinciali Capitulo aduerſus Prouincialem: ex qua doctrina clarè habetur Capitulum generale ſecundum ius commune eſſe ſupremum Principem, ad quem ſpectat leges condere, eaſque reſcindere, augere, atq; minuere pro bono pacis, ac vnitatis.

3. Not. tert. quòd accuſationes poſſūt reſpici in triplici differentia. Prim. nonnullæ ſunt vitioſæ, ac defectuoſæ ſiuè propter temeritatem, ſiuè propter calumniam. Secund. nonnullæ aliæ ſunt conuenientes, & continent in ſe debitam iuſtitiam, quæ principaliter ordinantur ad ſatisfaciendum parti leſæ. Tert. nonnullæ aliæ ſunt, quæ, licèt ſint intra terminos debitæ iuſtitiæ, nihilominus præciſè tendunt ad bonum commune: his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

Qvicunque Iudex, etiam inferior, poteſt nō admittere accuſationes, eaſque admiſſas reſcindere ſecundum primam acceptionem prout in 3. not. ſecus eſt dicendum de Iudice inferiori quoad ſecundam. Duas habet partes concluſio, quarum prima defenditur ab Aragon. 2. 2. qu. 68. art. 3. & ab Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 7. n. 14. Ratio eſt, quia in caſu nulli fit iniuria: imò addit Aragon. quòd erit iniurius ordini iuris, ſi illas fuerit proſequutus. Secunda pars habetur ex eodem Lugo vbi ſupr. & ex Leſſio de iuſtit. lib. 2. c. 30. dub. 3. qui habet hæc verba: Si autem agitur de iniuria partis, non poteſt Iudex inferior accuſationem non admittere, & admiſſam impedire; non enim ad ipſum ſpectat principaliter boni publici promotio, ſed officij iniuncti adminiſtratio, itaque tenetur parti ius dicere, nec poteſt ſe prætextu maioris boni publici eximere, alioquin ſæpè hac arte Iudices liberarent, quos vellent, poteſt tamen Principi ſcribere, quid iudicet expedire, & interim ſententiam ſuſtinere: conſentiunt Trullench vbi ſupr. dub. 5. n. 2. & Aragon. vbi ſupr. Primus ait. Si agitur de iniuria partis, Iudices inferiores tenentur ius dicere, alioquin ſæpè liberarent, quos vellent. Secundus inquit: Dico ſecundò etiam eſſe certum, quòd Iudex inferior non poteſt reſcindere illas accuſationes iuſtas, quæ ad ſatisfactionem partis læſæ ordinantur, & tendunt; nam cum talis Iudex ex iure teneatur ius ſuum vnicuique tradere iuxta legis ſtatuta à Principe poſita, ad idquē principaliter fuerit à Superiore Iudex conſtitutus, fit, vt eas accuſationes, quæ particularem exigunt ſatisfactionem, nō magis acceptare, quàm proſequi teneatur, nec in hoc aliqua

F eius

eius poteſt cadere diſpenſatio; itaque hæc ſunt certa.

*SECUNDA CONCLUSIO.*

4. SVpremus Princeps iuſta de cauſa de iure poteſt in initio accuſationes repellere, & iam admiſſas in iudicio abolere, & præcipere accuſatori, vt ceſſet, & deſiſtat, quandò per illas intenditur punitio delictorum ad reparandum bonum commune læſum. Ita docent communiter DD. Sayr. in Clau. Reg. lib. 12. c. 15. n. 16. Leſſ. vbi ſupr. Caiet. 2. 2. qu. 68. art. 3. Sot. de teg. ſecreto, membr. 2. qu. 5. concl. 5. Aragon. vbi ſupr. Salon. 2. 2. qu. 68. art. 3. Emin. Lugo vbi ſupr. Ratio eſt, quia cum ad ipſum ſpectet cura boni communis; ideò ſi videbitur expedire pro bono pacis, poterit de plenitudine ſuæ poreſtatis id facere.

Dixi iuſta de cauſa, ad inſinuandum requiri non quamlibet cauſam, ſed grauem, vt ſi accuſatur aliqua perſona, quæ non poteſt ſine magna oppidi perturbatione pœna plecti, & ex eius punitione perpetuæ diſſenſiones, & periculoſæ inimicitiæ oriantur, vt ſi ex accuſatione inter duas familias nobiles ſeditiones, odia, factiones naſcantur. Ita habetur ex Lugo, & præſertim ex Fagund. vbi ſupr.

Quæ concluſio eſt amplianda cum DD. relatis ſuperiùs, etiam ſi accuſator intendat propriam ſatisfactionem ex iniuria ſibi irrogata. Ratio eſt inquiunt Fagund. Aragon. Clau. Reg & Salon. vbi ſupr. quia ad Principem primò, & principaliter ſpectat curam gerere boni communis, ad quod bonum priuatorum hominum refertur; ideò ad illum etiam ſpectat finem imponere accuſationi, quæ origo, & fomentum eſt earum inimicitiarum, quæ publicum bonũ, pacemque perturbant, dummodò, ait Clau. Reg. vbi ſupr. alio modo ſatisfiat parti læſæ.

*TERTIA CONCLUSIO.*

5. QVod dicitur in præcedenti concluſione, nequit à quolibet Iudice inferiori de iure effici; benè tamen per epicheiam, hoc eſt ex æquitate. Prima pars ex duabus probandis habetur ex eo, quia Iudex inferior iuris ordinem peruertere non poteſt. Secund. ſuadetur, quia cum epicheia ſit quædam virtus, qua agitur aliquid contra verba legis, eò quod bonum commune, vel ratio virtutis id poſtulet; ideò quilibet Iudex inferior, vt dicunt communiter DD. in aliquibus caſibus ea vti poteſt, inter quos præſens caſus à DD. ſuperiùs citatis enumeratur. Quamobrem Aragon. vbi ſupr. habet hæc verba ferè ad literam relata à Sayr. vbi ſupr. At verò Iudex inferior id (nimirum quod dicitur de ſupremo Iudice) efficere non poteſt abſolutè de iure, benè tamen ex epicheia, hoc eſt ex æquitate, & altiori iudicio, quandò certè cognoſceret eam accuſationem pernicioſam fore bono communi, vt ſi v. g. certò ſciret ex illa perturbandam fore Rempublicam, aut ingentem aliquam ſeditionem ex illa excitandam propter conditionem accuſati, vel propter aliquid huiuſmodi; tunc enim poſſet abolere accuſationem inchoatam, niſi aliter eſſet poſſibile prouidere bono communi, ſcilicet vel ſuſpendendo proſecutionẽ, vel diſſimulãdo.

Dices, ad quemcunque Iudicem etiam inferiorem ſpectat prouidere bono communi: ergo ad eundem etiam ſpectabit eas accuſationes reſcindere, quas bono communi non conuenientes iudicauerit. Reſpond. verum eſſe, quòd quilibet Iudex etiam inferior ex officio tenetur curam gerere de bono communi, ſed diuerſimodè; ſupremus enim Princeps poteſt illud propagare tam leges obſeruando, quàm in ſuis legibus diſpenſando; Iudex verò inferior tantùm eas obſeruando, vel recurrendo ad epicheiam prout ſupra dixi.

*QUARTA CONCLUSIO.*

6. GEneralis nequit quaſcunque accuſationes tendentes tam ad bonum commune, quàm ad ſatisfactionem partis læſæ in principio repellere, aut admiſſas poſtea abolere, niſi ex epicheia. Ratio eſt, quia ſupremus Princeps in Religionibus, cui incumbit onus condendi leges, in eiſque diſpenſandi, eſt Capitulum generale; ceteri verò Prælati ſunt inferiores Iudices, vt optimè dicit Diana 7. part. tract. 11. reſol. 37. proindè in ſec. nor. fuit dictũ Generalem eſſe ſubditũ Capi-

Capituli generalis, eiuſque legibus ſubijci, nonſolùm quoad vim directiuam, ſed etiã quoad vim coactiuam.

Pro fine quæſiti ſunt notanda verba Emin. Lugo, & Suar. vbi ſupr. in quibus deſignant conditiones, quæ ſunt obſeruandæ tradendo accuſationem. Primus ait: Notand. item eſt accuſationem ſaltem circa delicta grauia debere fieri in ſcriptis, oblato libello accuſationis, cum ſubſcriptione accuſatoris; conſuetudine tamen alicubi acceptatur accuſatio verbalis coram Notario, vt teſtatur Leſſius dicto capit. 30. dub. 1. n. 2. & Filliuc. tract. 40. c.7.n.202. debet etiam nomen accuſati adnotare, quod ſi fieri non poſſit, quia ignoratur, debet ex veſtitu, facie, officio, alijque ſignis deſcribi; debet etiam declarari delicti ſpecies, locus etiam, & tempus, ſaltem quoad annum, ac menſem, vt poſſit Reus ſe defendere; imò, ipſo petente, debet explicari dies, & hora: videatur Trullench vbi ſupr. numer. 4. ſed huiuſmodi conditiones magis ſpectant ad iudicium ſæcularium, quàm ad Regularium; proindè audiamus ſecundum, nempè Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. numer. 45. Hæc via, ideſt accuſatio, minùs eſt in Religionibus vſitata, non tamen excluditur: & paulò inferiùs; nihilominus ſi legitimè fiat, debet Superior eam acceptare, & per Notarium ſcriptam eam recipere, ita enim iura diſponunt: & licèt Regulares non teneantur ad omnes ſolemnitates iuris, hæc reputatur maximè ſubſtantialis, quia, vt rectè D. Thom. 2. 2. quæſt. 68. artic. 2. docuit, eſt moraliter neceſſarium, vt conſtet, quòd accuſator probare teneatur; & ideò etiam in regulari proceſſu non eſt prætermittenda.

* *
*

## DVBIVM CXIV.

*An Generalis vniones, ac amicitias ſuffragatorum, quæ poſſunt fieri in quacumque electione tam Prælatorum, quàm Definitorum, ac Diſcretorum ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda poſſit, ac debeat prohibere.*

### SVMMARIVM.

1. *IN Prælatis eſt poteſtas coercitiua pro pace tuenda in quacunque communitate.*

2. *Ex hac poteſtate oboritur, poſſe Prælatos cenſuras ferre.*

3. *Suffragatorum vniones ſunt in Religionibus materia grauis.*

4. *Poteſt, ac debet Generalis ſub pœna excommunicationis huiuſmodi vniones prohibere.*

1. Not. prim. à Suar. 4. de Religion. tract. 8. lib. 2. c. 3. numer. 5. hoc agitari quæſitum: an in Prælatis religioſis ſit poteſtas coercitiua, tum in vniuerſum, tum ſpeciatim ad pœnas ſpirituales, reſpondet hiſce verbis: Quòd in his Prælatis aliqua ſit poteſtas huiuſmodi, id manifeſtum ſit, tum ex vſu, tum ex ratione, quia poteſtas directiua ſine aliqua coercitione infirma, ac ferè inutilis eſt, quia ſine timore, ac diſciplina non poteſt communitas humana in officio contineri, quantumuis bona videatur in hac vita mortali, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & caro concupiſcens aduerſus ſpiritum ſæpè vincit, ideòque ſepties in die cadit iuſtus: adde, inquit S. Thom. 5. polit. lect. 12. *De facili contemnitur, qui non timetur:* eſt igitur omnino neceſſaria hæc poteſtas, vt Ordo, pax, & inſtitutio religioſa ſeruetur: explicandum verò eſt, qualis, & quanta ſit, in quo diſtinguere oportet in ſtatu religioſo id, quod

habet ab intrinſeco ex pura natura ſua; vel id quod habet ab extrinſeco ſuperadditum ex prouidentia, & liberalitate Pontificum: dicendumque primò eſt Prælatum Religionis ex vi talis ſtatus, ſeù profeſſionis, ac voti ſubditorum ſolùm habere poteſtatem coercendi modo paterno, & iuxta limites Regulæ promiſſæ: probatur, & declaratur, &c. prout ibi: & paulò inferiùs ſubdit: Dico ſecundo: Prælatus Religionis ratione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ habet perfectam poteſtatem coercitiuam Epiſcopalem: quò fit, vt in huiuſmodi Prælato ſit poteſtas ad coercendos ſubditos per quaſcunque Eccleſiaſticas cenſuras.

2. Ex hac vltima doctrina ſequitur, idque ſit ſec. notand. quòd Prælati regulares, etiam ſi per electionem aſſumpti ad Prælaturas non fuerint, modò confirmati ſint, aut prouiſi, quoties opus fuerit, aut expedierit, ſuos Monachos excommunicare poſſunt, vt probatur communiter in iure, & præcipuè in cap. Cum in Eccleſijs. §. Cum omnes de maior. & obedient. & in cap. Sicut tuis. de Simon. & aduertunt Gloſſ. in can. de Perſona verb. aut Monachum in fin. 11. qu. 1. & in cap. Quantò. verb. Si Prælati. de offic. ordin. Panormit. in cap. Nobis de iure patron. Azor. part. 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 20. Nauarr. in ſuo man. cap. 27. n. 5. Couarr. in cap. Alma mater p. 1. §. 11. n. 1. Suar. de cenſur. diſp. 2. ſect. 2. n. 9 Vaſq. tom. 4. in 3. part. tract. de excommun. dub. 17. n. 2. & alij quàm plurimi, quos citatos ſequuntur Sayr. lib. 1. de cenſur. cap. 6. num. 13. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 14. qu. 1. num. 5. & Peirin. tom. 2. de Prælato qu. 3. cap. 4. num. 1. Rationes videntur eſſe, quæ ſuperiùs tanguntur, ſcilicet quia Prælati regulares habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam in quocunque foro tam interno, quàm externo, quia alioquin poteſtas iuriſdictionis eſſet inutilis, niſi gauderet facultate coercitiua, & innuit Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de reformat. ad populos in officio continendos: an huiuſmodi cenſura ferenda ſit in ſcriptis, nec ne, videatur Tamburin. vbi ſupr. n. 6. hinc ſequitur, quòd huiuſmodi Prælati ad præcauendum aliquod incommodum non parui momenti, quod inferre poteſt Religionem, poſſunt ſtatuta facere, eorumque obſeruantiam ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda præcipere, vt elicitur ex Sayr. n. 20. & Tamburin. n. 8. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Huiuſmodi vniones, ac amicitiæ, pro vt in titulo, conſiderati nequeunt, niſi ſub materia graui, plurimùmque noxię communitati cuiuslibet Religionis. Probatio ſatis manifeſta habetur pluribus in locis, præſertim in dub. 28. ſed hic tantùm ſuadetur ex SS. PP. aliorumque DD. authoritate, & in primis huc ſunt reuocandi SS. Baſil. & Chryſoſtom. citati in tract. de Priorib. ſeù Guardian. dub. 163. quibus eſt addendus idem Baſil. c. 30. conſtit. monaſt. *Si verò, inquit, à reliquis ſua ſponte disiunctis in cœtu cœtum efficiant, vitioſa huiuſmodi amicitiæ conciliatio eſt, & diuerſam quandam à communibus inſtitutis rem eſſe oportet, quæ hos inter ipſos conciliet, atque hoc profectò non eſt aliud, quàm contra veterem diſciplinæ ſtabilitatem innouatio*: audiamus Iacob. Aluar. tom. 1, lib. 5. part. 2. cap. 26. & Bernardin. Schottum Clericum regularem (qui mortuus Cardinalis) functum officio Præpoſiti, ſalutaribus documentis epiſtolam pleniſſimam ſcribentem ad Ordinem ſuum, quam dedit in lucem Antoninus Caracciolus ex ead. Religione in not. ad conſt. p. 3. cap. 1. n. 1. ille ait: *Quæ amicitia, & familiaritas, ſi ad nimietatem declinet non minùs ipſiſmet Religioſis, ac ſanctæ Religionis domibus pernicioſa eſt, quàm eſſent inimicitiæ, ac manifeſta diſſidia, niſi quòd iſta palam, & ſine vllo fuco bonum Religionis deſtruunt*. Hic inquit: *Itaque qui relaxationẽ quærunt, primùm ſibi ipſis, deinde alijs quamplurimis nocent; hinc enim peculiares amicitiæ, & ſocietates quædam prohibitæ in congregationibus fiunt, quibus nihil eſſe poteſt pernicioſius: hinc diſſenſiones, & contentiones oriuntur; hinc odia, & ſuſurrationes, & conatus quidam occulti ad ſuadendum aptiſſimi eam vitam, quam ſibi delegerunt, videlicet laxiorem, dum alijs quoquè pro regula*

*tra-*

*tradere, & approbare nituntur*, &c. Nec obſtat, præcitatos DD. ac PP. tantùm loqui de amicitijs, non verò de vnionibus, pro vt in titulo, quia eſt nullius valoris exculpatio, imò inculpatio propriæ ignorantiæ; ſi enim tam acriter loquuntur de illis amicitijs, ac vnionibus, quæ declinant ad nimietatem, quid dicerent de amicitijs, ac vnionibus in electionum materia, quæ nomen ſeditionum, ac factionum propriè ſibi vindicant? heù, heù, inquam, exclamarent cum S. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 4. *Ex ſeditione tota vita regularis deficit*: ſed maiori cum mœrore cum Riccard. de S. Victore lib. de gradib. charit. c. 4. *Heù in quos fines, imò faces ſæculorum homines deuenerunt, cum (vt de ſæculi hominibus taceamus, quos excæcat ambitio) ipſa Religionis electio noſtro miſerabili tempore tanta diuiſione ſpargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, niſi fortè aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius: vbiquè apparent ſciſſuræ Ciuitatis Dauid, & intantum iam hians, vt ruinam vicinam omninò minentur: ſeruatur ſub tunica vna, & veſte ſimili cor varium, & omninò diſſimile, ita vt de Religione antiqua vix ſigna ſeruentur, & venientibus ad ſepulchrum Domini, quod clauſum eſt, & Chriſtum quærentibus ſola linteamina pateant, ideſt habitus forma.*

Si quæras rationem tanti mali, ea eſt, inquam, quæ tangitur à D. Chryſoſtom. tom. 5. de Sacerdotio lib. 3. poſt med. vbi loquitur de elect. Epiſcop. à Clero facienda: *Vis*, inquit, *vt aliud tibi pugnæ huius genus aperiam periculis mille plenum? ito hinc iam, ac publica feſta ſpectato, ea dico, in quibus dignitatum Eccleſiaſticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Epiſcopum, quanta eſt tota illa ſubditorum multitudo, de quibus eligendi poteſtas conceſſa eſt: hos omnes tum in multas factiones ſcindi, neque inter ſe conſentire, neque cum eo, cui forte Epiſcopatus delatus ſit, Presbiterorum congregationem conuenire videas, ſed vnuſquiſque à ſuis vnius partibus ſtat, alius hunc, alius illum eligens: cuius rei cauſa hæc eſt, quòd id vnum non ſpectant, quod ſolùm ſpectandum fuerat, nempè animi virtutem, ſed aliæ ſunt cauſæ, quibus honores conciliantur: verb. grat. hic, quòd claro genere natus eſt, in Epiſcopatus, inquis, ordinem coaptetur: ille, quòd opibus abundet, neque indigeat alimentis ex Eccleſijs prouenſibus quæſitis: alius, quòd ab aduerſarijs ad nos transfugerit: alius ſibi notum, ac familiarem: alius ſibi genere propinquum: alius adulatorem cæteris anteponere mauult: nemo eſt, qui eum, qui idoneus eſt, ſpectare velit, aut animi partes explorare curet.*

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Generalis in tota Religione, ſeù Prouincialis in tota Prouincia, cui præeſt, poteſt, ac debet huiuſmodi vniones, ac amicitias, prout in titulo, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda interdicere. Duas habet partes concluſio, quarũ prima ex traditis liquet, quia in Generali, ſeù in Prouinciali non deſideratur authoritas; habent enim iuriſdictionem Eccleſiaſticam à ſummo Pontifice emanatam, quæ eſt fons, & radix omnium cenſurarum ferendarum: materia, ſupra quam cadere poteſt prohibitio, eſt grauis; imò inter omnes, quæ labefactare Religiones poſſunt, grauiſſima, vt patet ex concluſione præcedenti, & ex multis locis noſtrorum dubiorum: igitur, &c. Secunda pars ſuadetur, quia, cum poteſtas coercitiua ſit data ad conſeruandam pacem in quacunque communitate, cuius contrarium è directò eſt diſſenſio, & factio, teſte D. Thom. 1. de regim. Princ. c. 5. *Diſſenſio enim contrariatur paci, quod eſt præcipuum in multitudine ſociali*: & cum ſocialis communitas, quantumuis bona, nequeat frui bono pacis, niſi aliquo timore ducatur, teſte Suar. vbi ſupr. igitur ad præcauendum malum factionum, inter omnia grauiſſimum, in quod tam facilè poſſunt labi Clauſtrales, quia, inquit Suar. 4. de Relig. lib. 10. cap. 3. in quocunque ſtatu ſunt pauciores viri prudentes, & à priuatis affectibus liberi; & ideò, quandò electio eſt apud multos, neceſſe eſt, vt ibi ſint iuuenes, vel minùs prudentes, in ſuis affectibus non ſatis moderati; vndè facile eſt, eos corrumpere, decipere, ſubornare, & ſpiritum ambitionis in eos generare: huiuſmodi amicitiæ à Generali ſunt ſub pœna excommunicationis

cationis prohibendæ: dicitur ſub pœna, &c. quia videtur illud efficax in lege neceſſariū pro intento; nam inquit S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. c. 115. *Illud præcipuum debet eſſe in lege, ex quo lex efficaciam habet*: hinc dicebat S. Thom. ex Ariſt. 6. polit. lect. 5. loquens de regim. popul. quod eſt ferè eiuſdem rationis cum regimine omnium Religionum: *Popularis ſtatus non poteſt benè ſuſtineri à tota Ciuitate, niſi benè ordinata legibus, & conſuetudinibus conuenientibus ei. Et ratio huius eſt, quia in hac Republica tota multitudo, quantùm ad maiorem ſui partem imprudēs eſt, & inordinata, & in operibus ſuis ſequitur impetum magis, quā rationē, propter quod opprimūt & meliores, & corrumpunt iudicia, ex quo contingit corruptio Reipublicæ*: proindè dicebat S. Baſil. ſerm. 1. de inſtit. mon. *Quapropter ab omni ſocietate, & congreſſu procul arceatur iſta ſingularis affectio, perindè ac pugna quædam indecens; nam vt hæc manifeſtas producit inimicitias, ſic illa inuidiam, & ſimultates generat*: & in pœnis numer. 25. ait: *Si duo reperti fuerint, ſimul inter ſe conuerſantes, & commoniti nō ſeceſſerint, ſint excommunicati, donec corrigantur*: ſcio Baſilium non loqui de Eccleſiaſtica cenſura, ſed religioſa, ac regulari.

Vt Generalis animus roboretur ad huiuſmodi vitium pœna prædicta coram tota Religione deteſtandum, pro ſumma pacis propagatione, legat ea, quæ ſequuntur, & formet argumentum à minori ad maius. Conſpirationes omnes in Superiores, & alios ab omnibus Religionum familijs adeò exiſtimantur perniocioſæ, vt grauiſſimis pœnis eas damnet. Guilielmus Farinerius miniſter Generalis Ordinis Minorum præſtantiſſimus anno 1354. in Generalibus comitijs hoc edidit decretum cap. 7. pag. 138. *Qui per malitioſam concordiam, ſeu per conſpirationem aduerſus aliquem, & maximè aduerſus Superiores ſe erexerit, omnibus officijs, ac omni actu legitimo ſit priuatus*: legitur à quibuſdam Ordinibus inter caſus reſeruatos numerari ſeditiones in Superiores. Obſeruatur, ab alijs collocari inter culpas grauiores, idque fit à Carmelitis mitigatis p. 3. cōſtit. c. 4 §. 1. ab Eremitanis S. Auguſtini p. 6. c. 11. Canonicis S. Saluatoris can. 8. cal. c. 25. n. 13. à multis alijs grauiſſimæ imponuntur pœnæ, vt à Minoribus ciſmontanis de Obſeruantia p. 2. ſtat. 5. de comp. & à Canonicis S. Georgij in Alga. conſt. 27. audi Generalis verba, quæ huc tranſcribo, quibus Carmelitæ, atque Eremitani tantum ſcelus prohibent: *Præcipimus, & in virtute Sanct. obedientiæ mandamus, quòd nulli Fratres iuramento, aut fide præſtita colligationem, ſeu confœderationem faciant, quòd ſibi mutuò non deſitiant in ſuis defenſionibus, ſuſtentationibus, & huiuſmodi, quæ notam conſpirationem oſtendunt, nec de facto contra aliquem Prælatum, vel ſubditum malitiosè conſpirent ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurendæ*: poſtea ſi præceptum violauerint, conſtituunt præter excommunicationem pœnas grauiſſimæ culpæ præſcriptas, per multos menſes carcerem, vocis vtriuſque, & alia eiuſmodi; irrita faciunt omnia illa iuramenta, & iubent conſpirationum duces, & capita, vel à Prouincia, vel ab Ordine expelli: legat inquam, & formet tale argumentum: Si tot pœnæ grauiſſimæ imponuntur Religioſis in ſubditum, ſeù Superiorem conſpirantibus à ſacrorum Ordinum familijs, tantò magis ego Generalis poſſum, ac debeo ſtatuere eas incurrendas ab illis, qui mediantibus confœderationibus, ac vnionibus prædictis in totam Religionem conſpirant; nam hæ tendunt in deſtructionem, & exinanitionem totius corporis. Prohibeat, prohibeat ergo illas Generalis, quia totam Religionem ſanat à tali peſte, de qua ſic loquitur Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 1. Experimento compertum eſt multa Regna, plurimaſque Prouincias hac vnica peſte diſſenſionis, ac factionis funditùs fuiſſe euerſas, & vſque ad fundamenta exinanitas.

D V-

## PRO DVBIO CXV.

*Nonnulla ſelecta pro directione regiminis Generalis, cum Prouincias viſitat, breuiter enucleantur.*

### SVMMARIVM.

1 *Varijs authoritatibus demonſtratur animarum regimen maximã inuoluere difficultatem.*

2. *Duo dantur documenta Generali pro recta regiminis directione.*

3. *Exemplo debet Generalis doctrinam, ac prædicationem confirmare.*

4. *Ex prudentia increpationis moderatio habetur.*

5. *Itidem conſilium in rebus aduerſis.*

6. *Abdicat prudentia credendi facilitatem:*

7. *Curare debet Generalis, vt homines virtute præditi, ſi abſque incommodis ſuum cupit terminare officium, gubernent.*

8. *Non ſit facilis ad negotia abſoluenda.*

9. *Nec omnia vitia eadem menſura corripiat.*

10. *Calumnias, quas contra ipſum dicunt ſubditi, ſpernere debet.*

1. Inter omnia, quæ difficultatem inuoluunt, difficillima videtur imperandi, ac regendi ars: hinc S. Auguſt. de ordin. lib. 2. valdè commendat Pythagoram, qui poſt alias artes, & ſcientias in diſcipulos inſertas regendi artem eis tradebat: *Regenda Reipublicæ*, inquit, *diſciplina ſuis auditoribus vltimam tradebat, iam perfectis, iam ſapientibus*; ac ſi diceret; fundamẽta, ac radices benè, ac rectè regendi nunqam ordinatum, atque pacatum regimen dabunt, niſi radicentur in hominibus omni ſapiẽtia, ac perfectione ornatis; ideò Xenoph. Ped. Cyr. ipſum imperare penetrans in hæc verba admiratione digna prorupit. *Itaque mihi quoquè videbatur opus eſſe maximum pulchrè imperare*: quod ſi hoc verum eſt in quocumque regimine, multò magis in animarum, gubernatione; proindè ab Innoc. III. in cap. Cum ſit, de ætate, & qualitate nuncupatur ars artium, idque fortè fuit elicitum à Greg. Nazianz, in Apologetica dicente *Reuera mihi videtur eſſe ars artium, & diſciplina diſciplinarum hominem regere*: & orat. prim. inquit: *At verò homini, cum difficile ſit ſcire parere, tum multò difficilius eſſe videtur ſcire hominibus imperare, ac præſertim hoc noſtro Imperio, quod in lege diuina ſitum eſt, & ad Deum ducit*: hinc eſt, quód Diuinus Plato fidei cognitione orbatus à tanta mole oppreſſus non hæſitauit affirmare; *Sicut oues non cuſtodiuntur, & gubernãtur ab alijs ouibus, ſed ab animali, quod ſit aliquid pluſquam animal, ſcilicet homo; ita homo non poteſt cuſtodiri ab alio homine, ſed ab aliquo, qui ſit pluſquam homo, & per conſequens homo diuinus*: hinc eſt, quòd S. Thom. de regim. Princ. lib. 2. c. 15. fidei lumine illuſtratus in hæc verba prorupit: *Cum Reges, & Principes communes habeant actiones, & vniuerſalem diligentiam ſubditorum, cum non ſufficiat homo ſolus ad proprias actiones, oportet, quòd in multis deficiat; quia Regnum gubernare, iudicare, atque vnicuique ſecundum merita prouidere, tranſcẽdit virtutem naturæ; propter quod dicitur, quòd eſt ars artium regimen animarum; & arduum eſt valdè, vt, qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, Iudex fiat vitæ alienæ; vndè impoſſibile eſt Reges, & Principes non errare propter dictam cauſam, niſi ad illum, qui omnia gubernat, & omnium eſt conditor, ſe conuertant.*

2. Ex hac enim doctrina duo colligere debet Generalis. Prim. præcauere illud dictum En. Sylu. hiſt. Boemiæ dicentis: *Agrũ colere, gregem paſcere, nauim regere, texere, ſuere, ædificare multi ſe ignorare fatentur; magiſtratum in Vrbibus agere, Regem gerere, gentibus, & nationibus imperare, nemo ſibi negatum à natura dicit*: quia tanquam ignorantia ductus officio mereretur priuari; nam eſſet in damnum tot animarum: vndè dicitur in Oſeæ 4. *Quia ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Secund. curare, vt virtus prudẽtiæ proprias actiones tueatur, quia inquit S. Thom. 3. polit. lect. 3. ex Ariſt. *Non enim dicitur aliquis eſſe bonus Princeps, niſi bonus*

*bonus per virtutes morales, & prudens: dictum eſt enim in 6. ethic quòd politia eſt quadam pars prudentiæ; vndè oportet politicum, id eſt Rectorem politia eſſe prudentem, & per conſequens bonum virum*, proindè idem Sanctus paulò inferiùs ſubdit: *Nam propriè virtus Principis eſt prudentia, quæ eſt regitiua, & gubernatiua*: imò adeò propria, vt per ipſam rapræſentet Summum Regem omnia fortiter, & ſuauiter regentem, vt optimè demoſtrat Plutharcus in morali. *Vt Deus in Cælo pulcherrimū, & iucundiſſimum. ſui ſimulacrum conſtituit Solem; ſic in Republica Principem, qui prudentia, iuſtitia, begnitate ſe erga omnes repræſentet.*

3. In primis ex prudentia duo emanare videtur pro instructione Religionum Prælatorū. Prim. vt ipſi Prælati doctrinam, ac prædicationem exemplo informent, ſi ſubditorum mentibus documenta pro virili profectu ingerere exoptant: audiat Generalis verba D. Petri Damian. in opuſc. 13. c. 15. tom. 3. *In primis ergo*, inquit, *ò Venerabilis Abbas, fac ipſe, quod præcipis; exerce quod prædicas; imple quod mandas; non viſa diſcordet à lingua; non opera videantur à ſermone diſcreta, nec aliud doceat authoritas Præſidentis, aliud exhibeat operatio conuerſantis: raró autem progreſſurus egredere, vt ſemen verbis, quod ſparſeras, ingiter valeas excolendo rigare: non itaque hoſpitem te monaſterij frequēs diſcurſus exhibeat, ſed habitatorem potiùs, atque domeſticum diuturnitas moroſa grauitatis oſtendat; commēdet inedia, ieiunia prædicontē, nec loquentis ſententias comedentis fauces impugnent: meliùs nempè ſobrietatem docet manus, cum ad os ſub moderamine ducitur, quàm ſi veſcentis lingua loquatur: porrò viuida ſatis, & efficax in diſcipulorum mentibus prædicatio eſt, alios ad menſas impellere, impellentem verò in rigore ieiunij permanere; ſic intenta deliquentibus ferulam, vt in te motum iracundiæ ſub rigida cohibeas diſciplina. Interim verò, dum minaris, dum terroribus culpabilem concutis, in temetipſum oculos reuoca, modum humana fragilitatis attende, & temetipſum corripi poſſe, ſi cenſor adeſſet, ſubtiliter meditare: nec mireris, ſi ſubiectus quiſpiam fortè tranſgrediens cuncta iuſſionis tuæ mandata non impleat, cum tanta ſit humanæ conditionis fragilitas, vt ipſa etiam corporis tui membra prorſus in omnibus tibimet obtemperare non poſſint.* Secund. vt, in ſe ipſis ſeueri ſint, in alijs benegni; in ſe ipſos rigiditate vtantur, in alios benignitate. *Tu quoquè*, inquit, idem Damianus lib. 6. epiſt 30. epiſt. tom. 1. loquendo de Abbate; *Si rectè ſi diſcretè, ſi fructuoſè per viam vis veræ Religionis incedere, tibi metipſi ſis auſterus, & rigidus, vt alijs videoris hilaris, & remiſſus, ſic intra temetipſum ſtudeas in rectitudinis arte præcellere, vt noueris te, & infirmis fratibus miſericorditer inclinare, ſic in tribunali mentis tua iuſtitia frena diſpone, vt tamen delinquentibus non obdureſcas venialiter indulgendo: ſit in corde mæror, in vultu lætitia, in fratris aduentu caro tua ſentiat refrigerium, nec multum timeat, ſi ſolitæ ſeruitutis non impleas penſum: pulſante cellulam tuam fratre protinus triſtes ruges diſcedant, contracta ſe ora reſoluant, ſerena facies occurrat, feſtiua frons lætitiam præferat; peccatum in te mortis periculum deputa, in alijs fragilitatem conditionis appella: decerne alium ferula dignum, vndè te ſcorpionibus arbitraris obnoxiū: non ſis iuſtior, iuſto, & qui times peccata committere, non dubites veniam peccantibus impertire: non eſt illa recta iuſtitia, quæ in deſperationis foueam mentes pertrahit alienas, non eſt medicina laudabilis, quæ ſic putrida reſecat, vt ſimul etiam ſana corrumpat: noxius ignis eſt, qui ſic nititur vepres exurere, vt inſiliat etiam domos globis furentibus conflagrare: enim verò, qui aliorum vitia ex more libenter carpit, peccati maculam non euadet, quia licèt zelo iuſtitiæ ferueat, aliquandò neceſſe eſt, vt in laqueos deſtructionis impingat.*

4. Secund. ipſamet prudentia docet moderationem in delinquente corripiendo eſſe ſeruandam; legat Generalis verba Petri Damiani in initio epiſtolæ ſuperiùs citatæ: *Minùs ſe proximum amare conuincitur, qui per latæ leſionis iniuriam, ſic in authorem expoſtulare diſſimulat, vt omninò ſe ſub ſilentij cenſura conſtringat; nam dum ſibimet quaſi ex virtute patientiæ conſulit, lapſo fratri ſalutiferæ correptionis manum porrigere paruipendit, dumque patiētiæ immoderatæ deſeruit, immunitæ charitatis ſententiam non euadit;*

*non*

*non enim dicit Dominus : Si peccauerit in te quis patere , & tace ; ſed ſi peccauerit in te , inquit frater tuus , vade , & corripe eum , vt videlicet correptus ad cor redeat , & corrigens , quod errauit , ad eius vndè peſſundatus fuerat , rurſus charitatis celſitudinem conualeſcat : ſunt ſiquidem duo lapſus , & lætus. Charitas ergo , quæ inter vtrunque diiudicat , ſic debet iuſtitiæ lances appendere , ſic inconcuſſo examine æquitatis inter eos iura ſeruare , quatenus non modo enixiùs ſtudeat , ne læſus, quod abſit, per impatientiam corruat, quàm vt per ſatisfactionis dignæ commercium, & is quoquè , qui lapſus eſt, ſurgat :*

5. Tert. ex eadem prudentia oboritur, quòd negotia ardua ſine matura conſideratione , ac profundo conſilio, non decidat Generalis ; nullus eſt enim hominum , qui ſibi ſufficiat , præſertim in tanta rerum varietate , ac difficultate , quanta in publica adminiſtratione occurrit , proindè dicebat Tacitus 3. ann. *Principem ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti* : & in 1. ann. *Nec vnius mentem eſſe tantæ molis capacem*: quarè confugiendum eſt ad tantæ molis gigantes , nempè ad Conſiliarios iuxta prænuntiatum Sapientis Eccl. 32. *Ante omne actum conſilium præcedat te* ; nam conſilium in arduis inſpiciendum eſt, tanquam res ſacra , ſicut docet Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſt. *Conſilium omne à Deo eſt, à quocumque proficiſcatur* : idque naturali lumine notum etiam Ariſtot. lib. Rethor. ad Alex. eſſe videtur . *Conſiliari eorum, quid inter mortales diuiniſſimum eſt* : vndè apud antiquos, teſte Platone, per ora tale adagium ſerpebat. *Quiddam ſacrum profectò conſultatio eſt* : hinc eſt, quòd ab hac diuina radice fructus ſalutis , & incolumitatis Reipublicæ , ac animarum emanare opus eſt , iuxta dictum Sapientis. Prou. 11. *Vbi non eſt Gubernator , populus corruet ; ſalus autem vbi multa conſilia* : quæ veritas incognita non fuit Gentilibus : Saluſtius enim ad Cæſarem ait. *Ego ita comperi omnia Regna , Ciuitates , nationes vſque eò proſperum Imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt* : hinc eſt , quòd Cirill. lib. 1. Apolog. moral. c. 10. cuius titulus . *Vbi multa conſilia , ibi ſalus*: hanc intimè penetrans veritatem , inter multa verba hæc habet . *Principia quidem rerum mole minima , virtute ſunt maxima ; nam ex paruo ſemine ingens palma naſcitur , quarè in minimis exordijs maxima ſunt conſilia agenda, quoniam paruus error in principio , maximus in fine ; ſic modica radicis corruptio in totum arboris corpus effunditur , eò quòd in ſuo principio totius realitas continetur , Adde , quòd ſi minima negligas , paulatim defflues in maiora* . propter quòd Salomon. in Prou. dixit : *Audi conſilium , & ſuſcipe doctrinam , vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis ; nam & cogitationes conſilijs roborantur* : & paulò inferiùs addit . *Conſcriptum eſt Prou. 3. Ne ſis ſapiens apud temetipſum, & ne innitaris prudentiæ tuæ , quia dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt* : id ipſum deindè ſimilitudine oculorum , radiorum , & nautarum confirmans ſubdit : *Nonne plura vident quatuor oculi , quàm duo , & multiplicati radij plus illuſtrant ? maior certè facultas eſt plurium , & ratis pluribus nautis ſecuriùs gubernatur ; veruntamen cuius eſt conſilium ? nonne eſt ſapientiæ ? nimirum hæc , quæ abſcondit vni , reuelat alteri , et humilitatis amatrix , vt plurimùm rectum de agendis conſilium docet per alienum ; quòd ſi benè iudicaſti , teſte conſiliario adhibito , certior eris , & rectè in melius dirigeris, quantò igitur conſilium eſt ex pluribus, tantò ſalubrius exiſtit , quoniam vbi multa conſilia , ibi ſalus , ſic audiens ſapiens ſapientior erit , & intelligens gubernacula poſſidebit* : hæc Cirillus , de cuius Apologis ſparſim in hoc opere citatis videndum eſt , quid dicat Cornel. à Lapide in fine expoſitionis in Eccleſiaſticum. Aduertat tamen Generalis, quòd licèt pro rectè gerendo ſuo officio maximo indigeat conſilio, non ideò ab omnibus eſt petendum, ſed tantùm à viris probis , & aptis , & ab omni lucro , & commodo liberis , vt optimè demonſtrat Plutarc. in Moralib. *Gubernator* , inquit , *optimos quærit nautas , eoſque in conſilium adhibet , ita etiam Princeps eos aſciſcit Conſiliarios , qui ad Rempublicam adminiſtrandam maximè idonei ſunt , habitoque conſilio , & lento pede diſcuſſo, celeriter eſt exequendum* : iuxta præceptum Ariſt. 6. ethic. c. 9. *Celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum tardè* : & Lipſius ad libros polit. notæ. *Delibera tardè , niſi aliqua neceſſitas celeritatem requirat ; vbi conſulue-*

*ris , ſi nullum impedimentum ſit , maturè facito* : & Tacitus lib. 1. hiſtor. *Scelera impetu , bona conſilia mora valeſcere.*

6. Quart. ex eadem prudentia fluit , quòd Generalis à ſemetipſo credendi facilitatem abdicet; nam hoc inter omnia vitia, prudentiæ contraria eſt vnum , quod eſt ſummè cauendum , vt ait D. Bernard. ad Eugenium lib. 2. de conſiderat . c. 13. hiſce verbis : *Eſto , Eugeni vnum vitium , cuius ſi te ſentis immunem inter omnes , quos noui ex his , qui cathedras aſcenderunt , ſedebis , me iudice , ſolitarius , hoc eſt facilitas credulitatis , cuius callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis caniſſe verſutias , ex qua ipſiſſimet pro nihilo multæ naſcuntur iræ ; inde innocentium frequens addictio , indè præiudicia in abſentes , &c.* Ioannes in Extrauag. de pœnis ita ait : *Nos mala contra aliquem dicta , nolumus priùs credere , quàm probare* : hinc eſt , quòd Baldus in l. ſicut C. de fide iuſtit. inquit , de facili nemini eſſe credendum : & Rodriq. tom. 2. qu. 6. art. 8. ait: Toto cælo errare Iudices , & Prælatos , qui omnia facillimè credunt ; vndè Cyrill. lib. 1. Apolog. moral. c. 11. cuius titulus . *Diligentiori ruminatione omnia digeras, priuſquam agas* , hanc tradit regulam : *Non ſemel ſatis eſt rem agendam videre , ſed neceſsè eſt ſubtiliter eam pluries ruminare , ſicut quatuor digeſtionibus cibus præcoquitur , vt indè membris purior tribuatur* : verùm , eſto veriſſima ſit doctrina tradita , nihilominus inquit Rodriq. vbi ſupr. non debere eſſe penitus incredulos Prælatos , itaut omnes mentiri , & calumniari perſuaſum habeant ; nam credere debemus id , quod eſt veriſſimile , aduertentes , quòd inter credere , & non credere medium conſtitui poteſt , quòd eſt dubitare , vt ait Speculator tit. de depoſit. §. 6. atque illud medium , quod eſt inter vtrumque probare debent , vt cautè diſcernant , quod non quidue credendum ſit , in quo multùm operabitur naturalis in Iudice diſcretio .

7. Quint. ex hac prudentia prouenit , vt Generalis ſtudeat abſque maximis incommodis ſuum peragere , ac terminare officium ; idque non deſiderabitur , ſi curabit ; quantùm moraliter fieri poterit , vt ad ſupremas Prælaturas Prouinciarum non niſi homines ſanctitate , virtute , ac prudentia præditi eleuentur ; nam ſemper memoriæ mandare debet illud commune dictum : *Imperare vis ſecurè ? Iudices ſtatue bonos* . Quamobrem id eluceſcet , quandò toto conatu intendet , vt tantùm illi homines ſublimentur , qui duo habebunt ; Prim. vt tali aptitudine polleant , vt vnitatem , ac pacem , per quæ conſeruatur quælibet multitudo , propagare poſſint , quorum medium non eſt aliud , niſi iuſtitia , quæ vnicuique reddit quod ſuum eſt , & deſignatur à D. Thom. 5. polit. lect. 6. *Diſſoluuntur Reſpublicæ propter tranſgreſſiones iuſtitiæ , & ſaluantur per iuſtitiam , quæ iuſtitia fit per communicationem* : aliàs non ſunt cenſendi apti , neque iuſti pro multitudine regenda ; ideò S. Bernard. de conſideratione ad Eugenium lib. 3. cap. 4. ait . *Si iuſtitia eſt ius cuique ſeruare ſuum , auferre cuique ſua iuſto, quomodò poterit conuenire ?* Secund. vt ſub aliorum benè ſe geſſerint Imperio , & didicerint rectè Prælatis parere ; nam præceptum Ariſtotilis eſt 3. polit. c. 3. *Neminem benè imperare poſſe , qui non ipſe priùs ſub Imperio fuerit* : ſuper quem locum addit S. Thom. lect. 3. *Magnum principatum exercere addiſcit homo , & per ſubiectionem , & per exercitium in minoribus officijs , & quantùm ad hoc benè dicit ur in prouerbio , quòd non poteſt benè principari , qui non fuit ſub Imperio* : & Alb. Magn. lib. 3. pol. ca. 7. E. *Qui ſubeſſe non didicit , præeſſe minimè nouit* . hinc illa regendi præcepta omnium ore vulgata habentur . *Non poteſt benè imperare , qui malè ante ſeruiuit : Neſcit imperare , qui Imperium alterius ferre nequit. Tam malum eſt regere multos : quàm regere neminem . Alios regit feliciter , qui ipſe ſe regit . ſibi ipſi parere maximum Imperium omnium eſt . Qui ſe rexerit , totum Orbem rexerit . Regere poteſt nemo , niſi qui poteſt regi . Regi poteſt nemo , niſi regere qui poteſt . Nemo fert ſe regi ab ullo , qui ſe ipſum regere nequit . Qui modeſtè paret , dignus eſt , qui aliquandò imperet . Expertus vtrumque regi , quàm regere manult , promptiùs , pauca , & parua , quàm multa , & magna regat.*

8. Sext.

8. Sext. ex hac prudentia oboritur, quòd Generalis in negotijs arduis non ſit facilis ad determinandum, ſed ſumpto ad cogitandum ſpatio, omnia, quæ bonum promouere, malũq; præcauere poſſunt, circũſpicere debet; debet in quã cõſiderare eorum rationes, qualitates, modos, pericula, &c. & memor eſſe debet illius dicti Salomonis Prou. 19. *Et qui feſtinus eſt pedibus, offendet; nã qui ſapiens eſt, maturè, & leniè progreditur; qui inſipiens feſtinat, & præceps eſt*: vndè ſemper præ oculis habere debet illud vulgatum: *Feſtina lentè: & canis feſtinans cæcos parit catulos*: & verba Cirill. lib. 1. apolog. moral. c. 12. cuius titulus. *In omnibus ordinata grauitate procede: An ignoras*, inquit, *quòd ſæpè perditio à pede celeri deriuetur; nam mortalia omnia plena ſunt periculis; quarè vbiquè oportet cum grauitate incedere, vt poſſis ſtatuto pede vno, vbi ponendus eſt alius, ſalubriter prouidere: ſimiliter tarda ſapientia eſt hominibus; nam ſenſibus, membriſque mortalibus aggrauati ſapientiæ lumen abſconditum in altiſſimis ſitum longis temporibus vix attingunt, & quantò maturiùs eam quærunt, tantò ſecuriùs inueniunt*: quarè ſemper legat Generalis dictum Auguſti Cæſaris, teſte Suetonio in eius vita c. 25. *Nihil minùs Duci profectò conuenire, quàm feſtinationem*.

9. Septim. ex eadem prudentia enaſcitur, vt non omnia vitia ſint corripienda eadem menſura, imò aliqua ſunt diſſimulanda: legat Generalis verba S. Gregorij c. 10. 2. part. curæ paſtor. *Sciendum quoquè eſt*, inquit, *quòd aliquandò ſubiectorum vitia prudenter ſunt diſſimulanda, ſed quia diſſimulantur, indicanda; aliquandò, & aperta cognita, maturè toleranda, aliquandò verò ſubtiliter, & occultè preſcrutanda, aliquandò leniter arguenda, aliquandò autem vehementer increpanda: qua diſſimulatione benè Iudaam Dominus corripit, cum per Prophetam dicit. Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo, quia ego tacens, & quaſi non videns: & diſſimulauit ergo culpas, ac innotuit, quia & contra peccantem tacuit: & hoc ipſum tamen, quia tacuerit, dixit: nonnulla autem vel apertè cognita maturè toleranda ſunt, cum videlicet rerum minimè opportunitas congruit, vt apertè corrigantur; nam ſecta immaturè vulnera deteriùs inferueſcunt, & niſi cum tempore medicamenta conueniant, conſtat proculdubio, quòd medendi officium amittant, ſed cum tempus ſubditis ad correptionem quæritur, ſub ipſo culparum pondere patientia Præſulis exercetur; vndè benè per Pſalmiſtam dicitur: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores: ac ſi apertè dicat: quos corripere nequeo, quaſi ſuper impoſitum onus porto*: & infra *Nonnulla autem ſunt leniter arguenda, cum non malitia, ſed ſola ignorantia, aut infirmitate delinquitur; profectò neceſſe eſt, vt magno moderamine ipſa delicti correctio temperetur: ex ſe ergo debet vnuſquiſq; colligere qualiter aliena tunc oporteat imbecillitati miſereri; vndè Paul. ad Galat. 6. admonens ait: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis conſiderans te ipſum, ne, & tu tenteris; ideſt cum diſplicet ex aliena infirmitate, quod conſpicis, penſa, quod es, vt increpationis zelo ſe ſpiritus temperet, dum ſibi quoquè, quod increpat, timet: Nonnulla autem ſunt vehementer increpanda, vt cum culpa ab authore nõ cognoſcitur, quanti ſit ponderis ab increpantis ore ſentiatur, & cum ſibi quis malum, quod perpetrauit, leuigat; hoc contra ſe grauiter ex corripientis aſperitate pertimeſcat. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia dum ad increpationem ſe mens Doctoris exaſperat, difficile valdè eſt, vt non aliquandò, & ad aliquid, quod dicere non debet, erumpat; vndè neceſſe eſt, vt per lamenta veniam in conſpectu veritatis obtineat ex eo, quòd per nimium Zelum peccat*.

10. Octau. ex eadem prudentia emanat, vt in calumnijs aliquorum ſit patiens; non enim arbitretur Prælatus, quantacumque polleat ſanctitate, poſſe ſe omninò euadere inuidias, detractiones, & calumnias nonnullorum: ideò dicebat Chryſoſt. hom. 15. ad Timot. 1. c. 5. tom. 4. *Eſt enim Prælatus linguis innumeris propoſitus ad lacerandum; alius culpat; alius laudat; alius detrahit; alius memoriam; alius compoſitionem in ius trahit, magnaque ſibi conſtantia ad iſta tolerenda opus eſt*. Et ratio habetur ex Innocent. 3. in cap. Qualiter, & quandò 2. de accuſationib. affirmante Prælatos non poſſe omnibus complacere, cum

ex officio ſuo non ſolùm arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam verò ligare debeant; & ideò frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur, in quibus diffidendum non eſt; imò in labore, & ærumna, in fame, & ſiti laborandum, impendendo ſua, & ſe ipſos pro animabus.

# TRACTATVS TERTIVS DE CAVSARVM AVOCATIONE.

## DVBIVM CXVI.

*An Generalis ſubditorum cauſas pendentes coram Prælatis inferioribus, ac ordinarijs ad ſe auocare poſſit.*

### SVMMARIVM.

1. *Generalis eſt ſupremus Prælatus, & iuriſdictione ordinaria vtitur.*

2. *Quid ſit cauſarum auocatio, & habentur duo caſus ſoluti.*

3. *Recta ratio regiminis petit, vt Generalis poſſit cauſas auocare: & nonnullis obiectionibus ſatisfit.*

4. *Huiuſmodi auocatio abſque legitima cauſa fieri nequit.*

5. *Sine cauſa auocando cauſam, Generalis non eximitur à culpa lethali; & tria notatu digna notantur.*

1. Not. prim. quòd Supremus Prælatus Religionis dicitur, quia intra illam per ſubiectionem alium Superiorem non reſpicit, & omnes alios einſdem Religionis Prælatos ſibi habet ſubiectos, & hic communiter nuncupatur Generalis; eſto in aliquibus Religionibus nominetur Prior generalis, ſeù Miniſter, aut Præpoſitus generalis. Ita Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 2. n. 3. qui n. 7. ſequens Rodriq. tom. 1. qu. 17. art. 6. ſubdit eum frui iuriſdictione ordinaria in ſuos ſubditos. Ratio eſt, quia iuriſdictio, quæ conuenit alicui per electionem Collegij, vel Vniuerſitatis ad aliquod officium, cui vel natura ſua, vel virtute legis talis iuriſdictio conuenit, eſt ordinaria, & cum huiuſmodi ſit iuriſdictio Generalis; eligitur quippè ab Vniuerſitate Religioſorum ad officium ſupremum Religionis: igitur cenſenda eſt ordinaria, & non delegata, ideſt non ex commiſſione alterius: dicitur ad officium, quia non ſolùm requiritur electio, ſed electio ad Præfecturam, vel officium, cui annexa ſit iuriſdictio; nam in hoc formaliter conſiſtit ratio ordinariæ iuriſdictionis: videatur Suar. vbi ſupr.

2. Not. ſecund. cauſam auocatam eſſe dicendam, quam, dum pendet coram Prælato inferiori, abſque alia appellatione, ſeù prouocatione ſupremus Superior ad ſe auocat, vel trahit, ſeù deuoluit. Couar. pract. quæſt. c. 9. n. 3. referens Rebuff. in tract. de auocat. qu. 2. Marcheſan. de commiſſionibus p. 2. §. 1. c. 7. de commiſſ. auocat. Ex qua definitione colligitur, quòd, quandò cauſa non pendet coram inferiori Prælato, minimè dicetur auocari. c. Ad diſſoluendum de deſponſat. impub. l. decem ff. de verb. oblig. text. in ſpecie iſta in c. Eccleſia in 2. tit. ut. penden. Couar. vbi ſupr.

Pro

Pro rert nor. ſint illi duo caſus inter alios reſoluti à Couar. vbi ſupr. n. 2. Prim. eſt Epiſcopum poſſe ad ſe auocare cauſam pendentem coram ſuo Vicario. Ita Ioann.Imola in c. Paſtoralis. col. 2. de offic. ordin. Rebuff. in tract. de auocat. qu. 5. Couar. vbi ſupr. Ratio eſt, quia Epiſcopus ſolus, & liberè iuriſdictionem tradidit ſuo Vicario; & ideò poteſt libere commiſſionem reuocare, cum ſit idem tribunal Epiſcopi, & Vicarij, c. 2. de conſuetud. in 6. c. Romana in principio, de appellat. in 6. Secund. eſt Metropolitanum non poſſe cauſam ad ſe auocare ab Epiſcopo ſuo ſuffraganeo, cap. 1. de foro compet. in 6. Barboſ. in collect. DD. eod. cap. referens Abbat. Archid. Geminian. Ioann. Andream, & alios, Couarr. vbi ſupra n. 2. cap Roman. de offic. ordinar. videatur Barboſ. vbi ſupr. eod. cap. & de poteſt. Epiſcop. p. 3. alleg. 81. multos referens. Ratio eſt, quia non habet iuriſdictionem in ſubditos Epiſcopi, & licèt Epiſcopus ſit ſubditus Archiepiſcopo Metropolitano, ex hoc nõ ſequitur Archiepiſcopũ habere iuriſdictionem in ſubditos illius præter appellationes, cap. Romana. vbi ſupr. & colligitur ex Marc. Anton. Genuenſ. in praxi Archiepiſ. Neapolit. c. 70. n. 7. Quaranta in ſumm. Bullarij tit. Archiepiſcop. authoritas n. 12. Sigiſm. Scac. de appellat. qu. 8. ſub n. 98. Barboſ. in collect. DD. dict. cap. & Couar. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. CONgruum, imò neceſſarium eſt affirmare pro recta gubernatione Generalem auocare poſſe ad ſe cauſas ſuorum ſubditorum coram inferioribus Superioribus pendentes. Ita colligitur ex Suar. 4. de Relig tract. 8. lib. 2. c. 2. n. 22. & in terminis habetur ex Dian. 5. part. tract. 8. Miſcell. qu. 35. multos referente ſuppreſſo nomine, ex Paſqualigo in deciſ. moral. deciſ. 57. contra Portel. in dub. regul. tit. Prælati poteſtas in additione, & Leonem Zambellam in repertorio morali verbo Prælatus n. 4. Suadetur; ratio formalis, quarè Metropolitani nequeunt auocare ad ſe cauſas pendentes coram Epiſcopis ſuffraganeis, ea eſt, quia, ſecluſa appellatione, nullam habent iuriſdictionem in Epiſcoporum ſubditos: ergo quotieſcunque inuenitur iuriſdictio, & ſuper Superiorem immediatum ſubditorum, & ſupra ipſoſmet ſubditos, neceſſarium eſt concludendum fieri poſſe auocationem: nam, ablato impedimento, ſeu poſitis requiſitis, cauſa ſemper producit effectum: ſed Generalis iuriſdictionem poſſidet ratione obedientiæ voti ſupra omnes tam ſubditos inferiorum Superiorum, quàm ipſomet Superiores, vt optimè probat Suar. vbi ſupr. imò eſt eis ordinarius, vt dixi ſupra: ergo prorſus eſt arbitrandum poſſe Generalem ſubditorum cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis ad ſe trahere. Prætereà, ideò Epiſcopus ad ſe auocare cauſas pendentes coram ſuo Vicario poteſt, quia liberè eidem Vicario fuit conceſſa iuriſdictio; vndè ſequitur idem tribunal: ergo à Generali non eſt eximenda huiuſmodi poteſtas. Nec obſtat conſequentiam non ſubſiſtere; nam iuriſdictio Vicarij eſt ei commiſſa liberè ab Epiſcopo; ideò poteſt auferri; at iuriſdictio inferiorum Prælatorum non eſt ei tradita à Generali, ſed eſt annexa officio, quia, licèt veriſſimum ſit, quod dicitur, nihilominus votum obedientiæ, per quod omnium ſubditorum voluntates Generalis voluntati ſubijciuntur, & nequeunt eſſe efficaces, inquit Suar. vbi ſupr. n. 22. contra voluntatem ipſiuſmet Generalis, æquiualet illi, quod præſtare videtur libertas Epiſcopi in tribuendo iuriſdictionem Vicario; & proindè ex multis fuit dictum in dub. 181. in aliquo, caſu iuſta interueniẽte cauſa, poſſe Generalem eximere ſubditum ab obedientia, ſeù iuriſdictione ſui Prouincialis.

Dices, ſacri Canones id prohibent, vt patet in tert. not., & licèt loquantur de Metropolitanis, nihilominus Generales æquiparantur Patriachis, & Archiepiſcopis, vt benè aduertunt Rodriq. tom. 1. qu. 13. art. 5. cum ſuo compendio reſol. 68. n. 7. & Mirand. man. Prælat. p. 2. qu. 7. art. 1. concluſ. 1. Reſpond. quòd, cum ratio legis ſit anima ipſius, l. Cum pater §. dulciſſimus ff. de legatis 2. & docet Tiraquel. mult. ris citatis, tract. Ceſſante cauſa 1. p. n. 158. & l. ſi vnquam verbo libertatis n. 43. C. de reuocat. donat. & cum ratio huiuſmodi prohibitionis ſit, quia ſubditi Epiſcoporum

nequeunt

nequeunt eſſe ſubditi, appellatione ſeeluſa, Metropolitanorum; ideo Canonis prohibitio afficit tantùm Metropolitanos, & nō Ordinum Generales; ſubditi enim inferiorum Prælatorum ſubijciuntur etiam iuriſdictioni Generalium, & eorum ſubditi ſunt.

Dices, licèt Sancta Sedes Apoſtolica immediatè quaſcumque cauſas eccleſiaſticas iudicare poſſit, cap. Cuncta, cap. Hunc verò 9. qu. 2. eſt enim Summus Pontifex Ordinarius Ordinariorum, Flamin. de reſignat. benefic. lib. 8. qu. 7. n. 4. Ludouic. Gom. in proem. reg. Cancel. qu. 2. verſ. Conſidera etiam ſub n. 7. Camil. Bornel. in ſumm. omnium deciſ. tit. 4. n. 10. Barboſ. in collect. DD. in cap. Cuncta vbi ſupr. & habet pro propria diœceſi totum Orbem ex Gloſſ. verbo Priuata in cap. felici §. finali. de pœnis lib. 6. vndè Oldrad. conſil. 172. n. 4. ita loquitur: Eſt enim Sedes Apoſtolica tanquam mare, à quo omnia fluunt, & refluunt, exeunt, & reuertuntur, Vniuerſi curam habens, cui omnes aliæ ſubſunt Eccleſiæ, & tanquam à mari flumina exeunt, & redeūt; nihilominus ſtylus Curiæ ſeruat, vt omnes cauſæ ad forum Eccleſiaſticum ſpectantes coram Ordinario loci in prima inſtantia decidantur, & infra biennium terminentur: hoc idem ordinauit Concil. Trid. ſeſſ. 24 de reform. c. 20. quarè ordinatione Concilij munitus Leo Zambellus vbi ſupr. ait: Prælatus maior non poteſt auocare ad ſuum tribunal cauſam, quam incœpit Prælatus inferior in prima inſtantia, niſi fuiſſet interpoſita appellatio talis grauaminis, quod ſufficeret pro huiuſmodi auocatione: ſint ergo Prælati cauti, & recordentur doctrinæ Concil. Trid. nec ſe ingerant in cauſis ſpectantibus ad immediatos Superiores; ſed ſi cognoſcant neceſſitatem, ad ſummum aſſignent collegam, qui vnà cū Prouinciali cauſam expediat. Reſpond. ſtylum Curiæ non efficere Regulares, quin poſſint cauſas auocare, neque Concilij ordinationem; nam illud decretum, inquit Diana vbi ſupr. nihil innouat quoad Regulares, vt ex Sacr. Congregat. & ex Aldereto, Riccio obſeruat, & docet Nauarr. in nouo iure Pontificio concl. 54. n. 12.

Dices, per huiuſmodi auocationem conturbatur Religio, & omne rectè regulatum regimen; nam, ordine reſecato in quacumque communitate, omne tollitur bonum. Reſpond. obiectionem eſſe veram, ſi auocatio abſque iuſta cauſa fieret: falſam verò, iuſta interueniente cauſa, quia, ea orta, magis conſulitur per auocationem paci Religionis, eiuſque regulato regimini; occurritur enim inquietudini ſubditorum, tam intra, quàm extra Religionem: intra, conſeruando pacem internam, & externam cum omnibus, abdicando murmurationes, & querelas, & contentiones: extra, non petendo alia tribunalia, quorum occaſiones, experientia teſte, ſequuntur multa incommoda in damnum totius corporis Religionis: occurritur etiam, vt cæteri Superiores cauti ſint, ne ex propria malitia, ſeù alia quacunque cauſa, quæ euitari poſſit, exciterur ſufficiens cauſa pro auocatione facienda.

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. Ergo, Generalis auocare poſſit cauſas pendentes, nihilominus abſque legitima cauſa, vt iam dixi, id facere nequit. Ita Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 61. & colligitur ex Suar. vbi ſupr. c. 2. n. 21. tum quia inferiorum Superiorum iuriſdictio eſt propria ipſorum, & habet ius in re, licet ſit ſubordinata Generali, tum quia authoritas Generalis non eſt ſecundum arbitrium voluntatis ſuæ, ſed ſecundum rationem, & in ordine ad communitatis bonum; nam ſubditi ſe obligarunt per votum obedientiæ, & per profeſſionem inſeruire Religioni, & non arbitrio Superioris, vt dixi in 3. oot. dub. 7. prim. centur. tum quia, licèt poſſit coarctare authoritatem inferiorum Superiorum, vt docet Suar. vbi ſupr. n. 22. Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 57. & Tamburin. de iure Abbatum tom. 1. diſp. 2. qu. 3. n. 3. nihilominus nequit, huiuſmodi facultatem exercere pro nutu ſuo, niſi ſecundum rectas regulas in ordine ad bonum Religionis, cui ſe obſtrinxerunt ſubditi inſeruire, vndè ob eius bonum, ne confuſio oriatur, & pax perturbetur, in auocatione neceſſariò interueniſe cauſa debet.

TER-

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. Generalis auocans huiuſmodi cauſas abſque cauſa nequit eximi a lethali culpa. Ita Suar. & Paſquali g. vbi ſupr. probat Suar. ex eo, quod agit contra charitatem, quia non ſe gerit cum proximo iuxta illam primam regulam operandi. *Quod tibi non vis fieri alteri, ne feceris*: & facit contra iuſtitiam legalem, quia peruertit ordinem inſtitutum ad communitatem dirigendam. Paſqualig. verò approbans doctrinam Suarez, addit Generalem peccare contra iuſtitiam, quia, quamuis Regulares ratione voti obedientiæ transferant ius proprium in Religionem, transferunt tamen ſecundum menſuram ſuæ regulæ, vnde cū regula faciat aliqua propria perſonarū, vt ſunt adminiſtrationes, officia, Prælaturæ, & alia huiuſmodi, cenſentur retinere ſibi ius ad ea accipienda tanquam propria; & ideò ſecundum ipſa poteſt exerceri inter Regulares iuſtitia, & poſſunt inuicem ſe lædere contra iuſtitiam; proindè auocans Generalis cauſam abſque cauſa lædit ius illorum, à quibus auocatur, quod illis, vt proprium à Religione cōceditur. Probo ego ex eo, quòd peccat peccato vſurpationis iuriſdictionis; Prælati enim nequeunt exercere iuriſdictionem in ſubditos, niſi in ordine ad rectam gubernationem, & bonum commune: vide, quæ dixi in dub. 7. prim. centur. ex mente multorum DD.

Pro fine quæſiti tria ſunt addenda. Prim. cum Diana vbi ſupr. eſto recta gubernatio regiminis Regularium poſtulet, vt aliquandò pro bono pacis Ordinis conueniens ſit auocare cauſas ad defendendum innocentem ſubditum, vel ad conſolandum afflictum, vel propter alios fines ſimiles, non tamen id eſſe paſſim faciendum. Secund. cum Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 59. Prouincialem poſſe etiam ad ſe auocare cauſas Prælatorum inferiorum ſibi ſubditorum. Tert. cum Suar. vbi ſupr. num. 26. ita loquente: Primum aduerte, quia in multis Religionibus, etiamſi Generales, vel Prouinciales habeant regimen, non eſt ſimpliciter Monarchicum, præſertim in rebus grauioribus, in quibus Generales, vel Prouinciales nihil validè poſſunt ſtatuere ſine concurſu ſuorum Definitorum, aut quouis alio nomine vocentur, qui deſinitiuum ſuffragium in huiuſmodi negotijs habent: igitur quoad hoc non poſſum regulam generalem ſtatuere, ſed ſpectanda eſt conſuetudo, vel inſtitutio vniuſcuiuſque Religionis, & iuxta modum eius applicare, quę hactenus dicta ſunt. Eademque ratione addita eſt altera limitatio; nam hæc poteſtas ſiue conferatur immediatè à ſummo Pontifice, ſiue mediante Religione, & generali Capitulo eius, vel per ſupremum Superiorē ad medios deſcendat, ſępè non datur abſolutè, ſaltem quoad plures actus ex dictis, ſed cum reſtrictione, & obligatione ſeruandi talem formam, & modum, vel cum aliqua dependentia ab ipſo concedente, aut ſimili alio modo, & tunc facultas non excedit conceſſionem: idèoque etiam quoad hāc partem conſulenda ſunt priuilegia, & ſtatuta Religionum, vt ſecundum ea limitentur omnia quæ diximus; nam illa procedunt per ſe, & quantùm eſt ex iure communi, & ex natura ſua, & modo talium iuriſdictionum; non eſt tamen dubium, quin iura ſpecialia poſſint multa addere, quæ hîc à nobis non poſſunt conſiderari, ſed ad ſingulas Religiones id pertinebit. hæc Suarez.

## DVBIVM CXVII.

*An cauſarum auocatio facta à Superioribus maioribus abſque cauſa cenſenda ſit inualida.*

### SVMMARIVM.

1. *Qvid ſit iuriſdictio: quæ in ordinariam, & delegatam diuiditur, & ordinaria eſt duplex.*

2. *Varijs rationibus ſuadetur auocationem à Generali factam abſque legitima cauſa eſſe inualidam; & tribus obiectionibus ſatiſfit.*

1. Not. quòd ſecundum S. Sylueſtr. iuriſdictio ſic definitur: Eſt facultas quædam ei conceſſa, qui iuridicendo præeſt, qua commiſſa intelliguntur omnia conceſſa, ſine quibus explicari non poteſt. ff. de iuris. om.

om. iud. l. 2. Quædam eſt ordinaria, & quædam delegata: ordinaria verò diuiditur in voluntariam, quandò ſcilicet nemo ſe opponit, quæ exerceri poteſt omni tempore, & loco. ff. de adopt. l. Emancipari. & in contentioſam, ſcilicet quandò litigatur, quæ expediri non poteſt à Iudice procedente, ſeu ſedente non pro tribunali, nec diebus feriatis, nec de nocte: deficiente ergo iuriſdictione deficiunt validitates actuum, & inſurgunt nullitates; quarè Azin in praxi florentina §. 31. c. 32. Caualc. conſil. 28. à n. 46. dicunt ſummè eas eſſe attendendas; nam defectus iuriſdictionis dicitur inſanabilis, vt obſeruat Æmilius Verall deciſ. 38. n. 2. lib. 3. Camil. Borell. in ſumm. omnium deciſ. tit. 41. n. 12.4. Barboſ. in collect. DD. tit. de crim. falſit. cap. Super eo, & eſt legibus adeò exoſus, vt, ſi quis iuraſſet de nullitate non oppoſiturum, nihilominus hanc nullitatem ex defectu iuriſdictionis opponere poterit, vt ex Felin. & alijs colligit Crauet. conſil. 383. n. 16. & reſoluit Anton. Gabr. tom. 3. commun. opinion. lib. 6. de ſtatutis concl. 3. n. 7. pag. mihi 355.

CONCLVSIO.

2. Auocatio à Generali facta abſque cauſa prorſus eſt cenſenda inualida. Ita Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 63. Quæ concluſio firmatur contra Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 2. n. 25. cuius ſententia ſuſtineri nequit. Suadetur primò ex eiuſdem doctrinis: ſi eſſet ſuſtinenda tanquam valida, maximè quia per huiuſmodi auocationem non caret iuriſdictione ad talem actum exequendum; ſed hoc videtur falſum: ergo: nam Doctor. 3. de Relig. lib. 6. c. 2. n. 4. inquit de ſubſtantia profeſſionis religioſæ eſſe traditionem, quam Religioſus facit de ſe ipſo Religioni: ergo iuriſdictio neceſſariò reſidens in Prælato ſupra ſubditos oritur ex obligatione facta Religioni; ſed dum auocat modo deſcripto cauſas, non exercet iuriſdictionem in ordine ad Religionem, ſed in ordine ad ſe ipſum, & ad proprium arbitrium, cui ſubditi non ſe ſubiecerunt, niſi in ordine ad bonum Religionis, vt dicit idē Suar. ergo exercet actus abſq; iuriſdictione: ergo inualidè. Nec obſtat inferiùs n. 6. demonſtrare ſubditos ſe tradere etiam Prælato, dum habet hæc verba: Vt aliquis in ſtatu religioſo conſtituatur, non ſatis eſt, vt quomodocumquè promittat, ſed neceſſe eſt, vt ſe priuet iure, quod in ſeipſum habet in ordine ad actiones, & ad omnia ſua, illudque transferat in alterum, quia n. 15. oſtendit traditionem, quam faciunt ſubditi Prælato, eſſe quatenus gerit vicem Religionis, vndè nullum commodum, neque vtilitatem in ordine ad ſe ipſum elicere poteſt ex obedientia ſubditi, ſed tota in ordine ad Religionem, & ad cultum Dei diſponitur: audiamus eius verba: Religioſus, licèt ſe tradat Prælato Religionis, non tamen in eius vtilitatem, ſed in cultum Dei. Secund. DD. in hanc propoſitionem concordant ſubditos iuxta votum obedientię teneri obedire Prælato intra limites Regulæ promiſſæ, & id præſertim à Suarez 3. de Relig lib. 10. c. 8. n. 5. ſtatuitur in cōcluſione hiſce verbis: Dico ergo, ex voto obedientiæ ſolùm tenetur vnuſquiſq; Religioſus obedire Prælato iuxta profeſſionem ſuæ regulæ, ideſt intra limites regulæ & adducit illud pronuntiatū D. Bernardi lib. de præcept. & diſpenſat. c. 7. vbi inquit. *Is, qui profitetur, ſpondet quidem obedientiam non omnimodam, ſed determinatam ſecundum regulam*: ergo poteſtas, ſeu iuriſdictio Prælati in ſubditos oritur ex voto obedientiæ, ac proindè coarctatur intra limites regulæ promiſſæ, & non vltra; vndè Suar. 3. de Relig. lib. 2. c. 18. n. 5. loquens de poteſtate dominatiua ait: Poteſtas dominatiua in Prælato non pertinet ad claues, nec à Chriſto deſcendit per ſpecialem donationem Eccleſiæ factam, ſed orta eſt radicaliter à voluntate profitentium talem regulam, & ſe donantium Religioni cum promiſſione, & obligatione obediendi ſecundum illam: ſed nulla Regula dat tantam iuriſdictionē Prælatis, vt vtantur ſubditis, eorumque actionibus in proprium commodum, ſeu libertatem, niſi in ordine ad bonum Religionis, vt dixi ſuperiùs ex mente Suarez in primo argumento, & repetit 3. de Relig. lib. 2. c. 18. n. 6. hiſce verbis: Vſus autem illius iuris eſt gubernatio perſonæ Religioſi, ſeu applicatio illius ad hæc, vel illa opera cum efficacia moraliter requiſita ad bonum Religionis, & Religioſi: ergo auocatio facta ſine cauſa, iuriſdictionis de-

fectu, erit nulla; nam certè nullum bonum promoueret, neque in ordine ad Religionem, neque in ordine ad ſubditos. Tert. ſuadetur ex eo, quòd Prælati non ſunt Domini, ſed adminiſtratores: at ſi valida eſſet cauſarum auocatio abſque legitima cauſa, eſſent Domini, quia de ratione domini eſt poſſidere ius habendi, poſſidendi, fruendi, & vtendi aliqua re pro libito voluntatis: ergo Suarez ſuſtinere nequit auocationis validitatē abſque cauſa.

Dices, voluntas maioris Prælati abſolutè loquendo eſt potentior, & nulla lex inuenitur, quæ huiuſmodi auocationē abſque cauſa factam irritet. Ita loquitur Suar. 4 de Relig. lib. 2. c. 2. n. 24. Reſpond. voluntatem Generalis eſſe potentiorem intra limites ſuæ iuriſdictionis, & licèt non inueniantur leges particulares annullantes tale factum, & reſtrictionē, Infinitæ aliæ inueniūtur in Generali, quæ irritātiones actus iuriſdictionis defectu: videātur DD ſuperiùs relati in notādo, quid dicant de nullitate ex iuriſdictionis defectu,

Dices, bonum commune poſtulat, vt timeatur huiuſmodi auocatio; vndè, licèt inſurgat aliqua iniuria Superiori inferiori, eò quòd fit abſque cauſa, non eſt conſideranda. Reſpond. falſum eſſe id ſpectare ad bonum commune; imò ad eius deſtructionem, quia bonum commune Religionis petit, vt ſeruetur iuſtitia, quæ læditur, quandò iuriſdictio intra ſuos limites non exercetur, vndè cętera omnia, licèt iniuſta in hoc reſolui poſſet (tolerāda ſunt propter bonum cōmune) quod tamen cederet in eius totale exitium.

Dices, aliqui DD. ſuſtinent reſeruationē peccatorum abſque cauſa validam eſſe: ergo etiam huiuſmodi auocatio eſt ſuſtinenda tāquam valida. Reſpond. DD. illos inſpicere illam reſeruationem tanquam validam, quia admittunt iuriſdictionem in Prælatis abſque cauſa reſeruationem peccatorū facientibus, quod non contingit in caſu noſtro; nam nullus Doctor concedit dominium in ſubditos, niſi ſecundum præſcriptum modum regulæ.

## DVBIVM CXVIII.

*An acta Iudicis inferioris facta poſt auocationem cenſenda ſint valida.*

### SVMMARIVM.

1. *QVatuor modis habentur, quibus fieri poteſt auocatio.*

2. *Nullius roboris ſemper cenſenda erūt acta facta à Iudice inferiori, etiā abſq; decreto irritāte poſt auocationē: habetur quadā limitatio.*

3. *Geſta Iudicis inferioris etiam ignorantis auocationem cum decreto irritante poſt auocationem ſunt inualida.*

4. *Per Iudicem inferiorem geſta etiam ignorantem cum decreto irritante ad inſtantiam partis per auocationem cauſa, non ei intimata, nullius roboris habenda ſunt.*

5. *Auocatio facta abſque decreto irritante, motu tamen proprio, non reddit omninò nullum, quidquid poſt illam fuerit actum à Iudice inferiori.*

1. Quatuor modis id contingere poteſt. Prim. cum fit auocatio abſque decreto irritante. Secund. cum decreto irritante. Tert. licèt fiat auocatio cū decreto irritante, nihilominus huiuſmodi auocatio obtinetur ad inſtantiā partis. Quart. cū auocatio cauſæ fit motu proprio abſque decreto irritante.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. ACta Iudicis inferioris facta poſt auocationem abſque decreto irritante prorſus cenſenda ſunt nullius roboris, & valoris, cap. Vt noſtrum de appell. cap. Paſtoralis de offic. deleg. Lancellot. de attentat. 2. part. c. 10. poſt auocationem cauſæ, Barboſ. in collect. DD. eiſdem cap. citatis multos referens; nam quandò Superior apponit manus, inferior non poteſt ſe intromittere, ceſſat enim omnis eius iuriſdictio, cap. Vt noſtrum. vbi ſupr. & notant Marant. diſp. 6. n. 21. Rebuff. tom. 3. ad leges Galliæ tract. de auocationib. n. 110. Barboſ. in dicto cap. Vt noſtrum. Quæ concluſio etiam eſt extendenda ad acta poſt auocationem tacitam, quæ reſultare videtur ex eo, quod Superior appoſuit ſe velle cognoſcere cauſam, vt notat, & tradit Innocent. & alij, quos citatos ſequitur Lancellot. vbi ſupr. n. 9. referens quandam limitationem, prout videre eſt apud ipſum. Verùm doctrina tradita ſemper erit intelligenda, vt non procedat, quandò Iudex, aut partes non habuiſſent auocationis notitiam, quia, ſtante ignorantia, eius geſta ſunt valida, vt de geſtis per Iudicem ante notitiam reuocationis tradit Pariſ. coſil. 40. & Lancellot. vbi ſupr. n. 21.

S E-

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. GEſta Iudicis inferioris etiam ignorantis auocationem facta cum decreto irritante poſt auocationem, ſunt omnino inualida. Id communiter docent DD. præſertim Couarr. c. 9. pract. quæſt. n. 7. Lancell. vbi ſupr. n. 27. referens multos alios cum Gloſſ. in c. 1. de conceſſ. præbendæ in 6. Barboſ. eodem c. in collect. DD. vnde communiter dicitur, quod decretum irritans habet in ſe implicitam inhibitionem: videatur Lancell. vbi ſupr. n. 28. ex Caſſad. Ratio concluſionis eſt, quia, quando ponitur clauſula irritans, ſtatim ſortitur effectum, & afficit prohibitione etiam ignorantes, & inſcios, quod notant DD. in cap. Si beneficia. de præbend. in 6. & in cap. 2. de conſtit. & habetur ex Anton. Felin. Imol. quos citatos ſequitur Couarr. vbi ſupr.

*TERTIA CONCLVSIO.*

4. GEſta per Iudicem inferiorem etiam ignorantem cum decreto irritante ad inſtantiam partis poſt auocationem cauſæ, non ei etiam intimatam; nullius roboris habenda ſunt. Ita Couarr. vbi ſupr. n. 7. Ratio in promptu eſt, quia adeſt decretum irritans, quod ſemper retinet vim annullandi, cum innitatur eidem poteſtati; & iuriſdictioni, ſiue fiat ad inſtantiam partis, ſiue non. Quæ concluſio ſemper erit intelligenda, modo pars impetrans vellit vti reſcripto, per quod fuit facta auocatio; nam parte nō vtente reſcripto, decretum irritans non annullat geſta per Iudicem. Ita Domin. in cap. 1. §. ex parte de conceſſ. præbend. in 6. Felin. in cap. Cæterum n. 18. de Reſcript. Dec. n. 6. ibid. Couarr. vbi ſupr. Lancell. vbi ſupr. n. 14. Ratio videtur eſſe, quia voluntas Principis eſt, vt decretum amittat vires, ſi eidem renuntiauerit, qui id à Principe in proprium fauorem obtinuit. Nec obſtat non poſſe hominem renuntiare fauori Principis ad ipſius hominis inſtantiam emanato, dum fauor continet decretum irritans vnà cum hiſce verbis, quidquid in contrarium actum ſit, quia falſum eſt; nam doctiſſimus Couarr. de pactis in 2. part. §. 2. n. 6. ſuſtinet ſententiam affirmatiuam; eamque roborat varijs teſtibus, & DD.

*QVARTA CONCLVSIO.*

5. AVocatio facta abſque decreto irritante, motu tamen proprio, non reddit omnino nullum, quidquid poſt illam fuerit actum à Iudice inferiori. Ita ſentiunt Felin. Dec. Abb. in cap. Cæterum de Reſcript. Præpoſit. in cap. Vt noſtrum. de appellat. Innoc. in cap. de conceſſ. præbend. in 6. Couarr. vbi ſupr. multa dicens; & teſtatur de communi opinione aduerſus Pan. Imo Franc. aſſerentes motum proprium habere hanc vim annullandi quidquid poſt auocationem factum fuerit à Iudice inferiori, etiam ignorante; ſed falluntur, vt optime inſinuat Couarr. loc. cit. cum nullibi in iure tantus huius motus proprij effectus probetur: videantur Couarr. & Lancellot. vbi ſupr.

## DVBIVM CXIX.

***Nonnulla notantur, ſpectantia ad auocationis materiam.***

### SVMMARIVM.

*1. DVm ab inferiori Prælato fit auocatio, non eſt opus eum audire.*

*2. Supremus Prælatus cauſam auocando non tenetur exprimere motiuum auocationis, erit tamen congruum.*

*3. Per auocationem factam motu proprio, vt ceſſet iuriſdictio inferioris Prælati; non requiritur ſolemnis exhibitio auocationis cauſa.*

*4. Poſt auocationem expreſſam factam ad partis inſtantiam, vt ceſſet iuriſdictio inferioris Prælati debet ipſa Iudici ſolẽniter exhiberi.*

1. Prim. Prælatus inferior nō eſt audiēdus priuſquam cauſa ab ipſo auocetur. Ita ſentit Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 64. quia Prælatus ſupremus auocando ad ſe cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis non procedit per modum iudicij, ita vt debeat citare partem, audire defenſiones, &c. ſed operatur ſecundum propriam authoritatē,

per quam reſtringere poteſt authoritatem inferioris tanquam ſibi ſubordinatam, vndè ſufficit, quod habeat cauſam auocandi, vt validè, & licitè procedat. Nec obſtat, Generalem auocando cauſam peccare contra iuſtitiam: ergo ne inſurgat aliqua iniuſtitia, audiri debet Prælatus inferior, quia, licèt auocatio abſque cauſa ſit actus iniuſtitiæ; non ideò auocatio cum cauſa cenſendus eſt actus iniuſtitiæ, ſed actus ſuperioris ordinis, & reducitur ad iuſtitiam legalem. Nec obſtat Prælatum habere ius defendendi ſuam iuriſdictionem: ergo, antequam ea reſtringatur, audiri debet, quia non eſt ſua liberè, & abſque dependentia, ſed cū dependētia; vndè poteſt eā tueri, quatenus ſua eſt, non eam ſibi vindicare contra illum, cui ſubijcitur, ita vt velit impedire, ne circa ipſam ſupremus Prælatus vtatur ſua ſuperiori poteſtate; hoc enim eſſet vindicare ſibi vt proprium, quod eſt alienum.

2. Secund. Prælatus ſupremus auocando cauſas ad ſe ab inferiori non tenetur exprimere cauſam, ob quam auocat. Ratio deſumitur ex eo, quod à DD. præſertim à Couarr. c. 9. pract. quæſt. n. 4. verſ. His equidem; & Lancell. de attentatis poſt auocationem cauſæ 2. p. c. 10. referentibus multos alios, admittitur auocatio tacita, in qua non exprimitur cauſa, aliàs eſſet expreſſa, & non tacita. Quæ auocatio tacita ſit, inquit Lancell. citans Innoc. vbi ſupr. cum cauſa pendens coram Iudice ordinario alteri delegatur, vt habetur ex cap. Cæterum. ex cap. Paſtoralis. §. vltimo de reſcript. & ex cap. Sanc. 2. de offic. Delegat. Poteſt etiam addi alia ratio, quia Superior non tenetur reddere rationem ſuarum actionum coram inferioribus; non eſt enim iudicandus ab eis; erit tamen congruum dicere eis ſe iuſtis de cauſis moueri: videatur Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 65.

3. Tert. ad hoc, vt ceſſet iuriſdictio inferioris Prælati per auocationem factam motu proprio, non requiritur ſolemnis exhibitio auocationis cauſæ, ſed ſufficit quæuis notitia. Ita elicitur ex Felin. in cap. Cæterum. n. 11. & 37. ex Abb. ex Dec. n. 7. eodem cap. ex Couarr. n. 8. vbi ſupr. nam eò ipſo, quod auocatio eſt nota, operatur effectum ſuum. Nec obſtat Iudicem publico modo, & ſolemniter poſſidere iuriſdictionem; ideò ſolemniter eſt ea priuandus, quia ſequeretur Principem nunquam poſſe ſuſpendere iuriſdictionem inferioris abſque ſolemnitate, quod eſt pluſquam falſum.

4. Quart. vt ceſſet iuriſdictio inferioris Prælati poſt auocationem expreſſam factam ad inſtantiam partis ea vti volentis, ipſa ſolemniter Iudici exhiberi debet; aliàs ei non aufertur iuriſdictio, quarè eius acta ſemper valebunt. Ita affirmant Innoc. Cardinal. Felin. Anton. in cap. Cæterum de reſcript. Abb. eod. cap. & cap. Audita de reſtit. ſpoliat. Dec. conſil. 295. Bald. in l. Mandatum. C. Mand. & alij, quos citatos ſequitur Couarr. vbi ſupr. n. 9. Ratio habetur, quia eſt in poteſtate partis, ad cuius inſtantiam fuit interpoſita auocatio ea vti, ideò nequit operari effectum ſuum, niſi ſit priùs exhibita ſolemniter, maximè quia, dum pars non exhibet auocationem, cenſetur ea nolle vti, vndè valere debent acta Iudicis inferioris.

# TRACTATVS QVARTVS DE DENVNTIANDIS AD EDICTA SVPERIORIS.

## DVBIVM CXX.

*An ad Prælati edictum teneatur ſubditus denuntiare, vel teſtificari, ſi tanquam teſtis interrogetur, fratris delictũ, quod ei eſt detectum pro conſilio, vel remedio capiendo, vel ſub ſigillo ſecreti conſignatum.*

### SVMMARIVM.

1. *Habetur quadam diſtinctio peccatorum: habetur quoquè delictum alicuius commiſſum ſub ſecreto, quod vergit in damnum communitatis, ſeù tertij, teneri ad Superioris edictum id aperire: duæ tamen limitationes deſignantur, adhibita etiam tertia in tertio not.*

2. *Subditus ſub mortali abſtinere debet à criminis manifeſtatione ad Superioris edictum, quandò eſt ei manifeſtatum cauſa petendi conſilij, vel remedij, tam in ordine ad animam, quàm ad corpus: & duabus obiectionibus ſatisfit.*

3. *Doctrina tradita ſemper eſt intelligenda de quacumque manifeſtatione ſeù paterna, ſeù ad vindictam.*

4. *Qui non tenetur reuelare delictum, nec quoquè tenetur ſe abſtinere à præſtando iuramento, Superiore præcipiente, dummodò aliqua vtatur reſtrictione in mente.*

Pro intelligentia ſit prim. not. quòd Caſtrus Palaus de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 13. part. 1. ex ſenſu multorum DD. diſtinguit peccata: quædam, inquit, ſunt, quæ in damnum ſolius peccantis cedunt; quædam, quæ in damnum tertij: & quædam, quæ in damnum communis: inter prima deſcribuntur ebrietas, conſuetudo vexandi, &c. iſta enim ſolùm lędunt delinquentem: inter ſecunda, adulterium, homicidium, furtum, detractio, ſollicitatio ad turpia: inter tertia, quæ lædunt communitatem, vt ſunt in temporalibus, proditio, inſtitutio falſæ monetę, ſubornatio ad officia, ex qua ſequitur ea conferri dignis, omiſſis dignioribus; imò dari indignis: in ſpiritualibus, vt falſa doctrina, qua fides, vel mores corrumpuntur.

Not. ſec. quòd, ſi delictum commiſſum à fratre vergat in damnum communitatis, ſeù tertij, tenetur ſubditus ad Superioris edictum quocumque modo ſit acceptum, etiam ſub iuramento promiſſo (modò non ſit confeſſum in ſacramentali confeſſione, quia ſub hac forma, eſto Reipublicæ ſalus penderet à manifeſtatione, non eſt aperiendum) illud aperire. Ita Leſſ. de iuſtit. lib.

lib. 2. c. 30. dub. 6. nu. 45. Sayrus lib. 12. c. 14. nu. 29. Caſtr. Pala. vbi ſupr. punct. 14. nu. 4. Sanch. 2. opuſc. 2. lib. 6. c. 2. dub. 20. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 38. ſect. 2. nu. 37. Nauarr. c. 25. n. 44. & c. Inter verba corol. 65. nu. 805. & alij inferiùs citandi in concluſione. Ratio eſt, quia promiſſio, & iuramentum non ſunt vinculum iniquitatis, quod certè videretur, ſi ob iuramentum damnum communitatis, & tertij non impediretur, quia etiam ille, qui intendit alium damnificare, meretur, vt ſibi fides, & promiſſio frangatur. Limita primò, modò non velit ab inferendo damno ceſſare; nam ſi ceſſat, dicunt Clauis Regia, Lugo, & Caſtr. Pala. vbi ſupr. ceſſare videtur obligatio manifeſtandi, quia, cum ceſſet in caſu cauſa finalis præcepti, ceſſare etiam debet obligatio loquendi, ac proindè conueniens eſt, vt fama proximi illæſa conſeruetur, nec ſubditus tacendo cenſendus eſt periurus, aut excõmunicatus, ſi ſub cenſura iubetur manifeſtatio: ita etiam docet Baſſæus in ſumm: tit. Denuntiatio, referens alios. Limita ſecondò cum Nauarr. & Sanch. vbi ſupr. modò alia via damno illi conſuli nequeat; imò tunc tantùm eſt detegendum, prout neceſſarium fuerit ad damnum impediendum.

Not. tert. quòd ſicut duplici via ſciri poteſt delictum; ita ſi alia habeatur cognitio delicti, quàm ſit cognitio per ſecretum, illud eſt aperiendum ad Superioris edictum iuxta inferiùs notanda; nam hoc modo non eſt detegere ſecretum, quia denuntiator vtitur ſcientia illa habita extra ſecretum; ſicut peccatum habitum in confeſſione non obſtat, quominus detegi poſſit, ſi alia via ſciatur, vt dicunt DD. ita à fortiori de ſecreto eſt dicendum. Ita Nauarr. vbi ſupr. n. 442. Cordub. inferiùs citandus, & Sanch. vbi ſupr.

*CONCLVSIO.*

SVbditus præcipiente, & iubente Superiore ſub grauiſſimis pœnis; vel in virtute ſanctæ obedientiæ; vel ſub excomunicationis pœna; quandò ei delictum eſt reuelatum cauſa petendi conſilij, vel remedij in ordine tam ad animam, quàm ad corpus, ſeù famam, etiamſi tanquam teſtis interrogetur, & præcedat ſemiplena probatio, & etiam ſi ei ſpecialiter præcipiatur, vt dicat quidquid ſcit de tali, vel tali delicto, non tenetur illud manifeſtare, aut denuntiare, imò lethaliter peccare dicendus eſt, ſi delictum detegit. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur ex mente Clauis Regiæ, Sanch. Lugo. Caſtr. Pala. Leſſ. Nauarr. vbi ſupr. D. Thom. 2.2. qu. 70. art. 2. ibid. Caiet. & præſertim loquendo de Religioſis quodlibet. 1. art. 1. S. Antonin. 2. part. tit. 1. c. 19. §. 7. ne Petr. Nauarr. lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 222. Fagund. in 8. præcept. Decal. lib. 8. c. 51. n. 2. Cordub. lib. 1. qu. 43. dub. 2. & in ſumm. qu. 64. Trullẽch in oper. moral. lib. 8. c. 3. dub. 2. n. 2. & aliorum ab ipſis DD. relatorum, quia Superioris præceptum eſt de iure humano; ſeruare autem ſecretum eſt de iure naturæ, & illud nequit iſti præponderare; imò ſubijcitur, vt fatentur omnes: ergo abſtinendum eſt à quacumque manifeſtatione ſub quacumque pœna præcepta, præſertim quia Prælatus nullum habet ius ad inquirendum peccata illa, quæ ſola ſecreti via ſciuntur. Præterea, omnibus incumbit onus bonum commune tuendi, vt inquiunt DD. ſed ſi ad edictum Superioris inſurgeret obligatio ſubdito aperiendi delictum ſub ſecreto naturali commiſſum, non tueretur bonum commune, quod per hoc propagatur, vt inquiunt Leſſ. Fagund. Lugo. & Caſtr. Pala. vbi ſupr. multùm enim iuuat ad commercium vitæ humanæ: ergo. Secund. pars habetur ex ſenſu Nauarr. Cordub. Fagund. vbi ſupr. quia maxima irrogatur iniuria proximo, bonoque communi; imò ſecundum Fagund. Nauarr. Caſtr. Pala. alios referentem inſurgit obligatio reſtituendi damnum illatum; eſt enim peccatum contra iuſtitiam.

Dices, Iudex habet poteſtatem interrogandi, modò iuridicè interroget, ideſt poſt ſemiplenam probationem, quia eſt legitimus Superior: ergo ſubditus ad edictum legitimi Superioris tenetur reſpondere veritatem, eique delictum manifeſtare. Ita ſentiunt Sot. de tegend: ſecret. membr. 2. quæſt.

qu. 7. & alij apud Sanch. vbi ſupr. Reſpond. cum Fagund. vbi ſupr. Superiorem in tali caſu non eſſe legitimum, neque poſſidere aliquod ius ad inquirenda delicta, quæ ſub ſecreto committuntur.

Dices, delictorum punitio cedit in bonum publicum, vt omnes fatentur: ergo ſubditus, vt faueat Religioni prodere debet delictum commiſſum. Reſpond. quòd, licèt bonum commune poſtulet, vt delicta puniantur; nihilominus maius bonum eſt, vt delicta non puniantur ſub tali modo manifeſtata, quia miſeri arcerentur à conſilio, vel remedio petendo, quod maximum malum in Republica chriſtiana eſſet. Ita ſentiunt Leſſ. Caſtr. Palaus, Fagund. & Lugo. vbi ſupr. quarè Lugo habet hæc verba: Maius bonum proculdubiò eſt, quòd miſeris non præcludatur via conſulendi homines doctos, & probos ad remedium ſuæ miſeriæ ſpiritualis, vel corporalis, quàm quòd delicta tali modo cognita puniantur: & id maximè debet obſeruari in Religionibus, quia, inquit D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. vbi Bannes: Religioſorum ſama eſt multùm neceſſaria pro eorum ſpirituali profectu, & infamati effrenatè peccant.

3. Aduertendum tamen eſt, cõcluſionem eſſe intelligendam de quacunque manifeſtatione, ſeù paterna, ſeù ad vindictam, vt benè obſeruat Silueſt. tit. teſtis. qu. 8. dicto 2. quem ſequitur Sanch. vbi ſupra, qui meritò carpit Angelum. tit. confeſſio vltim. n. 22. dicentem: Si Prælatus non requirat delictum, vt puniat, ſed vt Pater procedat, & ex aliquo bono reſpectu, tenetur ſciens etiam ſub ſigillo ſecreti conſignatum denuntiare. Quamobrem Societas Ieſu, inquit Caſtr. Palaus vbi ſupr. vbi quilibet aliorum defectus poteſt Prælato deferri, vt Patri, ad maiorem delinquentis profectum, excipit hunc caſum, in quo ſub ſecreto gratia petendi conſilium accipitur delictum. Addit Lorca. 2. 2. qu. 23. art. 8. diſp. 47. n. 6. quem citatum ſequitur Caſtr. Palaus vbi ſupr. punct. 13. n. 9. rarò Prælatos Religioſorum poſſe præcipere, vt aliquod occultum peccatum ſibi etiam, vt Patri manifeſtetur, quoniam non poteſt illis ſatis conſtare, vtrum res in eo ſtatu ſit, vt ſubditus licitè illud prodat; vndè magnam occaſionem perplexitatis illi præbent; & ideò optima regula eſt, ſubdit Caſtr. Palaus ex mente Lorcæ. illa S. Thom. art. 8. ad ſolut. ad 1. Prælatum tunc ſolùm poſſe præcipere, quandò poteſt inquirere: poteſt autem inquirere, quandò eſt denuntiator, aut infamia; quod intelligendum eſt tam de paterna, quàm de iudiciali inquiſitione, quia S. Thom. indiſtinctè, & vniuerſim loquitur, idque ſaluat doctrinam ſuperiùs traditam.

4. Pro concluſione quæſiti ſit, quòd in caſu prædicto, alijſque, in quibus reuelare quis non tenetur, iurare etiam poteſt, ſe id neſcire, Superiore præcipiente, intelligendo ad reuelandum, vt habetur ex communi ſententia DD. quam docet Palud. in 4. diſt. 21. qu. 3. art. 3. concl. 1. ante finem. Cordub. in ſumm. qu. 64. in fine, & qu. 63. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſtit. c. 4. part. 2. dub. 9. n. 229. Salon. 2. 2. qu. 69. art. 2. contr. 11. Aragon. ibid. art. 2. in fine. Nauarr. in ſumm. lat. c. 12. n. 8. & c. 18. n. 61. Fagund. vbi ſupr. n. 18. Sayrus lib. 12. c. 14. n. 33. citans alios.

## DVBIVM CXXI.

*An ad Superioris edictum peccata præterita, etiam emendata ſint denuntianda.*

### SVMMARIVM.

1. *Oſtenſa quadam differentia peccatorum emendatorum, oſtenditur etiã quadam non habere, & habere effectum pendentem in futurum.*

2. *Ceſſante cauſa finali, ceſſat obligatio parendi; & etiam habetur nullum ius inquirendi peccata occulta poſſidere Prælatum.*

3. *Ad Superioris intendentis emendationem delinquentis edictum non tenetur ſubditus parere, ita vt cogatur delictum delinquentis aperire, dummodo peccatum ſit occultum, emendatum, & non habeat effectum in futurum; ſecùs ſi eſſet publicum, & particulæ explicantur;*

4. *Stante Superioris præcepto de manifeſtatione delicti ad conſulendum recidiuo, & ſtan-*

*ſtante probabili periculo recidiui, eſt aperiendum peccatum: ſecùs ſi non adeſt periculum; habetur quadam limitatio.*

1. Not. prim. quod peccata iam emendata ſe poſſunt haberi in duplici differentia, vel ſunt publica, vel ſecreta: rurſus quædam non habent effectum pendentem in futurum, quædam verò habent, ſcilicet impedimentum aliquod, vt ex multis delictis manet irregularitas, &c.

2. Not. ſecund. quòd, ceſſante cauſa finali, ob quam res imponitur, & præcipitur, ceſſat etiam lex, ſeu præceptum, & conſequenter obligatio parendi. Ita communiter DD. quos citatos ſequuntur Bonacin. diſp. 1. qu. 1. punct. vltim. §. 2. de leg. Suar. lib. 6. de legib. c. 9. Caſtr. Pala. part. 1. tract. 3. punct. 1. diſp. 5. Horum fundamentum eſt, tum quia res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, de reg. iuris in 6. ſed obligatio legis oboritur per talem cauſam: ergo, ea ceſſante, ceſſare etiam debet eius obligatio, tum quia obligatio voti ceſſat, ſi ceſſat cauſa finalis eius; quarè ſi Titius vouit non ingredi domum parentis ob periculum ex puella ibi commorante, dum ipſa ſe tranſtulit ad aliam habitationem, transfertur etiam votum, ideſt eximitur Titius à voto, & liberè abſque fractione voti ingredi poteſt domum per votum priùs prohibitum.

Not. tert. quòd Prælatus nullum poſſidet ius inquirendi peccata occulta, tum quia nullum eſſet occultum, tum quia, ait Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 7. n. 28. ſi Iudex poſſet ſub præcepto ſuo obligare, vt omnia occulta manifeſtarentur, maxima ſequeretur conturbatio in Republica, ſi omnia peccata etiam occulta punirentur; quis enim eſt innocens etiam ab occultis? his ſuppoſitis.

## PRIMA CONCLVSIO.

3. SI Superior iubet, & præcipit, vt delictum denuntietur ad deliquentis emendationem, & non habet effectum in futurum, & eſt iam emendatum, ſi eſt occultum, ſubditus non tenetur præcepto Superioris parere: ſecùs ſi eſt publicum, & eſt infamia, ſiue habeat effectum pendentem in futurum, ſiue non. Primam partem ſequitur D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 2. ad 5. S. Antonin. 2 part. tit. 9. c. 6. §. 1. Clauis Regia lib. 12. c. 14 n. 27. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. c. 4. part. 2. dub. 9. n. 217. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 38. ſect. 2. n. 19. Sanch. opuſ. 2. lib. 6. c. 2. dub. 15. Auila de cenſur. part. 2. c. 2. n. 8. Fagund. in 8 præcept. Decalog. c. 51. n. 4. multos alios referens. Suadetur prim. ceſſante fine legis, ſeù præcepti, ceſſat etiam ex mente DD. relatorum obligatio præcepti: ſed delictum quæritur ad emendationem delinquentis, & ad impediendum effectum in futurum, quæ omnia in caſu ceſſant: ergo. Sec. ſi eſſet aperiendum, cum poſſit probari, præſertim quia eius punitio eſſet vtilis Reipublicæ: verùm hæc vtilitas ſola nõ dat ius Superiori. inquit Lugo vbi ſupr. præcipiendi denuntiationem peccati occulti; quarè dicebat S. Thom. vbi ſupr. Prælatus non eſt Iudex iudiciorum occultorum, ſed ſolus Deus: ergo ſubditus eximitur ab omni obligatione aperiendi huiuſmodi delictum.

Dixi, ſi non habet effectum in futurum, ad oſtendendum, quòd, eſto ſit emendatum, ſi tamen habet aliquem effectum pendentem in futurum, ex. g. iniuriam alicuius Sacramenti, vel rei ſacræ, & impedimentum ad obtinendam aliquam Prælaturam, &c. eſt aperiendum, inquiunt Auila, S. Antonin. Sanch. vbi ſupr. Silu. tit. correctio qu. 10. etiam ſi reus laboret ignorantia craſſa, ſiuè inuincibili impedimento, dummodò ſit neceſſarium ad impediendum malum futurum. Limita, ſi per ſecretam monitionem poteſt impediri damnum, & tolli impedimentum, illa quidem eſt præmittenda. Ita Auila, Antonin. & Sanch. vbi ſupr.

Dixi, ſi peccatum eſt iam emendatum, in quibus verbis etiam includitur proxima, & moraliter certa emendatio ſecutura; quæ enim parum diſtant, nihil diſtare videntur, & quæ de proximo cum fundamento ſperantur, & poſſidenda ſunt, iam poſſideri dicuntur. Ita Filliuc. tom. 2. tract. 40. c. 7. n. 123. Cordub. Sayr. Fagund. vbi ſupr.

Secunda pars defenditur à Cordub. Silu. Sanch. Auila vbi ſupr. à Nauar. in ſumm. c. 25. n. 46. à Sot. de iuſt. qu. 5. art. 1. lib. 2. de

2. de ſecreto. membr. 2. q. 6. quia tunc Iudex habet ius per publicam punitionem delinquentis ſatisfaciendi bono publico læſo per delictum, quia etiam habet ius, vbi eſt infamia publica ad iuridicè interrogandum. Amplia cum Silu. & Sanch. referente Margaritam, etiam ſi quis poſſet per ſecretam punitionem ſatisfacere ſcandalo, quia per hoc non tollitur ius Iudicis ad inquirendum peccatum. Limita, ſi peccatum eſt per longum tempus emendatum, & infamia, & ſcandalum non durant, ceſſandum eſt à denuntiatione, quia ceſſat ratio, ac neceſſitas vindicandæ, & recompenſandæ iniuriæ publicæ. Ita Sanch. vbi ſupra. vnà cum multis iunioribus ab ipſo conſultis: idem eſt dicendum de emendatione publica à delinquente facta, vnde ſcandalum videtur extinctum, tum quia delinquens per publicam emendationem ſatisfecit Reipublicæ læſæ per ſcandalum: ex qua re finis, qui à Prælato intenditur per punitionem, obtentus eſt, tum quia punitio Prælati ad nil aliud inſeruiet, niſi ad renouandum infamiam deliquentis ſemiextinctam, vel in totum extinctam per emendationem publicam. Ita Auila vbi ſupr.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. SI Prælatus præcipiat, vt peccatum occultum ſibi, vt Patri aperiatur, vt conſulat recidiuo, ſi non adeſt periculum probabile recidiui, non eſt aperiendum: ſecus ſi videatur adeſſe, quamuis emendatum ſit. Vtraque pars defenditur à Sanch. vbi ſupr. referente Silu. & Armillam, quarum prima habetur ex eo quia ceſſat finis denunciationis, nempè vt conſuletur recidiuo: ſecunda probatur ex eo. quia viget finis præcepti; imminet enim periculum relapſus. Limita niſi per ſecretam monitionem reſcindatur illud periculum proximũ; nam, quandò fama delinquentis illæſa ſeruari poteſt vnà cum periculo relapſus, nulla ratio poteſt aſſignari, per quam iuſtè cohoneſtetur infamatio apud Prælatum. Nec obſtat ſatis cohoneſtari per publicum edictum in virtute ſanctæ obedientiæ, ſeù ſub pœna excommunicationis impoſitum, quia integram conſeruare famam eſt de iure naturæ, quod nequit ſubiacere præcepto poſitiuo Prælati.

Probabile periculum relapſus voco, quandò ita proximus occaſionibus peccati innondatus ſit, vt moraliter loquendo iudicetur caſurus, niſi ab illis diuertatur; nam de alio periculo magis remoto non eſt curandum, cum omnibus tale periculum inſit ex fragilitate naturæ. Sic loquitur Caſtr. Palaus part. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 13. n. 5. alibi relatus.

## DVBIVM CXXII.

*An, quandò Superior per edictum generale, ſeu ſpeciale ſub excommunicatione, vel alia quacunque pœna præcipit, vt qui nouit delictum, ſibi manifeſtet, teneatur ſubditus illud aperire, cum tantùm ſit notum tribus, aut quatuor.*

### SVMMARIVM.

1. *Tenetur quis ad Superioris edictum crimen in damnum tertij ei reuelare, licèt ſit tantùm notum tribus, vel quatuor.*

2. *Crimen in damnum ſolùm delinquentis, & notum tantum tribus, &c. iubente Superiore, non tenetur quis reuelare, modò non ſit deſperſa infamia, &c. & ſatisfit cuidam obiectioni.*

1. Not. prim. quòd hic non loquimur de crimine in damnum temporale, ſeù ſpirituale tertij, ſeù Reipublicæ, & communitatis, quandò eſt imminens, ſeù non emendatum, quia clarum eſt teneri, qui nouit delictum, reuelare, ad damno obuiandum, quod imminet, ſi præmiſſa correctione delinquens non vult reſipiſcere, aut periculum eſt nocendi alijs, niſi ſtatim denuntietur, etiam ſi iuraſſet illud non denuntiare. Ita docent communiter DD. inter quos eſt Filliucius tom. 2. tract. 40. c. 7. n. 222. Caſtr. Palaus part. 1. de charit. diſput. 3. tract. 6. punct. 14. n. 2. Panorm. in c. Dilectus. de exceſſ. Prælat. Leſſ. lib. 2. c. 30. dub. 6. n. 43. Fagund. in 8. præcept.

cepto Decal. lib. 8. c. 51. n. 10. quæ doctrina eſt intelligenda, quamuis auctor peccati nulla laboret infamia; ſed loquimur tantùm de delicto in damnũ ipſius delinquẽtis.

Not. ſec. quòd in præſenti quæſito non eſt ſermo de denuntiatione paterna, ſed iudiciali, per quam intendit Prælatus deuenire ad acta iudicialia, & tandem punire delinquentem iuxta delicti menſuram.

## CONCLVSIO.

2. IVbente, ſeu præcipiente Superiore ſub quacunque pœna, non tenetur quis denunriare delicta tantùm tribus, aut quatuor nota, dummodò infamia ſpecialis de delinquente non ſit diffuſa, nec habeantur indicia ſufficientia, vel ſemiplena probatio. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. Nauarr. in ſumm. lat c. 25. n. 46. Emen. Lugo de iuſt. diſp. 38. ſect. 2. n. 20. Clauis Regia lib. 12. c. 14. n. 28. Auila de cenſur. part. 2. c. 5. diſp. 4. dub. 2. Baſſæus in ſumm. tit. denuntiat n. 11. Leſſ. Fagund. & Caſtr. Pala. vbi ſupr. Fundamentum videtur eſſe, tum quia, ſi non ſequitur damnum tertio, & delinquens non eſt diffamatus, Iudex non iuſtè procedit, & conſequenter ſubditi eximuntur ab obedientia præcepti, tum quia, licèt peccatum ſciatur ab illis tribus, ſeu quatuor viris, adhuc ſub ſecreto latet; & ideò non ſubiacet foro Iudicis intendentis pœnam, aliàs inquit Lugo vbi ſupr. maximum Reipublicæ inſtaret detrimentum, ſi Iudicis poteſtas extenderetur ad inquirẽda occulta, tũ quia aiunt Cordub. Fagund. Clauis Reg. Baſſæus vbi ſupr. nemo in tali caſu tenetur ſe ipſum prodere, multò minùs alium propalare, cum famæ propriæ vnuſquiſq; faciliùs poſſit cedere, quã famæ alterius, tum quia huiuſmodi præcepta ſemper ſunt interpretenda, ſeruato iuris ordine, ita ſcilicet, vt, exceptis occultis criminibus, cætera manifeſtentur.

Dices, licèt Iudex nullam habeat iuriſdictionem inquirendi peccata occulta, nihilominus fruitur ea, vt ſatisfaciat Reipublicæ, quæ poſtulat, vt fiat diligens inquiſitio, vt malefactores timeant, & compeſcantur: ergo tenetur ſubditus reuelare delictum, vt cæteri timorem concipiant. Reſp. prim. falſum eſſe Iudicem frui illa poteſtate ſuper delicta occulta; nam ſolus Deus eſt Iudex iudiciorum occultorum, inquit S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad 5. aliàs mille incommoda ſequerentur in Republica Chriſtiana, vt optimè inſinuat Lugo vbi ſupr. Secundò poſſet reſpondeti ex Leſſio lib. 2. c. 20. n. 87. in ſecund. edit. alios referente; eſto ſecundùm illam poteſtatem Iudex iuſtè interoget, ſeu præcipiat; attamen ſubditus iuſtè negar, vndè in caſu datur quædam ſpecies litis vtrinque iuſta, dum Iudex iuſte ſubditum vrget, & ſubditus iuſtè negat: doctrinam hanc ſecutus eſt Caſtr. Pala. part. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 14. n. 3.

Pro fine quæſiti addenda ſunt verba Emin. Lugo vbi ſupr. Si peccator, inquit, non credatur emendandus alia via, & aliundè ſperatur profutura ad delinquentis emẽdationem denuntiatio, tunc ſi id poſſumus facere ſine graui incommodo noſtro, tenemur ex charitate, etiam non ſtantibus edictis, propter communem obligationem charitatis, quæ in præſenti etiam militat, reuelare Iudici.

## DVBIVM CXXIII.

*An, quandò quis ſcit delictũ fratris, & ſimul ſcit delinquentem probè ſcire crimen illud nulli alteri eſſe notum, ad edictum, ſeu præceptum Superioris ſub quacunque pœna teneatur illud aperire, quandò ex reuelatione timet aliquod graue incommodum ſibi euenturum.*

## SVMMARIVM.

1. *Non tenetur quis aperire delictum fratris ad Superioris præceptum, quandò ex reuelatione timet aliquod graue damnum ſibi euenturum: habetur quadam limitatio vnà cum quadam aduertentia.*

2. *Tenetur quis manifeſtare delictum in damnum tertij, ſi adeſt periculum, quia adhuc pendet in futurum, ſi per monitionem non deſiſtat delinquens, & reuelans non ſubeat aliquod periculum, & quadã cũ limitatione explicatur concluſio.*

PRI-

*PRIMA CONCLVSIO.*

1. Nullo modo ex vi excommunicationis, ſeù ex alio quocunq; præcepto Superioris tenetur quis delictum tali modo notum reuelare. Ita Cordub. in ſumm. q. 64. Sayr. lib. 12. c. 14. n. 26. Auila de cenſur. 2. part. c. 5. diſp. 5. dub. 2. Emin. Lugo de iuſt. diſp. 38. ſect. 2. n. 36. referens multos. Fagund. in 8. præcept. Decal. lib. 8. c. 51. n. 6. Ratio eſt efficax, quia inter ipſum, & delinquentem non parua poteſt oboriri inimicitia, quod eſt maxima ponderatione dignum in Religionibus; nam, totum Diaboli ſtudium eſt dirimere pacis vinculum; vndè, eo lacerato, & diſrupto, omnia euertit; eo conſeruato, & illæſo, cuncta proſpera ſuccedunt, quia vires nocendi amittit; ita loquitur S. Auguſtin. lib. 3. contra Panormi. tom. 3. *Nihil appetit Satanas venenoſiſſima verſutia ſua, niſi vt corrumpat, atque diſrumpat vinculum pacis, & charitatis, quo conſeruato inter Chriſtianos, vires eius omnes inualidæ ſunt ad nocendũ, & muſcipulæ inſidiarum comminuuntur, & conſilia euaneſcunt*: oboriri etiam poteſt periculum iacturæ in fama, & in bonis; quarè cum tanto ſuo incommodo nemo tenetur crimen manifeſtate, tum quia præualere debet præceptum naturale de ſibi ipſi non inferẽda læſione contra præceptum poſitiuum Iudicis de crimine reuelando, tum quia leges humanæ adeò ſunt ſuaues, vt nequeant cum tanto onere, ac detrimento obligare, & præcipere ſubditis, vt ſubeant tantum damnum, & incommodum. Limitta modò delictum non vergat in damnum Reipublicæ, ſeù Religionis, boniquecommunis, vt benè obſeruant Fagund. & Clauis Regia vbi ſupr. quia vnuſquiſque tenetur ſubire incommodum propter bonum commune; nam *bonum particulare ordinatur in bonum commune; eſſe enim partis, eſt propter eſſe totius*, vt teſtatur S. Thom. lib. 3. contr. Gentil. c. 17.

Eſt tamen hic aduertendum cum Fagund. vbi ſupr. n. 3. referente Nauarr. Sayr. & Salonium, ſi peccatum, quod tendit in damnum publicum, tale eſt, vt accuſare id non teneamur, niſi præuia admonitione ſecreta, & euangelica, ſemper eſſe illam præmittendam, ſi profutura ſperatur, & nondum præmiſſa fuit, non obſtante præcepto Superioris, qui præcepit denuntiare; non enim poſſumus abſque graui peccato, ſtante etiam tali præcepto, & mandato ante talem admonitionem illud Iudici accuſare, vel denuntiare. Ratio eſt manifeſta; quia humana Superioris præcepta nequeunt derogare iuri naturali, ac diuino iubenti præmittendam eſſe fraternam monitionem; vndè huiuſmodi edicta ſemper ſunt intelligenda ſecundum legem naturalem, & diuinam; aliàs talia præcepta, & edicta continerent errorem intolerabilem, nec vim obligandi haberent: videatur Fagund. addens multa alia, & obſeruetur doctrina Caſtr. Palai part. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 14. ex Ricard. & Suar. aſſignantis differentiam inter peccata, quæ ſolùm peccanti nocumentum afferunt, & inter illa, quæ alijs nocent; in peccatis enim ſolùm peccanti damnificantibus ſufficit probabilis ſpes, ſeù non deſperatio fructus, vt correctio ſecreta debeat ex præcepto diuino præmitti; at in peccatis damnum tertio afferentibus requiritur moralis certitudo, ſeù ſpes certiſſima de correctione, & deuitatione omnium damnorum, quæ timentur.

Eſt etiam hic animaduertendum cum Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 5. referente S. Auguſt. relatum in c. Hoc videtur 22. qu. 5. Sotum, Durand. Paludan. Silueſtr. Angelum, & alios, magnum eſſe diſcrimen inter peccata contra bonum commune, quandò ſunt omninò occulta, & improbabilia, & quandò ſunt occulta, probabilia tamen; nam in hoc caſu poſſunt denuntiari Iudici, vt Iudici, vt puniat; at in priori ſolùm poſſunt denuntiari ei, qui poſſet prodeſſe, & non obeſſe, ideſt Iudici tanquam Patri, vt remedium adhibeat, nõ autem vt Iudici, vt puniat: quæ doctrina ſemper eſt intelligenda iuxta ea, quæ dixi ſuperiùs de correctione præmittenda, quandò non vrget periculum, inquit Fagundez vbi ſupr. & non datur tempus monendi.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

2. SI peccatum occultum eſt in damnum tertiæ perſonæ, & imminet periculum, quia adhuc pendet in futurum, teneor denuntiare, ſi à culpa monitus non deſiſtat, & ego non ſubeo periculum. Ita Sotus, quem citatum ſequitur Sanch. in opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 5. n. 9. Baſſæus in ſumm. tit. denuntiatio n. 9. Ratio, & fundamentum eſt, quia vnuſquiſque tenetur proximum liberare à periculo imminenti. Nec obſtat peccantem pati damnum, quia melior eſt conditio patientis iniuriam. Quę concluſio ſemper eſt intelligenda in caſu, quo denuntiatio paterna non ſit ſufficiens ad remedium; ſi enim poteſt damnum impedire, eſt facienda, priuſquam deueniatur ad iudicialem: verùm cum hæc eſt proferenda, proferat etiam denuntians hæc verba, quandò nequit probare delictum, dicendo, me id probare non poſſe, nihilominus ad impediendum damnum imminens tertij, cogor ante Iudicem deferre denuntiationem, vt ex ſuo officio prouideat, & inquirat: videatur Sanchez vbi ſupr. num. 8.

## DVBIVM CXXIV.

*Praxis nonnullarum Religionum eſt, quòd, cum Generalis, ſeù Prouincialis ingrediuntur monaſterium pro eius viſitatione, vt ſuo muneri ſatisfaciant, imponatur præceptũ in virtute ſanctæ obedientiæ, vt ſubditi ea, quæ reformatione, ſeù reparatione digna ſunt, ſibi denuntient: quæritur, quomodò ſit intelligendum huiuſmodi præceptum.*

### SVMMARIVM

1. *IN quacumque Religione oboriuntur quidam lapſus, qui in tres claſſes diuiduntur.*

2. *Itidem diuiduntur defectus leues in tres claſſes.*

3. *Obedientiæ præceptum à Superioribus impoſitum non ligat ſubditos ad propalandos lapſus leues in tertia acceptione, qui ab omnibus etiam perfectis committuntur: & ſatisfit cuidam obiectioni.*

4. *Lapſus prout in prima, & ſecunda acceptione ſunt propalandi ad Superioris edictum: habetur ſoluta quadam obiectio, & addita quadam limitatio.*

1. Not. prim. vt optimè notat Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 9. n. 1. alibi relatus, quòd nulla eſt tam perfecta Religioſorum congregatio, in qua pro humana fragilitate non oboriantur aliqui defectus, ſeù lapſus, atque culpæ, ita ordinante diuina prouidentia, quæ falli nunquam poteſt ob occulta ſua, & iuſta iudicia, quæ ab hominum imbecilli intellectu nequeunt percipi. Quamobrem in tres claſſes iuxta mentem Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 27. ſect. 8. n. 263. diuidi ſolent: quædam appellantur grauiſſimę; quædam graues; & quędam leues. Grauiſſimæ dicuntur illæ culpæ, quibus de iure reſpondent atroces pœnæ ex. g. carcer perpetuus, vel diuturnus, damnatio ad triremes, traditio ad brachium ſęculare poſt degradationem; tales culpæ dicuntur homicidium, mutilatio, percuſſio enormis, & ſimiles, de quibus in c. Cum non homine de iudicijs; & c. Sunt quædam 23. qu. 5. Graues continẽt, inquit Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 8. dub. 1. vnà cum Lugo vbi ſupr. peccatum mortale, vt furtum, detractio grauis, lapſus carnis cum complice. Leues continent imperfectiones contra regulas, ſeù conſtitutiones, aliaſque ordinationes, vel ad ſummum peccatum veniale: hic non loquimur de duabus primis claſſibus, quia ex prædictorum quæſitorum notitia ſatis innoteſcit, quandò, & quomodò illa delicta ſint Prælato denuntianda: videatur etiam Fagund. in 8. præcept. Decal. lib. 8. c. 7. ſed tantum loquitur de poſtrema claſſe, id eſt de leuibus, quæ iuxta Suarez, Sanch. & Lugo vbi ſupr. alios referentes non cadunt ſub ordinem iudicialem, ſed poſſunt deduci in publicum eas manifeſtando ad delinquentium humilitatem, ad eorum profectum ſpiritualem, & ad conſeruandum Religionis decorem; imò eas puniendo publicis

blicis reprehenſionibus, ordinarijs pœnitentijs iuxta morem vniuſcuiuſque Religionis.

2. Not. ſec. quòd huiuſmodi culpæ leues etiam in tres claſſes poſſunt diuidi; quædam nuncupari poſſunt grauiſſimæ; quædam graues; & quædam leues. In his enim connumerantur illæ imperfectiones, quæ à Suar. & Lugo vbi ſupr. appellantur communes, quæ in viris etiam perfectis reperiuntur, & ad augumentum perfectionis eorum à Superioribus pœna debita, licèt leui plectantur, dummodo à ſecreto delatore conſenſus habeatur, vt volunt Suar. & Lugo vbi ſupr. In ſecundis enumerantur aliquæ imperfectiones nonnullorum ſubditorum in Religionibus reformatis, vt eſſet iusiurandi etiam cum veritate; nam hoc eſſet graue damnum ſpirituale in qualibet Religione maximè reformata, quia ille vſus videtur multùm dedecere perfectionem religioſam; idem eſt dicendum de vſu ludendi chartis, alijſque ſimilibus, qui defectus, licet ſint leues in ſubditos, attamen Prælatis imputantur tanquam graues, quandò non puniuntur, ſed diſſimulatione permittuntur, vt adnotaui in dub. 75. prim. centur. ex mente multorum DD. In primis, ſeù grauiſſimis inſpiciuntur, quandò communiter à ſubditis negligũtur, & cõtemnũtur aliqua conſtitutio, ſeù aliquæ magni ponderis ordinatæ potiſſimum ad bonum ſpirituale, & profectum ſubditorum, quæ licèt ex ſe non obligent ſubditos, inquit Lugo de iuſtit. diſp. 9. ſect. 2. num. 21. ad peccatum etiam veniale; nihilominus obligant Prælatos ad eas conſeruandas, ita vt permittentes, vt abeant in deſuetudinem, non eximantur à lethali culpa, vt dicunt communiter DD. vt videre eſt in locò citato prim. centur. ex. g. Si permitterent Prælati, vt negligatur hora conſueta matutini, vt communiter petantur honores, & dignitates, vt contemnantur aſperitates, & vilitates in veſtibus, fabricis, alijſque rebus ſecundum Ordinis inſtitutum, & ſtatum, & ſimilia, quæ poſſunt videri in loco citato, vide etiam temperamentum in dub. 75. Nec obſtat huiuſmodi imperfectiones non cenſendas eſſe leues, etiam in ſubditis, vt DD. Societatis Ieſu conantur demonſtrare, vt videre eſt in dub. 70. prim. centur. quia huiuſmodi Patres, qui in magna veneratione habendi ſunt, quandò loquuntur de ſubditis, nimis ſcrupuloſè loquuntur; vndè eorum doctrina, quam ſecuro pede communiter amplecti poſſunt omnes, nihilominus ſcrupuloſo oculo tanquam in rigidam doctrinam declinans circa ſubditos eſt inſpicienda, videantur ea, quæ dixi in dub. citato.

## *PRIMA CONCLVSIO.*

3. PRæceptum in virtute ſanctæ obediētiæ ſubditis impoſitum à Generali, ſeù Prouinciali in ſuis viſitationibus, vt ipſi ſibi denuntient ea, quæ pro Religionis reparatione corrigenda ſunt, eos non ligat ſub mortali ad illa deferenda, deſcripta in tertia acceptione ſec. not. ideſt quæ communia appellantur, & quæ etiam à viris perfectis committuntur. In primis ſuadetur ex doctrina Emm. Sà tit. interpretatio n. 2. aſſerentis, cum tractatur de obligatione, ſtrictam eſſe interpretationem adhibendam c. 1. de iureiurando in 6. l. quidquid aſtringendi ff. de verb. oblig. cenſetur etiam obligatio res odioſa; ideò reſtringenda, quoad fieri poteſt. Ratio videtur eſſe, quia ſine manifeſta ratione non eſt inducenda obligatio. Ita habetur ex Salaz. de legib. diſp. 21. ſect. 3. verſ. oct. regula. Sanch. de matrim. diſp. 9. n. 11. Caſtr. Pala. part. 1. tract. 3. diſp. 5. punct. 3. §. 3. n. 12. ſed ſi huiuſmodi præceptum ſubditos obligaret ad manifeſtandos defectus communes, &c. admitteret ſtrictam obligationem, quam reſpuit lex: ergò ſubditi eximuntur ab huiuſmodi obligatione. Secund. nequeunt Prælati ſub mortali in materia leui ſubditos obligare, etiam ſi ex ore proferant præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ, quia materia ipſa eſt incapax tantæ obligationis, & voluntas Superioris taliter præcipientis rationi diſſona eſt, vt communiter docent DD. quos citatos ſequuntur Clauis Regia lib. 3. c. 7. n. 14. Sanch. in ſumm. lib. 1. c. 4. n. 4. Baſſæus in ſumm. tit. præcept. n. 15. ſed huiuſmodi defectus ſunt leues, à quibus non eximuntur etiam viri perfecti, ob naturæ infirmitatem, & quaſi coacti ordinationum multiplicitate: ergo tale præceptum ſua

ſua vi attingere pro manifeſtatione nequit defectus deſignatos.

Dices, quamuis Prælatus in materia leui nequeat ad mortale ſubditos obligare, nihilominus his paruis rebus talis circunſtantia, & tam grauis iungi poterit, vt meritò Prælatus res illas ſub mortali prohibere poſſit. Ita affirmant DD. vt videre eſt apud Clauem Regiam vbi ſupr. Baſſæum tit. lex 4. n. 5. & Dianam part. 1. tract. 5. reſol. 47. & ita eſt in caſu, quia licèt defectus, de quibus loquimur ſint leues, qui tamen Superior in viſitationibus ſuis intendit propagare perfectionem Religionis, ad quam tenetur ratione muneris aſſumpti, quæ per iſtas imperfectiones labefactatur; ideo ratione huius circunſtantiæ defectus illi fiunt graues, & conſequenter ex vi præcepti impoſiti ſunt propalandi. Reſpond. obiectionem oſtendere ignorantiam regiminis, quod non eſt taliter regendum, vt coerceat prudentem diſſimulationem; nam hæc in quocumque regimine eſt neceſſaria; aliàs mille incommoda ſequerentur; pax conturbaretur, & quies abdicaretur, vndè Prælatus qui ſic intendit opus virtutis exigere, nihil aliud exigit, quam opus relaxationis, & aliquando ſe humeris reſtringit, quætens vndenam hoc malum, dum intentio ferebatur ad magis, ac magis diſciplinam regularem propagandam? cui reſpondendum eſt ex ignorantia regiminis: percipiant, quæſo, Prælati omnes aurea verba Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 9. ſect. 2. n. 25. ita loquentis: Prælatus regularis ita debet correctionem, & reformationem ſpiritualem ſuorum ſubditorum attendere, vt non incidat in contrarium extremum, & reddat odioſam diſciplinam, & correctionem; vndè non debet omnia, & ſingula examinare, inquirere, punire, ſed iuxta Soſipatris dictum parua quidem, & vulgaria peccata diſſimulanda frequenter ſunt: per hoc patet reſponſio ad argumentum: videatur S. Bonau. cit. in dub. 75.

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. SI poſtea attendamus illos defectus ſubditorum, deſcriptos in prima, ac ſecunda acceptione ſec. not. nullum dubium videtur eſſe ſubditos ex vi præcepti impoſiti teneri illos propalare, vt poſſit Prælatus præcipiens candorem diſciplinæ regularis reparare. Facilis eſt probatio, quia, cum finis gubernationis religioſæ, inquit Lugo vbi ſupr. diſp 35. ſect 5. n. 55. ſit, vt Prælatus exemplo, & prudentia contineat ſubditos in diſciplina religioſa, & hanc, ſi eſt relaxata ad priſtinum, ac debitum rigorem reducat, ſubditoſque ad perfectionem religioſam promoueat; & cum per illos defectus maximè labefactetur diſciplina regularis, & bonũ cõmune non paruũ patiatur detrimẽtũ, cuius cõſeruatio, & reſtauratio incũbit ſub mortali Prælato, vt dicunt DD. ideò cenſendi ſunt cadere ſub obligationem reuelationis: ergo ſubditi tenentur parere præcepto; aliàs rei peccati mortalis habendi ſunt.

Dices, licèt huiuſmodi defectus in ordine ad Prælatum pro conſeruatione diſciplinæ regularis ſit materia grauis; nihilominus in ordine ad ſubditos pro obſeruantia non inſurgit talis, vt dicunt DD. vbi ſupr. ne, laqueis multiplicatis, multiplicentur peccata in maius damnum eiuſdem diſciplinæ; proindè ex præcepto impoſito nulla obligatio ſub mortali inſurgere poteſt. Reſpond. eſto non teneatur ſubditus ſub mortali ad obſeruantiam prædictorum defectuum ob rationem recitatam, attamen cum ſubditi vocentur in auxilium in ordine ad manifeſtationem, cogente præcepto, vt reparetur bonum commune, fieri materiam grauem, & conſequenter obligationem reuelandi hos defectus excitari.

Limitanda videtur concluſio, modò Superior præcipiens allaturus ſit remedium defectibus manifeſtandis; ſi enim ſubditis certò conſtat, vel probabiliter creditur, quòd nullum remedium adhibebit Prælatus, inquiunt Antoninus, Silueſt. Paludan. quos citatos ſequitur Auila de cenſur. part. 2. c. 5. diſp. 5. dub. 2. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 28. ſect. 2. n. 38. non teneri ſubditos ad denuntiandum, quia nemo tenetur ad opus inutile, & ad actionem otioſam: ſecus eſt dicendum, ſi ſolùm eſſet dubium: an Prælatus allaturus ſit remedium per pœnã, vel per correctionem, quia tunc in dubio præſumendum eſt pro Prælato, & eſt illi

obedien-

obediendum. Ita Auila vbi ſupr. & Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 17.

Animaduertendum pro fine quæſiti, quòd principium relaxationis Religionum reformatarum oboritur ex eo, quòd graſſantur aliquæ corruptelæ inter Superiores maiores à Supremis Prælatis ſub pęna culpę reformandæ, quæ permittuntur, & negliguntur ob verecundiam, vel ne ipſi Pręlati vna cum illis priuentur ſimilibus commodis, vel ob alias cauſas, proclamantibus etiam ſubditis, qui tandem ab experientia moniti à proclamationibus ceſſant, quia nullum remedium eſt afferendum, & ita paulatim corruit, nullo reclamante, reformationis ędificium, vndè inſurgit ſumma pax in ſummo bello, ac malo.

## DVBIVM CXXV.

*An ad huiuſmodi edicta Superioris crimina audita, & non viſa ſint aperienda.*

### SVMMARIVM.

1. *Delicta audita à viris leuibus ad Superioris edictum non ſunt aperienda: habetur limitatio.*

2. *Delicta audita à perſonis fide dignis, ſtante præcepto, ſunt manifeſtanda, modò ſit infamia.*

3. *Delictum ab ignotis auditum non eſt denuntiandum, cum nullus teneatur ad actionem inutilem.*

Multis modis id contingere poteſt; vel crimen ad aures peruenit ex perſonis leuibus, quæ non ſunt fide dignis; vel ex viris grauibus, ac fide dignis; vel incognitis per monaſteria, & cellulas.

### PRIMA CONCLVSIO.

1. Delicta audita, & non viſa à viris leuis armaturæ, & non fide dignis non ſunt reuelanda Superiori ad eius edictum: ſecus ſi à perſonis fide dignis. Primam partem docent Sanch. opuſc. 2. lib. 6. c. 2. dub. 16. n. 3. referens alios. Auila ſect. 2. c. 5. diſp. 5. dub. 2. Clauis Reg. lib. 12. c. 14. n. 33. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 38. ſect. 2. n. 28. Baſſæus in ſumm. tit. Denuntiatio n. 11. Caſtr. Palaus prim. part. tract. 6. diſp. 3. punct. 14. n. 8. Ratio eſt, quia cum hæc notitia nullam faciat fidem; ideò cenſenda eſt inutilis denuntiatio, quia etiam denuntians incurret in leuitatis notam, & reo fortaſſis iniuſtè afferret damnum.

Limita, modò non ſit caſus, per quem ex occultatione tantum immineret periculum, vt quæcunque notitia eſſet vtilis ad aliquam cautelam, vel ad aliquid aliud, vt ſiquis à perſona non fide digna, vel ſibi ignota audiſſet, actum eſſe de occidendo Prælato die ſequenti in tali loco, vel à talibus perſonis, vel ſecuturum maximum ſcandalum coram ſæcularibus in non paruum damnum Religionis, quia tunc teneretur illam qualemcunque notitiam communicare. Ita Lugo vbi ſupr.

2. Secunda pars habetur ex Sanch. vbi ſupr. referente Nau. & Cordub. quia talis notitia, quæ ex auditu habetur, eſt vera notitia, quæ fidem facit, modò ſit infamia, & habeatur notitia de infamia, quia, quamuis ipſe videret delictum, non teneretur denuntiare, niſi ſciret eſſe infamiam: ergo à fortiori, ſi tantùm audiuit delictum. Ita Auila vbi ſupr. cuius doctrina ſemper erit intelligenda iuxta verba Fagund. in 8. præcept. Decal. lib. 8. c. 45. n. 8. ita loquentis. In viſitationibus, etiamſi præcipiatur ſubditis ſub cenſura denunciare omnia delicta ſolùm tenentur denuntiare Superioribus, tanquam Iudicibus ea delicta, quorum authores laborant infamia de talibus delictis, & quæ correctione digna ſunt, tacendo ea, quæ occulta ſunt, vt colligitur ex. c. Qualiter, & quandò. de accuſat. & docent communiter DD. Nauarr. Sayr. Salon. Aragon. Valenc. Silueſt. Sot. Et ratio eſt, quia ſubditus ad ea tantùm debet reſpondere, quorum Superior eſt legitimus Iudex; nullus autem Superior præter Deum eſt Iudex eorum delictorum, de quibus nulla eſt infamia, & ideò non poteſt abſque peccato inueſtigare delicta de aliquo particulari ſubdito, dum illorum non adeſt infamia, vt dicitur in c. Qualiter, & quandò. de accuſat. tunc autem quis laborat infamia delicti, quandò

talia

talia indicia de illo ſunt, vt æquipolleant ſemiplenæ probationi, & a fortiori quandò datur ſemiplena probatio aduerſus illum: hæc Fagund. videatur etiam Lugo de iuſtit. diſp. 37. ſect. 7. n. 77.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. Delictum auditum ab ignotis, qui non poſſunt declarari, vel qui ipſi etiam audierunt ab alijs ignotis, non eſt denuntiandum. Ita Emin. Lugo vbi ſupr. diſp. 38. ſect. 2. n. 28. Sanch. vbi ſupr. n. 4. referens Nauarrum, & multos alios doctos recentiores, quia nemo tenetur ad actionem inutilem.

Pro fine eſt animaduertendum, quòd delictum auditum ab homine fide digno, ſi hic denuntiet, nulla eſt obligatio denuntiandi, quia nil addit ſupra primam denuntiationem. Ita Sanch. & Auila vbi ſupr.

## DVBIVM CXXVI.

*Pro fine huius tractatus in ordine ad Regulares multa ſunt addenda.*

### SVMMARIVM.

1. *Huiuſmodi edicta non habēt vim obligandi, vt manifeſtentur delicta contra ſe commiſſa ab alio.*

2. *Quandò eſtat obligatio denuntiandi, non eximitur ab obligatione ob iuramentum datum pro ſecuritate tacendi: & deſignatur differentia inter iuramentum datum ſeruandi ſecretum, & ſecretum alicuius fidei commiſſum.*

3. *Nemo in virtute edictorum tenetur ſe ipſum tanquam delinquentem denuntiare, nec etiam complices, quandò ad delinquentis manifeſtationem ſequitur manifeſtatio proprij delicti.*

4. *Superioris præceptum cenſetur nullum, quandò adeſt onus probandi delictum, & deficiunt probationes.*

5. *Eximitur à cenſura, qui conſilio indiget, vt ſciat, ad quid teneatur, & deeſt commoditas petendi conſilium intra terminum præfixum excommunicationis latæ.*

6. *Huiuſmodi edicta non obligant ſubditos regulares, elapſo viſitationis tempore.*

1. Primò, quòd ex vi horum edictorum regulariter nemo tenetur accenſare, vel denuntiare peccata contra ſe commiſſa ab alio, quia in Euangelio habetur conſilium de remittendis proprijs iniurijs, vndè non eſt credendum Prælatos in ſuis edictis oppoſitum præcipere. Ita Emin. Lugo de iuſt. diſp. 38. ſect. 2. n. 21. ex ſenſu multorum recentiorum; addit etiam multos hoc extendere ad delictum, quod fuerit publicum.

2. Secundò, quòd iuramentum datum pro ſecuritate tacendi non obligat, nec ligat, quandò extat obligatio delictum manifeſtandi ex vi prædictorum edictorum, quia eſt de re illicita. Ita Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 21. referens Silu. Angelum, Nauarr. & D. Bonauent. quarè inſurgit maxima differentia inter ſecretum alicuius fidei commiſſum, & iuramentum datum ſeruandi ſecretum delicti, quod fuit viſum, ſeù ſcitum, quia in hoc caſu ad edictum Superioris eſt aperiendum delictum; in illo nulla eſt obligatio, niſi quandò eſſet neceſſarium ad proximi damnum vitandum; hoc diſcrimen Sanch. vbi ſupr. ex Nauarr. notat.

3. Tertiò, quòd nemo in virtute edictorum tenetur ſe ipſum tanquam delinquentem, denuntiare. Ita Auila de cenſur. ſec. part. c. 5. diſp. 5. dub. 2. concl. 8. quem ſequitur Lugo vbi ſupr. n. 21. ac per conſequens complices, qui non poſſunt manifeſtare alium, niſi manifeſtando etiam ſuum delictum, non tenentur ad manifeſtandum delinquentem, quia hoc eſſet mediatè manifeſtare ſuum delictum, niſi fortè eſſet in tam graue damnum commune, vt poſtponenda eſſet manifeſtatio proprij delicti: videatur Lugo vbi ſupr.

4. Quartò, quòd, quandò eſt onus probandi delictum, quod denuntiatur, & deficiunt probationes, præceptum Superioris videtur eſſe nullum, quia continet errorem intolerabilem; nam quandò ſcitur aliquod delictum, & probari nequit, non videtur ſciri ad effectum illud denuntiandi. Ita

Baſſæ

Baſſæus in ſumm. tit. Denunt. n. 11. referens Petr. Nauarr. Angel. & Nauarr. an etiam hoc militet in delictis contra bonum commune, ſeù tertium adhuc in fieri, vel conſeruari: videatur Lugo vbi ſupr. n. 24. qui ſatis longam tractat quæſtionem.

5. Quintò, quòd ille, qui indiget conſilio, vt ſciat ad quid teneatur, & non poteſt conſilium capere intra terminum præfixum excommunicationis latæ non incurret in eã; cenſetur enim impeditus, & impedito non currit præſcriptio ſecundùm regulam iuriſtarum. Ita Auila de cenſur. ſec. part. c. 5. diſp. 5. dub. 2. concl. 4.

6. De temporis duratione prædictorum edictorum videatur Fagund. in 8. præcept. Decal. lib. 8. c. 52. n. 3. ita loquens de Regularibus: Notandum verò eſt, præcepta illa, quæ à Prælatis Religionum in ſuis Religionibus in particularibus viſitationibus, proponuntur, cum prædictæ viſitationes certo tempore finiri ſoleant, & præcepta illa obligationem ad mortale contineant, non obligare ſubditos, qui poſt expletum tempus viſitationum notitiam talium præceptorum habuerunt. Ratio eſt, quia intentio Prælatorum eſt ea præcepta pro eo ſolo, & præciſo tempore imponere, niſi aliud expreſſè ipſi declarent; vndè Religioſus, qui intra tempus viſitationum non obediunt edicto ex vi talis præcepti, non tenetur poſt tranſactum tempus viſitationum ad denuntiandum; peccauit tamen, qui nullam cauſam excuſantem habuit, quæ eum à tali denuntiatione excuſaret. Ita communiter DD. & expreſſè docet Sayrus lib. 12. c. 14. n. 24. colligitur ex Nauarr. in c. Inter verba 11. qu. 3. concl. 6. corol. 66. n. 797. & ex Salon. 2.2. qu. 68. art. 1. contr. 2. dixi ex vi talis præcepti, quia aliundè ex iure naturali, ſi ea delicta pernicioſa fuerint, & nociua alijs, tenebitur ea denuntiare; imò etiam, & quandò fuerit nociua proximo peccatori, ſeruato ordine Euangelico: hæc Fagundez.

Multa, quæ dicuntur in tractatu præſertim de correctione præmittenda ante denuntiationem, poſſunt etiã regulari iuxta doctrinam traditam in dub. 48. vt intelligenti ſemper videbitur.

# TRACTATVS QVINTVS
# DE
# IVSTITIA DISTRIBVTIVA.

## DVBIVM CXXVII.

*An in conferendis honoribus, & dignitatibus locum habeat in Religionibus iuſtitia diſtributiua.*

### SVMMARIVM.

1. *PRalatura vel ſit honor, vel onus ſub qualibet ratione ſecundum menſuram iuſtitia diſtributiua eſt diſtribuenda.*

2. *Alijs rationibus probatur inter Regulares circa dignitates, & honores locum habere iuſtitiam diſtributiuam.*

3. *Pacis bonum in Religionibus eſt petendum à recta adminiſtratione iuſtitia diſtributiua: & ſatisfit cuidam obiectioni.*

Præſentem tractatum ferè nouum libenter aggredior ob duo. Quorum prim. eſt, *quia regimen*, ait S. Thom. 7. polit. lect. 10. *fundatum ſuper iniuſtum ſubditorum non eſt benè manſiuum, quia ſubditi grauati per iniuſtitiam ſunt amaro animo, & de facili poſſunt corrumpere regimen*: idque præſertim contingere Clauſtralibus poteſt; non ſolùm ob monitum Nauarri comm. 4. de Regul. n. 24. Nimis durum eſt omni honore, ac officio in Religionibus priuari, & opus eſt maxima patientia, cuius rei æquanimis patientia non eſt omnium, ſed paucorum, quos Iuppiter æquus amat, & ardens euexit ed æthera virtus: ſed quia per profeſſionem iuri meritorum non renuntiarunt, vti dicam inferiùs: vndè experientia docet, conturbationes, quæ aliquandò in Religionibus excitantur, ſuborti ex iniuſto adminiſtrato Imperio; nam multi grauati tantum patientiæ onus ferre non valent. Sec. quia magis occurrendum eſt regiminis corruptioni, quàm malorum Religioſorum ſcandalis; nam hæc ſunt neceſſaria non ſolùm in Eccleſia, teſte D. Auguſt. in pſalm. 79. *Neceſſe eſt, vt inter ſcandala, Zizania, & paleam gemat Eccleſia*: *quia*, inquit idem S. Auguſt. in pſalm. 25. in prim. enarr. *cum quiſque profecerit in Eccleſia neceſſe eſt, vt patiatur malos in Eccleſia*: ſed etiam in Religionibus ad Monachorum profectum, & ad virtutum exercitium, vt optimè tangit B. Laurent. Iuſtin. de interiori conflictu c. 2. *Huiuſmodi autem perſecutiones* (de quibus dixit ſupr.) *apertæ, operaque nefanda, quamquam longè ſint a Congregationibus iuſtorum; minimè tamen in ipſis ſcandala deſunt, quæ, dicente Domino, ſunt neceſſaria, vt veniant, quatenus virtus exerceatur habita, aut nondum inchoata initium ſumat; occaſione talium oritur perſæpè ſolicitior cura charitatis, ſuimet ſcientia clarior, & cautela conuerſandi prudentior*: & Abb. Trithem. in orationibus habitis in conuent. Abbat. orat. 4. pag. 874. loquendo de maximo ſcandalo fugitiuorum, & Apoſtat. *Nam*, inquit, *& Sanctiſſimi Patres clauſtralium Rectores fugitiuos olim complures habuerunt, & apoſtatas, quorum malitia nec bonis nocuit, nec innocentibus fuga ſcandaloſa fuit: hinc S. Ioann. Apoſtol. 1. Epiſt. c. 2. de quibuſdã ſimilibus ait: Exierunt à nobis, ſed non erant ex nobis: oportet in*

*Religionibus fugitiuos, & apoſtatas eſſe, vt bonorum perſeuerantia comprobetur*: vndè ob malos non perit pia, ac religioſa fraternitas, teſte D. Auguſt. pſal. 132. *Veruntamen chariſſimi, ſunt qui & Monachi falſi ſunt, & nos nouimus tales, ſed non peryt fraternitas pia propter eos, qui profitentur, quod non ſunt*: & ideò hanc regulam tradit generalem idem D. Auguſt. in pſalm. 92. *Neceſſe eſt, vt, ſi proficis, inter iniquos viuas, ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede*: illa verò (id eſt corruptione) introducta, totum deuaſtatur regimen, teſte D. Thom. ex D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 11. lect. 4. *Primum malum communitatis eſt diſſenſio, vndè cætera oriuntur; vbi enim diſſenſio nihil rectum inuenitur*: & S. Antonin. part. 2. tit. 4. cap. 8. §. 4. loquendo de Regularibus: *Ex ſeditione tota vita regularis deficit*: & excitat clamores vſque ad ſuprema tribunalia, vt notat Rodriq. tom. 2. quæſt. 1. art. 1.

Illis ergo prætermiſſis, quæ ſpectant ad hanc materiam, de quibus DD. & ego in primis dubijs, hìc alia dubia ſunt inueſtiganda, & primum eſt præſens, licèt in tertio dubio iam fuerit diſcuſſum, ſed vt magis roboretur, trado hanc concluſionem.

*CONCLVSIO.*

1. NOn videtur dubitandum, quin Prælaturæ regulares non cadant in earum adminiſtratione ſub menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ. Suadetur: vel Prælatura eſt honor, vel onus; ſi prim. eſt quippè honor communis, vt optimè dicit S. Thom. 7. polit. lect. 10. *Principari autem in politia eſt honor communis*: imò bonum in bonum ſubditorum ordinatum, inquit Dionyſ. Carthuſ. de regim. politiæ art. 13. *Prælationes, dignitates, Principatus, atque officia chriſtianæ Religionis ſunt quædam obſequia in bonum ſubditorum ordinata, & ad communitatis vtilitatem, non ad propria commoda Præſidentium referenda*: ergo omnes Religioſi de illis ſecundum merita, ne confuſio oriatur, participare debent; vndè Ariſt. 2. polit. cap. 1. reprehendit illos, qui dignitates abſque virtutibus, ac meritis conferunt, quia fit Ciuitas maximè vna; quod nequit fieri: ſi ſecund. ſanè ſecundum vires eſt diſtribuendum, vt probat Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 1. ſect. 3. n. 56. onus enim non repugnat ſtatui religioſo: ſed neutro modo poteſt diſpenſari abſque menſura iuſtitiæ diſtributiuæ, quia eſt regula honorum, & onerum, vt omnes ſatientur: ergo in Religionibus ea eſt omninò ſeruanda. Ratio hæc deſumitur ex doctrina S. Thom. 2. polit. lect. 1. in fin. *Iuſtum eſt*, inquit, *quòd omnes ſimul participent de Principatu, ſiue principari ſit quoddam bonum, ſiue malum, quia de communibus bonis, & communibus oneribus iuſtum eſt, vt æqualiter participent, qui ſunt æquales in Ciuitate*. Huic forti rationi alia non inferioris roboris addatur: ſi in Religionibus nulla exiſteret obligatio ſeruandæ iuſtitiæ diſtributiuæ, tolleretur omne ius tam actiuum, quàm paſſiuum à Religioſis per profeſſionem acquiſitum in omnibus electionibus, qui per votum paupertatis non renuntiarunt bonis ſpiritualibus, nec iuribus prædictis, aut honoribus, qui eis debentur, vt inquiunt Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 4. dub. 5. n. 26. Sanch. in ſumm. lib. 7. c. 8. n. 25. imò S. Thom. opuſc. 19. cap. 2. ſed id nequit iuſtè dici: ergo neque iuſtè dici poteſt Religioſos eximi ab obligatione ſeruandi prædictam iuſtitiam. Tertia ratio deſumitur ex verbis ipſis Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. n. 56. dicentis. Non enim mihi perſuadere poſſum, quòd Prælaturæ regulares inſtitutæ ſint ex primaria, vel ſecundaria intentione, vt præmia, ſed ſolùm ad bonum communitatis, & vt Religio habeat bonos Prælatos, à quibus regatur; cum enim religioſus ſtatus ordinetur ad hoc, vt ſubditi perfecti ſint contemptores honoris temporalis, & procul ab omni ambitione, ac deſiderio imperandi, imò ex ſe abhorreant huiuſmodi officia, quomodò Inſtitutores potuerunt ex ſecundaria etiam intentione ad hoc inſtituere Prælaturas, vt eſſent præmia meritorum? hæc Lugo: ex quibus verbis deducitur iſta conſequentia: ergo in cæteris bonis, commodiſque Religionis nulla exiſtit obligatio ſeruandi huiuſmodi iuſtitiam: ſuadetur, nam ratio formalis, quarè Religioſis non debentur iura iuſtitiæ diſtributiuæ in honoribus, eſt ſecundum Lugo quia eorum ſtatus petit,

vt ſint contemptores honoris temporalis: ſed idem ſtatus petit etiam, vt ſint contemptores omnium aliorum bonorũ, vt vno ore fatentur SS.PP. vndè S.Bernard. in apolog. ad Gulielm. Abbatem loquens in perſona ſanctorum Religioſorum ait: *Habentes victum, & veſtitum, & quibus tegamur, his contenti ſumus*: & Cęſarius in admonition. 25. inquit: *Ad profeſſionem noſtram pertinet ſubiectione, & abiectione gaudere, paupertatis ſtudium quærere, & non ſolum facultates, ſed etiam ipſas voluntates de cordibus eradicare*: igitur in nullis Religioſorum bonis ratio iuſtitiæ diſtributiuæ habenda eſt: & ita quilibet Superior eſt abſolutus Dominus, & non fidelis adminiſtrator; & quis non videt mille incommoda fore excitanda? Quarta ratio eſt, quia tale regimen, & dominium non eſſet naturale, & conſequenter tyrannicum, & aperiretur via diſcordijs, ac ſeditionibus, quæ omnia è directò opponuntur omni rectæ adminiſtrationi dominij. Prima pars habetur, quia vnus, vel ſaltem pauci, alijs excluſis, qui meritorum ſunt pares, poſſent ſemper etiam ſub zelo, & bono communi Prælaturas poſſidere: & hoc eſt contra naturam talis regiminis, vt vult S. Thom. 3. polit. in fin. lect. 15. *Non igitur*, inquit, *naturale eſt vnum ſecundum ſuam voluntatem principari, aliquibus ſimilibus, & æqualibus ei ſecundum virtutem*: ex hoc enim ſequitur ſecunda pars; nam eo ipſo, quòd regimen erigitur contra naturam, erigitur quidem tyrannicum, inquit Ariſtot. 3. polit. c. 12. *Tyrannicum verò non eſt ſecundum naturam*. Ratio deſignatur à D. Thom. in 3. polit. vbi ſupra lect. 6. *In tyrannide autem, & alijs tranſgreſſis non eſt iuſtum ſimpliciter. Tale iuſtum*, ſubdit lect. 7. *æquale videtur eſſe, vel conſiſtere in quadam æqualitate ſecundum proportionem, quæ non ſolùm attenditur ex parte rerum, quæ diſtribui debent, ſed ex parte ſuppoſitorum, quibus debet fieri diſtributio*: quarè non eſt mirandum, & hæc eſt tertia pars, ſi tandem diſcordiæ gliſcant, ſeditioneſque ſuſcitentur; inhonorati enim inſpicientes alios frui honoribus, ac Prælaturis præter naturam regiminis, cum ipſi ſint meritorum pares, audacter ſeditiones aggrediuntur, vt experientia docet, & tradit Ariſt. 5. polit. cap. 3. *Ipſi enim inhonorati, & alios honoratos cernentes ſeditionem aggrediuntur*. Nec dicas, ſeditionem non excitari, duce experientia, quia falſum eſt; nam cum eius radix ſit voluntas, inquit S. Thom. 5. polit. lect. 2. ideò pauló ante eam appellat ſeditionem occultam: *Seditio eſt enim occulta diſſenſio*: proindè priùs excitatur in voluntatibus, dum oppreſſi ſeparantur, ac diuiduntur per triſtitiam ab illorum voluntatibus, qui intendunt ſemper poſſidere Prælationes, earumque commodis frui; vndè habent voluntates illis contrarias, quæ demum, inquit S. Thom. vbi ſupr. & data temporis opportunitate in apertas ſeditiones proſiliunt. O quot caſus poſſunt deſignari tali tempore orti, qui iam per longum tempus ante in voluntatibus erant nati. Ex hac doctrina cognoſcant Prælati, quàm neceſſarium ſit Religioſorum animos debitis ſatisfactionibus tam in honoribus, quàm in alijs commodis in vnum colligere, & conglomerare; & ideò S. Auguſt. S. Thom. & alij citati in dub. 103. ſtatuunt vnitatem iuris eſſe finem recti regiminis. Vltim. ſuadetur ex eo, quòd reſecaretur pax ex Religioſorum congregationibus, de qua tam egregiè loquitur S. Auguſtin. in appendice ſerm. 57. *Concordia ergo*, inquit, *fratrum voluntas Dei eſt, iucunditas Chriſti, perfectio ſanctitatis, morum cuſtodia, atque in rebus omnibus laudabilis diſciplina*: quam toto conatu deſtruere Satanas ſatagit; ea enim deſtructa, bonum ſocietatis deſtruitur, eaque conſeruata, vires nocendi amittit inimicus: *Nihil aliud appetit Satanas*, ait idem Sanctus lib. 3. contra Parmenian. *veneniſſima verſutia ſua, niſi vt corrumpat, atque diſrumpat vinculum pacis, & charitatis, quo conſeruato inter Chriſtianos, vires eius inualidæ ſunt ad nocendum, & muſcipulæ inſidiarum comminuũtur, & conſilia euaneſcunt*: quam S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 2. & Ægid. Roman. de regim. Princip. 2. p. lib. 3. c. 3. pro fine regiminis, & Imperij ſtatuunt; quo obtento, obtinetur etiam multitudinis conſeruatio, vt notat Abulenſ. de polit. in Parad. *Ciuilis communitas pacem deſiderat, & pace conſeruatur*: ergo, ne tantum bonum è Religionis gremio reſecetur, non reſecetur iuſtitia diſtributiua in honori-

bus

bus conferendis: conſequentia habetur à S. Thom. 2. polit. lect. 9. *Per iuſtitiam conſeruatur pax Ciuitatis*; & à DD. prout in ſequentibus dubijs: audiamus etiam Ægid. Roman. vbi ſupr. lib. 1. part. 2. c. 11. *Ad hoc autem, vt Regna ſubſiſtant; & pacificè moueant, vtraque iuſtitia tam generalis, quàm ſpecialis eſt neceſſaria*: & in fine capitis in laudem iuſtitiæ ait: *Sicut anima continet corpus, quia, recedente ea, corpus diſſoluitur, & marceſcit: ſic iuſtitia continet vrbanitates, ideſt Ciuitates, & Regna, quia ſine ea diſſoluuntur, & non poſſunt Regna ſubſiſtere; valdè igitur iniuriatur Regno, & Regi, qui iuſtitiam non ſeruat.*

Dices, eſto veriſſimum ſit pacem, quæ oritur ex iuſtè adminiſtrato Imperio, eſſe neceſſariam pro Religionis conſeruatione; nihilominus obtinetur per alias virtutes, quàm per iuſtitiam diſtributiuam, præſertim per charitatem, quam inter ſe colere debent Religioſi. Reſpond. rationem eſſe illorum, qui ſemper volunt frui Imperio, eiuſque commodis; nam quippè ſciunt in Religionibus maiorem hominum partem eſſe imperfectam, & in perfectione langueſcere, ipſaſque Religiones habere declinationem, & occaſum, in quo virtutes deperduntur, frigeſcente charitate, eſſe ſubiectas factionibus, ac ſeditionibus; imò & Superiorum tyrannidi; ſciunt etiam, vel ſcire debent iuſtitiam à diuina Sapientia deſignari, vt obſtet malis enarratis, ſuſtinendo illarum occaſum, ac ſuccurrendo ſubditorum infirmitati, vndè opus eſt mirari eorum doctrinam; & ſimul concludere eſſe velamen ad celandum illud, quod S. Thom. 3. polit. lect. 5. ex Ariſtot. mente recitat: *Homines propter vtilitates, quæ veniunt ex bonis communibus, quæ ſibi Principantes vſurpant, & quæ veniunt etiam ex ipſo iure Principatus, volunt ſemper principari, ac ſi principari eſſet ſanum eſſe, & nõ principari eſſet infirmum eſſe; ſic enim videntur homines appetere Principatum, ſicut infirmi appetunt ſanitatem.*

## DVBIVM CXXVIII.

### *An Religionis conſeruatio petenda ſit à rectè adminiſtrata iuſtitia diſtributiua.*

### SVMMARIVM.

1. *IN quocunque negotio requiritur ſcientia, etiam in regiminibus ad hoc, vt pro finis conſecutione media dirigantur.*

2. *Regiminis media ſe habẽt in duplici differẽtia, de quibus, vt Reſpublica conſeruetur, cognitionem habere oportet.*

3. *Rectorum vltimatus finis eſt Religionis conſeruatio.*

4. *Medium efficax influens in huiuſmodi conſeruationem, ſicut & obſtans nociuis eſt iuſtitia diſtributiua: & duabus obiectionibus ſatisfit.*

5. *Id eſt à natura inſtitutum.*

1. Vt magis doctrina præcedentis quæſiti eluceſcat tam præſens, quàm ſubſequentia quæſita agitantur: Pro quorum intelligentia ſit prim. notand. quòd *Cuiuſlibet effectus cogniti naturaliter homo cauſam ſcire deſiderat; intellectus humanus cognoſcit ens vniuerſale: deſiderat igitur naturaliter cognoſcere cauſam eius, quæ ſolùm Deus eſt.* Ita S. Thom. lib. 3. contra Gentil. c. 25. vndè *Sublata cognitione, & ſcientia*, inquit Cicero lib. 1. de fin. bon. & malor. *tollitur omnis ratio & vitæ agendæ, & rerum gerendarum*: hinc eſt, quòd in omnibus rebus tam ſpeculatiuis, quàm practicis ad earum veritatem aſſequendam requiritur ſcientia, quarè in multitudine dirigenda ad finem intentum ſcientia deſideratur in Gubernatore, ſeù Rectore, aliàs nunquam media proportionata pro finis conſecutione extenderentur, vt optimè inſinuat S. Thom. 5. polit. lect. 7. *Scientia autem eſt*, ait, *communis omnibus; oportet enim, quòd habeant ſcientiam Principes, & in ducatu exercitus, & in regimine Ciuitatis; aliter enim non poſſunt dirigere in finem intentum ea, quæ ſunt ad finem*: ex quibus verbis deducitur ſcientiam non inueſtigare regiminis finem, ſed,

eo præſuppoſito, cogitare de medijs, vt ex eodem D. Thom. 1. de regim. Princip. cap. 2. elicitur: *Nec rectè conſiliatur, an pacem faciat in multitudine ſibi ſubiecta Rector, ſicut nec medicus, an ſanet infirmum ſibi commiſſum; nullus enim conſiliari debet de fine, quem intendere debet, ſed de his, quæ ſunt ad finem*: idem dicit Ægid. Roman. de regim. Princip. 1. part. lib. 3. cap. 13. *Nam ſicut medici non eſt conſiliari de ſanitate, ſed cuius eſt intendere ſanitatem tanquam finem; ſic cuius eſt Ciuitatem ordinare, non eſt conſiliari de pace, & de concordia ciuium; nam vt dicitur 3. eth. conſilium non eſt de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem; pacem enim, & concordiam ciuium debet intendere Rector Ciuitatis, tanquam finem.*

2. Not. ſecund. quòd media inueſtiganda pro finis conſecutione, ſe habent in duplici differentia: quædam ſunt directè influentia in conſeruationem multitudinis, quæ eſt finis regiminis, & Regentis: quædam verò ſunt corruptiua ipſius finis; vndè illa cognoſci nequeunt, niſi Rector profundè ſciat media, per quæ corrumpuntur, vt optimè dicit Ariſtot. 5. polit. c. 8. *Illud autem ante omnia patet, quòd, ſi ſciamus per quæ corrumpuntur Reſpublicæ, ſcimus etiam per quæ conſeruantur; contrariorum enim contrarij effectus.* Ratio huius doctrinę eſt, inquit S. Thom. 5. polit. lect. 1. *Quia contrariorum contraria ſunt principia: ſed corruptio, & ſaluatio ſunt contraria: ergo habent contraria principia: ſi ergo habemus, quæ ſunt principia tranſmutationis, & corruptionis Rerumpublicarum, habemus, quæ ſunt principia ſaluationis; quoniam contraria.*

### PRIMA CONCLVSIO.

3. RECtorum, ſeu Prælatorum vltimatus finis in ſuo regimine nil aliud eſt, quàm Religionis conſeruatio. Concluſio de ſe patet, & firmatur à Platon. de Republ. lib. 1. & 3. *Publica vtilitas, & ſalus debet eſſe ſcopus magiſtratui propoſitus*: & etiam à S. Thom. ex Ariſtot. 3. polit. lect. 3. *In Republica ſunt diuerſi ciues habentes diuerſa officia, & ſtatus diſſimiles, per quos exercent proprias operationes in Ciuitate; opus commune omnium eſt ſalus communitatis, quæ quidem communitas conſiſtit in ordine politiæ*: & fundatur in natura. Boetius lib. 3. de Philoſ. conſolat. ait: *Dedit enim Prouidentia Dei creatis à ſe rebus hanc, vel maximam manendi cauſam, vt quoad poſſunt, naturaliter manere deſiderent; quarè nihil eſt, quòd vllo modo queat dubitari, cuncta, quæ ſunt, appetere naturaliter conſtantiam permanendi, deuitare perniciem*: & S. Thom. contra Gentil. lib. 3. cap. 19. *In omnibus rebus euidenter apparet, quòd eſſe appetunt naturaliter; vndè & ſi quæ corrumpi poſſunt, naturaliter corrumpentibus reſiſtunt, & tendunt illuc, vbi conſeruantur, ſicut ignis ſurſum, & terra deorſum.*

### SECVNDA CONCLVSIO.

4. MEdium efficax directè influens in finem prædictum omninò cenſendum eſt eſſe iuſtitiam diſtributiuam rectè adminiſtratā tam in conferendis Prælatutis, quàm in omnibus alijs bonis Religionis diſpenſandis. Suadetur ex doctrina S. Thom. 5. polit. lect. 1. aſſerentis, quòd *Reipublicæ ſaluatio ab omnibus intenditur; Reſpublica autem ſaluari nequit ſine coniunctione, nec coniunctio fieri poteſt, niſi reddatur æquale*: ſed iſtud æquale æqualiter ſecundum proportionem geometricam nequit diſtribui abſq; iuſtitia diſtributiua, quia eſt eius menſura; ideò dicebat Auguſt. lib. de quant. anim. to. 1. *Nihil aliud dicimus iuſtitiā, niſi æquitatem; æquitas autem ab æqualitate quadam videtur appellata, ſed quæ in hac virtute æquitas, niſi vt ſua cuique tribuantur?* ergo huiuſmodi iuſtitia inſpicienda eſt tanquam medium efficax influens directè in voluntatum coniunctionem, & vnionem, & conſequenter in Religionis conſeruationem.

### TERTIA CONCLVSIO.

PRincipium, ſeù medium efficax obſtans principijs corruptionis Reipublicæ, ſeù Religionis nonniſi huiuſmodi iuſtitia deſignari poteſt: Suadetur ex doctrina S. Thom ex Ariſtot. deſumpta 5. polit lect. 2. quæ docet ſeditionem eſſe cor-

ruptionem

ruptionem omnis recti regiminis, cuius principia ſunt honor, & lucrum, quatenus iniuſtè à Regentibus vſurpantur; vndè de vtroque ſequentia verba notat: *Contingit enim Principantes iniuriari ciuibus, & eoſdem excellere honoribus, vel lucro propter quod ciues mouent ſeditionem; manifeſtum eſt, quia, cum Princeps accipit bona ſubditorum, voluntatem habet ad accipiendum, alij habent contrarias voluntates: ergo diſſident voluntates: ſed diſſenſio voluntatum radix eſt ſeditionis propter iniuriam: igitur & lucra mouent ſeditionem*: & paulò inferiùs, *Manifeſtum eſt, qualiter honor eſt cauſa ſeditionis; cum enim aliqui non honorantur, videntes alios honoratos faciunt ſeditiones; tunc enim diſſident voluntates, hoc autem eſt radix ſeditionis*: ſed iuſtitiè diſtributiuæ munus non permittit, vt iniuſtæ diſtribuantur honores, cæteraque commoda Religionis; ergo voluntates in vnum cogit, eiſque non præbet occaſionem diſſidendi: ergo omninò dicendum eſt huiuſmodi iuſtitiam obſtare ſeditionis principijs.

Dices, principia corruptiua regiminis non ſolùm videntur eſſe honores, & commoda iniuſtè, & in exceſſu poſſeſſa, ſed etiam tyrannis; ideò dicebat S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *Si igitur regimen iniuſtum per vnum, aut per plures tantùm fiat, qui ſua commoda ex regimine quærunt, non autem bonum multitudinis ſibi ſubdictæ, tales Rectores Tyranni vocantur nomine à fortitudine derinato, quia ſcilicet per potentiam opprimunt, non per iuſtitiam regunt*: quarè iuſtitia diſtributiua non videtur aduerſari huic malo. Reſpond. falſum eſſe, quia Princeps tunc cenſetur Tyrannus, quandò bona communia in ſubditorum vtilitatem diſtribuenda, in proprium commodum trahit, quarè eò ipſo, quòd iuſtitia diſtributiua honores, & lucra vnà cum omnibus alijs commodis ſecundum proportionem geomatricam diſpenſat, non ſolùm è medio tollit omnem ſeditionem, ſed etiam omnem ſpeciem tyrannidis; vndè Rectores nequeunt in hoc malum labi; proindè aiebat Ægid. Roman. de regim. Princip. 2. part. lib. 3. c. 2. *Si in aliquo dominio, aut Principatu intenditur bonum commune, & omnium ciuium ſecundum ſuum ſtatum ſic eſt æquale, & rectum*.

Dices, Religioſorum cœtus non ſolùm ordinatur ad ſaluandam eius integritatem in ordine ad regimen, ſed multo magis ad promouendam perfectionem, ad quam quilibet Ordo eſt inſtitutus, in quam non influit iuſtitia diſtributiua. Reſpond. quòd, licèt veriſſimum ſit huiuſmodi iuſtitiam non influere in prædictam perfectionem tanquam in effectum, nihilominus negari nequit eſſe potiſſimam cauſam excitantem ad eam promouendam, imò illius tutamentum tam pro parte Prælatorum, quàm pro parte ſubditorum: pro parte Prælatorum, inquam, quia ipſi negligendo propria emolumenta præter debitam menſuram, ob quæ conſequenda facillimè homines deſerunt proprium munus, dicente S. Thom. 1. de reg. Princip. c. 11. *Nullus enim à iuſtitia declinat, niſi cupiditate alicuius commodi tractus*: ab omni commodo, & lucro expediti curabunt, vt homines incedant per viam perfectionis iuxta inſtituti obligationem: pro parte etiam ſubditorum, quia cum in ſumma tranquillitate, & pace vitam trahant ob iuſtè adminiſtratam iuſtitiam, perfecti tanquam non oppreſſi in perfectionis ſomno aſſiduè dormient; vndè eis nulla erit occaſio euigilandi: imperfecti verò, quorum numerus longè perfectos excedit, vt dixi in dub. 38. alijſque in locis, cum non adſcribantur mediante iuſtitia diſtributiua rectè diſpenſata in illa ſententia Nauarr. coment. 4. de Regular. n. 24. dicentis: Nimis durum eſt omni honore, & officio in Religionibus priuari, & opus eſt maxima patientia, cuius regi æquanimis patientia non eſt omnium, ſed paucorum, quos Iupiter æquus amat, & ardens euexit ad æthera virtus: impatientia ducti non proſilient in murmurationes, & querelas, & ſeditiones, ſed à propria ſatisfactione iuxta meritorum menſuram inuitati ſe promouebunt ad magis, ac magis perfectionē acquirendam, imperfectionibus medendo, ambitionemque extirpando, vt in aptitudine pro officijs gerendis conſeruentur: mali tandem, qui in paruo numero, ita ordinante diuina Prouidentia, in Religionibus morantur, cum non habeant Prælatos eos ob commoda aſſequenda tuentes,

nec

nec etiam ſubditos ob malas animorum amaritudines ex huiuſmodi iuſtitia denegata, eis adhærentes, nihil, aut parum Religioſorum profectui obſtabunt: quare neceſſariò concludendum eſt cum Rodriq. rom. 3. qu. 34. art. 5. ſuo compend. reſol. num. 5. & Baſſæo in ſumm. tit. Prælatus num. 77. ex iuſtitia oriri pacem Religionis, tutamentum obſeruantiæ regularis, immunitatem communitatis, nutrimentum ſpirituale Monachorum gaudium, & ſilentium, & ſecuritatem in pulchritudine pacis: quòd ſi nonnullæ imperfectiones aduerſus perfectionem adhuc ſunt excitandæ, præſertim ab imperfectis, non erunt æſtimandæ, dum totum corpus exiſtit ſanum, erunt tamen reſecandæ iuxta modum cuiuslibet Religionis. Recordentur tamen Prælati, quòd via ad perfectionem admittit multas imperfectiones, quarum aliquæ erunt diſſimulandæ, aliquæ verò comprimendæ, vt prima principia benè regulati regiminis poſtulant.

## QVARTA CONCLVSIO.

5. ITa eſt petenda Religionis conſeruatio à iuſtitia diſtributiua, vt hoc eſſe inditum à natura videatur. Probatur ex doctrina D. Thom. contra Gentil. lib. 3. cap. 129. ſic loquentis: ***Cuicunque eſt aliquid naturale, oportet etiam eſſe naturale id, ſine quo illud haberi non poteſt; natura enim non deficit in neceſſarijs; eſt autem hominis naturale, quòd ſit animal ſociale, quod ex hoc oſtenditur, quòd vnus homo ſolus non ſufficit ad omnia, quæ ſunt humana vitæ neceſſaria: ea igitur, ſine quibus ſocietas humana conſeruari non poteſt, ſunt homini naturaliter conuenientia: huiuſmodi autem ſunt, vnicuique, quod ſuum eſt, conſeruare, ac dare, & ab iniurijs abſtinere.***

In calce quæſiti in gratiam cuiuſdam amici eſt addendum, imò occurrendum admirationi alicuius Lectoris, qui, lecta doctrina relata, in hæc verba erupit. Mirandum, quòd, cum Religiones ſint erectæ, ac inſtitutæ ad maximum opus in Dei Eccleſia, nempè ad debellandas hæreſes, ad roborandam fidem, ad delenda vitia, & firmandam legem diuinam, ſicut dixi in dub. 41. idque videtur copioſiùs apud Grauinam in libello, cuius titulus eſt. *Vox Turturis*: & in libro, cuius titulus eſt. *Congeminata vox Turturis*; vnde Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Monach. c. 45. loquens de Religionibus S. Dominici, & S. Franciſci ait: Nam hoc genus vitæ, idest Mendicantium, innumeris ſignis, & prodigijs confirmatum eſt, quæ Deus edidit per SS. Dominicum, & Franciſcum authores huius vitæ: deindè ab eo tempore conuerſio Gentilium, confutatio hæreticorum, pietas populi Chriſtiani, conſeruatio Theologiæ, & innumera alia bona Ordinibus Mendicantium maxima ex parte accepta, referenda ſunt. Mirandum, inquam, quòd pro fundamento conſeruationis earum ſtatuatur iuſtitia diſtributiua, ac ſi eſſent Reſpublicæ temporales, vndè multùm paruipenduntur; & ideò earum conſeruatio à virtute alterius ordinis tanquam à fundamento eſt petenda.

Ad expellendam omnem admirationem duo ſunt adnotanda. Prim. quòd illa tam ſublimis perfectio conſiliorum ſacri Euangelij, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, ac obedientiæ, quam obſeruant Clauſtrales, prius fuit promiſſa, & obſeruata à ſacro Collegio Apoſtolico, vt inſinuant SS. PP. dicta, quandò Petrus vice omnium Apoſtolorum, dixit Chriſto: *Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Matth. 19.* quaſi dicat, non in affectu ſolùm, ſed in effectu, te ipſa omnibus renunciamus; nec puerili renuntiatione temporaria, ſed firma, atque perfecta, nec diuitias tantùm, ſed vxorem item dimiſimus, & ſequuti ſumus te. *Quorſum enim*, arguit Hieronymus, *Chriſtus de proemio propter vxores relictas ſermonem intuliſſet, niſi in illo omnia, etiam vxores intellexiſſet? In illo ergo omnia; vide diſcipulorum & paupertatem, & caſtitatem: & in illo ſequuti ſumus te, perfectam diſcipulorum obedientiam agnoſce*: quorum votum Auguſtinus exprimit lib. 17. de ciuitat. Dei cap. 4. dicens: *Hoc votum potentiſſimi vouerunt.* & D. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 4. ad 4. qu. 188. art. 7. *Non eſt ambigendum*, quia

Apoſtoli

*Apoſtoli vouerint omnia, quæ ad perfectionis ſtatum pertinent, quandò Christum, omnibus relictis, ſequuti ſunt*: cui ſententiæ Epiphan. Hoereſi 18. aſtipulatur, & quotquot ab Apoſtolis, Euangelij cunabulis, aſſerunt Monachorum cœpiſſe primordia. Bern. lib. de Amore Dei: *Laus huius diſciplinæ, ab Apoſtolis ſumpſit exordium, &c.* Petr. Damian. tom. 1. Epiſt. 19. ad Clericos. *Apoſtolos certè, & ſucceſſores eorum, ſi irreuerebatis oculis paginas noui teſtamenti percipitis, Monachico; non Canonico more viuere inuenietis*: imò pauló ante dicit: *Multùm, fratres cariſſimi, ſi digni eſtis audire, miramur quomodò, vel ob quam cauſam conamimi nos à conſortio, & vnitate vniuerſalis Eccleſiæ ſeparare, cum conſtet à Monachis, non à Cononicis vniuerſalem Eccleſiam fundatam, & gubernatam, & à diuerſo errore cribratam. Apoſtoli nempè fundatores, & Rectores Eccleſiarum noſtro, non veſtro more viuebant, vt Lucas Euangeliſta in Actibus Apoſtolorum refert.* Abbas Ioachimus libro introductorio in Apocal. c. 20. *Ordo Religioſorum inſtitutus ab Apoſtolis in Eccleſia primitiua*. Concil. Melden. cap. 9. *Sacrum Monaſtichum Ordinem ab ipſis Apoſtolis fundatum, &c.* Etſi in Concil. Colon. dicatur, non multò poſt Apoſtolorum tempore incœpiſſe; non exordium, ſed incrementum, vt intelligit Baſil. Pont. lib. 7. de impedim. matrim. cap. 2. num. 16.

See. quòd duo maximi ponderis euenerunt in illo ſacro Collegio, Prim. fuit electio à Chriſto facta de homine illo malo, nempè Iuda ad dignitatem Apoſtolatus non ſine magno arcano. *Ne*, inquit D. Auguſt. in pſalm. 34. conc. 1. *ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine malo, hoc ad exemplum noſtrum patientiæ; quoniam neceſſe erat, vt inter malos viueremus*: & in pſalm. 55. ſubdit. *Electi vndecim ad opus probationis, electus vnus ad opus tentationis*. Sec. fuit illa conturbatio ab ambitione ducta vniuerſalis totius Collegij Apoſtoloci, quandò omnes indignitati de duobus fratribus, qui per Matrem petebant dexteram, & ſiniſtrã Regni Chriſti, vt notat S. Matth. 20. & ſi quæras rationem, nulla alia deſignari poteſt ſatis congrua, niſi omnia merita, quaſi æqualia, vt optimè tangit hiſce verbis Abulenſ. in Matth. cap. 20. quæſt. 83. tom. 5. Omnes videbantur quaſi æquales meritis, quia adhuc erant carnales, & nemo excedebat alios valdè: & in explicatione textus hoc clariùs dicit: Irati ſunt, & indignè tulerunt, quia eſſet indignum, quód exiſtentibus eis duodecim, inter quos nondum apparebat tanta differentia meritorum, quòd illi duo ſpecialiter auderent petere primatum, in quo alij contemnebantur: vndè Chriſoſt. hom. 36. in loc. Matth. 20. inquit: *Quemadmodum iſti* (ideſt Iacobus, & Ionanes) *carnaliter petierunt*, & paulò ante: *Neceſſe erat, quòd nel talia cogitarent adhuc ſine auxilio Spiritus Sancti conſtituti: ſic & illi* (ideſt cæteri Apoſtoli) *carnaliter contriſtati ſunt; nam ſicut iſti, ſi ſpiritualiter ſapuiſſent, non fuerant petituri, ut eſſent ſuper omnes: ſic & illi, ſi ſpiritualiter intellexiſſent, non fuerant contriſtaturi eſſe aliquos ante ſe; nam velle quidem eſſe ſuper omnes vituperabile eſt; ſuſtinere autem alterum ſupra, nimis eſt glorioſum*.

Si ergo hæc duo clarè cognoſcuntur in illa ſublimi ſchola Chriſti, ac ſacro Collegio Apoſtolico, quantò magis in qualibet Religione euenire poſſunt: & ita *In qualibet congregatione*, inquit Auguſt. in pſalm. 54. *multitudinis neceſſe eſt, vt inueniantur mali; Deus enim, qui nouit exercendo nos, miſcet nobis, & non perſeueraturos*: & confirmat S. Bernardin. ſer. 24. in ſabb. poſt domin. 2. in Quadrag. art. 2. cap. 3. tom. 2. *In omni ſtatu*, inquit, *& conditione boni ſimul reperiuntur, & mali*: aſtipulatur Trithem. Abb. epiſt. 14. pag. 950. *In omni congregatione frequenter bonis mixti fuerunt etiam mali*: & paulò inferiùs: *Malos etiam Deus ſuſtinet ad exercitationem bonorum, vt, cum iuſtorum innocentia per exercitium prauorum tangatur, mentium ſi quæ ſit ſcoria purgetur*: vndè regula diuina eſt, inquit Auguſt. in

pſalm. 92. *Neceſſe eſt , vt ſi profecis, inter iniquos viuas* : & ita conturbationes, ac indignationes ab ambitione ductæ ratione meritorum poſſunt excitari in qualibet Religione , quæ non attingunt neque dignitatem Apoſtolicam , neque Apoſtolorum ſanctitatem , eò præſertim quia ſæpè reiterantur electiones : & ſicut nullum remedium poteſt dari ad obſtandum malis , ne tandem ingrediantur in Religiones , quia eſt arcanum occultum diuinæ Prouidentiæ ; teſte D. Auguſt. de Bono perſeuer. c. 13. tom. 7. *Non perſeueraturi perſeueraturis prouidentiſſima Dei voluntate miſcentur , vt eſſe diſcamus non alta ſapientes , ſed humilibus conſentientes , & cum timore , & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur ; Deus enim eſt , qui operatur in nobis velle , & perficere pro bona voluntate , &c. hoc nobis expedit & credere , & dicere : hoc eſt , pium, hoc verum , vt ſit humilis , & ſubmiſſa confeſſio , & detur totum Deo* : ita deſignari poteſt remedium ad occurrendum conturbationibus ex meritis, & demeritis Religioſorum ortis ab ambitione , nempè diſtributio dignitatum , ac honorum iuxta menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ , cuius officium eſt ſecundum DD. diſtribuere dignitates , ac honores , ac onera iuxta merita ; & ideò maximo cum fundamento ſtatuitur iuſtitia diſtributiua pro conſeruatione Religionum , quod fuit animaduerſum à S. Auguſt. in pſalm. 99. verbis admiratione plenis , & loquitur de Regularibus : *Bona cogitatio humana laudabilis eſſe cum talibus , qui elegerunt vitam quietam , remoti à ſtrepitu populari , à turbis inquietis , à magnis fluctibus ſæculi , tanquam in portu ſunt : iam ibi gaudium illud ? iam ibi iubilatio , quæ promittitur ? nondum , ſed adhuc gemitus , adhuc ſolicitudo tentationum ; habet enim aliundè & portus aditum ; ſi nulla ex parte haberet , nulla in eum nauis intraret ; oportet ergo , vt ex aliqua parte pateat ; aliquandò autem per eam partem , qua patet , ventus irruit , & vbi ſcopuli non ſunt , naues ſe inuicem colliſæ confrigunt : vbi ergo ſecuritas , ſi nec in portu ? & tamen vtcunque feliciores in portu , quam in pelago fatendum eſt , concedendum eſt, verùm eſt ; tamen ſi nauis in portu benè ſibi applicentur , non ſibi colliduntur ; ſeruetur ibi paritas æquabilitatis , conſtantia charitatis, & quandò fortè ventus ex illa parte , qua patet , irruerit , ſit tibi cauta gubernatio* ; & ita ſeruata iuſtitia diſtributiua , obtinetur finis Imperij , ſcilicet pax , fundamentum aliarum virtutum , dicente S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. cap. 17. *Ad hoc, quòd homo diuinis vacet , indiget tranquillitate , & pace* : ea ablata à Religioſorum familijs, totum Religionis bonum aufertur , teſte Abb. Trithem. in prolog. regul. S. Bened. pag. 174. *Nullum bonum ſubſiſtit , vbi pax non eſt* : & paulò inferiùs : *Maximum decus cœnobitarum eſt vinculum veræ pacis , ſine quo nulla Religio Deo placet ; quàm cito autem pax in congregatione Monachorum extincta fuerit ; totus monaſticæ diſciplinæ vigor peribit ; indè ſuſpiciones oriuntur, & detractiones , diſſenſiones quoque , & partialitates , &c. ſic tota Religio, quandò hoc ſolùm bonum pacis non cuſtoditur .*

Quæſiti materia fortè magis eluceſcet in ſubſequenti dubio.

DV-

## DVBIVM CXXIX.

*An Prælatus ſingulorum ſubditorum merita, vt honore, dignitate, cæteriſque commodis decorentur, inquirere debeat.*

### SVMMARIVM.

1. *EX fine intento, ideſt ex pace, & ex conſeruatione Religionis habetur, Prælatum teneri ſingulorum ſubditorum merita indagare.*

2. *Itidem probatur ex malis, quæ excitantur ex fine non recto: & ſatisfit duobus obiectionibus deductis ex perfectione, & timore.*

3. *Hoc munus ſub mortali incumbit Prælatis, & Rectoribus: & tandem duo maximi ponderis notanda deſignantur.*

### *PRIMA CONCLVSIO.*

1. AFfirmatiua eſt abſolutè deſignanda, & inprimis hoc diſcurſu ſuaderi debet. Cum omnis multitudo ob mentes diuerſas, inquit Bald in l. Ex hoc iure ff. de iuſtit. & iur. n. 3. rapiatur in diuerſas partes; ſed meliùs D. Baſilius de iudic. Dei. *Animaduertebam enim in quauis multitudine diſciplinam, conſenſionemque eouſq; ſolere ſeruari; quoad omnium communiter aduerſus Principem vnum in parendo eius Imperio conſpiratio teneretur, contraque diſſenſiones, atque diſſidia ſimiliter Imperantium etiam multitudinem ex eo naſci, quòd nemo eſſet, qui imperet*: videatur Molin. tom. 1. de iuſtit. diſp. 22. §. Tertio indiget homo. *Ideò oportet*, ait S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *eſſe in omni multitudine aliquod regitiuum; per quod in finem aliquem ea ordinentur. Contingit autem*, ſubdit S. Thom. vbi ſupr. *in quibuſdam, qui ordinantur ad finem & rectè, & non rectè procedere; quarè & in regimine multitudinis, & rectum, & non rectum inuenitur; rectè autem dirigitur vnumquodque, quandò ad finem conuenientem deducitur; non rectè autem, quandò ad finem non conuenientem*: quiſnam erit ſtatuendus finis, cui nomen conueniēs conuenire poſſit? non alium cenſent, qui tractant de regimine, vt S. Thom. 3. de regim. cap. 5. Ægid. Roman. 2. part. lib. 3. cap. 3. de regim. Princip. & Dionyſ. Carthuſ. de regim. politiæ art. 4. in opuſc. quàm pacem, & vnitatem: verùm non ignorare pacem eſſe finem omnis regiminis, & Imperij eſt nihil ſcire, niſi etiam non ignoretur, per quod procuretur, & conſolidetur in multitudine, ne in diuerſa diſpergatur, cum proprium ſit, inquit S. Thom. vbi ſupr. c. 15. *Vt vnitas multitudinis, quæ pax dicitur, per Regentis induſtriam ſit procuranda*: cui adhæret Dionyſ. Carthuſ. vbi ſupr. art. 3. *Ad Rectores*, ait, *vt diligentiores exiſtant in procuratione, & promotione, ac conſeruatione pacis, & proſperitatis communitatis*: & art. 21. idem repitit: *Ardentiſſimè Princeps tenetur optare, diligere, quærere, & pro viribus procurare ſalutem, & pacem totius populi ſui*: vndenam erunt capeſſenda media pro tam felici pacis bono aſſequendo? nonniſi à iuſtitia, quæ inclinat Rectores, & Iudices ad reddendum vnicuique, quod ſuum eſt, & ad conſeruandum ius proprium cuique ſecundum meritorum menſuram: percipite quæſo aurea verba clariſſimi viri Franciſci Patritij de Repub. lib. 5. tit. 2. *Iuſtitia, quæ firmamentum eſt humanæ ſocietatis, hæc tribuit cuique, quod ſuum eſt, neminem lædit, & vt pæna ſontem, ſic optimè meritos dignitate, & gloria afficit: à iuſtitia manat innocentia, amicitia & concordia, pietas, gratitudo, humanitas, felicitas, quæ munera ſunt optimi ciuis*: non minùs aurea ſunt verba Carthuſ. vbi ſupr. art. 8. *Cum ergo Iudices, & Rectores ad hoc conſtituantur, vt vnumquemque conſeruent indemnem, & pacem communitatis procurent, ac tueantur, oportet eos eſſe eminenter, & immobiliter iuſtos, vt nullo tempore, nullo motiuo contra iuſtitiam agant: quæ vnicuique ius ſuum conſeruet*: & S. Antonin. 4. part. art. 5. c. 3. §. 4. inquit: *Finis, qui intenditur in regimine Ciuitatum, eſt pax; talis autem finis corrumpitur, dum iuſtitia legis non ſeruatur*: ſi autem Religionum Prælati indagationem meritorum ſubditorum, vt dignitatibus, officijs, cæteriſque bonis afficiantur, negligerent, iuſtitiam, inquam,

ſecundum debitum ordinem non colerent, & conſequenter finem omnis Imperij conſiſtentem in ordinata concordia dilaniarent; quia, teſte D. Thom. contra Gentil. lib. 3. cap. 128. *Ordinata concordia inter homines ſeruatur, quandò vnicuique, quod ſuum eſt, redditur, quod eſt iuſtitiæ; & ideò dicitur Iſa. 32. Opus iuſtitiæ pax*: ergo, vt huiuſmodi bonum propagent, indagent etiam debita inquiſitione ſubditorum merita. Quamobrem humiliter omnes precor Prælatos, vt ſæpè lectione repetant egregium dictum Patritij vbi ſupr. lib. 1. tit. 6. *Qua in re in primis peccatur, & iniuſti ſumus erga conciues noſtros, qui cum onera nobiſcum ferant, à muneribus omninò excluduntur*. Secund. ſuadetur: nulli hæſitandum vnumquemque teneri præſertim Præſidentes, & Prælatos ad tuendum, conſeruandumque ſtatum Reipublicæ, ſeù Religionis, vt dicunt communiter DD. & hic eſt alius, & vltimus finis rectus à Rectore intendendus; imò eſt homini naturale ſe exponere periculo pro defenſione boni communis Reipublicæ, vt inſinuat Ægid. Roman. de regim. 1. part lib. 3. c. 14. *Semper bonum commune*, inquit, *præponendum est bono priuato; naturale enim eſt, partem ſe exponere periculo pro toto, vt brachium ſtatim ſe exponit periculo pro defenſione corporis: præter ordinem naturalem ergo agit quilibet ciuis, ſi non exponat ſe periculo pro defenſione patriæ*: ergo ad hoc, vt ſtatus Religionis conſeruetur; tenetur Prælatus ſubditorum merita, vt remunerationе afficiantur, explorare: antecedens ab omnibus admittitur; conſequentia probatur ex eo, quod dicit Abulenſ. Matth. 6. qu. 34. tom. 5. *Ad ſtatum politicum propriè non requiritur aliqua virtus, niſi iuſtitia, quia ſtatus politicus conſiſtit in habitudine vnius ciuis ad alium, hoc autem eſt per ſolam iuſtitiam: nam aliæ virtutes ſunt hominis ad ſe ipſum, ideò iuſtitia ſola politicum conſeruat 5. ethic. & quantùm ad hoc actus iuſtitiæ commutatiuæ, & diſtributiuæ præcipiuntur à lege humana, quia iſtæ ſunt duæ partes iuſtitiæ particularis, ſine quarum actibus impoſſibile eſt ſaltem per paruum tempus ſtare communitatem humanam*: concordat Patritius de Republ. lib. 6. tit. 5. *Satis conſtat*, ait, *iuſtitiam, & æqualitatem duas eſſe virtutes, quæ eiuſdem ſocietatem conſeruant, & ſine quibus nulla Ciuitas diuturnitatem, aut pacem habere poteſt*: ad hoc etiam congruit egregium dictum Ægid Roman. vbi ſupr. 2. part. lib. 1. c. 11. alibi relatum, ita loquentis de iuſtitia diſtributiua: *Sicut ergo corpus naturale non ſubſiſteret, niſi in eo reſeruaretur quadam iuſtitia diſtributiua, vt quod cor in membra debitè influeret; ita Regnum, vel Ciuitas non poteſt ſubſiſtere, niſi reſeruetur in ea diſtributiua iuſtitia, vt quod Rex, ſiue Princeps debitè honores, & bona diſtribuat*: ſed huiuſmodi iuſtitia, præſertim quoad honores, & bona alia pro conſeruatione Religionis nequit in ſubditos extendi, niſi ſecundum ordinem, qui exigit meritorum menſuram, aliàs non eſſet iuſtitia, ſed confuſio: ergo vt ſtatus Religionis conſeruetur per ordinatã iuſtitiam, ſubditorum merita per inquiſitionem ſunt conſideranda. Et recordentur Prælati, quòd *Stultum eſt*, ait S. Thom. lib. 3. contr. Gentil. c. 132. *velle finem, et prætermittere ea, quæ ſunt ordinata ad finem*: quia ſubdit c. 140. *vbicumque eſt aliquis debitus ordo ad finem, oportet, quòd ordo ille ad finem ducat, receſſus autem ab ordine finem excludat*: & legant vim argumenti in ſequentibus verbis S. Thom. ex Ariſt. 5. polit. lect. 2. *Ex hoc apparet, quia ſicut corpus componitur ex partibus pluribus; ſic Ciuitas compoſita eſt ex partibus, nunc ita eſt, quòd oportet corpus animalis compoſitum augeri ſecundum proportionem, vt maneat recta proportio membrorum, & commenſuratio; ſi autem augeatur, quod ſit quatuor cubitorum, & reſiduum ſit duorum palmorum, corrumpitur proportio debita: ſi autem animal creſcat improportionabiliter, & ſecundum quantitatem, & ſecundum virtutem, vel qualitatem, tranſmutabitur in formam alterius animalis; ſimiliter accidit in Ciuitate; componitur enim ex partibus; & ideò ſi debeat ſaluari, oportet eam componi ex partibus commenſuratis ad inuicem*. Tert. ſuadetur ex incommodis orituris ex fine non rectè intento à Prælato, & id contingere poteſt tripliciter. Prim. ordinando regimen ad ſe ipſum. Secund. curando aliquorum merita, alijs neglectis. Tert. negligendo

gligendo proprium munus, & officium. Si primum conſideremus, quatenus Prælatus ab ambitione, & auaritia ductus ad ſe rapit dignitates, cæteraque bona Religionis, oritur regimen iniuſtum, atque peruerſum, inquit S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *Si verò non ad bonum multitudinis, ſed ad bonum priuatum Regentis regimen ordinetur, erit regimen iniuſtum, atque peruerſum*: qua ex re tandem oboriuntur ſeditiones, quæ ad corruptionem, & ruinam impellunt Rempublicam, vt optimè inſinuat Fr. Patritius vbi ſupr. lib. 6. tit. 5. *Vitio igitur corruunt Reſpublicæ eorum, qui eas gubernant, & præcipuè cum eos ambitio, & auaritia adeò rapit, vt obliti publicæ vtilitatis omnia in rem ſuam conuertant, ciuilem ſocietatem negligant, populus vanis rumoribus ſeducant, mendacia inuehant, vanos timores prætendant, vt eis ſolummodò poteſtas à populo tribuatur*: ac ſi dicere velit vltimis verbis: Ea, quæ proferuntur à Rectoribus, & Prælatis ſub prætextu boni communis, & reformationis, vtpotè quòd pauci ſunt rantùm eleuandi ad ſupremas Prælaturas ob ambitionem extirpandam, ob magis fouendam perfectionem, ob maiorem honorem tribuendum ipſis Prælatis, dum intereà reducunt à recto iuſtitiæ tramite, vt de facto euenit, quia multi negliguntur, ſunt vani rumores, & mendacia contra firmum, & pacificum ſtatum Religionis propagandum omnium meritorum remuneratione; ſunt vani timores, qui intrinſecè nil aliud intendunt, niſi vt ſibi ipſis ſolummodò poteſtas à ſubditis, & electoribus conferatur: ſi poſtea inueſtigemus ſecundum, videlicet quandò Prælatus ſolùm merita aliquorum præſertim Superiorum maiorum curat, alijs poſthabitis, natant diſcordiæ, inundant ſeditiones, & mille alia incommoda excitantur: percipite ſenſum Dionyſ. Carthuſ. vbi ſupr. art. 3. referentis duo præcepta Platonis relata à Cicerone 1. de officijs: *Omninò, qui Reipublicæ præfecturi ſunt, duo præcepta Platonis teneant, vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quidquid agunt, ad eam referant obliti commodorum ſuorum; alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne dum partem tuentur, reliquas deſerant: vt autem tutela, ſic procuratio Reipublicæ, ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa gerenda eſt; qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniciosiſſimam in Ciuitatem inducunt, ſeditionem, atque diſcordiam*: & S. Antonin. p. 4. tit. 5. cap. 4. §. 5. inquit: *Secundò oſtendi poteſt iuſtitiam eſſe multitudini neceſſariam ex parte gubernantis, à quo dirigitur, & hoc quantùm ad diſtributionem; videmus enim, quòd quandò aliqua diuerſa ſub vna virtute continentur, nec ordinantur ſecundum diuerſas proportiones, totus ordo eorum, qui reguntur, corrumpitur, & diſſipatur, vt patet in armonia muſicali, vbi cordæ niſi à virtute manus ſecundum earum diuerſas diſpoſitiones proportionabiliter tangantur, ſonitum inordinatum, & confuſum reddunt, & ſic conſonantia armonica corrumpitur; ſic etiam in multitudine, vbi ſunt multi diuerſarum conditionum, & meritorum, niſi proportionabiliter honores, dignitates, & officia, inſuper labores, & expenſæ eis à Præſide diſtribuantur, mirabilis diſſonantia inter ſimul habitantes oritur, & per conſequens totus ordo politiæ paulatim ad corruptionem diſponitur: vndè Tullius dicit, quòd tanta eſt vis iuſtitiæ, vt etiam illi, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, non poſſint ſine vlla iuſtitiæ particula viuere*: ſi tandem attendamus tertium, quis enarrare poterit euerſiones, conturbationes, diſſidia, ſeditiones inter homines orituras? extincta per negligentiã Paſtorum cura, per quam ruinæ, & corruptioni aditus prohibetur, ipſa multitudo per diuerſa, ac natura ducta, ſe rapit: ideò dicebat Patrit. vbi ſupr. lib. 6. tit. 5. *Inuitat ad ſeditionem deſidia, incuriaque eorum, qui ciuili ſocietati præſunt*: ergo, ne iſta incommoda per multitudinem Religioſorum ſerpant, à Prælatis inueſtiganda ſunt eorum merita, vt iuſtitia ſecundum debitum ordinem diſtributa incommodis enarratis, tribuendo vnicuique, quod ſuum eſt, nec vni, ſeù pluribus magis, quàm par eſt, præſtando, obſtet.

Dices Religioſorum perfectio, quam profitentur, ſufficiens videtur eſſe ad cohibenda incommoda recenſita: ergo ex hoc non inſurgit obligatio prædicta merita inueſtigandi. Reſpond. præter alias reſponſiones alibi deſignatas, quòd, ſi Religio

adu-

adunaretur, & formaretur ex Angelis, quotum eſſe ſicut cognoſcit principium, ita à ſe expellit interitum, quia ſunt æuiterni, aliqua vi forte non careret; dico fortè, quia, licèt ſint æuiterni, & in perfectione ſuperauerint hominem, etiam in ſtatu innocentiæ creatum, nihilominus diſſidij non fuerunt expertes, ſed inter eos factum eſt prælium magnum, & ex parte malorum mala fuit ſeditio, quæ ad tartarea regna eos præcipitauit. Quamobrem dicendum eſt homines religioſos, licèt maiorem perfectionem profiteantur, quàm alij; nihilominus eſſe mortales, caducos, atque mutationibus ſubiectos; ideò ferè debent ſubiacere incommodis deſcriptis. audite ea, quæ dicit Gregor. Toloſanus de Republ. lib. 21. c. 2. *Quemadmodum accidit hominibus, vt non illis eadem ſit forma, ſemper vigor, & ingenium, aliaque ſint ſenibus, quàm fuerint infantibus, iuuenibus, & viris; ſic accidit rebus publicis, quibus non eadem eſt facies, non vigor, & Imperium, non memoria interdum, nec alia plura, quæ in his viguerunt: mutantur nanquè, & corrumpuntur, creſcunt, decreſcunt intereunt*: vndè eis eſt obſtandum remedijs opportunis, mediante iuſtitia diſtributiua, quæ iuxta meritorum menſuram dignitates, honores, cæteraque officia diſpenſat, quæ omnia claudent oſtium diſſidijs, ſeditionibus, inuidijs, alijſque cunctis malis, per quæ corrumpuntur, & diſſoluuntur Reſpublicæ, & Religiones; ideò concludit Dionyſ. Carthuſ. vbi ſupr. art. 13. *Prælationes, dignitates, Principatus, atque officia Chriſtianæ Religionis ſunt quædam obſequia in bonum ſubditorum ordinata, & ad communitatis vtilitatem, non ad propria commoda Præſidentium referenda.*

Dices, Superiorum potentia ſubditos frenabit, ita vt timore ducti in mala enarrata non proſiliant. Reſpond. timorem eſſe debile fundamentum, ſupra quod machina regiminis ſit erigenda, ſeù per quod vnionis vinculo ſit colliganda; nam data opportuna occaſione, contra Prælatos inſurgunt eadem vi, qua fuerunt timore repreſſi: doctrina verè aurea, & eſt S. Thom. 1. de regim. c. 10. *Timor autem eſt debile fundamentũ; nam qui timore ſubduntur, ſi occurrat occaſio, qua poſſint impunitatẽ ſperare, contra Præſidentes inſurgunt eò ardentiùs, quò magis contra voluntatem ex ſolo timore cohibebantur; ſicut ſi aqua per violentiam includatur, cum aditum inuenerit, impetuoſiùs fluit*: cum igitur nullum violentum ſit perpetuum, quamprimum occurret occaſio; vndè quaſi aqua per violentiam incluſa ſubditi erumpẽt in lamentationes, murmurationes, rumores, ac diſſidia in maximum Religionis detrimentum.

Dices huiuſmodi meritorum indagatio potiùs videtur ſpectare, & id ferè in omnibus Religionibus, ad electores, quàm ad Superiorem maiorem, quia cum electio maioris Superioris, cui præſertim, vt de ſe patet, incumbit onus propagandi regiminis vnitatem, pertineat ad inferiores; ideò prædicta inquiſitio eſt facienda ab electoribus inferioribus. Reſpond. huiuſmodi obiectionem, quæ præſefert quandam ſpecioſitatem, præſeferre etiam confuſionem ordinis tam hierarchiæ cœleſtis, quàm terreſtis; nam in Cœlo Angeli ſuperiores illuminant inferiores, vt docet S. Thom. opuſc. 2. cap. 24. & iuxta lumen mandata exequuntur; & in terra inferiores ſunt illuminati à Superioribus, vt tradit idem S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. cap. 81. & iuxta lumen operantur: ad hoc ergo, vt electores inferiores eleuent hominem ad ſupremas dignitates, ſecundum quod poſtulant eius merita, neceſſe eſt, vt priùs merita cognoſcantur à Superiore maiori conferendo ei dignitates, & officia, quæ conferuntur ab ipſo Superiore, quibus diſponatur ad maiores dignitates, ita vt inferiores hac diſpoſitione præuia ſint illuſtrati ad regenda propria vota ſecundum menſuram meritorum, & ita fit in omnibus rebus, quia id eſt ſecundum ordinem naturæ: hinc S. Thom. contra Gentil. vbi ſupr. tradit doctrinam verè auream pro regiminis inſtructione: *Inter homines ordo inuenitur; nam illi, qui intellectu præeminent, naturaliter dominantur; illi verò, qui ſunt intellectu deficientes, corpore verò robuſti à natura videntur inſtituti ad ſeruiendum, ſicut dicit Ariſtot. in ſua politia, cui concordat ſententia Salomonis Prou. 11. Qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti: & Exod. 18. dicitur: Prouide de omni plebe viros ſa-*

*pientes*

*pientes, ac timentes Deum, qui iudicent populum omni tempore: ſicut autem in operibus viuit hominis ex hoc ordinatio prouenit, quòd intellectus ſenſualem virtutem ſequitur; ſenſualis verò virtus propter corporis indiſpoſitionem trahitur ad corporis motum, ut in claudicantibus apparet; ita in regimine humano inordinatio prouenit ex eo, quòd propter intellectus præminentiam aliquis præeſt, ſed uel robore corporali dominium ſibi uſurpat, uel propter ſenſualem affectionem aliquis ad regendum præficitur; quam quidem inordinationem nec Salomon tacet, qui dicit Eccl. 10. & malum quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi: huiuſmodi autem inordinatio diuinam Prouidentiam non excludit; neque per huiuſmodi inordinationem totaliter naturalis ordo peruertitur; nam ſtultorum dominium infirmum eſt, niſi conſilio ſapientum roboretur; undè dicitur Prou. 20. Cogitationes conſilijs roborabuntur, & gubernaculis tractanda ſunt bella, & quia conſilians regit eum, qui conſilium accipit, & quodam modo ei dominatur: dicitur Pro. 17. quòd ſeruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis.*

### SECVNDA CONCLVSIO.

3. RECtoribus, ac Prælatis ſub culpa mortali incumbit onus ſubditorum merita inueſtigandi. Suadetur ex doctrina DD. aſſerentium, quòd Prælatus, qui à ſuo munere deficit in re graui, lethali culpa obnoxius eſt; nam inquiſitione neglecta, vnitas iuris, per quam conſeruatur Reſpublica, non propagatur, conſequenter diſſoluitur pax, euaneſcit concordia, & aperitur via diſcordijs, inuidijs, ſeditionibus, ac factionibus: ergo abſolutè dicendum eſt ſub mortali teneri ad huiuſmodi merita inueſtiganda.

Pro fine quæſiti duo ſunt maximi ponderis addenda, quæ ſæpius à Superioribus ſunt legenda. Prim. quòd *Nullum*, inquit Ægid. Roman. de regim. Princip. 1. part. lib. 1. ante primum caput. *violentum eſt perpetuum; vndè ſummoperè ſtudere debent Rectores, vt ſuum regimen ſit naturale; nunquam autem naturalis quis Rector efficitur, ſi paſſione, aut voluntate cupiat principari; ſed ſi cuſtos iuſti exiſtens abſque ratione, & lege nihil ſtatuat imperandum.* Secund. *Quòd niſi in multitudine hominum*, ait S. Auguſt. 2. de Ciuitat. Dei cap. 21. relatus à Dionyſ. Carthuſ. vbi ſupr. art. 2. *ſit vera concordia, quæ ſine iuſtitia eſſe non poteſt inter Superiores, & inferiores, imò inter Superiores inter ſe, inter inferiores quoquè inter ſe multitudo non eſt veraciter Ciuitas, nec Reſpublica, nec habitatores ſunt digni ciues vocari.* Quamobrem idem Carthuſ. ſequenti art. concludit: *Cum igitur multitudo hominum, quamuis corporaliter inter eadem mœnia commorentur, indigna ſit nomine Ciuitatis, & Reipublicæ, niſi conſenſu iuris, & vtilitatis communione ſit colligata, atque concorditer, & virtuosè conuiuant: certum eſt, quòd Rectores, ac Iudices Ciuitatum oporteat eſſe excellenter iuſtos, charitatiuos, ſtabiles, & prudentes.*

## DVBIVM CXXX.

*An lapſorum merita ſub prædictam inquiſitionem, vt tandem Prælaturis, cæteriſque officijs, ſicut & aliorum decorentur, cadere debeant.*

### SVMMARIVM.

1. *Lapſorum diſtinctio habetur.*

2. *Qui actu morantur in peccato mortali ſub quocumque membro deſignatæ diſtinctionis nequeunt eligi ad dignitates: non deſideratur quadã limitatio, ac ſublimitatio, alia adhibita doctrina.*

3. *Secretò lapſus infirmitate ductus, qui per pœnitentiam deleuit peccatum, ab electoribus eligi poteſt, ac debet: habentur duæ obiectiones ſolutæ, & quadam limitatio extenditur.*

4. *Admittitur doctrina Ledeſmæ dicentis Religioſum lapſum ex conſuetudine rarò eſſe præſumendum emendatum: & adnotatur doctrina Caſtri Palai, quandò præſumi poteſt delinquens emendatus.*

5. *Lapſorum merita iuxta formam, ac modum*

*modum præſcriptum cadere debent ſub inquiſitionem.*

1. Sub lapſorum nomine ij intelliguntur, qui in lethalē culpam ruerint; & id dupliciter contingere poteſt, poſt habitū aſſumptū, vel palam, vel ſecretò, idq; etiam conſiderari poteſt dupliciter; vel per conſuetudinem, vel per infirmitatem, data aliqua repētina tentatione, ſeù vehementi occaſione.

Pro perfecta intelligentia quæſiti huc eſt reuocandum prim. not. dub. 103. in quo dixi vnitatem iuris, concordiam, ac pacem, quæ inter ſeſe differunt, eſſe finem regiminis, formaliter tamen eſſe vnitatem iuris, ex qua oboriuntur pax, & concordia: vide ibi.

## *PRIMA CONCLVSIO.*

2. LApſi, qui actu morantur in peccato mortali, vel palam, vel ſecretò, vel per conſuetudinem, vel per debilitatem, quamuis ſcientia, ac induſtria ad regendum polleant; ſub lethali culpa ad Prælaturas, ac dignitates regulares ab electoribus ſeligi nequeunt. Ita communiter DD. vt Armill. tit. electio n. 25. Angel. tit. acceptio perſonarum n. 6. Sanch. opuſc. lib. 2. cap. 1. dub. 2. n. 1. Sotus lib. 3. de iuſt. qu. 6. art. 2. concl. 7. Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. controu. 2. Ledeſm. 2. part. tract. 7. cap. 2. concl. 5. pag. mihi. 226. Rodriq. in ſumm. tom. 1. c. 166. concl. 10. n. 12. Reginald. in prax. lib. 30. tract. 3. n. 195. Bann. 2. 2. qu. 63. art. 2. Samuell. de elect. canonic. tract. 1. controu. 17. diſp. 5. Caſtr. Palaus tom. 2. tract. 13. diſp. 2. punct. 11. §. 2. n. 2. tum quia inter conditiones, quæ reddunt hominem dignum dignitate, ac officio Eccleſiaſtico eſt morum honeſtas; ideò optimè S. Thom. quodlib. 58. art. 6. ait: *Per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exequendum*: tum quia læditur vtraque iuſtitia, & diſtributiua, & commutatiua: illa, quia tenemur gradus, & honores benemeritis conferre: hæc, quia ex officio tenemur bonò communi conſulere.

Limita, ſi non ſunt perſeueraturi, ſed potiùs creditur, quòd ſint quamprimum ſurrecturi, tunc abſque peccato poſſunt eligi. Ita habetur ex Azor. tom. 2. lib. 6. c. 14. qu. 10. Bann. vbi ſupr. dub. 1. verſ. ſed quæras. Nauarr. quem refert, & ſequitur Caſtrus Palaus vbi ſupr. Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 31. §. 2. n. 1. Sanch. vbi ſupr. Cardin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 2. n. 2. ſubdens: De quo, ideſt de illo, qui actu eſt in peccato mortali, tamen ipſe Sanch. cum alijs iudicat benè non ſemper reddi indignum, ſi aliàs ſit homo benè morigeratus, & de quo præſumitur, quòd citò reſcipiſcet, & gratiam recuperabit; hic enim ſimpliciter dicitur habere morum probitatem, qui mores magis ſumuntur à ſtatu, & ordinatio modo operandi, quàm ab vno, vel altero actu ex fragilitate commiſſo. Sublimita, dummodò eorum peccata ſint occulta, etiam repētina tentatione, ac vehementi occaſione commiſſa; ſi enim ſunt publica, & notoria abſtinendum eſt ab eorum electione. Ita elicitur ex Caſtr. Palao referente Nauarr. ex Azor. Bann. Peirin. Lugo vbi ſupr. quia generatur ſcandalum, cum homines videant hos lapſos alijs iuſtis, ac idoneis præferri.

Dixi, repentina tentatione, ac vehementi occaſione commiſſa; ad inſinuandum, quòd, etiam ſi ſint occulta, ex malo tamen habitu, & conſuetudine, nequeunt electores eis ſuffragari, vt benè elicitur ex Azor. Bann. Sanch. n. 8. & Lugo vbi ſupr. nam hi, inquit Azor. probabiliter iudicantur diù in peccato perſeueraturi: ad quod faciunt cap. Scribam, cap. Cum iuuentute, & cap. Mandata de præſumptionibus, vbi dicitur, quòd ex tranſacta vita diſcitur, quòd de ſubſequenti conuerſatione ſit pręſumendum; vndè per Tiraquell. de pœnis tempor. c. 51. à num. 3. & Azeu. lib. 6. tit. 14. n. 4. nouæ recep. habetur, quòd ratio enarratæ vitæ conſideranda eſt ad æſtimanda, & metienda facta hominum: ſed vt hæc clariùs intelligantur, ſubſequens concluſio firmatur.

## *SECVNDA CONCLVSIO.*

3. MErita ſecretò lapſi fragilitate, ac infirmitate ducti, qui per pœnitentiam

tentiam peccata deleuit; poſſunt, ac debent electores votis recognoſcere pro Prælaturis, cęteriſque officijs. Suadetur prima pars ex Sanch. vbi ſupr. multorum DD. doctrinas referente, qui habet hæc verba: At dicendum eſt per aliquod peccatum mortale ex fragilitate commiſſum non dici miniſtrum indignum, ſi aliàs ſit benè morigeratus; ſed qui durat in peccato mortali: pro hac parte eſt Ledeſm. 2. 4. qu. 18. art. 2. dub. 9. & Aragon. 2. 2. qu. 60. col. 203. art. 2. pag. 1. vbi ambo dicunt, quòd bonus miniſter dicitur ille, qui eſt talis, de quo communiter habetur opinio, quòd regulariter, & vt plurimum non eſt in peccato mortali; & idem Aragon. 2. 2. qu. 63. art. 2. pag 209. col. 2. dicit, quòd eſt ille, qui non eſt improbus, & vitioſus ſaltem per modum habitus, & conſuetudinis in peccato mortali: pro hac parte eſt etiam Sot. lib. 3. de iuſtit. qu. 6. art. 2. concl. 6. vbi dicit, indignum miniſtrum eſſe, qui prauus eſt, & corruptis moribus, & non dicitur talis per peccatum mortale ſemel commiſſum; & lib. 10. de iuſtit. qu. 2. art. 2. ad 3. vbi hæc dicit: Ille, qui cum animo perſeuerandi in peccato mortali Epiſcopatum acceptat, peccat mortaliter: vbi non dicit, qui eſt in peccato mortali tranſeunter: hæc Sanch. Audiant, quæſo, qui ducuntur aliquo timore in hoc, verba Naldi ſano modo intellecta, tit. eligere n. 15. Eligendus eſt potiùs, qui peccauit, quàm qui nunquam peccauit, quia ille ſcit meliùs compati infirmitatibus aliorum, quàm iſte, & firmior nunc videtur ad reſiſtendum, qui ſemel lapſus eſt, & reuerſus. Abb. in cap. At ſi clerici de adulteris in fin. de iudicijs. & legant auream doctrinam S. Chryſoſt. relatam in fin. ſequent. dub. & reſpondeant huic argumento: ſi lapſus, & emendatus eligi nequit, quia indignus: ergo talis electus nequit conſentire ſuæ electioni; indignus enim per conſenſum adhærendo ſuæ electioni fatentur DD. peccare mortaliter: ſed nullus Doctor nunquam dixit, emendatum conſentiendo ſuæ electioni lethaliter peccare: ergo nec etiam peccabit, qui eum eligit.

Dices, S. Th. vbi ſupra ait, quòd per quod libet peccatũ mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exequendum; & ita videntur inſinuare multi DD. apud Sanch. vbi ſupr. num. 7. Percipe reſponſionem ab Emin. Lugo vbi ſupr. num. 1. Sed ſi intelligatur, inquit, de peccato mortali præterito, quod iam eſt pœnitentiá delectum, non eſt probabile; nec ille videtur ſenſus eorum authorum; alioquin nec S. Petrus poſt trinam Chriſti negationem dignum fuiſſet ſummo Pontificatu; ſed debet intelligi de eo qui actu eſt in peccato mortali; de quo, &c. reliqua verba recitantur in limitatione, vbi ſupr. ideò rectè dicebat Venerab. Petrus de honeſtis in regul. Clericor. cap. 5. inſertus Petri Damiani operibus: *Nec quiſquam pro qualibet culpa, ſi iam ſatisfecerit, in munere Prioratus recuſandus eſt, cum Petrus poſt trina negationis lacrymabilem ſatisfactionem, quia in eis trina dilectio patuit, gregis à Domino iniuncta ſit paſtio.*

Dices iterum; ſi lapſorum merita non ſunt negligenda pro Prælaturis, &c. videntur negligi eorum merita, qui ſemper ſanctè, & iuſtè vitam duxerunt; imò hi ob illibatam vitam ſunt maioris meriti, quam illi. Reſpond. hanc obiectionem oboriri ex regiminis ignorantia; quarè, qui talia verba habet, mittendus eſt ad doctrinam S. Chryſoſt. & S. Auguſt. relatam in ſequenti dubio, & ad dictum Naldi, de quo ſupr. ex quibus elicitur digna reſponſio vnà cum regiminis animarum natura.

Secunda pars ſuadetur, quia cum vnitas iuris ſit finis regiminis, quæ inter Regulares ſub mortali eſt propaganda, vt dixi in dub 103. ideò merita horum lapſorum, qui per pœnitentiam peccata deleuerunt, tutè negligi nequeunt, aliàs non propagaretur vnitas iuris; hæc enim comprehendit illa.

Dixi ſecretò, ad inſinuandum, quòd ſi, peccatum eſſet publicum, licèt commiſſum ob fragilitatem, ſeù infirmitatem, ſunt lapſi merita per aliquod temporis ſpatium, etiam poſt ſatisfactionem ſecundum magis, & minùs, vt magis videbitur expedire, negligenda, cauſa vitandi ſcandalum, & apud Religioſos; & multò magis apud ſæculares, ſi in eorum notitiam peccatum exierit.

M 4. Quòd

4. Quòd ſi peccata commiſſa ſunt per conſuetudinem , tam ſecretam , quàm apertam , ſunt eius merita negligenda , licèt appareat emendatus , nam rarò præſumendus emendatus , inquit Ledeſma tom. 2. ſumma tract. 4. concl. 24. ff. 5. pag. 290. audiamus eius verba , quæ , eſto concludant aliud , quod non eſt ad rem noſtram, includunt tamen,quod intenditur: Si ſcias , inquit , Religioſum in luxuriam incidiſſe non ex malitia, hoc eſt ex conſuetudine , ſed ex fragilitate humana propter occaſionem ſibi oblatam , te non debere Prælato denuntiare , ſi à te corripi poteſt , quia tunc non cenſetur eſſe in probabili periculo cadendi : at ſi ex malitia , & praua conſuetudine peccat denuntiandus eſt , quia rarò præſumi poteſt emendatus , ſed potiùs in morali periculo iterum , ac ſæpè cadendi verſari : huic doctrinæ adhærent Sanch. lib. 6. c. 18. num. 50. in ſumm. Suar. 4. de Religion. lib. 10. cap. 9. num. 11. Caſpenſ. in curſu theolog. tom. 2. tract. 17. de charit. diſp. 6. ſect. 3. & Cardin. Lugo. de iuſtit. diſp. 14. ſect. 7. num. 118. dum dicunt vix eſſe præſumendam emendationem in Religioſis lapſis : ſi verò hi DD. hanc doctrinam volunt extendere ad lapſos per fragilitatem , non ſunt audiendi , quia communiter eſſet concludendum eos eſſe de maſſa perditionis , quod abhorrent aures ; vndè non immeritò contra iſtam malam opinionem inuehitur Lorca 2. 2. diſp. 89. dub. 4. cum conſulite . Quid ſit etiam faciendum aliquandò in lapſis ex conſuetudine , videantur ea , quæ dicuntur in dub. 91. ex quibus multa ſcitu digna percipiuntur .

Pro fine quæſiti hîc ſunt extendenda nonnulla verba Caſtri Palai tom. 1. de charit. tract. 6. diſp. 3. punct. 14. num. 2. pro inſtructione quid ſit faciendum, & ſentiendum ferè in tota hac materia : Sed inquires , inquit , quandò præſumi poteſt delinquens emendatus ? Reſpond. prudentis arbitrio eſſe relinquendum ; ſi enim omninò appareant occaſiones ſublatæ , præſumenda eſt emendatio ; ex ſolo decurſu temporis, niſi longum ſit , non eſt præſumenda correctio ; quandò verò poſt commiſſum delictum longum tempus præceſſit, præſumendus eſt delinquens correctus , niſi aliundè conſtet reincidentia . Ita expreſſè Ioannes Sancius diſp. 11. ſelect. num. 51. loquens de ſolicitationis factæ à Confeſſario denuntiatione , & affirmat eum Accuñ. tract. de Confeſſar. ſolicitantib. quæſt. 3. num. 15. ad tribunal. inquiſitionis non eſſe deferendos Confeſſarios , quandò longum tempus præceſſit à commiſſo delicto , & explicans ſtatim , quid cenſeatur longum tempus , affirmat tres annos ſufficere ad emendationem præſumendam in criminoſo ex Maſcard. concl. 600. num. 14. Alciat. reg. 2. præſumpt. 7. Farinac. in praxi qu. 231. art. 11. num. 26. & deciſ. 52. num. 10. lib. 1. vbi agit de ſuſpecto de hæreſi , qui abiurauit , tenet eandem ſententiam , & adducit hos DD. Seraphinus. Fruſtat. in addition. ad Accuñ. quæſt. 3. num. 30. & 33. hæc Caſtrus Palaus . Ex hac doctrina tota ſequitur vltima concluſio correſpondens titulo .

### *TERTIA CONCLVSIO.*

5. Lapſorum merita , vt decorentur Prælaturis , cæteriſque officijs diſpenſandis viciſſim ſecundum exigentiam iuſtitiæ obſeruandæ inter Regulares ſub inquiſitionem prædictam cadere debent , iuxta tamen modum , & formam præſcriptam ſuperiùs.

* * *

DV-

## DVBIVM CXXXI.

*An infirmorum, ac debilium merita ſint exquirenda, vt tandem fruantur honore Prælationum, aliorumque officiorum.*

### SVMMARIVM.

1. *Qvadam factionum origo adnotatur.*

2. *Triplex genus hominum imperfectorum ſcilicet, perfectorum, ac malorum in Regularium familijs morantur.*

3. *Imperfectorum numerus, qui in duplici claſſe ſe diuidunt, videtur maior perfectorum numero.*

4. *Qui ita relaxatè viuunt, prout in ſecunda claſſe, eorum merita ſunt negligenda: ſecus prout in prima: & euidam obiectioni ſatisfit.*

1. Superiori dubio iam diſcuſſo, in quo diffuſè tractaui de lapſorum meritis, aliud maximi ponderis accedit diſcutiendum, quod eſt petra ſcandali, in quam ferè omnes familiæ Religionum, præſertim reformatarum offendunt ad perpetuum, vt ita dicam, bellum; excitatur enim inter laxiores, ac debiliores ex vna parte, & non laxiores ex altera, qui communiter nuncupantur ſpirituales, eò quòd rigidiorem vitam inter omnes ducunt: hi ergo putant regimina non debere conferri laxioribus ad magis, ac magis propagandam diſciplinam regularem pro conſeruatione totius corporis Religionis, & ita operantur, vt illi non fruantur Præfecturis: laxiores verò, dum ſe vident excluſos ab honoribus, & cum non vtantur proportionata patientia ſemper ferendi ſubditorum onus, operantur etiam, vt rigidiores deponantur tāquam parum apti ad locorum familias regendas cū prudentia, & ſuauitate, & omnia incommoda, quæ in regendi arte oboriuntur, ſemper eorum inhabilitati adſcribunt; vndè ſenſim ſine ſenſu formantur duæ factiones; vna ex rigidioribus, altera verò ex laxioribus ad perpetuum bellum, quorum certamen ſæpè eſt tam durum, vt attingat ſupremorum tribunalium aures, ex quibus tandem pro pace inſerenda, reſecandiſque iurgijs, leges, ac ordinationes emanant, vt fortè experientia docet.

2. Pro intelligentia ſit prim. not. quòd ex triplici hominū genere, vt teſtatur praxis, quælibet Religioſorum familia formatur, perfectorum ſcilicet, qui non ſolùm arctè obſeruant legem diuinam, promiſſam regulam, cæteraque præcepta, ſed de die in diem toto conatu anhelant ad perfectionē, eam propagando varijs operibus ſuperogationis: imperfectorum, qui, licèt à ſe alienent omnem culpam mortalem, non tamen viam perfectionis, ſicut decet, aggrediuntur, ſed debiliter in tam arduo negotio ſe habent: malorum, ita ordinante diuina Prouidentia ad bonorum exercitium, vt ſæpè dixi plurimis in locis: de his verò modò non loquor.

3. Not. ſec. quòd genus imperfectorum, qui ſecundum imbecillitatem, ac infirmitatem naturæ operantur, in numero eſt maius ſine comparatione numero perfectorum, vt experientia docet, & ab illo inſtructus inſinuat Suar. 4. de Relig. tract. 10. lib. 10. c. 3. In quocunq; ſtatu hominū, inquit, pauciores ſunt viri prudentes, & à priuatis affectibus liberi: videatur etiam Medin. 1. 2. q. 96. ar. 2. & Sotus de iuſtit. lib. 1. qu. 6. art. 2. damnat eos, qui in condendis legibus ſolùm proſpiciunt exiguum hominum numerum, charitate feruentium, & non multitudinem perſonarum, in qua longè plures ſunt, qui virtutum habitibus non ſunt imbuti, ſed cum prauis affectibus, ac corruptis colluctantur: qui imperfecti in duplici differentia ſe habent: nonnulli ſunt, qui non aggrediuntur ita ſtrictè viam perfectionis, ſicut illi pauci, de quibus ſupra; ſed infirmè, ac imbecilliter, idque potiùs procedit non ex mala voluntate, ſed ex naturæ infirmitate, quæ ſemper eſt prona ad malum, cuius victoria nequit cani, niſi cum magna violentia, & ita operari non datur omnibus, ſed paucis, dicit Nauarr. comment. 4. de Regul. n. 24. quos Iupiter æquus amat, & ardens euexit ad æthera virtus: alij verò ſunt, eſto ſe abſtineant à

culpa morrali, nihilominus ita relaxatè viuunt, vt non curent culpas veniales, negligendo ſancitas conſtitutiones, cæteraſque ordinationes; vndè videnrur eas coactè obſeruare potiùs metu alicuius pœnę, quàm ſpiritu deuotionis; hi ergo ſunt pauci, expetientia teſtę.

### PRIMA CONCLVSIO.

4. DEbilium, ac infirmorum metita, ſi ſunt merita, quæ deſcribuntur in ſecunda claſſe, nullo modo ſunt conſideranda, ranquam digna quacunque Præfectura, ſed omninò ſunt negligenda. Ratio eſt manifeſta, quia cum Religioſorum Prælati ex officio teneantur propagare bonum perfectionis, ad quod quælibet familia Religionum ſecundum proprium inſtitutum eſt ordinata, & cum illi viuant ita relaxatè, vti dicimus, quomodò eam propagabunt, atque augebunr? quomodò erunt norma viuendi? inquit S. Bonau de ſex alis Seraph. c. 6. *vt qua docent, oſtendant actionum figuris, ſicut qui Geometriam docent, pingit in tabula figurarum demonſtrationes, vt quod dicitur, meliùs capiatur*: ſunt ſanè negligenda, ac contemnenda, quia *Mala actio Præſidentis*, inquit S. Gregor. lib. 6. epiſtol. reg. epiſtol. 7. *valdè nocet ſubditis*; & Philo lib. de vita Moyſis: *Si Princeps totum ſe voluptatibus ad vitam delicatam deflectit, vniuerſa propemodum ſubditorum multitudo ad voluptates proclinat*: huiuſque rei rationem reddit D. Gregor. 21. moral. c. 1. *Quia rationales noſtri ſpiritus, dum in Prælatorum defixi ſingulis quibuſque actionibus permiſcentur, ut tales fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in uocibus præceptorum uident*: hinc Theodoricus Rex Gothorum apud Caſſidor. 3. var. epiſt. 12. dicebat; *Faciliùs eſt errare naturam, quàm diſſimilem ſui Princeps poſſit Rempublicam formare*.

### SECVNDA CONCLVSIO.

DEbilium, & infirmorum merita, prout in prima claſſe, nequeunt debito tẽpore pro Prælaturis negligi. Prima ratio habetur, quia, cum hæç ſit maior pars hominum Religionis, ferè tota Religio excluderetur à regiminibus, quod moraliter nequit fieri. Secund. quia randem huiuſmodi communitas abiret in factiones in totale exitium boni communis, ex vna enim parte connumerarentur laxiores; ex altera verò rigidiores, non volentes illi ſemper ſubditorũ onus ferre. Tert. quia occurritur tot legibus alternatiuis, ſeù alio modo, quæ fuerunt ſancitæ ad inferendam pacem, iurgiaque reſecanda à ſupremis tribunalibus pro Prælaturis conferendis, ſeù quocunque alio officio. Quart. quia tandem totum regimen ad iſtos deuolueretur, eò quòd natura docet, validiorem partem ſemper debiliorem debelare. Quint. quia huiuſmodi homines ad Prælatnras aſſumpti, experientia teſte, vt iam dixi alibi, ſuas paſſiones frenant, vt poſſint exemplo perfectionem propagare, alliciendo ſubditos ad eam proſequendam; imò fortè audeo in hęc verba erumpere, quòd iſti pro regimine videntur eſſe magis apti, quàm illi, qui tot paſſionibus non ſunt ſubiecti, quia ſicut tanquam Angeli in corpore viuunt, ita Angeli sũt in regimine, niſi magna capacitate, prudentia, ac compaſſione polleant, parum compatiendo ſubditorum imperfectionibus, non portando ouem lapſam, ſicur decet, & docet S Ambroſ. lib. 1. de pœnit. c. 1. *Etenim*, inquit, *qui ſtudet humanæ infirmitatis emendare ſtudia, ipſam infirmitatem ſuis debet ſuſtinere, & quodammodò penſare humeris, non abÿcere, nam Paſtor ille Euangelicus lapſam ouem vexiſſe legitur, non abieciſſe: & Salomon ait: Noli iuſtus eſſe nimiũ; debet enim iuſtitiam temperare moderatio*. Candide lector mea verba ne mireris, ſed percipe ea, quæ profert aurea lingua D. Chryſoſt. in SS. Petrum, & Eliam tom. 5. loquens de Prælatis à Deo datis ad oues regendas: *Diuina*, inquit, *diſpenſatione factum eſt, vt Sacerdotes etiam ipſis peccatis ſubiecti ſint, propterea enim non Angelo, non Archangelo ſacerdotium commiſſum eſt, liberi enim ſunt à peccati libidine, ne videlicet ob ſeueritatẽ eos, qui ex populo peccarẽt confeſtim fulguribus transfigerent, ſed homini à Deo cathedra hæc cõmiſſa eſt, qui & ipſe libidine, &*

*pecca-*

*peccatis colligatus eſt, vt ſi quem peccantem inuenerit ſuorum peccatorum conſcius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur; nam ſi Angelus Sacerdos fuiſſet, & aliquem ſtuprum inferẽtem inueniſſet, ſtatim eum de medio ſuſtuliſſet, cum ipſe huic libini ſubiectus non eſſet: ſi Angelus poteſtatem ſacerdotalem accepiſſet, peccantes homines non doceret, ſed in iram mortiferam concitatus repentè illos perderet, propterea quòd talis non eſſet: itaque ob id homini commiſſa eſt Eccleſia, quòd ſciat ſe delinquere, & peccata expertus ijs, qui peccant, veniam dare poſſit, ne iraſcente illo, Eccleſia inanis fiat:* & paulò ſuperiùs ita loquitur: *Ita Deus Mundum ſemper optimè gubernauit, quippè qui non iam tantùm, ſed etiam olim, & illos ipſos, quorum fidei Eccleſiam, & populum commiſſurus erat, permiſit peccato ſubijci, vt à ſuorũ conſcientia admonerentur in alios eſſe benigniores; nam ſi ipſi non peccaſſent, nullam peccantibus veniam daturi eſſent, ſed inhumanitate ducti omnes ab Eccleſia corpore abſcidiſſent; quòd autem res ita ſe habet, neque temerè, aut coniectura ductum me hoc dicere exiſtimetis, agè rebus ipſis conſideratis, probemus, quod diximus: Petro Apoſtolo claues Regni Cælorum, & populorum multitudines eius fidei committenda erat; erat autem Petrus non mitis, ſed admodum ſeuerus, & aliquantò durior, quòd ſi ad eius naturam illud etiam acceſiſſet, vt nullis peccatis ſubijceretur, quæſo, quam veniam habituri fuiſſent, qui ab illo docendi erant? propterea hoc egit Dei gratia, vt paululum ab ipſo deſciſceret Petrus, & peccato alicui ſubijceretur, quò ex his, quæ ipſe paſſus fuerat, diſceret humaniorem eſſe in alios:* audiamus etiam D. Auguſtin. ſerm. 124. de tempor. tom. 10. loquens, de lapſu Petri: *Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cum negaret Chriſtum, & niſi quod ait Propheta: Omnis caro fœnum? & ideò beatum Petrum paululum Dominus ſubdeſeruit, vt in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine gratia præualere, & vt Eccleſiæ Rectori futuro ignoſcendi peccantibus quædam regula poneretur: credenda erant enim Petro Apoſtolo claues Eccleſiæ; imò credita ſunt ei claues Regni Cælorum: credenda quoquè ei erat populorum innumera multitudo, quæ eſſet pro ſua natura vitijs, paſſionibus, culpis inuoluta, atque peccatis: deniquè ſic ad eum Saluator dicit; Tibi, inquit, dedi claues Regni Cælorum; deindè ſequitur dicens: Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; videlicet vt in clauibus fidelis ianitor, in ſententijs eſſet clementiſſimus diſpenſator: erat enim reuera hic Petrus paulò durior, & ſeuerus, ſicut eius auſteritatem truncata ob Chriſti iniuriam ſerui Principis Sacerdotum declarat auricula: hic igitur tam durus, tamque ſeuerus, ſi donum Dei non peccandi à Domino fuiſſet adeptus, quæ venia commiſſis populis donaretur? ſed idcircò diuina Prouidentia ſecretum ita temperauit, atque permiſit, vt primus ipſe laberetur, ac rueret in peccatum, quò ergo peccantes duriorem ſententiam proprij caſus intuitu temperaret.*

Dices, eſto doctrina ſubſiſtat, & in praxi veritas clareſcat; nihilominus ſemper erit cenſenda vera pro Prælaturis infimis, & non pro ſupremis; nam ſi ſuprema regimina ad hos deuoluantur, non mediocris erit extendenda relaxatio in tota Religione ob rationem in prima concluſione dictam, quæ etiam tangitur à D. Bonau. in opuſ. tom. 2. qu. 19. ſup. Regul. S. Franc. dum varias tradit rationes relaxationis Religionum, quem citatum ſequitur Cordub. in expoſit. eiuſd. regul. in introduct. qu. 3. Reſpond. quód hoc incommodum, ſi eſt incommodum, oboritur non ob electiones celebratas in fauorem huiuſmodi hominum, ſed ob regimina ipſa à natura humana regulanda; ſi enim ſemper adminiſtrarentur à perfectionibus viris, maiora incommoda excitarentur, vt clarè probaui, & ita rectè dixi, ſi eſt incommodum, ad oſtendendum, quòd regimina, eo ipſo, quòd ab humanis mentibus ſunt regenda, nequeunt eximi ab huiuſmodi regula, vt experientia docet. Quapropter, licèt hi homines dicantur laxiores in ordine ad illos, qui rigidiorem vitam ducunt, ſimpliciter tamen nequeunt appellati tales, quia ſub illa forma viuendi viuunt, quæ moraliter hominum multitudini eſt poſſibilis; vndè optimum cenſetur monitum Soti de iuſtit. lib. 1. qu. 6. art. 2. loquentis de legum multiplicitate, quod facillimè trahitur ad rẽ noſtram, vt conſideranti ſemper videbitur: Ob idque, inquit,

quit, non ſunt legibus, quæ omnibus debent eſſe communes onerandi, quæ ſolis integris viris, ac ſpiritu feruentibus poſſibiles ſunt, ſed prorſus ijs, quas etiam imperfecti adire, atque ferre poſſunt, vt illis facilioribus imbuti ad alias, quæ arduę ſunt, valeant ſua ſponte conſcendere: & ideò, qui adnotantur in ſecunda claſſe, nuncupari debent laxiores, & de his pręſertim loquuntur SS. PP. ſuperiùs citati.

## DVBIVM CXXXII.

*An Prælatus tantùm ſuo conſilio, ac prudentiæ innixus, aptus ſit ad ſubditorum merita indaganda.*

### SVMMARIVM.

1. *PRoprijs viribus nequit Prælatus ſubditorum merita metiri, & ſuadetur ex intrinſeca ratione iuſtitiæ diſtributiuæ.*

2. *Itidem probatur ex ratione intrinſeca Rectoris, ac Principis.*

3. *Habetur etiam ex vi regiminis, cuius recta operatio vires humanas tranſcendit.*

### CONCLVSIO.

1. PRælatus tantùm ſuo conſilio, ac prudentia ductus caret aptitudine ad cognoſcenda, ac metienda ſubditorum merita. Suadetur ex doctrina S. Thom. lect. 4. ſupr. cap. 8. D. Dionyſ. Areop. qui deſignat pro munere iuſtitiæ diſtributiuæ non ſolùm diſtribuere, ac diſpenſare diuerſa diuerſis hominibus, prout poſtulant eorum merita, ac dignitates, ſed etiam ne huiuſmodi diuerſitas confuſione affecta ſit, curare, ne quis vſurpet, quod eſt alterius, ita loquitur loco citato: *Non ſolùm autem pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, quòd diſtribuat diuerſa diuerſis ſecundum eorum dignitatem, ſed etiam quod huiuſmodi diuerſitatem inconfuſam ſeruet, ne ſcilicet vnus id, quod eſt alterius, ſibi vſurpare præſumat:* quæſo, quandò confuſio non inuoluet huiuſmodi bonorum communium diſtributionē? quandò hæc obſcura nox mater deſtructionis omnis etiam bonæ regulatæ multitudinis fugiet? cum cognitio meritorum, ac excellentiæ omnium ciuium aderit, cum differentia graduum innoteſcet. Ita S. Th. ex Ariſt. 7. polit. lect. 3. in fin. *Operatio autem*, inquit, *Principantis eſt iudicare, & præcipere rectè, & diſtribuere rectè Principatus, quia iſta competunt ſibi per virtutem, quæ eſt prudentia, quæ eſt propria ei: ad hoc autem, quòd rectè iudicet Principans de iuſtis, & quod rectè diſtribuat Principatus, & bona communia ipſis ciuibus, neceſſarium eſt, ipſum cognoſcere ciues, quales quidem ſunt ſecundum virtutem, & quam differentiam habent inuicem ſecundum virtutem, & ſecundum exigentiam dignitatis virtutis diſtribuat Principatus, & iudicet, & differēter ſecundum differentiam dignitatis eorum; quarè ſi vbi non ſit ſecundum hunc modum, oporteat diſtributionem bonorum communium, & iudicia prauè ſe habere; circa enim iſta operari non ſecundum rationem rectam, ſed ſecundum proprium impetum periculoſum eſt, & iniuſtum*: hinc optimè dixit Ægid. Roman. de regim. Princip. 2. part. lib. 3. cap. 15. *Nihil enim adeò Regnum conſeruat, & ſaluat politiam, ſicut præficere homines bonos, & virtuoſos, & conferre eis dominia, & Principatus*: poterit ne Prælatus propriæ cognitionis menſura ſubditorum merita pro iuſta dignitatum, aliorumque bonorum communium diſtributione metiri? minimè quidem, quia ait S. Thom. 2. de regim. Princip. c. 15. *Homo ſolus caret aptitudine ad regendas proprias actiones*: quomodò, quæſo, poterit aliorum actiones regere, eorumque merita cognoſcere, ac expendere? ideò dicebat Salomon Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, idest intelligentiæ ait Caietan. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum* Heb. *in oculis tuis*: ſuper quæ verba inquit S. Hieronym. Prouerb. c. 3. *Videtur hoc idem eſſe mandatum cum eo, quod præmiſſum eſt: Ne innitaris prudentiæ tuæ, ſed multùm diſtat: innititur enim prudentiæ ſuæ, qui ea, quæ ſibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit: Sapiens verò apud ſemetipſum eſt is, qui in illis, quæ ex Patrum magiſterio potuit rectè cognoſcere, ſeſe præ cæteris quaſi doctior extollit*: proinde

dè S. Cyrill. dicebat 1. apolog. moral. c. 10. *Plura vident quatuor oculi, quàm duo, & multiplicati radij plus illuſtrāt:* & S. Chryſoſt. ſuper verba D. Pauli ad Roman. cap. 12. *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos: Nihil enim*, inquit, *ita à reliquis euellit, & abſcindit, quemadmodum ſi quis ſe ſufficere ſibi ipſi, putaueris; vndè & ita nos Deus conſtituit, vt alter alterius opera indigeat; vt enim prudens ſis, altero tamen opus habes: quòd ſi te nullus opera indigere putaueris, omnibus factus es ſtultior, & imbecillior:* ex hoc igitur diſcurſu clarè patet Prælatum tantùm propria cognitione, ac prudentia ductum, non poſſe ſubditorum merita, ac virtutem, ne diſtributio Principatus, cæterorumque bonorum communium confundatur, & ne quis aliorum portionem rapere præſumat, metiri.

2. Præterea de ratione intrinſeca Principis, ac Rectoris eſt de ijs conſiliari, quæ ſpectant ad finem Principatus, quo conſeruatur omnis multitudo, & ab omni incommodo ſeruatur incolumis: ergo nequit Prælatus abſque multorum conſilio ſubditorum merita, ac virtutes indagare: antecedens habetur ex doctrina S. Thom. 4. polit. lect. 3. vbi dicit: *Conſiliari eſt opus politici; habet enim politicus conſiliari de conferentibus ad finem Ciuitatis:* & pauló antè. *Nam ſicut anima, vel intellectus inquirit, & conſiliatur, & iudicat de inuentis, ſicut Iudex inquirit, & conſiliatur de conferentibus ad finem politia, & iudicat:* vndè conſilium nil aliud erit, niſi quædam ratiocinatio de ijs, quæ ſunt ad finem. Ita docet S. Thom. 3. polit. lect. 9. ſed merita, ac virtutes ſubditorum ſunt de ijs, quæ maximè conferunt ad politiæ finem, nempè ad vnitatem, & pacem, & conſeruationem multitudinis, vt clarè habetur ex præcedentibus quæſitis, & inſinuat S. Thom. vbi ſupr. igitur Prælatus proprijs viribus, ac oculis innixus caret aptitudine ad expendenda ſubditorum merita, ſed aliorum conſilio indiget.

3. Tandem efficaciter ſuadetur ex eo, quia, ſi Prælatus à culpa cupit eſſe immunis, & errata, incommodaque fugere in regiminis operatione, in iudicando ſcilicet, gubernando, ac diſtribuendo honores, onera, cæteraque commoda Principatus, ei neceſſarius videtur eſſe recurſus ad Deum, & ad ipſum conuerſio; quarè? quia huiuſmodi operatio, vt rectè fiat, non naturæ viribus innititur, ſed eas tranſcendit. Ita S. Thom. 2. de regim. Princip. c. 15. *Reges, & Principes communes habent actiones, & vniuerſalem diligentiam ſubditorum, cum non ſufficiat homo ſolus ad proprias actiones, oportet, quòd in multis deficiat, quia talis actio, ſiue actiones, quæ ſunt populum gubernare, iudicare, & vnicuique ſuorum ſubditorum ſecundum merita prouidere, tranſcendit virtutem natura; propter quod dicitur, quòd eſt ars artium regimen animarum; vndè impoſſibile eſt Reges, & Principes non errare propter dictam cauſam, niſi ad illum, qui omnia gubernat, & omnium eſt conditor, ſe conuertant:* ergo pro recta meritorum indagatione nullus negare audebit non fore ad multorum conſilia, tanquam ad reſponſum Dei recurrendum: patet; nam quippè omnibus eſt notum diuinæ Sapientiæ, à qua ſacræ illuminationes, vt regiminis operatio debita non careat rectitudine, & ne caſus agnoſcat in detrimentum boni communis, emanant, eſſe conſilium, teſte Salomon. Prou. 8. n. 12. *Ego Sapientia habito in conſilio:* vbi S. Hieronym. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum;* hinc eſt, quòd S. Cyrill. 1. apolog. moral. c. 10. & S. Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſt. ita affati ſunt: Primus ait. *Veruntamen cuius eſt conſilium? non ne Sapientiæ? nimirum hac, qua abſcondit vni, reuelat alteri, & humilitatis amatrix vt plurimùm rectum de agendis conſilium docet per alienum: quantò igitur conſilium eſt ex pluribus, tantò ſalubrius exiſtit, quoniam vbi multa conſilia, ibi ſalus.* Secundus inquit: *Conſilium omne à Deo, à quocunque proficiſcatur:* ideò dixit S. Baſil. in Iſai. 1. ad v. 26. *Sacra res eſt conſilium, voluntatum vnio, fructus lectionis, humilitatis inſigne:* hoc ipſum viderunt per vmbram Plato, & Ariſtot. ille: *Conſilium rem ſacram eſſe:* hic. *Conſilium capere eorum, quæ inter homines ſunt, diuiniſſimum eſſe.*

DV-

## DVBIVM CXXXIII.

*Quænam lex ſit ſtatuenda pro praxi iuſtitiæ diſtributiuæ applicandæ cũ circũſtantijs ſuperiùs præſciptis, vt regimen ſuauitatem redoleat.*

## SVMMARIVM.

1. *LEgislator ita debet regulare Rempublicam, vt per leges eam incolumen ſaluet.*

2. *Exponitur lex pro praxi iuſtitiæ diſtributiuæ applicandæ.*

3. *Extenduntur effectus ex huiuſmodi lege reſultantes: & obiectionibus ſatisfit.*

1. Dixi, quænam lex, &c. quia, cum conſeruatio Religionis petenda ſit à iuſtitia diſtributiua ritè adminiſtrata, quæ poſtulat, vt à multis omnium merita expendantur, vti dixi in præcedentibus dubijs; & cum omnia, inquit Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 1. part. 2. c. 12. per regulam regulentur; ideò huiuſmodi materia, vt ſuauitatem redoleat, ad vnam regulam generalem per quandam legem eſt reducenda; vndè dicebat S. Thom. ex Ariſtot. 4. polit. lect. 11. *Legiſlatorem, ſi benè debeat ordinare Rempublicam, debere aſſumere ad Rempublicam media, & hoc quaſcunque leges ponat, ſiue conuenientes potentiæ paucorum, ſiue populari ſtatui, ſemper oportet coaſſumere media, quia ſic debet ferre leges, & ordinare Rempublicam, vt per leges poſſit Reſpublica ſaluari*: idque præſertim ob nationes diuerſas, ex quibus quælibet Religio formatur, quod eſt magni ponderis, vt intelligenti ſemper videbitur;

Quænam, quæſo, lex eſt ordinanda pro mirabili applicatione iuſtitiæ diſtributiuæ cum circunſtantijs ſuperiùs præſcriptis, vt non deſideretur conſeruatio communitatis, obſtando noxijs, quæ eam prohibere poſſunt; hæc enim duo, vt iam dixi ſuperiùs, ſunt præſertim attendenda; proindè S. Thom. ex Ariſtot. 1. polit. lect. 1. aiebat: *Ille eſt naturaliter Principans, & dominans, qui ſuo intellectu poteſt præuidere ea, quæ congruunt ſaluti, puta cauſando proficua, & repellendo nociua: Cum ergo politia ſit ordo,* inquit S. Thom. ex Ariſtot. 3. polit. lect. 7. *inhabitantium in Ciuitate, & iſte ordo attenditur ſecundum aliquam iuſtitiam*: quæ iuſtitia non eſt paucorum, ſed multorum, quia omnes ſubditi habent ius ad omnia bona Religionis, quod certè debet attendi, teſte D. Thom. ex Ariſtot. 4. polit. lect. 1. *Oportet igitur politicum, ſi debeat auxiliari politijs exiſtentibus, & dirigere eas, conſiderare differentias ipſarum, quot ſunt, & qualiter componantur ex principijs ſuis: propterea iuſtum æquale, quod conuenit eis.* ſubdit S. Thom. lect. 7. loco citat. *videtur eſſe, vel conſiſtere in quadam æqualitate ſecundum proportionem, quæ non ſolùm attenditur ex parte rerum, quæ deſtribui debent, ſed ex parte ſuppoſitorum, quibus debet fieri diſtributio; in iuſtitia enim facienda etiam attenditur æqualitas proportionis ex parte perſonarum, quibus debet fieri iuſtitia ſecundum aliquam dignitatem, & eãdem oportet eſſe proportionem rerum, quæ diſtribuuntur, vt ſi ſint æquales ſecundum virtutem, diſtribuatur eis æqualiter ſecundum proportionem, vt quantò excedit vnus alium in virtute, tantò plus diſtribuatur ei de bonis communibus*: & cum id nequeat executioni mandari, niſi priùs indagentur omnium hominum merita ad diſcernendum bonum à malo, & ad euitandam confuſionem, vt iam dixi ſuperiùs; proindè hæc eſt ſtatuenda lex, cùm ipſa ſit, teſte D. Thom. 3. polit. lect. 12. *de conferentibus ad finem politiæ*, vt iam ſupra inſinuatum eſt, vt Sacerdotes omnes poſt completum annum, ſaltem duodenarium, vt petit omnis rectè regulata Religio, ne ſpiritus diſtrahatur in diuerſa, cadant ſub vota Patrum Definitorum, ac Prouincialium tam præſentium, quàm præteritorum, priùs inter ipſos maturè exploratis meritis, ac qualitatibus cuiuslibet, neceſſarijs pro munere Priorum, ſeù Guardianorum gerendo, ac præſtito iuramento de non acceptanda prece in fauorem alicuius, ſeù aliquorum, præſertim eorum, qui fortè carent idoneitate; & qui habebunt maiorem partem ſuffragiorum iuxta morem aliarum electionum, intelligantur

gantur electi non laborare aptitudine ad ritè obeundum officium Priorum, ita vt hi, & non alij poſſint eleuari ad prædictas dignitates, & ita in quolibet Capitulo de omnibus Sacerdotibus ſucceſſiuè prædictorum annorum metam attingentibus fiat deſcripto modo probatio: qui verò erunt electi ad huiuſmodi munera gerenda, abſoluto triennio abſoluantur ab officio, niſi priùs ob demerita eſſent abſoluendi, vt alij iam iudicati idonei poſſint illis ſuccedere, vt poſtulat iuſtitia talis regiminis, & ita viciſſim ad huiuſmodi dignitates aſſumantur: cui legi omnes, qui poſt publicationem aſſumunt habitum, coactè ſubiacere debent; alij verò, qui ante publicationem ſunt profeſſi, nonniſi liberè, ita vt poſſint ſe ab ea eximere, non tamen ſi cupiunt eleuari ad Prioratuum munera.

Dicitur: *vt Sacerdotes omnes cadant ſub vota omnium Patrum Definitorum, ac Prouincialium*, &c. & fortè adhibitis nonullis alijs. Prim. vt conſilium meritorum ſit magis ſanum, quia ſincerius eſt iudicium, quod plurimorum ſententia comprobatur, vti iam dixi ſuperiùs, & docet cap. Prudentium de offic. deleg. Anch. conſil. 157. & Gloſſ. ibid. verb. Plurimorum ait: *Quod enim à pluribus quæritur ſapientibus, faciliùs inuenitur, & per ampliores homines perfectiſſima veritas reuelatur*: C. de fideic. l. vlt. ad fin. & 64. diſt. extra conſcientiam. Sec. vt difficiliùs peruertantur à Prouinciali, ſeù quocunque alio, quandò pro amico ageretur diſcuſſio, quia inquit S. Thom. ex Ariſtot. 3. polit. lect. 4. *Manifeſtum eſt, quòd plures boni viri difficiliùs peruertentur, & corrumpentur*: Tert. vt neglecti meritorum defectu non poſſint doleri, niſi de proprijs demeritis, & non de partiali affectu tantorum Patrum; impoſſibile enim eſt, quòd maior pars huiuſmodi hominum ita ſit affecta partialitate, vt velit propriam conſcientiam maculare, neglectorum merita maculando.

Dicitur: *priùs inter ipſos maturè exploratis meritis*, &c. quia habetur monitum S. Thom. ex Ariſtot. 7. polit. lect. 3. *Ad hoc autem*, inquit, *quòd rectè iudicet de iuſtis Principans, & quòd rectè diſtribuat Principatus, & bona communia ipſis ciuibus, neceſſarium eſt ipſum cognoſcere ciues, quales quidem ſunt ſecundum virtutem, & quam differentiam habent inuicem ſecundum virtutem, vt ſecundum exigentiam dignitatis virtutis diſtribuat Principatus, & iudicet, & differenter ſecundum differentiam dignitatis eorum: at ſi vbi non ſit ſecundum hunc modum, oportet diſtributionem bonorum communium, & iudicia prauè ſe habere; circa enim iſta operari non ſecundum rectam rationem, ſed ſecundum proprium impetū periculoſum eſt, & iniuſtum*.

Dicitur: *& ita viciſſim, &c.* vt eluceſcat Deus in ordine, dicente S. Gregor. Naziāz. orat. 9. *Non eſt enim diſſenſionis, & confuſionis Deus, ſed pacis, & ordinis*: *Cum ordo*, inquit S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. cap. 77. *ſit proprius effectus diuinæ Prouidentiæ*: nam obſeruato ordine, cuncta in regimine proſperè ſuccedunt, eoque neglecto, cuncta in confuſionem inducuntur, teſte B. Laurent. Iuſtin. de diſcipl. & perfect. monaſt. conſeruat. cap. 10. *Omnes Prouinciarum*, inquit, *Duces, Ciuitatumque Rectores, quò prudentiores ſunt, eò populum ſibi commiſſum ordinatiùs regunt; nam ad hoc intendunt, vt ſingulis illis iniungant actiones, & officia diuidant, quæ ſufficientiæ ipſorum norint congruere, condunt nihilominùs leges, ſtatuta ordinant, iura proponunt, ne quid aut incuria, aut Præſidentium ignorantia incompoſitum, confuſumue remaneat; nam vbi ordo non eſt, ibi tumultus, rixæque mox ſequuntur: è contrario certum eſt, quòd moderati prouida diſpoſitione regiminis cuncta ſuccedunt proſperè, & debito clauduntur fine*: ideò intuens Nazianz. orat. 26. neceſſitatem ordinis dixit: *Ordo omnia conſtituit, & colligauit; ordo cæleſtia, & terreſtia continet; ordo in ijs, quæ ratione, & animo intelliguntur locum habet; ordo in ijs, quæ ſenſibus percipiuntur; ordo in Angelis; ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & ſplendore*: & multa deinceps in eandem ſententiam; hinc S.

Thom. contr. Gentil. lib. 3. cap. 128. *Quantumcumque*, inquit, *aliqua ordinantur ſub aliquo, oportet illa concorditer eſſe ordinata, aliàs ſe inuicem impediunt in conſecutione finis communis*. vndè optimè Caietan. 1. ad Corinth. cap. 14. verſ. 24. dixit: *Vbi multitudo ſine ordine ibi confuſio, ibi diſſenſionis materia*: & priùs ipſo Chyſoſt. in eod. loc. Paul. *Sicut etiam contraria ordini omnia diruunt, non ſolùm autem in ſpiritualibus, ſed etiam in omnibus alijs videris; nam ſiue ſi in choro, ſiue in nauigio, ſiue in curru, ſiue in caſtris ordinem confundas, & maioribus ſuo loco eiectis, in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrumpis, & ſic quæ ſunt ſupra, fiunt infra*. vide eundem Caietan. in fin. concl. dub. 34. & S. Antonin. in fin. concl. dub. 129.

Dicitur: *cui legi omnes, qui poſt publicationem aſſumunt habitum coactè ſubiacere debent*, quia vnuſquiſque tenetur obſeruare legem, cui voluntariè ſe ſubiecit, cum nouum onus non imponatur.

Dicitur: *alij verò, qui ante publicationem ſunt profeſſi, nonniſi liberè*, quia nouum onus imponitur eis; ideò ad reprimendos clamores, & fortè tumultus, in quos erumpere poſſent, nonniſi liberè debent legi ſubdere; non tamen debent eximi ab illa, ſi volunt obire munus Priorum, quia bonum commune poſtulat huiuſmodi legem, vt inferiùs patebit.

3. Quis non videt ex hac lege obſeruata mille bonos effectus pullulaturos? In primis eos, qui in præcedentibus dubijs fuerunt traditi. Non negligetur prima operatio Principantis in boni communis bonum, de quo ita loquitur S. Th. ex Ariſtot. 7. polit. lect. 3. *Operatio autem principalis Principantis eſt dirigere ſubditos ſecundum rationem præcipiendo, ac diſtribuendo bona communitatis, & iudicando rectè, ad quæ præexigitur cognitio ciuium*. Erigetur illud regimen iuxta formam ſeruandam inter illos, qui ius ad omnia bona Religionis poſſident; & erit illa lex, quam intendo tradere: *Non eſt iuſtum*, inquit S. Thom. 3. polit. lect. 15. *virum principari aliquibus ſimilibus, & æqualibus ſecundum virtutem, & naturalem diſpoſitionem, ſed iuſtum eſt eos viciſſim, & ſecundum ordinem principari, & hoc eſt principari ſecundum legem*: & paulò antè: *Principari autem eos ſecundum ordinem, & viciſſim lex quædam eſt*. Eluceſcet iuſtitia talis regiminis tanquam ſupra candelabrum, per quam conſeruatur Reſpublica, de qua S. Th. 5. polit. lect. 6. notat hæc verba: *Reſpublica ſaluatur propter mutuam communicationem ſecundum aliquam proportionem; huiuſmodi autem communicatio ſecundum proportionem iuſtitia eſt; quarè Reſpublica ſaluatur iuſtitia exiſtente; ſi ergo fiat tranſgreſſio, corrumpitur*. Non deſiderabitur vnitas multitudinis, quæ eſt finis cuiuslibet Imperij, arte, & induſtria à quolibet Regente procuranda, mediante prædicta iuſtitia, vt tradit S. Antonin. parte 1. tit. 6. capit. 2. §. 5. *Cauſatur, & conſeruantur hæc vnitas in Ciuitatibus, quandò ad hoc vnum attenditur, vt iura ſeruentur vniuerſaliter, id eſt tam maioribus, quam minoribus*. Aperitur via ad magis, magiſque propagandum perfectionem, ad quam quilibet Ordo ſecundum proprium inſtitutum, ac leges eſt ordinatus ſecundum doctrinam eiuſd. S. Antonin. loco citato. *Eſt enim*, inquit, *neceſſaria talis vnitas ad bonam gubernationem multitudinis, vt ſcilicet quæratur principaliter bonum commune ſpirituale, & temporale poſtponendo omne priuatum commodum*. Frenabuntur (quæ ſequuntur præſertim oſtendunt neceſſitatem huiuſmodi legis ſtatuendæ) partiales affectus electorum erga amicos, & ſibi gratos in multorum oppreſſionem, dum hi, & non alij ad inuicem ſunt aſſumendi ad prædictas dignitates; vndè ſemper erigetur dominium rectum, & iuſtum, & alienabitur corruptum, & peruerſum, de quo loquitur Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 3. p. 2. cap. 2. *Nam ſi in aliquo dominio, aut Principatu intenditur bonum commune, & omnium*

*nium ciuium ſecundum ſuum ſtatum, ſic eſt æquale, & rectum; ſed ſi intenditur ibi bonum aliquorum, & aliorum oppreſſio, ſic eſt corruptum, & peruerſum*: Fugabitur inordinatum illud in pacis deſtructionem, quod vnuſquiſque quærat, quæ ſua ſunt, dicente S. Thom. 2. 2. qu. 183. art. 2. *In Ciuitate pax tollitur ex hoc, quod ciues ſinguli, quæ ſua ſunt, quærunt*: Videbitur ita per huiuſmodi legem in vnum colligata multitudo, dum omnes idonei pro munere Priorum gerendo non ſunt negligendi, vt de facili non pateat aditus ad factiones, ac ſeditiones, quod eſt illud magni ponderis monitum iuxta omnes politicos, quod Legislatores attendere debent pro regula diſponendi regimina, prout tradunt S. Thom. 2. polit. lect. 8. & Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 3. p. 1. cap. 13. Ille, ait, *Legislatores principaliter à Ciuitate intendunt remouere ſeditiones*: Hic ait, & clariùs: *Sic eſt diſponenda multitudo, vt conſeruetur in pace; & vt ibi ſeditiones non inſurgant*: hæc enim oboriuntur ex nonnullis poſthabitis, vt ſæpè dixi, & docet S. Antonin. 2. par. tit. 4. cap. 8. de diſcord. §. 2. *Ex improportionata honorum, & onerum diſtributione generantur ſeditio, & diſcordia*: Non deplorabitur incuria, & negligentia Superiorum tanquam origo tantorum malorum, quia ait Patrit. de inſtit. Reipubl. lib. 6. tit. 5. *Inuitat ad ſeditiones deſidia, & incuria eorum, qui ciuili ſocietati præſunt*. Expurgabitur tandem gubernatio à tyrannide Prouincialis, aliorumque Definitorum, ne in eam declinent trahendo ad ſe regimina in ſui conſeruationem; id enim videtur tyrannicum iuxta doctrinam S. Thom. 3. de regim. Princip. cap. 11. *Regnum*, inquit, *non eſt propter Regem, ſed Rex propter Regnum, quia ad hoc Deus prouidit de eis, vt Regnum regant, & gubernent, & vnumquemque in ſuo iure conſeruent, & hic eſt finis Imperij, quòd ſi aliud faciunt in ſe ipſos retorquendo commodum, non ſunt Reges, ſed Tyranni*: dum Priores electi, atque eligendi propriam exaltationem cognoſcent à meritis, & non ab affectu aliquorum Patrum, & ita nitentur iugum ſeruitutis, quod ex adhærentijs ſequitur, tanquam rem Religioſis indignam è collo excutere, ſi rationabili intellectu volent vti; vndè votorum reciprocorum vtilitas ceſſabit, & ſic regimen erit munitum antemurali illo, de quo loquitur S. Thom. 1. de regim. Princip. cap. 6. *Sic diſponenda Regni gubernatio, vt Regi iam inſtituto tyrannidis ſubtrahatur occaſio, ſimul etiam temperetur poteſtas, vt declinare de facili in tyrannidem non poſſit*.

Dices, eſto ex hac lege videantur inſurgere effectus prædicti, & præſertim appareat multitudo ita munita, ne de facili poſſit diſtrahi in factiones, & à tyrannide opprimi; nihilominus non ita eſt colligata, vt ſit incolumis ab huiuſmodi malis, quia merita illorum, qui præſeferunt aptitudinem pro Prælaturis ſupremis, nempè Definitoratu, ac Prouincialatu, &c. non propagantur; huiuſmodi enim Patrum electiones ſunt celebrandæ à Prioribus, ac Diſcretis; quò fit, vt multi apti ad illa onera ferenda poſſint excludi, & ita maximus aditus pro diſſenſione, ac tyrannide haberetur: Reſpond. quòd in qualibet Hierarchia tam cœleſti, quàm terreſti talis ordo à diuina Prouidentia inſtitutus reſplendet, vt inferiores à Superioribus illuminentur, & iuxta lumen receptum operentur, vt docet S. Thom. cont. Gent. lib. 3. cap. 80. & 81. vndè ſi inferiores electores illuminabuntur de obligatione propagandi prædicta merita à Superioribus maioribus, certè non erunt neglecta; aliàs nequeunt huiuſmodi electores excuſari à culpa lethali, defectu non propagandi omnium merita, & cuſtodiendi multitudinem à prædictis malis; quòd ſi illuminatio deficit, deficiant etiam illis ſuffragia tanquam in dignis illis ſupremis Prælaturis, quibus fruuntur, eò quòd proprium munus negligunt. Adde, quòd Superiores maiores tenentur non negare honores, ac dignitates Religioſis idoneitate præditis, quibus habitis, de facili ab electoribus in Definitores, ac Prouinciales, &c. promouerentur: quò fit, vt hoc lumi-

ne

ne ducti ſint præſtaturi vota ſecundum omnium merita: videantur ea, quæ dicuntur in dub. 56.

Dices, ſeditionis malum excitari poteſt non ſolùm ob honores, ac dignitates confuſè diſpenſatas, ſed etiam ob alia bona, ac commoda communitatis, ſcilicet Lectoratum, Doctoratum, Magiſterium, & pulpita in locis inſignibus, &c. malè diſtributa; propterea remedium deſignatum, nō tollit penitus aditum ad regiminis corruptionem. Reſpond. obiectionem non vrgere doctrinam traditam, quia omnia ſunt diſtribuenda ſecundum merita iuxta legem ſuperiùs præſcriptam, vt petit iuſtitia regiminis, & poſtulant ab intrinſeco ipſa bona communitatis.

Dices, negari nequit huiuſmodi legem promouere bonum, ac præcauere malum vnius tamen Prouinciæ, quòd, licèt in omnibus Prouincijs, ex quibus conflatur Religio, ſit ſtatuenda, ita vt regimina omnia totius corporis adminiſtrentur ſecundum iuſtitiæ pondus; nihilominus non fauet electionibus inter omnes conſpicuis Capituli generalis; vndè erunt expoſitæ factionibus, & conſequenter poterunt eleuare homines ad ſupremas dignitates factionum amicos, qui vtentur tyrannico dominio trahendo ad ſe regimen in proprium commodum, ac vtilitatem. Reſpond. quòd *Illa eſt optima politia*, inquit S. Thom. ex Ariſtot. 3. polit. lect. 16. *inter alias, quæ regitur, ac diſpenſatur ab optimo viro, ſeù optimis viris; quia ad optimum finem ordinatur; ſemper enim, quod fit ab optimo agente, ad optimum finem ordinatur per ſe*: cum ergo electores Capituli generalis ſint homines ex ſingulis Prouincijs nō cognoſcentes aliud regimen, niſi adminiſtratum à recta iuſtitia ſecundū omnem rigorem, conſequenter gaudent bonitate optimorum virorum; vndè ab his agentibus nequit procedi actio, niſi per ſe ordinata ad rectum finem; quarè electiones prædictæ neceſſariò erunt celebrandæ non, niſi pro fine recto, ac ſancto, & ita videbuntur ſublimati homines ad ſupremas dignitates, inclinati ad iuſtitiam, pacemque tuendam, poſtpoſito bono priuato, ex quo poſſunt oboriri mala enarrata.

Dices, huiuſmodi lex videtur potiùs inducere ſpeciem electionis, antequam fiat vera electio. Reſpond. falſum eſſe, determinat quidem quoddam genus hominum, ſupra quos debet tandem cadere electio, & quod de rigore iuſtitiæ debent obſeruare electores, vndè per hoc non coarctatur electio, ita vt tollatur libertas eligentiū, vt probat Samuell. de canon. elect. tract. 2. diſp. 1. controu. 3. num. 10. & Lauor. de elect. canon. tit. 4. c. 21. num. 14. ex multis; nā ad certū genus perſonarū poteſt reſtringi electio, & per hoc nō adimitur libertas eligēdi: quòd ſi, ſtāre ſtatuto, reſtringeretur ad duos, vel tres, quia iſti eſſent tantùm idonei, & vnus ex illis eligendus eſſet, quod in noſtro caſu videtur moraliter impoſſibile, valeret electio, & bona ſemper cenſenda eſſet, vt optimè probant Samuell. vbi ſupr. controu. 4. num. 13. & Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub. 10. num. 5. in 2. edit. ex multis, imò ex Sacr. Congregat. Cardinal. Concil. Trid. interpretum: hinc dixit Lauor. vbi ſupr. tit. 4. c. 24. n. 7. loquendo de Monialibus in obiectione ſibi facta: Dices, ſi in Monaſterio nō adſit niſi vna Monialis, quæ habeat prædicta requiſita Concilij, cum Moniales non poſſint aliam eligere, quàm iſtam, dicetur ne electio reſtricta, ſeù per vim, dum non adeſt plena libertas requiſita in electionibus? vt diximus cap. 21. num. 11. Reſpondetur, hæc dicitur reſtrictio, ſeù prouiſio iuris, non hominis; reſtrictio ad qualitates requiſitas, tanquam ſubſtantiales ipſius actus electionis non autē ad perſonam, ideò non dicitur coarctata ex Abb. in c. Cum terra n. 1. de elect. & n. 2. in fin. hæc Lauorius.

Pro fine dubij eſt addendum, quòd prædicta lex, vt certiùs multitudo ſit ita diſpoſita, vt in pace conſeruetur, & quantùm moraliter fieri poteſt, ab ea arceantur factiones, alia debet muniri lege, de qua loquutus ſum in 114. dubio tractatus de Generalis munere, quæ ſub pœna excommunitationis quamcūq; votorū vnionē in quacumlibet electione prohibet, eò quòd quælibet communitas quantuncunque bona nequit ſine timore regi: multa alia poſſunt videri in dub. 38.

DV-

## DVBIVM CXXXIV.

*Qua obligatione Capitulum generale teneatur prædictam legem ſtatuere.*

### SVMMARIVM.

1. *Diuiditur iuſtitia in diſtributiuam, & commutatiuam, & huius obligatio eſt maior illa.*

2. *Ex iuſtitia commutatiua prædictam legem ſtatuere, & ſancire tenetur Capitulum generale.*

Dixi Capitulum generale, quia ad ipſum tantùm ſpectat condere leges in perpetuum duraturas, & non ad Generalem; imò hic eſt ſubditus illius, vt docet Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 8. n. 18. tract. 8.

Pro intelligentia ſit prim. not. quòd, cum iuſtitia particularis diuidatur ſecundùm Ariſtot. 5. ethic. c. 2. & S. Thom. 2. 2. qu. 61. art. 1. in commutatiuam, & diſtributiuam; per commutatiuam intelligendo illam, quæ reſpicit æqualitatem arithmeticam; & per diſtributiuam intelligendo illam, quæ reſpicit æqualitatem geometricam, vti habet Ariſtot. 5. ethic. c. 3. & 4. & cum vtraque dicat obligationem reddendi ius ſuum vnicuique, vt docet Vlpianus Iur. Conſ. in leg. iuſt. ff. de iuſtit. & iur. poteſt fortè hìc dubitari: an obligatio iuſtitiæ commutatiuæ ſit maior, quàm obligatio diſtributiuæ: cui dubio reſpondendum eſt, quòd maior eſt illa, quàm hæc, quia tanta prorſus eſt in me obligatio reſpectu tui, quantùm eſt in te ius aduerſum me, & proportionantur in eadem planè menſura obligatio rei, vt ſic loquar, & ius actoris; at ius ad recipiendam partē bonorum publicorum, circa quæ verſatur iuſtitia diſtributiua, non videtur tantùm, quantùm eſt ad recipiendum pretium rei venditæ, circa quam verſatur iuſtitia commutatiua: ergo neque erit tanta obligatio iuſtitiæ diſtributiuæ, qnanta eſt obligatio commutatiuæ, ſed hæc erit maior illa: maior patet: minor probatur, quia P. Molin. de iuſtit. tract. 1. diſp. 12. §. iuxta hactenus, inquit, quòd iuſtitia diſtributiua definitur per hoc, quòd ſit ſolùm circa bona, quæ in Republica redundant; certè ad illa non poteſt eſſe tantùm ius, quantùm eſt pretium pro merce vendita, pro domo locata, pro labore præſtito, & pro alijs, in quibus ius oritur ex eo, quod tantundem debes reponere quantùm accepiſti, quod nō habet locum in iuſtitia diſtributiua.

Audiamus doctrinam Suar. opuſc. var. de iuſtit. Dei ſect. 3. n. 14. clarius id explicantis: Diximus igitur, ait, in ſuperioribus obiectum proprium iuſtitiæ commutatiuæ eſſe ius ita proprium, vt fiat proprium rei dominium, vel illi moraliter æquiualet, quod ibi ſatis declarauimus: nunc ergo addimus præter hoc ius dari in hominibus aliud non ita propriū, ac rigoroſum fundatum in quadam dignitate, ſeù conditione perſonæ, quæ eſt pars alicuius communitatis, ſeù Reipublicæ, ratione cuius debetur ei aliquid ex bonis Reipublicæ ſuæ dignitati proportionatum, quod ius reuera non eſt dominium, quia talia bona nunquam fuerunt talis perſonæ, nec ratione proprij dominij, aut alterius rei propriæ, in qua læſa fuerit, ei debentur; vndè ſit etiam, vt longè maius, & rigoroſum ſit debitum, quod ex priori iure naſcitur, quàm quòd ex poſteriori: nam magis debetur alicui id, quod eſt propriè ſuum, quàm id quod eſt commune, licèt ad illud habeat aliquod ius propter dignitatem perſonæ, vel aliam ſimilem proportionem; vndè de priori debito omnes Theologi affirmant ex illius læſione naſci obligationem reſtituendi; de poſteriori verò præciſè ſumpto quamplures, & fortaſsè, qui meliùs ſentiunt, id negant: & paulò inferiùs: Qui beneficium, vel cathedram prætendit, nunquam habuit dominiū, vel poſſeſſionem eius, vel alterius rei æquiualentis, quam pro altera dederit; habet tamen, ſi ſit digna perſona, ius quoddam ad talem rem, quia ſecundum quandam æquitatem ei potiùs, quàm alteri tribuenda eſt, eò quòd inter partes huius communitatis habeat maiorem proportionem cum tali re, quàm aliæ perſonæ; vndè ſit, quòd, ſi ſint aliæ perſonæ æquè dignæ, nulla earum habet ius ad talem rem

neceſſa-

## DVBIVM CXXXV.

*An iuſtitia diſtributiua ſit medium congruum ad ambitionis vitium à Regularibus delendum.*

### SVMMARIVM.

1. *Ambitio quid; eiuſque duo effectus.*
2. *Ex iuſtitia diſtributiua rectè administrata reſecatur ambitio, quia eius mali effectus deſtruuntur, & obiectioni ſatisfit.*
3. *Itidem probatur ex eo præſertim, quandò iuſtitia diſtributiua ſecundum debitam proportionem, & non vltra emicat in Superioribus maioribus, eiuſdemque iuſtitiæ munera explicantur.*

1. Pro intelligentia ſupponendum eſt, ambitionem à S. Thom. 2.2 qu. 131. art. 1. à Caietan. ibidem definiti eſſe, appetitum inordinatum honorum, & dignitatum, à quo tanquam à cauſa duo pullulant effectus, nempè diſtrahere homines in partes, atque factiones, & pro conſecutione, & conſeruatione dignitatum ad alias dignitates, neglectis dignioribus, indignos eleuare, vt adnotat Patritius de Republ. lib. 6. tit 5. *Eſt & ambitio*, inquit, *res teterrima, ac periculoſa, in primis quidem Ciuitatem partibus inficit, & indignis pleriſqua honores, ac magiſtratus, potiùs quàm dignis tradit.*

### PRIMA CONCLVSIO.

2. Nemini eſt hæſitandum iuſtitiam diſtributiuam eſſe illud medium congruum, imò neceſſarium ad reſecandum à Regularibus ambitionem. Suadetur ex reſecatis ambitionis effectibus: conferre officia, ac dignitates indignis, ac dignis, dignioribus poſtpoſitis, eſt peccatum acceptionis perſonarum, quia non attenduntur idoneitas, perſonarumque merita, ſed aliæ cauſæ impertinentes; nam tale vitium communiter à DD. præſertim à Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 1. ita definitur: eſt iniuſtitiæ crimen, quo in diſtributione aliquorum bonorum non cauſæ ad rem pertinentes, ſed perſonæ aliarumque qualitatum ad rem non pertinentium ratio habetur: iuſtitia autem diſtributiua, cuius munus eſt, inquiunt DD. diſpenſare officia, dignitateſque ſecundum merita, ac aptitudines, opponitur huiuſmodi vitio, vt habetur ex S. Th. 2.2.qu. 63. ar. 1. cum alijs Theologis, imò eſt peccatum lethale, quia è directo virtuti, ſeù iuſtitiæ diſtributiuæ aduerſatur: ergo ea in Religionibus fideliter obſeruata, acceptionis perſonarum vitium deſtruit. ergo ambitionem tollit. Propterea, quis non videt pacem inter homines eorum diuiſionibus, & partibus obſtare? imò ob id finis omnis Imperij conſtituitur; at iuſtitia commutatiua, quàm diſtributiua pacem tradit, eamque conſeruat, vt ſuperiùs dixi, & modo repeto ex mente S. Antonin. 4. part. tit. 5. c. 4. §. 5. & Dionyſ. Carthuſ. de regim. Princip. lib. 1. art. 15. Primus ait: *Eſt ergo iuſtitia neceſſaria ad pacem Ciuitatis conſeruandam; vndè in Iſaia dicitur: Erit opus iuſtitiæ pax.* Secundus inquit. *Ex diuina ordinatione inſtituti, & facti ſunt Principes, vt in omni Principatu, ac populo ſuo pacem conſeruent, quod impleri non poteſt, niſi inter conciues, ac ſubditos; imò inter omnes ſubditos obſeruetur iuſtitia, quia ex iuſtitia pax oritur, vt Iſaias 32. teſtatur, dicendo: Erit opus iuſtitiæ pax: vndè debent vnicuique dare, & conſeruare, quod ſuum eſt, & quẽlibet honorare tẽpore opportuno, prout meretur, & dignus eſt, indignos quoquè officijs, & honore priuare, & vnicuique debitam mercedem, & vicem rependere:* ergo ſeditionum excidium extinguit: ergo & ambitionem.

Dices, negari nequit prædictos effectus ambitionis à iuſtitia diſtributiua reſcindi; non ideò concluditur ambitionem quoquè reſcindi; quia, ablatis effectibus, adhuc cauſa vigere poteſt, Reſpond. licèt verum ſit communiter ex effectuum reſciſſione nõ reſcindi cauſam; niluominus in caſu valere argumentum, quia, cum ambitio intrinſecè includat inordinationem appetitus; & pax, quæ oboritur ex iuſtitia ordinatè diſtributa, dicat tranquillitatem ordinis, quæ quidem tranquillitas, inquit S. Thom. 2.2.qu. 29. art. 1. ad 1. conſiſtit in hoc,

quod

quòd omnes motus appetitui in vno homine conquieſcunt, ſequitur neceſſariò ambitionis extinctio; & eſto alicui ex propria malitia non inſurgat mentis tranquillitas ex non ſedato appetitu inordinato, parui refert, quia non conturbat felicitatem communem Reipublicæ.

## *SECVNDA CONCLVSIO.*

3. VT ambitio vnà cum ſuis effectibus magis, ac magis extinguatur, iuſtitia diſtributiua ſecundum debitam proportionem, & non vltra, enitere in Superioribus maioribus principaliter debet. Suadetur ex eo, quòd *ſecundum Iudicem*, ideſt Principē, *populi, ſic & miniſtri eius, & qualis Rector eſt Ciuitatis, tales, inhabitantes in ea* Eccleſ. 10. quaſi dicat: ad Principis mores, & vitam, quaſi ad normam, & exemplar conformant ſe, primò miniſtri eius, deindè cæteri ciues, & ſubditi iuxta illud Claudiani: *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*: Quarè Plinius in paneg. Traian. aiebat: *Vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam Imperio nobis opus eſt, quàm exemplo*: & Cicero 3. de legib. lib. 3. *Vt enim cupiditatibus Principum infici ſolet tota Ciuitas, ſic emendari, & corrigi continentia*: & paulò poſt: *Nam licèt videre, ſi velis replicare memoriam temporum, quales ſummi Ciuitatis viri fuerunt, tales totam Ciuitatem fuiſſe, quaecunque mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo ſententiam*: diſtractis ergo per ambitionem Superioribus maioribus in partes, quoquè diſtrahuntur, vt dixi alibi, & ſubditi; valet conſequentia: ideò S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 5. ait. *Quicunque ex Præſidentibus pluribus ſe diuertit ab intentione boni communis diſſenſionis periculum in ſubditorum multitudine imminet, quia diſſentientibus Principibus conſequens eſt; vt in multitudine ſequatur diſſenſio*: iiſdem ergo per pacem vnitis, mediante iuſtitia diſtributiua rectè diſpenſata, vniuntur quoquè per pacem & ſubditi, ita ſanè; vndè Dionyſ. Carthuſ. de regim. polit. in præfatione ait *Dum Rectores Ciuitatum iuſti, & prudentes exiſtunt, ciues in pace agunt, & Rectorum ſuorum prudentiam, iuſtitiamque ſequuntur*: & S. Auguſt. in pſalm. 71. explicans illa verba Dauid: *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam*, inquit: *Montes maiores ſunt, colles minores, excellentes quippè in Eccleſia paci debent vigilanti intentione conſulere, ne propter ſuos honores ſuperbè agendo ſchiſmata faciant, vnitatis compage diſrupta; colles ita eos imitando, & obediendo ſubſequantur, vt eis Chriſtum anteponant, ne malorum montium, quoniam videntur excellere, vana authoritate ſeducti ſe à Chriſti vnitate diſrumpant; ideò dictum eſt: Suſcipiant montes pacem populo*: ergo vt ambitio funditùs in omnibus eradicetur, principaliter iuſtitia diſtributiua in Prælatis maioribus radicetur: quæ docet non omnia ſibi conuenire, ſed alijs diſtribuere ſecundum meritorum menſuram. Ita S. Thom. 2.2. qu. 63. art. 1. *Conſiſtit*, inquit, *æqualitas iuſtitiæ diſtributiuæ in hoc, quòd diuerſis perſonis diuerſa tribuantur ſecundum proportionem ad dignitates perſonarum*: quæ docet non ſemper frui dignitatibus, & vti Imperio, ſed alijs, dum ſunt meritis pares, ea præſtare. Ita Patritius lib. 1. de Republ. tit. 6. *Elaborandum*, ait, *igitur in primis erit, vt æquali iure inter ſe ciues viuant, & ne alij perpetuò imperent; alij autem perpetuò famulentur; inſtabilis enim omnis ſocietas eſt, in qua non omnes pari iure cenſentur*: quæ docet non onera Religionis fugere, eaque tantùm tranſmittere in ſubditos; ſed cunctos proportionabiliter communia pondera ferre. Ita S. Antonin. 1. part. tit. 6. c. 2. §. 5. *Vt vnitas conſeruetur in multitudine, onera proportionabiliter imponantur*. quæ docet homines officijs perfunctos nullum reportare quæſtum, ſeù commodum, quia ſi id Reſpublicas conturbat, multò magis Religiones deturbat; quarè dicebat Patritius vbi ſup. lib. 6. tit. 3. *Nihil enim magis odioſum eſt, quàm videre quempiam quamprimum pluribus muneribus diuitem eſſe factum; ſint igitur contenti optimi ciues honore, & gloria pro rebus benè geſtis, nec inuidioſa præmia expectent, ſint in affectanda gloria modeſti; quominùs enim quiſque gloriam quærit: eò magis eam aſſequitur*, quæ docet, ne concentus multitudinis diſſoluatur, vnitas hominis, licèt infimæ conditionis,

nis, merita non prætereire. Ita Lipſius ex conſil. 2. ad Belgas, epiſt. 39. *Vt in cithara, ſi vel vnica fides diſcrepat, concentus, & armonia tota perit; ſic iuſtitia ſi in vno aliquo delinquat.*

Ex hac ergo iuſtitia ſic optimè adminiſtrata inter ſupremos Prælatos, quis non videt ambitionem iugulari, & funditùs euelli? illud vitium, inquam, quod non ſolùm ſeditionem parit, hominesque in ſectas, ac partes diſtrahit, ſed facit, inquit Fagundez in 10. præcept. Decal. lib. 10. c. 2. n. 15. vt ambitioſi metu admittendi beneuolentiam eorum, à quibus pendet, iuſtitiam non ſeruent, ius ſpernant, æquum, bonumque contemnant, ius infringant, & leges atterant; vndè, ea reſciſſa, reſcinduntur Infinita mala, & inſurgit ſumma felicitas.

Concludendum eſt ergo cum S. Thom. 4. de regim. c. 23. multitudinis felicitatem pendere, ottumque habere ex vittute Rectoris: *Virtus, inquit, qua Rector politicus Ciuitatem gubernat, architecta eſt reſpectu cuiuslibet aliarum virtutum, quæ ſunt in ciuibus, quia cæteræ virtutes ciuiles ordinantur ad iſtam; & ideò in operatione eius, cum ſit virtus ſuprema, conſiſtit felicitas politica.*

## DVBIVM CXXXVI.

*An Prouincialis, qui in diſtributione familiarum diſtribuendarum per cœnobia optimis ſubditis, ac officialibus in commodum aliquorum amicorum, qui aliquibus locis præſunt, vtitur, lethaliter peccet.*

### SVMMARIVM.

1. *Quæſiti titulus tribus modis explicatur.*

2. *Prælatus, qui exercet iuriſdictionem in homines, ſupra quos nulla ſibi competit poteſtas, lethaliter peccat.*

3. *Subditorum obedientia non ſubiacet affectionibus Prælati, ſed tantùm Religioni.*

4. *Familiarum diſtributio facta iuxta primam acceptionem non eximit Prælatum à peccato: ſecus iuxta tertiam.*

5. *Huiuſmodi diſtributio facta in commodum amicorum, alijs excluſis, eſt lethaliter mala: varijſque rationibus probatur.*

1. Tribus modis id contingere poteſt. Prim. quandò tali diſtributione, ac partialitate vtitur Prouincialis in proprium commodum, ſeù amicorum, ideſt ea intentione, vt ſit medium congruum ad hoc, vt illi Prælati in futuro Capitulo ſibi præſtent vota pro Prælaturæ conſeruatione, ſeù amicis pro alterius dignitatis conſecutione. Secund. intuitu tantùm amicitiæ, ita vt finis diſtributionis nil aliud ſit, niſi beneuolentia erga amicos. Tert. intuitu boni communis, ita vt illa cœnobia pro recta adminiſtratione exigant ſubditos, & officiales, inter omnes meliores.

2. Not. ſec. quòd, qui exercet iuriſdictionem in homines, ſupra quos nulla ſibi competit poteſtas, peccato obuoluitur. Ita docent, alijs relatis, Fagundez in 8. præcept. Decal. lib. 8. c. 18. n. 13. Filliuc. tom. 2. tract. 40. cap. 6. n. 155. addens n. 156. quod ex genere ſuo eſt lethale, quia facit iniuriam hominibus, in quos non habet poteſtatem; eſt autem grauis iniuria, quia ſic hominum conſenſu communi, & exiſtimatione iudicatur; ideò omnes Iudices peccant vſurpatione iudicij, qui iudicant eum, qui non eſt, vel abſolutè ipſorum ſubditus, vel non in illis cauſis, in quibus eum iudicant.

3. Not. tert. quòd, licèt ſubditus Religionis ſe ſubiecerit poteſtati Prælati; non ideò eius obedientia ſubiacet affectionibus Prælati, ſed tantùm Religioni; proindè nequit Superior ſubdito, eiuſque actionibus, & functionibus vti in ſui ipſius, & amicorum commodum, quia in eum ſub iſta ratione nullam habet iuriſdictionem: vide ea, quæ in tert. not. dub. 7. primæ cēturiæ dico.

### PRIMA CONCLVSIO.

4. SI huiuſmodi familiarum diſtributio inſpiciatur, vt in prima acceptione, non eſt hæſitandum, quin Prouincialis lethaliter peccet: ſecus ſi vt in tertia. Prima

pars ſuadetur, quia labe ſimoniæ inuoluitur; nam ſimonia committitur, quandò datur munus aliquod à manu alicui hoc pacto, ſeù hac conditione expreſſa, vel tacita, vt eligat hunc, vel illum. Ita habetur in c. Nobis. de Regularibus. & cap. Mattheus. de ſimonia, & id eſt certiſſimũ apud omnes DD. & in terminis traditur a Toloſa tit. de elect. c. 9. n. 7. ab Azor. part. 3. lib. 12. c. 7. q. 1. verſ. Quæres quid dicendum, à Sigiſmundo de elect. dub. 57. num. 5. & à Samuell. de elect. canon. tract. 2. diſp. 2. controu. 2. concl. 7. ſed huiuſmodi Prælatus vtẽdo ſubditis in prædicta diſtributione, intentione deſcripta, quis non videt clarè dare munus à manu, vt trahat ad ſe vota pro ſui, ſeù amicorum electione, & exaltatione: ergo damnandus eſt ſimoniæ labe. Secunda pars habetur, quia inquit Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 1. n. 6. tota poteſtas gubernatiua regularis tendit per ſe ad bonum communitatis, & cum huiuſmodi diſtributio à Prælato ſit ordinata ſecundum boni communis regulas: eximitur ergo ab omni peccati ſpecie.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. SI poſtea conſideremus Prouincialem præ manibus habentem prædictam diſtributionẽ, prout in ſecunda acceptione lethalis culpæ reus habendus eſt. Suadetur, quia omnes DD. conſpirant in hanc propoſitionem, Prælatos, ac Rectores ſub mortali teneri hominum multitudinem ſibi ſubiectam propagare vnitate, per quam regitur, & conſeruatur, ſine qua ruit, & in diuerſa diſpergitur, & ſibi ipſi, inquit S. Thom. 1. de regim. c. 15. redditur oneroſa, & impeditur à benè agendo: ſed dum Prouincialis vtitur optimis ſubditis, optimiſque officialibus in amicorum commodum, ita ut alij Prælati locales onera incommodorum ſubeant, nõ cenſetur propagari Religioſorum multitudinẽ vnitate neceſſaria pro eius conſeruatione; nam *vnitas ciuium*, inquit D. Antonin. 1. part. tit. 6. c. 2. §. 5. *petit, vt onera proportionabiliter imponantur; nam ſi maioribus, vel amicis leuia iniungantur, alijs autem onera grauia imponãtur, oportet ſequi diſcordiam, inuidiam, ſeditionẽ, & alia mala deſtruentia Ciuitatem*: ideò S. Thom. 4. de regim. c. 15. ait: *In omnibus actibus politiæ inter ciues æqua debet eſſe ponderatio oneris, & honoris*: & S. Ambroſ. lib. Hexamer. c. 15. loquendo de regim. inquit: *Quid hoc pulcrius, & laborem omnibus, & honorem eſſe communem*? ergo reus mortalis culpæ tanquam à ſuo munere deficiens habendus eſt. Præterea exercere iuriſdictionem in aliquos, ſupra quos poteſtas non cadit, ex genere ſuo eſt lethale, quia eis non parua irrogatur iniuria, vt dixi ſuperiùs: ſed Prælatus vtendo ſubditis modo præſcripto, ſupra eos iuriſdictionem non habet; nam tota poteſtas gubernatiua Prælatorum religioſorum, inquit Lugo vbi ſupr. tendit ad promouendum bonum commune, quod non propagatur per iſtas iniuſtas diſtributiones; ſed tantùm propagatur bonum particulare, quod eſt alienum, ait Rodriq. tom. 3. qu. 34. art. 5. à bono communi: ergo vacare lethali culpa nequit. Adde, in diſtributione bonorum communium, nonne Prælatus intendere debet bonum illud, quod reſultat ex æqualitate proportionum inter ſubditos, quandò ſinguli participant de bonis communitatis iuxta proportionem, & exceſſum meritorum, quo in ordine ad alia communitatis membra comparantur? ita ſanè; aliàs peccatur contra iuſtitiam diſtributiuam, vt omnes DD. fatentur: ergo in diſtribuendis oneribus, vt à culpa eximatur, intendere debet bonum æqualitatis proportionum, quod apparet, quandò ſingula communitatis membra participant de grauamine, & onere communi iuxta ſuas vires, & iuxta exceſſum, quo in ordine ad alia membra comparantur, valet conſequentia, quia ad iuſtitiam diſtributiuam ſpectat inquit Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 1. ſect. 3. nu. 56. ex S. Thom. æqualiter onera diſtribuere, & diſpenſare: ſed talis Prælatus in huiuſmodi diſtributione violat iuſtitiam diſtributiuam & quoad commoda, quia tantùm illi amici, qui præſunt de illis in exceſſu participant, & quoad onera, quia alij non tam amici, qui præſunt, quoque onera in exceſſu ſentiunt: ergo lethali culpæ obnoxius tanquam violator iuſtitiæ diſtributiuæ habendus eſt.

DV-

## DVBIVM CXXXVII.

*Quibus motiuis à diuina iuſtitia Prælati, qui Religionis bona vltra menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ, ac dignitates in proprium commodum, ac vtilitatem conuertunt, iudicandi ſint.*

### SVMMARIVM.

1. *Tanquam deſtructores finis regiminis ſunt puniendi.*
2. *Tanquam deſertores pacis, quæ eſt alter finis regiminis, plectendi ſunt.*
3. *Itidem tanquam virtute iuſtitiæ, quæ ſibi conuenit, carentes iudicandi ſunt.*
4. *Tanquam non habentes præ manibus iuſtitiam diſtributiuam.*
5. *Tanquam infideles diſpenſatores bonorum.*
6. *Tandem tanquam deſtructores monaſticæ perfectionis.*
7. *Deſcribuntur duo mali effectus, qui ex mala radice ambitionis oboriuntur.*

Non eſt quippè hæſitandum aduerſus hos Prælatos Cœlum rigidas incutere minas per Ezech. proph. c. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos:* nam dum induſtria, artificiiſque Religionis dignitates ad ſe trahunt, bona, & commoda authoritate, & coloratis rationibus, vltra quam par eſt, degluriunt, ſemetipſos paſcunt; vndè iuſtè ſubiacent minis, *Væ*, quæ æternam mortem deſignant: quibus ergo motiuis diuina vltio eos percutiet? multis quidem.

1. In primis, quoniam, cum à Religioſorum multitudine, imò à diuina Prouidentia, quia omnis poteſtas eſt à Deo, inquit Paul. ad Roman. 13. conſtituantur Rectores, ac Prælati, vt ipſa tegatur multitudo, eorum munus eſt, ne in diuerſa rapiatur, ipſam multitudinem vnitate moris, quæ eſt finis officij, vt iam dixi ex mente S. Thom. 2. 2. qu. 42. art. 2. S. Antonin. part. 2. tit. 4. c. 8. §. 1. propagare: quarè S. Auguſtin. 2. de Ciuit. Dei cap. 21. aiebat: *Populus non eſt omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatus*: à ſuo quidem munere deficiunt; nam dum in Religionis bonis non ſecundum debitæ menſuræ terminos paſcuntur, iuſtitiæ vnitatem non ſeruant; proindè huiuſmodi boni, tanquam deſtructores à diuina iuſtitia pro iuſta vltione rei habendi ſunt.

2. Secund. ſæuitiam diuinę iræ non fugient, tanquam pacis violatores, quæ eſt alius finis intendendus à Prælato in multitudine ſibi ſubiecta, vt dixi in ſuperioribus quæſitis, & modò repeto ex mente doctiſſimi Abulenſ. in Matth. c. 22. qu. 116. tom. 6. Dicitur autem, inquit, Prælatus Eccleſiæ, in quantùm fuit ad bonum commune electus, & hoc conſiſtit in animarum ſalute, quæ intenditur per Eccleſiaſticam adminiſtrationem, & congregationem; & iſtud bonum ſalutis eſt multiplex. Prim. eſt doctrina ſalutaris, quam vel Prælatus per ipſum miniſtrare debet, vel prouidere, quod alij dent. Secund. eſt pax tam Cleri, quàm omnium populorum ſibi ſubiectorum, quia ſine pace non poteſt coli Deus, & hanc Prælati valdè procurare debent, reducendo ad concordiam omnes diſcordantes, & tumultuantes iuxta vires ſuas. Tert. eſt vitiorum correctio, quæ omnia directè pertinent ad Prælatum: pace ergo Religioſorum multitudinem propagare debet Prælatus, nec illa haberi poteſt, niſi iuſtitia obſeruata, vt dixi in ſuperioribus: cum verò inter Superiores maiores, & ſubditos iuſtitia non elueſcit, dum illi vltra menſuram debitæ proportionis, & in exceſſu bonis, ac dignitatibus fruuntur, pax eſt diſrupta, & ſub pœnæ timore in pace violenta viuunt ſubditi.

3. Tert. iudicabuntur tanquam miniſtri non ea virtute pollentes neceſſaria ad rectè munus Prælatorum gerendum, iuſtitia dumtaxat, cuius totum eſſe eſt ad aliud, vt docet S. Thom. 2. 2. qu. 58. art. 2. S. Antonin. p. 4. tit. 5. cap. 1. quarè Ægid. Roman. p. 2. lib. 1. de regim. Princip. c. 12. inquit: *Iuſtitia eſt quoddam magnum bo-*

*num, & præclarum; perficit enim hominem in ordine ad aliud*: dum igitur huiuſmodi homines in ſuis Prælatijs quærunt lucra, & commoda, & perfectionem, quæ eis conuenit, labefactant; ideò tanquam miniſtri miniſtrorum virtute carentes iudicabuntur: vndè Ægid. vbi ſupr. ex Ariſtot. eth. 5. c. 1. loquens de iſta iuſtitia Prælatis neceſſaria ait: *Nam ſicut melior eſt, qui non ſolùm eſt bonus in ſe, ſed etiam bonitas ſua ſe extendit ad alios; ſic peior eſt, qui non ſolùm malus eſt in ſe, ſed etiam malitia ſuo ſe extendit ad plures, & quantò ad plures ſe extendit malitia eius, tantò peior exiſtit.*

4. Quart. in eos ſæuiet diuinæ iuſtitiæ vltio ob defectum iuſtitiæ diſtributiuæ, quia ob ſui conſeruationem in Prælaturis, & bonis multi negliguntur, & poſtponuntur, eorumque merita, ac ſi non eſſent, deſpiciuntur; nam proprium eſt Prælatorum, ac Principum pro Reipublicæ conſeruatione omnium ſubditorum merita honoribus, dignitatibus, cæteriſque bonis recognoſcere, vt dictum eſt in ſuperioribus quæſitis; quarè Ariſtot. 3. polit. aiebat eſſe magis neceſſarium in Republica diſtributiuum iuſtitiæ, ideſt Rectorem, quàm panem: & S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 15. inquit: *Triplex cura imminet Regi. Prim. quidem de ſucceſſione hominum, & ſubſtitutione illorum, qui diuerſis officijs præſunt, vt ſicut per diuinum regimen in rebus corruptibilibus, quia ſemper eadem durare non poſſunt, prouiſum eſt, vt per generationem alia in locum aliorum ſuccedant, vt vel ſic conſeruetur integritas Vniuerſi; ita per Regis ſtudium conſeruetur ſubiectæ multitudinis bonum, dum ſolicitè curat, qualiter alij in deficientium locum ſuccedant. Secund. autem vt ſuis legibus, & præceptis, pœnis, & præmijs homines ſibi ſubiectos ab iniquitate coerceat, & ad opera virtutum inducat, exempla à Deo accipiēs, qui hominibus legem dedit, obſeruantibus quidem mercedem, tranſgredientibus pœnas retribuens. Tert. imminet Regi cura, vt multitudo ſibi ſubiecta contra hoſtes tuta reddatur; nihil enim prodeſſet interiora vitare pericula, ſi ab exterioribus defendi non poſſet.*

5. Quint. à fulmine diuinæ ſententiæ punientur, quia non fuerunt fideles diſpenſatores in bonorum diſtributione, ſed tanquam Dominos ſe habuerunt, cum eorum munus ſit, vt inquit S. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ea fideliter diſpenſare, & non tanquam Dominis ſibi appropriare; vndè Chryſoſt. in Matth. 24. hom. 78. loquendo de ſeruo illo fideli, & prudenti, conſtituto à Domino ſuper familiam ſuam, inquit: *Hac parabola ad gerentes, gubernanteſque Rempublicam accommodari poteſt, docet enim vnumquenque ad communem vtilitatem omnia conferre, quæ ſua ſunt, ſiue ſapientiam, ſiue Principatum, ſiue diuitias, ſiue quidquid aliud, non ad detrimentum conſeruorum, nec ad perditionem ſuam?* & Abulenſ. in Matth. 24. qu. 265. ait: Sicut autem nō debet ſeruus vſurpáre honorem, & exercitium poteſtatis, quæ ad Dominum pertinent; ita neque debet ei ſeruire intentione corrupta, ſcilicet vt inde commoda temporalia capiat; nam cum ſit ſpiritualis miniſtratio, contra conditionem rei facit, qui ſpiritualium finem temporalia ponit, ſed debet ſeruus ſeruire, quia ſeruus eſt, & quia tali Domino ſubditus eſt, cuius ſeruus eſſe honor eſt; qui autem ideò ſeruit, vt temporalia lucra capiat, infideliter agit, quia aliud vult pro adminiſtratione, quàm Dominus illi conſtituit, & iniuriam facit Domino, quia eum contemnit; ipſe enim ſe ipſum conſtituit in pretium, & ſeruus non vult illum, ſed rem temporalem prælegit pretium eſſe adminiſtrationis ſuæ, & ideò conquerebatur per Malach. c. 1. dicens. *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia mea, & incendat altare meum gratuitò?* quaſi dicat, nemo: & hoc ad infidelem adminiſtratorem ſpectat, ſic dicit *Chryſoſtom. Rarus eſt fidelis ſeruus Domino propter Dominum ſeruiens, oues Chriſti non ad lucrum, ſed pro amore Chriſti paſcens*: hæc Abul.

6. Sext. & vltimò tela ſeueræ vltionis in eos diriget diuina Iuſtitia, tanquam in deſtructores malos exemplo totius perfectionis monaſticæ; nam principaliter dantur à Deo Religionum Prælati, vt exemplo ſuo, inquit Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. n. 55. & prudentia contineant ſubditos in diſciplina religioſa, & hanc ſi eſt relaxata ad priſtinum, & debitum rigorem redu-

reducant, ſubditoſque ad perfectionem religioſam promoueant, quod certè ipſi non attendunt, imò relaxant in ſe ipſis, & in ſubditis, dum fruuntur bonis, ac dignitatibus modo deſcripto: in ſe ipſis inquam, quorum mores, ſeù ſimiles ſatis prolixè deſcribuntur à Petro Damiano lib. 6. epiſt. 7. hiſce verbis: *Vnum autem in iſtis nouellis Abbatibus video, quod vehementer admiror; qui enim per decem annos, vel eò ampliùs ſub alterius regimine conſtitutus, nunquam ad hanc potuit peruenire ſcientiam, vt perfectè Monachus videretur; nunc ipſo die, quo in Prælatione conſtituitur, ita Præſidentis induit ſpeciem, ita dominantis exprimit maieſtatem, vt non nuper electum, ſed natum dicas Abbatem: fit repentè ſeuerus in vultu; imperioſus in voce, ad corripiendum acer; ad iudicandum promptus; ipſe ſi offenderit iam omninò ſatisfactionis ignarus, dedignatur accumbere, niſi in octogona cella ita præparata, ac ſi ſenatoria curulis in curia, pro ſuæ voluntatis arbitrio hæc præcipit fieri; illa conteſtatoriè interdicit, ligat, ſoluit, admonet, remouet, & in his omnibus nequaquam à Senioribus conſilium quærit, ſed ſibi ipſi ſufficiens, velut propriæ poteſtatis iura diſponit; deuotis quidem, & ſubditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem phalarica ſpirat animaduerſione vindictam, vt potiùs videatur in præfectorijs faſcibus agere, quàm Eccleſiaſticæ humilitatis officio deſeruire: nauſeant fauces eius communis nobiſcum alimenta percipere, neceſſè eſt coquis plura, atque diuerſa vni cuidam ventri edulia præparare; nam groſſus cibus, qui ex communi fratrum lebete depromitur, indiguum pituitæ teneri, & delicatiſſimi hominis indicatur; nuper egreſſus dormitorium quieſcere non poteſt, niſi ſecretum habeat, & ſingulare cubiculum, licèt iuuenculus, licèt validus corpore, neſcit incedere, ſi deſit baculus, quo ſe debeat ſuſtentare*: hi ergo ſunt mores Prælatorũ, quibus in ſe ipſis Religionis perfectionem relaxant; hæc eſt Præſidentium ambitio regnãdi tot commodis ſtipata, quæ nomen Monachi, velut importabile pondus abijcit: & cum pro comperto habeatur ſubditorum mores componi ad Imperantium exempla, vt docet Cicero ad Lentulum: *Quales in Republica Principes ſunt tales reliqui ſolent eſſe ciues*: &] Xenophon. l. de vectigal. *Semper ergo illa ſum in ſententia, vt quales ſunt Præſides, tales & Reſpublicas eſſe ſentiam*: ideo eorum cupiditas regnandi deſcriptis modis cumulata diffunditur in ſubditos ſecundum illa verba S. Ephrem Syri aduerſus viuentes vitioſè, & honores affectantes prorumpentis: *Frater*, inquit, *vnuſquiſque ille altioribus inſertus eſt, & ego ſublimiora ſpectare debeo? frater ille honoribus ornatus eſt quarè non ego? frater ille Patrum conſuetudine fruitur, cur non fruar ego? frater magiſtratum aſſecutus eſt, quarè non ego? illi authoritas commiſſa eſt, nonne ego dignus ſum, cui hoc, atque illud credatur, & committatur?*

7. Ex hoc ergo vitio, imò deterrima radice in omnes diſperſa, & paulatim radicata duo peſſimi rami prodeunt. Prim. quòd excitantur diſcordiæ, ſeditiones inſurgunt, atque factiones formantur, vt inſinuat Patritius de Republ. lib. 6. tit. 5. *Eſt & ambitio res deterrima, & periculoſa; in primis quidem Ciuitatem partibus inficit*: inter Superiores maiores quidem, & inferiores; nam illi, qui commodis, honoribus, ac dignitatibus ſemper volunt frui, ne tandem eo iure malè acquiſito, & poſſeſſo priuentur, inter ſe vnanimes, & concordes ſub ſpecie zeli fiunt ad ſubditos opprimendos, denegando ea, quæ eis inſeruire poſſunt, tanquam congrua media ad anhelatas dignitates conſequendas; iſti verò cognoſcentes Prælatorum tyrannidem, & propria vi non valentes oppreſſionem deponere, linguæ non parcunt, epiſtolas ſcribunt, etiam ad tribunalia ſuprema, & opportuna occaſione ſibi data, artificijs pro ſubleuatione non parcunt: inter Superiores ipſos etiam oboriuntur diſcordiæ, quia, cum vnuſquiſque, poſtpoſito bono communi, priuato adhæreat, opus eſt, vt diuiſiones inter eos excitentur; nam *Principium diſcordiæ*, inquit Seneca in prou. *eſt aliquid commune ſuum facere*: his ergo ſeparatis, ac diſcordantibus ob regnandi cupiditatem, & ſubditi ſeparantur, & diſcordantur, eos tanquam capita ſequendo: ideò dicebat Ariſtot. 5. polit. c. 4. *Omninò autem excellentium virorum diſcordiæ totam poſt ſe trahunt Ciuitatem*: vnde formantur tot factiones,

nes,quot capita inſurgunt:qua ex re ſecūdus ambitionis effectus inſurgit,nēpè *quòd indignis*, inquit Patritius vbi ſupr. *pleriſque honores, ac magiſtratus, potiùs quàm dignis traduntur*: quoniam vnaquælibet factio ad Imperium tendens abſque meritorum diſcuſſione præſtat vota ex obſequio, & ſequela dignotitatem cognoſcens; vndè de illis ferè recitari poſſunt verba D. Baſilij in 3. Iſai. Proph. recitata de vrbe Hieruſalem ſeditionibus laborante ſub Tito, quæ optabat ſibi eligere Principes ad calamitates propriasſubleuandas: *Proinde*, inquit, *docet ſermo propheticus Iſaiæ omnes intemperiem hanc turbolentam Reipublicæ concitaſſe, non vt eum diligerent, qui præeſſe poſſet communi conſenſu, & concordi animorum conſpiratione, ſed quia paſſim ſibi obuios apprehenderent, non item eum diligerent, qui eſſet dignus, ſed domeſticum, & familiarem, neque qui ſalutaris eſſe poſſet Reipublicæ, ſed qui in ſua gente, ac familia vi facultatum præpolleret*: quis ergo non videt ambitione introducta, totam diſciplinam regularem deficere, imò exinaniri;,quarè à S. Baſilio in conſt. monaſt. c. 10. maximo cum fundamento ambitio monaſtica nuncupatur *diabolica peſtis*: hæc ergo ſunt motiua, quibus diſtrictò iudicio præcipuè à Deo ſunt iudicandi huiuſmodi Prælati.

## DVBIVM CXXXVIII.

*An Superiores præſertim maiores, qui iuſtitiæ diſtributiuæ iura negligunt, diuidendo inter ſe præſtātiora bona communitatis in diuino Iudicio, tanquam ſeditionis peccato inuoluti, damnandi ſint: & an ſubditi, qui tam grauem patiuntur iniuriam contra eos aliquid agere poſſint.*

### SVMMARIVM.

1. *SEditionis definitio habetur; habetur etiam, quòd ex genere ſuo eſt peccatum mortale, eò quòd opponitur vnitati regiminis, quæ vnitas, mediantibus omnibus bonis Religionis, propagatur.*

2. *Seditionis culpa inuoluuntur Superiores maiores, qui neglecta debita iuſtitiæ diſtributiuæ menſura, inter ſe diuidunt præſtantiora communitatis bona.*

3. *Subditi non poſſunt mouere diſſenſionem aduerſus Superiores maiores.*

4. *Congruum medium ad ſubleuandum bonum commune læſum ob iuſtitiam diſtributiuam neglectam à Superioribus maioribus; deſignatur.*

1. Not. quòd ſeditio ita definitur, vt pluries iam dictum eſt: Eſt vitium, quo vnitas multitudinis diſſoluitur, diſcordantibus contra ſe inuicem partibus illius multitudinis: ex genere ſuo eſt peccatum mortale, cuius veritas à D. Thom. 2.2. qu. 42. art. 2. quem ſequuntur S. Antonin. 2. part. tit. 4. c. 8. §. 1. Silu. & Tabiena tit. ſeditio, probatur hoc ſequenti modo: *Dicendum, quòd ſicut dictum eſt art. 1. ſeditio opponitur vnitati multitudinis, ideſt populi, Ciuitatis, & Regni: dicit autem Auguſt. 2. de Ciuit. Dei c. 21. quod populum determinant ſapientes, non omnem cœtum multitudinis, ſed cœtum iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatum; vndè manifeſtum eſt vnitatem, cui opponitur ſeditio, eſſe vnitatem iuris, & communis vtilitatis: manifeſtum ergo, quòd ſeditio opponitur iuſtitiæ, & communi bono. & ideò ex genere ſuo eſt peccatum mortale*: cum ergo ſub bona communitatis in Religionibus non ſolùm cadant Doctoratus, Lectoratus, Prælaturæ, dignitates, ſed etiam cætera alia commoda; ideò huiuſmodi vnitas propagari nequit, niſi omnia deſcripta iuſtè, ideſt ſecundum menſuram proportionis goemetricæ diſpenſentur, adeo vt non plus vni, quàm alteri, plus quàm par eſt, tribuantur.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. SVperiores maiores, qui præſtantiora bona communitatis deſcripta inter ſe diuidunt, non ſeruando iuſtitiæ diſtributiuæ iura, tanquam rei ſeditionis vitio ante tribunal Dei puniendi ſunt. Suadetur: illa multitudinis pars, quæ diuiditur ab vnitate iuris, ſeù iuſtitiæ implicatur ſeditionis vitio,

vitio, vt ſupra, alijſque in locis firmaui ex S. Thom. vnà cum alijs DD. Superiorum autem pars per bona communitatis præſtātiora prout ſupr. ſibi arrogata, ſeparantur ab vnitate iuris; nam illa ſecundum debitæ iuſtitiæ menſuram nequeunt his conuenire: ergo tanquam rei ſeditonis vitio à diuina vltione plectendi ſunt. Et confirmatur ex quadam doctrina S. Thom. 5. polit. lect. 8. *Rex*, inquit, *intendit bonum commune cuſtodire, & ſeruare; hoc autem non poteſt, niſi ſit cuſtos iuſti*: ergo conſeruatio boni communis exigit conſeruationem debitæ iuſtitiæ in omnibus bonis communitatis: ſed huiuſmodi Superiores non ſeruant iuſtitiam in illa diſtributione: ergo neq; bonum commune cuſtodiunt, & ſeruant: ergo tanquam ſeditioſi inſpiciendi ſunt: valet conſequentia, quia S. Thom. vbi ſupr. inquit qu. 42. art. 2. *Manifeſtum eſt, quòd ſeditio opponitur, & iuſtitiæ, & bono communi.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

SVbditi qui tam grauem patiuntur iniuriam nequeunt agere quidquam, ideſt per factiones, ac ſeditiones, contra huiuſmodi Prælatos malè diuidentes bona communitatis. Suadetur, quia bonum commune ſemper eſt particulari præponendum, quia, inquit S. Thom. contr. Gentil. lib. 3. c. 17. & 69. *Bonum commune ſemper inuenitur eſſe diuinius, quàm bonum vnius tantùm*: in his verò tumultibus ſemper, vt probat idem S. Thom. inferiùs citandus offenditur: ergo, &c.

Dices, licitè poteſt occidi etiam propria authoritate Tyrannum: ergo etiam ſubditi poſſunt inſurgere tumultuoſè contra huiuſmodi Prælatos; eo ipſo enim, quòd gubernant ad proprij commodi menſuram, Tyrannorum nomen ſibi vindicant iuxta doctrinam S. Thom. de regim. Princip. c. 1. Reſpond. cum Leſſio de iuſt. lib. 2. c. 9. dub. 4. Baſſæo in ſumm. tit. homicidium n. 5. Salon. 2.2. qu. 64. art. 3. controu. 2. & Arag. 2.2. qu. 64. art. 3. Bann. 2.2. qu. 64. art. 3. Clau. Reg. lib. 7. c. 10. n. 3. Bonac. de teſtic. diſp. 2. qu. vlt. ſec. 11 punct. 3. n. 2. falſum eſſe, quòd ſubditus propria authoritate occidere poſſit Tyrannum in regiminis adminiſtratione, quia, inquit Aragon. illi, qui ſolùm ſunt Tyranni in modo regendi, habent verum ius ad Regnum: ergo non ſunt priuandi, quouſquè à Superiore condemnentur, ſi autem non habuerint Superiorem, inuocandus erit Deus, qui eſt adiutor in opportunitatibus, & in cuius manu cor Regis exiſtit, quippè propter peccata populi permittit ſæpè ſæpius Tyrannos regnare: ex hoc ſequitur, quòd nequeunt ſubditi per factiones, ac ſeditiones expellere Prælatos malè ſe gerentes in dominio; nam verum ius habent in regimine: hinc S. Th. 1. de regim. Princ. c. 6. habet hæc verba: *Vtilius eſt tyrannidem tollerare, quàm contra Tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ ſunt grauiora ipſa tyrannide; poteſt enim contingere, vt qui contra Tyrannum agunt prævalere non poſſint, & ſic prouocatus Tyrannus magis deſæuiat, quòd ſi prævalere quis poſſit aduerſus Tyrannum, ex hoc proueniunt multoties grauiſſimæ diſſenſiones in populo ſiue dum in Tyrannum inſurgunt, ſiue poſt deiectionem Tyranni erga ordinationem regiminis, multitudo ſeparatur in partes; contingit etiam, vt interdùm, dum alicuius auxilio multitudo expellit Tyrannum, ille poteſtate accepta tyrannidem arripiat, & timentes pati ab alio, quòd ipſe in alium fecit, grauiore ſeruitute ſubditos opprimat, ſic enim ſolet in tyrannide contingere, vt poſterior grauior fiat, quàm præcedens, dum præcedentia grauamina non deſerit, & etiam ipſa ex ſui cordis malitia noua excogitat*: iſtud idem elicitur ex Salluſtio de bello Iugurth. *Cum præſertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hoſtilia portendāt*, & apud Liuium lib. 34. aiebat T. Quinctus: *Satius fuiſſe Lacedæmone Tyrannū nobilē relinqui, cum aliter opprimi non poſſet, quàm ruina grauiſſima Ciuitatis in ipſa vindictam libertatis perituræ.*

*TERTIA COCLVSIO.*

SVbditi, quibus tam grauis iniuria à Prælatis prædictis irrogatur, tenentur agere contra ipſos in electionibus negando eis vota, ne confirmentur in Prælaturis aſſumptis: Ratio eſt; quia non ſunt veri Paſtores

ſubdi-

ſubditos paſcentes, ſed ſemetipſos; & ideò negare eis vota videtur illud medium congruum ad eos expellendos; ſubditi enim habent iuſtam cauſam, dum iniuſtè bona communitatis ſunt diſpenſata; non deeſt eis potentia, dum vnuſquiſque ſecretò illis negare ſuffragium poteſt, ne in Præfecturis confirmentur; nullum patitur detrimentum bonum commune, quia inter ſe non diuiduntur in partes: igitur præſcripto modo debent inſurgere contra ipſos.

## DVBIVM CXXXIX.

*An leges, ſeù ſtatuta, quæ aliquandò ſanciuntur in aliqua* Religione *de votis alternatiuis, ſeú de votis per nationes diſtribuendis, oboriantur ex neglecta iuſtitia diſtributiua, ex. gr. vt ex qualibet natione eligatur vnus Definitor, ſeù vt Prouincialis modò eligatur ex vna, & modò ex alia natione.*

### SVMMARIVM.

1. *Eleganti diſcurſu demonſtratur huiuſmodi leges fuiſſe ſancitas ex defectu iuſtitiæ diſtributiuæ non ſeruatæ.*

2. *Idem demonſtratur à partium enumeratione: & cuidam obiectioni ſatisfit.*

Dubium ſupponit multitudinem eſſe diuiſam ex. gr. in duas partes, pro quarum extinctione, & pro reuocanda pace fuerunt à Legislatoribus aliquæ ſancitæ leges.

### *CONCLVSIO.*

1. MAximo cum fundamento aſſerendum eſt huiuſmodi ſtatuta non ob aliam cauſam, re funditus conſiderata, ſanciti, niſi ex defectu iuſtitiæ diſtributiuæ non ſeruatæ inter homines meritis præditos. Suadetur prim. ex diſcurſu alibi extenſo, & ſupponitur illud fundamentum S. Thom. 1. polit. lect. 5. *Quòd in omnibus ita videmus, quòd, ſi quis inſpiciat res, ſecundum quod oriuntur ex ſuo principio, optimè poterit contemplari veritatē:* quò fit, vt hoc breui diſcurſu, qui principia tangit, veritas concluſionis non lateat; ſed clarè eluceſcat. Nemini eſt dubitandum, quin vnitas, & pax ſint finis regiminis, & Imperij, vt ſæpè, ac ſæpius dixi in hoc tractatu, imò in tota machina compoſitionis ex ſenſu omnium DD. tam ſacrorum, quàm politicorū, qui de regimine tractant, quæ non mediocri induſtria, ac diligentia à Regente ſunt procurandæ, teſte D. Thom. 1. de regim. Princip c. 2. *Non igitur eſt, ad quod maximè Rector multitudinis intendere debet, vt pacis vnitatem procuret, & quantò regimen efficaciùs fuerit ad vnitatem pacis ſeruandam, tantò erit vtilius*: quæ pax non eſt à Rectore inueſtiganda, ſed, ea præſuppoſita, ſunt exquirenda media pro eius aſſecurione, vt optimè notat Albert. Magn. lib. 3. ethic. tract. 1. c. 18. n. 21. *Non conſiliamur autem quærendo conſilium de finibus, ſed de his, quæ ſunt ad fines, ſicut patet in medicina, & rethorica, & politia: Medicus enim non conſiliatur, ſi ſanabit, quod eſt finis eius, neque Rector conſiliatur, ſi ſuadebit Iudici; hoc enim vt in finem intendit: neque Politicus conſiliatur, ſi pacem faceret ciuibus, eò quòd hoc finaliter intendit*: & ideò S. Thom. 5. polit. lect. 7. ex Ariſtot. optimè affatus eſt: *Manifeſtum eſt*, ait, *quòd ad ſaluationem Reipublicæ oportet conſiderare, quid eſt medium, in quo ſaluatur Reſpublica*: & ſępè dixi, quòd mediū influens in Reipublicæ ſaluationem cognoſci nequit, niſi priùs inueſtigemus medium deſtruens Reipublicæ multitudinem iuxta Ariſtotelis monitum 5. polit. c. 8. vndè Albert. Magn. in cit. loco Ariſtot. c. 6. ait: *Corruptio autem ſaluationi eſt contraria, vndè cum accipimus vniuſciuſq; corrumpentia, tum per contrarium habemus ſaluantia politias*: quodnam erit ſanè medium tanta malignitate ardēs, vt multitudinem deſtruat, ac efficiat, vt ipſa tandem ſeditione, ac factione laboret? non niſi iniuſtitia teſte D. Thom. 2. polit. lect. 9. *Tranſgreſſio verò iuſtitiæ*, ait, *eſt ſeditionis cauſa*: hinc S. Antonin. part. 2. c. 8. §. 3. tit. 4. inquit: *Proprij commodi procuratio inordinata generat in Eccleſia, ac Ciuitate diſcordias*: ergo iuſtitia erit illud medium congruum pro Reipu-

Reipublicæ, ac congregationis ſaluatione, ac conſeruatione: valet conſequentia, quia eſt eius contrarium; ideò S. Thom. 2. polit. lect. 9. affatus eſt: *Per iuſtitiam enim conſeruatur pax Ciuitatis*: hinc S. Antonin. part. 1. tit. 6. cap. 2. §. 3. habet hæc verba: *Conſeruatur hæc vnitas in Ciuitatibus, quandò ad hoc vnum attenditur, vt iura ſeruentur vniuerſaliter, ideſt tam maioribus, quàm minoribus, vt honores, & officia pluraliter diſtribuantur, vt non omnia, vel multa vni, & nihilum alteri*: ſed ſic eſt, quod implicat vti iuſtitia in diſtribuendis honoribus, cæteriſque commodis Religioſorum, & ſeminare diuiſionem, & diuidere corpus in partes, ac ſectas, quia eſt medium inſtitutum à natura, vt influat in ciuium vnitatem, eamque conſeruet, diuiſionem, ac factionem fugando; ergo clarè ſequitur, quòd, ſi aliquandò dominabantur ſectæ, & factiones, quæ tandem obligarunt Legislatores ad ſanciendas huiuſmodi leges, non fuit ſeruata iuſtitia ſecundum merita.

2. Secund. ſuadetur: omnibus eſt ſatis perſuaſum, quòd huiuſmodi leges fuerunt conditæ, quia pars neglecta in lamentationes, & querelas erupit; vel illa pars eſt dignior alijs, vel æquè digna, quomodocunquè ſit, ſemper apparet iniuſtitia in diſtributione dignitatum, aliorumque bonorum communium: ſi præ alijs dignior manifeſta, ac notoria iniuſtitia dignoſcitur, quia ſecundum infinitos DD. dignitates dignioribus debentur; proindè dicebat S. Thom. 3. polit. lect. 10. *Illis magis debetur Principatus, qui ſunt meliores*: quò fit, vt per potentiam tyrannicam ea ſit oppreſſa, & non per iuſtitiam recta, vt docet S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. ſi æquè digna, etiam eluceſcit iniuſtitia, ſimiles enim in virtute debent etiam eſſe ſimiles in Principatu, & ſi non poſſunt eodem tempore, ſaltem diuerſo, dato aliquo proportionis ordine, teſte D. Thom. 3. polit. lec. 15. poſt init. *Sicut enim dictum eſt priùs, quòd æqualibus ſecundum virtutem æqualis honor, & dignitas debetur illis: ergo non expedit aliquos ex illis ſemper principari, ſed neceſſarium eſt eſſe diuerſos Principantes, ita vt iſti modo principentur, alij aliàs ſecundum quendam ordinem*; ergo huiuſmodi leges fuerunt ſtatutæ pro iuſtitia ſeruanda ob iniuſtitiæ corruptionem.

Dices, pars neglecta ideò fuit neglecta, quia minus digna alijs; ideò iuſtitia in diſtribuendis honoribus non fuit ſpreta. Reſpond. quòd eſt quidam pretextus partis dominantis ad cohoneſtandam iniuſtitiam. Ratio clara, quia cum conditæ ſint leges pro iuſta diſtributione à Legislatore in hoc caſu ab omni commodo alieno, qui non incautè, ſed cautè, & lento pede omnium merita conſiderauerit; ideò iudicandæ ſunt iuſtæ, ac in omnium meritis fundatæ; & eò præſertim, quia iudicium partis dominantis in propria cauſa eſt perturbatum, debitaque rectitudine caret in ferenda ſententia de meritis; ideò optimè S. Th. 3. polit. lect. 7. aiebat: *Homo autem habet vtplurimum peruerſum appetitum reſpectu ſui ipſius, quia vnuſquiſque nimis afficitur ad ſe ipſum*: & Tiraquell. de pœn. tempor. caſu 51. à n. 82. *Tantus eſt amor ſui, vt vnuſquiſque etiam Sanctiſſimus cæcutiat in proprijs*.

Sacri Ordines in fine huius tractatus ad vos me conuerto non ſine magno mei pectoris arcano: In viſceribus Ieſu Chriſti vos precor, vt omni ſtudio, ac diligentia curetis, vt veſtra regimina pro firma baſe, ac ſtabili fundamento iuſtitiæ rectitudinem habeant, quia moraliter impoſſibile eſt in vnum, tanquam in finem regiminis tot homines moribus, ac nationibus varios redigere: ſancite leges, condite ſtatuta, vt inuiolabiliter, quantùm patitur humana imbecillitas, obſeruetur iuſtitia diſtributiua. Nec vos conturbent ſcandala, quæ perpetrantur à malis Religioſis inter vos commorantibus, ſed vos perturbent clamores communes ex corruptione regiminis ob iuſtitiam non ſeruatam orti, quia illa ſunt neceſſaria ad veſtram vtilitatem, & profectum; teſte D. Auguſt. pſalm. 92. *Neceſſe eſt, vt, ſi proficis, inter iniquos viuas*: & in pſalm. 64.

*Non opprimitur zizanijs frumentum, imò per tolerantiam zizaniorum creſcit fructus frumentorum*: nec illa vos reddent contemptibiles apud homines, ſi ſano intellectu vti volunt, ſicut vos tales reddent tumultus ex neglecta iuſtitia oborti, nam hi totam deturbant Religionem: & licèt tandem hoc malum à qualibet Religione etiam optimis legibus munita, eſt lacrymandum, quia omnia regimina ſunt addicta corruptioni, vti dixi in prim. dub. nihilominus oſtendite Mundo, quòd hoc ſuboritur, non ex malitia veſtra, nec ex legibus neglectis pro obſeruantia iuſtitiæ, ſed ex mera neceſſitate regiminis, quod debet ſuum pati obitum.

# TRACTATVS SEXTVS.

# DE MVNERE PROPRIO AD DEFINITORES SPECTANTE.

## DVBIVM CXXXX.

*An conſenſus actus expediendi in Collegio, ſeù Definitione collegialiter habendus ſit.*

### SVMMARIVM.

1. *A Quibus ſint eligendi Definitores, eorumque munus deſcribitur.*

2. *Nemo tenetur ſequi conſilium ſibi datum: habetur quædam aduertentia vnà cum limitatione.*

3. *Actus expediendus in Definitione collegialiter eſt habendus; aliàs, licèt ſeparatim habeatur ab omnibus conſenſus, eſt nullus: notantur tres limitationes.*

4. *Ius accreſcendi habet locum in iuriſdictione ordinaria: ſecus in delegata.*

1. Not. prim. quòd hic non loquimur de Conſultoribus, qui tantùm voto conſultiuo fruuntur, vt eſt in Societat. Ieſu; ſed de illis, qui gaudent, & conſultiuo, & deciſiuo, vt eſt in omnibus ferè Religionibus; imò in nonnullis habent electiuum Guardianorum, ſeù Priorum, & in Religione Caſſinenſe fruuntur poteſtate eligendi, & ordinandi Præſidentem Generalem totius Congregationis: horum ſane electio de iure communi videtur ſpectare ad Capitulum Prouinciale, ſi ſermo eſt de Prouincialibus; ſi de Generalibus ad Capitulum Generale; vel vnaquæque Prouincia eligat ſuum Definitorem Generalem. Ita Sigiſmund. de elect. dub. 106. in 2. edit. Samuell. de canon. elect. tract. 3. diſp. 3. côtr. 1. n. 1. & Tamburin. tom. 3. de iur. Abbat. diſp. 1. qu. 4. n. 4. Ratio videtur eſſe, quia, cum ipſi Patres Definitores ſint officij participes, cuius ſunt Definitores, ita vt vnà cum Prouinciali, vel Generali totam Prouinciæ, ſeù Religionis congregationem repræſentent; ideò meritò eligendi ſunt ab ijs, quibus præeſſe debent: præcipuum autem munus iſtorum Patrum eſt in Capitulo Generali, ſeù Prouinciali vnà cum Generali, ſeù Prouinciali definire, & expedire omnia, quæ ad bonam, & exactam gubernationem totius congregationis, vel etiam cuiuslibet particularis conuentus reſpectiuè ſpectāt; ſuntque iſti Definitores ad inſtar Senatorum, à quibus iam in Republica Romana cuncta expodiebantur, præcipuè cū magni momēti, & grauitatis erant, quibus inconſultis, nihil conſideratione, & æſtimatione dignum agebatur; vndè hoc

modo deſcribi poſſunt. Quidam probati Patres aſſiſtentes Superioribus ad decidendas res graues, ſicut inter Romanos erant Senatores: videatur Rodriq. tom. 2. quæſt. 45. art. 1. cum ſuo compendio reſol. 51.

2. Not. ſec. neminem regulariter teneri ſequi conſilium ſibi datum, licèt neceſſitetur ad illud requirendum, etiam in caſibus, in quibus, ſi non requiratur, actus eſſet nullus. Ita elicitur ex cap. 1. de Monach. & cap. Cum in veteri. de elect. vbi Panormit. in vtrumque textum. & in cap. Apoſtolicam. de Regul. in fin. Felin.in cap. Ex parte verò ne ſede vac. Federic. Senenſ. conſ. 59. credo, de iure in princ. Tuſc. lit. C. concl. 769. n. 2. Silu. tit.conſilium. qu. 1. Sigiſmund. vbi ſupr. ſub dub. 107. num.2. Mirand. tom. 2. qu. 17. art. 2. concl. 2. Menoch. de præſumption. lib. 6. qu. 34. à n. 25. Gutier. de tutelis p. 1. c. 8. n. 4. Sanch. de matrim. lib. 1. diſp. 34. n. 24. Barboſ.in collect.DD. in c.Cũ veteri cit.& in cap. Cum olim de arbitris: aduertendum tamen eſt, quòd, licèt quis non teneatur ſequi conſilium; nihilominus quandò eius requiſitio debet præcedere expeditionem actus, ſi poſtmodum petatur, actus nullus erit, vt probat Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 46. n. 38. & Gloſſ. 48. n. 12.quamuis actus ſit delegatus ex Rebuff. in tract. nominat. qu. 8. n. 14. Cabed. deciſ. 52. n. 7. p. 1. Barboſ. vbi ſupr. in cap.Cum in veteri: qui addit ex Bertachin. & Gonzal. expectandum eſſe reſponſum per tempus neceſſarium, ita vt Conſultor poſſit cuncta rimari, & conſiderare: verùm quandò in iure, ſiue in reſcripto dicitur, atque præcipitur, vt actus fiat cum aliquorum conſenſu, non ſolùm in caſu conſilium eſt requirendum, ſed etiam ſequendum; aliàs actus nullus.Ita tenent Ioann. Andr. in cap.Cum olim n. 10. Hoſt. n. 3. Panorm. n. 4. Imol. n. 7. Butrius n. 14. de arbitr. Lambert. de iure patronat. lib. 2. p. 1. q. 2. art. 12.n.6. Sãch. Sigiſmund. Samuell. contr. 3. n. 3. & Mirand. vbi ſupr. Ratio diſparitatis ſecundum Hoſtienſ. elicitur ex vocabulorum ſignificatione, quæ inter ſe differunt; conſenſus enim eſt ſimilis ſenſus; quarè, ſi habeo agere aliquid cum conſenſu tuo, ego debeo ſentire tecum, & tu mecum; aliàs non eſt conſenſus, ſed diſſenſus: conſilium verò eſt Conſultorum reſponſiones legere, ſeù eligere id, quod ſibi magis libet ex reſponſionibus Conſultorum: vel dicatur naturam conſilij eſſe, perſuadere, non cogere. l. in furto. §. rectè. ff. de furto; itaque illud inuitus ſequi nemo tenetur, vt poſt Bald. docet Felin. in dicto c. Cum omnes, in decim. limit. de conſtit. Tuſc. dicta concl. 769. Ex hac doctrina ſequitur, quòd Superiores illarum Religionum, in quibus Conſultores habent tantùm votum conſultiuum,vt eſt inSocietate Ieſu, eſto teneantur in negotijs pertractandis petere eorum conſilium, non tenentur illud ſequi: ſecus eſt dicendum de illis Superioribus, qui habent Conſultores, coadiutores, ſeù collegas, vel participes officij,habentes votum non ſolùm conſultiuum, ſed etiam deciſiuum; nam hi iuxta vniuſcuiuſq; Religionis diſpoſitionem, vſum, & inſtitutum in quibuſcunque cauſis, quæ, non inconſulto Definitorio, pertractari debent, tenētur petere conſilium, & illud ſequi: his ſuppoſitis ſit.

## CONCLVSIO.

3. PRæſidens Generalis, ſeù Prouincialis nullam cauſam, nullumque actum, quæ per conſtitutionem, ſiue ex conſuetudine cum conſilio expedienda ſunt,abſque Definitorum conſenſu, collegialiter cum ipſis, & ſimul habitis definire debet; aliàs, etiamſi ſinguli ſeparatim conſentirent, omninò cenſendus eſt actus nullus, & nullius roboris. Ita habetur ex cap. In Geneſi. de elect.ex cap. Cum omnes de conſtit. Rota in Cæſaraugustanae electіon. 20.Martij 1723. coram R. D. Coccino Decano, Barboſ. in collect. DD. cap. In Geneſi poſt n. 2. in vltim. impreſſ. Nec obſtat, id verum eſſe de electionibus, quia falſum eſt, etiam vniuerſaliter, & indiſtinctè id procedere aſſerunt Panormit. Silu. Præp.& alij, quos citatos ſequitur Sigiſm. vbi ſupr. n. 10. videantur etiam Rodriq. tom. 2. qu. 45. art. 2. cum ſuo compend. reſ. 42. & Mirand. vbi ſupr. Ratio poteſt eſſe, quia huiuſmodi Patres non ſunt ſuffragatores, vt ſinguli, ſed quatenus faciunt

vnum

vnum corpus Prouinciæ, ſeù Religionis, idque repræſentant. Ita Rodriq. vbi ſupr. Rota deciſ. 65. in fin. p. 1. in recent. & Sigiſmund. vbi ſupr.

Limitanda prim. videtur concluſio, vt non procedat, imminente neceſſitate, & periculo in mora, quia in tali caſu non eſt requirendus conſenſus, quandò commodè haberi nequit, cſto eſſet requirendus. Ita elicitur ex cap. Vnic. §. pen. vbi Gloſſ. verb. in mora, ne ſede vacante, & item Gloſſ. in cap. Si pro te. verb. aſſenſus de reſcript. in 6. ex Roman. Felin. & alijs, quos referunt, & ſequuntur Sigiſm. Tamburin. & Samuell. num. 9. vbi ſupr. contra Rebuff. à Sanch. vbi ſupr. num. 26. approbatum.

Limitanda ſecund. &c. vt non procedat, quandò ipſi Definitores debent conſenſum præſtare circa actum, qui tenet, etiam ſi ipſe conſenſus non petatur, per ipſos tamen irritari poteſt, qui tunc poteſtati irritādi poſſunt etiam non collegialiter renuntiare. Bald. quem refert, & approbat Felin. in cap. Cum omnes n. 26. Ferretus n. 53. in repet. de conſtit. Sigiſm. & Tambur. vbi ſupr. Biax. Butrius. Toloſ. Oldrad. Panormitan. quos citatos ſequitur Samuell. vbi ſupr. n. 15. Exemplum ſit, prout aſſerunt DD. dicti, de eo, vel de ijs, qui ad congregationem erant vocandi, & non fuerunt vocati; quia ab his ratione huiuſmodi contemptus poteſt actus validus infringi, vel etiam poteſt hoc vitium contemptus per ſingulos ſeparatim purgari, & ratificari actus, cuius eſt ratio, quia eorum conſenſus non fundat actum, ſed remouet obſtaculum, & ipſimet actui adminiculatur.

Dixi, non fundat actum; quia ex. gr. elector contemptus, ideſt non vocatus, ſed vocandus, non eſt computandus nec in numero eorum qui in electum conſenſerunt, nec in numero eorum, qui congregationem, ſeù Capitulum conſtituunt, ideſt intra duas partes eorum omnium, qui debent, volunt, & poſſunt venire, ita vt aliquo modo augeat numerum ſuffragiorum, ſed tantùm remouet obſtaculum, ideſt ſi maior pars duarum partium eorum electorum, qui debent, volunt, & poſſunt, iam conſenſerit in electum, tunc contemptus adhibens conſenſum operatur, vt ipſe non poſſit ampliùs proſequi contemptus; quarè nequit contemptus validare electionem, quæ eſt nulla ex eo, quod maior pars duarum partium Capituli non conſenſerit in electum, vt fusè declarant DD. in materia electionis. Ita Biax. in ſuo direct. elect. p. 3. c. 7. Butrius in cap. Eccleſia. 2. n. 9. de elect. Toloſ. in tract. de elect. c. 14. n. 6. & Sigiſmund. vbi ſupr. n. 5. qui ſubdit: Intelligendum cenſeo Oldrad. conſ. 64. & hoc (ſubdit Panormit. in cap. In Geneſi, & in cap. Quiapropter n. 11. de elect.) alta mente repone, quia non ſolùm ſeruiet tibi in actu electionis, ſed in omnibus actibus collegialiter explicandis, quod & confirmat Toloſan. c. 15. n. 1.

Tertiam limitationem addit poſt Baldum Decius in cap. Cum omnes, vt non procedat, quandò viget conſuetudo, vt Definitores ſingillatim, & ſingulariter præſtent conſenſum: quæ limitatio nullo modo eſt admittenda, ſed acriter impugnanda cum Felin. in cap. Cum cauſa. n. 21. de re iudicat. & Ferret. loc. cit. n. 56. & ita non admittitur à modernis, nempè à Sigiſmund. Tamburin. Samuell. vbi ſupr.

4. Pro fine quæſiti eſt addendum: an iuriſdictio decidendi res graues, pro vt ſupr. quæ eſt penes totam Definitionem, penes duos, vel tres, alijs legitimè impeditis, ſeù mortuis, remanere poſſit: nequit ſolui dubium, niſi priùs habeatur ſolutio illius quæſtionis: an ius accreſcendi habeat locum in iuriſdictione. Pro reſolutione eſt aduertendum prim. quòd ius accreſcendi ſecundum Ioann. Anton. Bellonum de iure accreſcendi c. 2. qu. 1. eſt ius adipiſcendæ, vel retinendæ partis coniuncti, qui non concurrit, vel qui deſijt concurrere. Secund. quòd duplex eſt iuriſdictio, vt communiter tradunt DD. alia ordinaria, alia vero delegata: his ſuppoſitis, dicit Bellonus vbi ſupr. c. 6. qu. 50. ius accreſcendi habere locum in ordinaria iuriſdictione, inter Collegas l. vn. verſ. ſanè, ff. de offic. conſ. l. Imperatores 21. §. ſi magiſtratus, & ibi Angel. & Imol. ff. de appellat. Abb. in c. ad abolendum. n. 10. extr. de hæreticis. Crau. conſ. 995. n. 3. in delegata verò minimè cap. vno delegatorum. 42. ext.

ext. de offic. & pot.iud.del. & ita de vtraq; ſcripſerunt Bald. Iaſ. Alex. & alij citati à Bellone, & penes ipſum vide rationem: cum ergo iuriſdictio totius Definitionis ſit ordinaria, vt elicitur ex Menoch. lib. 2. præſumpt. qu. 16. n. 3. verſ. prætereà, & tertiò, & ex Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 2. n. 8. tr.8.in ea inter Collegas habet locum ius accreſcendi, & ita, vno impedito, vel duobus mortuis, &c. tota iuriſdictio penes alios remanet ad decidendas res, ac ſi adeſſent omnes Collegæ.

Subſequens quæſitum ſub caſu ficto materiam præſentis quæſiti abſoluet.

## DVBIVM CXXXXI.

*A quodam Prouinciali fuit prolata ſententia definitiua contra P. F. N. Sacerdotem ob delicta commiſſa, cui Reo imponitur grauis pœna, præſertim carcer ad tempus, vnius, ex quibus debebat petere conſilium, conſilio neglecto: quæritur, an huiuſmodi ſententia ſit inualida, ac nullius valoris.*

### SVMMARIVM.

1. *Tres ſpecies regiminis dãtur; monarchiæ ſcilicet, ariſtocratiæ, & democratiæ; & õnes Religiones regũtur vno ex dictis regiminibus, vel ſimplici, vel compoſito.*

2. *Iuſſus facere cum conſilio alterius, ſi Conſultor eſt particeps officij, tenetur illud requirere, eiuſque conſilium ſequi: aliàs actus videtur nullus.*

3. *Secundum doctinam Roniti ſententia eſt nulla ob abſentiam vnius Iudicis, licèt ſit legitimè impeditus, & mortuus.*

4. *Temperatur doctrina Roniti aliorum DD. doctrinis, eſto decloretur ſententia nulla, quia Definitor ratione adiunctorum, coadiutorum, vnionis, ac magiſtratus faciunt vnum corpus cum Prouinciali in iudicando, & decidendo.*

5. *Confirmatur doctrina ex Suar. Rodriq. Bener. aliorumque DD. confirmatur etiam ex incommodis: multiſque obiectionibus ſatisfit.*

6. *Sententia prolata ab vna Definitione exequutioni debet mandari ab alia ſuccedente, quia inſpicitur tanquam lex: non ſic de decretis, præceptis, aliiſque rebus, quæ deciduntur in vna Definitione, quia expirãt expirato tempore illius Definitionis.*

1. Priuſquam accedam ad reſponſionem duo ſunt præſupponenda. Prim. quòd Principatuum formæ ſunt tres, Monarchia ſcilicet, Ariſtocratia, & Democratia. Ita elicitur ex Ariſt. 8. ethic. c. 10. & 3. polit. c. 5. Platon. lib. 16. de Regno. D. Th. de regim. Princip. c. 1. lib. 1. & 1. 2. qu. 95. art. 4. in corpor. Bellarm. de Eccl. Monarch. c. 1. tom. 1. Ægid. Roman. p. 2. lib. 3. cap. 2. & alijs: verùm regitur per vnum Monarchia, quæ raro, inquit Suar. inferiùs citandus, eſt ſimplex, quia, ſuppoſita fragilitate, ignorantia, & malitia hominum, regulariter expedit aliquid admiſcere ex communi gubernatione, quæ per plures fit, quæ eſt maior, vel minor, iuxta varias conſuetudines, & iudicia hominum: gubernatur per paucos, & optimos Ariſtocratia; per plures populares Democratia; ex quibus addit Suar. de legib. lib. 3. c. 4. n. 1. confici poſſunt varij modi gubernationis mixtæ, ſeù compoſitæ ex illis ſimplicibus per participationem vel omnium, vel duorum ex illis, de quibus videri poteſt fusè, & optimè Bellarm. lib. 1. de Summ. Pontif. à principio per nonnulla capita. Ex his ergo certiſſimum eſt, inquit Peirin. de Prælat. qu. 1. c. 2. n. 2. omnes Religiones regi vno ex ſupradictis regiminibus, vel ſimplici, vel compoſito, quia non poteſt aliud excogitari, vt docet Suar. vbi. ſupr. Prætermiſſis ergo regiminibus multarum Religionum, de quibus videndus eſt Peirin. vbi ſupr. dicendum eſt cum eod. Doctor. in fin. capit. referente Nauarr. comm. 3. de Regular. n. 15. verſ. ad 15. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. qu. 27. art. 2. quòd Religiones ferè omnes, nunc regimine temperato ſub diuerſis formis, & modis vtuntur; vndè fratres Minores reguntur Democratia, vt probat idem Peirin. vbi. ſupr. licèt Cordub. & Polit. in cap.

cap. 8. Regul. frarr. Minor. dicant regi Monarchia mixta; attamen re benè conſiderata non differt à Democratia. Secund. quod Bartol. in l. Titium, & l. 1. ſ. ſi plures n. 7. ff. de exercit. act. ait, quòd iuſſus facere cum conſilio alterius, ſi Conſultor eſt particeps officij, tenetur illud requirere, eiuſque conſilium ſequi: doctrinam ſequuntur Burr. in cap. Cum olim de arbitr. Panorm. ibid. n. 5. Dominicus c. vnico ſ. vbi vero n. 9. de ſed. vacant. in 6. Franc. in cap. fin. n. 5. de Regular. Gonzal. in reg. 8. cancell. Gloſſ. 46. n. 76. Nauar. lib 1. conſil. conſil. 9. n. 15. Sanch. in ſumm. lib. 5. cap. 4. n. 65. Tuſch. litt. C. concl. 770. n. 7. Paſqualig. in canon. quæſt. qu. 39. Barboſ. in collect. DD. cap. Si ad ſolum tit. de Regular. & tranſeuntibus ad Relig. in 6. quia eius conſilium habetur pro conſenſu, cuius defectu corruit actus, vt optimè obſeruant Gonzal. vbi ſupr. n. 8. Gloſſ. 47. n. 8. Aloyſ. Ricc. in deciſ. curiæ Archiepiſc. Neapolit. deciſ. 192. n. 3. p. 1. Barboſ. vbi ſupr. cap. Vnico tit. Ne ſede vacante n. 12. Oldrad. conſil. 209. in cauſa hoſpitalis num. 11. verſ. non fuit ſeruata forma, Tuſch. vbi ſupr. numer. 1. his ſuppoſitis.

3. Ad quæſitum reſpondet Scipio. Rouit. in ſuis conſ. conſil. 5. n. 1. 2. 3. ſententiam illam eſſe inualidam: audiamus eius verba: Sequitur inconcuſſa concluſio, quòd, vbi ſunt dati plures Iudices delegati, abſentia vnius reddit actum nullum, etiamſi maior pars aliorum interuenerit, vt ſunt manifeſta iura canonica, & ciuilia in cap. Vno delegatorum extra de offic. & poteſt. Iudic. deleg. cap. fin. de arbitr. in 6. l. duo ex tribus, & l. Pomponius ff. de re Iud. l. & ſi tres cum l. ſeq. ff. de recept. arbitr. cum vulgaribus l. 4. C. quoad prou. non eſt neceſſe: quod aſſumptum adeò eſt verum, vt procedat ne dum in delegatis, ſed etiam in ordinarijs Gloſſ. 1. in d. l. duo ex tribus, & in l. Pomponius in Gloſſ. Magn. verſic. item cum hic, Cuman. in d. l. duo ex tribus in princip. verſic. in textu ibid. Iaſ. n. 1. verſic. 2. modo, & Zaſ. poſt num. prim. verſic. 2. extendite: idipſum voluit Caſtr. in l. ſi vni n. 5. verſic. ſi autem ſint plures ordinarij, iuncto verſiculo, ſi autem omnes ſimul in 6. in fin. eod. tit. de re Iudic. & procedit, etiamſi fuiſſet vocatus, ſeu accerſitus, quòd iret ad votum ferendum, & noluiſſet accedere, prout expreſſè declarat Zaſ. in d. l. duo ex tribus in princip. verſ. Tert. extendite: ergo indubitata nullitas in caſu noſtro ſecundum Rouit. reſultat ex abſentia dicti Definitoris, ſiue ſit adiũctus, ideſt delegatus, ſiue ordinarius.

Fateor doctrinam hanc, licèt fundatam, ſapere nimium rigorem: in præcedenti quæſito fuit dictum ius accreſcendi habere locum in iuriſdictione ordinaria; quò fit, vt, vno mortuo, vel legitimè impedito, itaut nullo modo poſſit in vnum collegialiter cõuenire; tota iuriſdictio Definitionis remaneat apud reliquos; aliàs mille incommoda ſequerentur in damnum communitatis, quia multi actus per multum temporis ſpatium remanerent indeciſi, maximè in Religionibus, cum creatio Conſultorum, ſeu Definitorum fit penes Capitulum, cuius celebratio fit, elapſo triennio, communiter, licèt apud nos Capuccinos poſt annum.

4. Ideò cenſeo eſſe reſpondẽdum cum Silu. tit. conſ. n. 6. Angelic. n. 3. Armill. n. 5. eod. tit. referentibus Panormit. in c. Ex parte de conſtit. ſententiam illam eſſe quidem inualidam, ac nullam in caſu: audiamus caſum in terminis deciſum à DD. relatis: quærunt, an actus geſtus teneat, ſi poteſt peti conſilium, & non petitur. Reſpondent, quòd, ſi mandator ex forma mandati voluit requiri conſilium, non tenet actus, niſi requiratur, vt in cap. Cum in veteri de electiõn. ſi verò ex diſpoſitione legis: & tunc, ſi lex à principio, cum dedit poteſtatem, mandauit conſilium requiri, ſimiliter non valet ex defectu poteſtatis, quia habuit poteſtatem modificatam, & qualificatam, & ſic intelligitur cap. Nouit de his, quæ fiunt à Prælatis, & ita ſine clauſula decreti irritantis actus eſt nullus.

Cum ergo omnes ferè Religiones, quæ non teguntur Monarchia, concedant Prouincialibus, de quibus hic eſt ſermo, ex lege proprij inſtituti, poteſtatem modificatam, & qualificatam ad conſilium eorum, qui eis aſſiſtunt, & communiter ſunt electi Definitores, ſequitur, quòd nullus actus gra

uis

uis poteſt à Prouincialibus decidi abſque eorum conſilio; aliàs careret validitate iuriſdictionis defectu; & cum in noſtro caſu id non ſit obſeruatum, quia vnus fuit neglectus; ideò actus geſtus nullus, ac inualidus; poteſtas enim eſt modificata, & qualificata.

Quòd Religiones, quæ non reguntur Monarchia, tribuant poteſtatem Prouincialibus modificatam, & qualificatam, habetur ex creatione Definitorum, qui aſſiſtunt regimini adminiſtrando à Prouincialibus; vndè & ratione adiunctorum, coadiutorum, vnionis, ac magiſtratus faciunt vnum corpus in iudicando, itaut ad conſenſum Definitorum ſemper intelligatur limitata, & qualificata iuriſdictio Prouincialium. Ratione, inquam, adiunctorum, quia additamentum eſt eiuſdem naturæ, cuius eſt id, cui adijcitur, vt docet Oldrad. conſ. 131. n. 13. verſ. & hoc clariùs. Tuſchus tom. 1. lit. A. concl. 182. n. 1. Roman. conſil. 45.

Nec obſtat, doctrinam habere vim in rebus materialibus, non verò in materia iuriſdictionali, quia videtur falſum per deciſionem Præp. de Franch. deciſ. 252. n. 5. ex multis, & per conſilium Rouiti vbi ſupra conſil. 7. n. 3. Eorumque ratio nulla alia videtur eſſe, niſi illa ſuperiùs, quia ſcilicet additamentum eſt eiuſdem naturæ, cui adijcitur.

Ratione, inquam, coadiutorum; deſignantur enim Prouinciali, vt in officio, & adminiſtratione coadiuuēt; & ideò coadiutor, inquit Panorm. ex Bald. in cap. Olim de arbitris, datus Prælato, eſt particeps officij illius; ideò, licèt Ius dicat, quòd debet requiri conſilium coadiutorum, tamen debet capi conſilium pro conſenſu, ſine quo nihil poteſt fieri validè, quia aliàs officium ſuum eſſet ſuperuacaneum: doctrinam ſequitur ex multis Sigiſmund. à Bonon. de elect. dub. 107. n. 2. in 2. edit. qui in terminis loquitur de authoritate Definitorum, & refert Bullam, *Exponi nobis nuper*, Gregor. XIV. editam anno 1601. die 30. Auguſt. quæ ſupponit Definitores omnium Religionum, excepta Societate Ieſu, habere votum non ſolùm conſultiuum, ſed etiam deciſiuum, & etiam probat ex Ethymol. nominis Definitorum, quod non ſimpliciter ſignificat conſulere, ſed etiam definire.

Ratione, inquam, vnionis, quia vnio in iuriſdictione exercenda communicat eandem naturam vnitis l. qui Patri ff. de acquir. hæred. Fuſarius conſil. 45. num. 14.

Ratione inquam magiſtratus, quia Prouincialis, ac Definitores conſtituunt vnum magiſtratum eiuſdem poteſtatis pro rebus grauioribus tractandis, ac decidendis, vt in terminis docet Sanctorius de examin. pœnal. diſtriction. c. 1. pag. 11. his verbis: Certum eſt, inquit, Definitores eſſe Prouincialium Collegas, ideſt magiſtratus eiuſdem poteſtatis. l. 173. de verb. ſignif.

5. Sed clariùs audiatur doctrina Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 8. n. 6. qui loquitur de præceptis imponendis, ſed ex contextu intelligenda eſt de alijs rebus grauibus pertractandis, ac decidendis: quærit ergo, an Prælati Religionum poſſint imponere præcepta temporalia, quæ non ſint ſtatuta, ſine conſilio, vel conſenſu eorum, qui iuxta Religionis morem illis aſſiſtunt pro regulando regimine. Reſpondet præcepta hæc poſſe eſſe, vel ſpecialia, quæ vni perſonæ tantùm imponuntur, vel generalia, eò quòd toti communitati imponuntur; quandò præcepta imponuntur ſingularibus perſonis, tunc niſi grauia, & oneroſa, & extraordinaria ſint, ſolus Prælatus id poterit abſque alio conſilio, quia eſſet valdè oneroſum pro ſingulis actibus, ſeù perſonis Capitulum congregare in his præceptis ordinarijs, & facilibus; quandò verò præcepta toti communitati imponuntur, tenetur Prælatus ad ea imponenda adhibere conſilium eorum, qui illi aſſiſtunt, & idem facere debet in præceptis grauioribus, etiamſi vnam tantùm perſonam attingant. Ratio autem eſt, quia tunc videtur res valdè grauis; & ideò prudentia ipſa poſtulat, vt non fiat ſine maturo conſilio; vndè, ſi aliter fiat, grauiter peccari poteſt ratione temeritatis, vel periculo errandi, & hoc multò magis verùm eſt, quandò ad id tenetur Prælatus ex Regulæ præſcripto: an verò vbi hoc conſilium neceſſarium ſit, ſit etiam de ſubſtantia, & valore præcepti diſtinctio-

ne

ne opus eſt; nam in primis conſiderandum eſt: an Religionis regimen ſit purè monarchicum, vel mixtum ariſtocraticum, quale in multis Religionibus eſt per Definitorium, quod vocant: in hoc poſteriori modo regiminis conſtat, conſilium eſſe de ſubſtantia; quia non ſolùm eſt conſilium, ſed iudicium; & definitio; nam ſuffragia non ſunt tantùm conſultiua, ſed definitiua, vndè poteſtas præcipiendi tunc non eſt propriè in vna Prælati perſona, ſed in conſilio: exiſtimo tamen ratiò adeò eſſe coarctatam poteſtatem Prælati quoad præcepta particularia, vel tranſitoria, quæ ad vnum actum dantur: quandò verò regimen eſt purè monarchicum, poteſtas quidem eſt in ſolo Prælato, adhuc tamen conſiderare neceſſe eſt: an conſilium per propriam conſtitutionem poſtulatum ad talem actum, ſit de ſubſtantiali forma actus, nec ne; aliquandò enim de ſubſtantia actus eſt rem in conſilio tractare; quamuis auditis ſuffragijs validum ſit, quod Prælatus ſtatuit, etiamſi à ſuffragijs conſulentium diſcedat, & tunc ſi conſilium omittatur, præceptum non obligabit; obligabit autem, etiamſi in eo imponendo conſulentium adhibitorum iudicium Prælatus non ſequatur: quandò verò conſilium ſolùm requiritur, vt actus rectè fiat, præceptum validum eſt, etiamſi conſilio non præmiſſo feratur, atque hoc vltimo modo intelligo eſſe hoc conſilium neceſſarium, vbicunquè ſuffragantium vota tantùm ſunt conſultiua, & Prælatus eſt verus monarcha, niſi aliud ex verbis poſitiuæ legis ſatis conſtet; huic doctrinæ adhæret Merolla tom. 2. cap. 4. dub. 8. difficult. 2.

Sed prius Suar. idipſum oſtendit Rodriq. tom. 2. quæſt. 45. art. 1. aſſerens, quod ferè omnium Religionum Superiores habent quoſdam aſſiſtentes moribus, & vita probatos, qui vocantur Definitores, qui habent votum deciſiuum, ad terminandas ſcilicet res graues vnà cum Prouinciali, quæ ad Capitula, & Congregationes referuntur, & probat Prouinciales teneri eorum votum ſequi in præmiſſis; & quod maius eſt in articulo ſequenti docet non poſſe Prouinciales ſine conſenſu dictorum Definitorum ferre ſententiam in re graui contra ſubditum, etiamſi Definitores ex conſtitutionibus ſuæ Religionis non eſſent electi cum voto deciſiuo, ſed tantummodò conſultiuo; inter quæ illud tantummodò ponit diſcrimen, quod ſi electi fuerint cum voto conſultiuo, ſententia abſque illorum voto ſit iniuſta; ſi verò cum voto deliberatiuo, ſit etiam nulla.

Confirmatur prim. ex doctrina Zacch. Bouer. in director. for. iudicial. cap. 39. pag. 138. (& loquitur in caſu propoſito) dicentis eſſe vſum, & praxim omnium ferè Religionum, quòd Prouinciales ſibi conſilium Definitorum in condemnando Reum adhibeant, vt Reorum condemnatio multorum conſilio maturiùs fiat, vt minùs aliorum conſilijs obnoxia eſſe poſſit, idque iam omnium ferè Religionum vſu, & lege receptum eſt.

Confirmatur ſecund. ex dubio (quandò adeſſet): an conſilium Definitorum adhibitum operationibus, ac regimini Prouincialis ſit tanquam forma ſubſtantialis, ideſt, vt, eo deficiente, corruant actus, ſeù accidentalis ideſt, vt, eo deficiente, iniuſtus ſit actus, non verò nullus; ſemper debet idem conſilium cenſeri tanquam forma ſubſtantialis. Ita docet Farinac. 2. p. fragm. vbi leg. n. 221. cum Matheſilao ſingul. 130. & ſeqq. Roland. coſil. 43. n. 13. lib. 2. & conſil. 30. num. 1. & conſil. 50. num 26. lib. 1. Vantius in tract. de nullit. rubr. quot, quibus modis nullitas in iudicio proponetur num. 52. & Caſtr. Pal. vbi ſupr. num. 9.

Confirmatur tert. ex incommodis. Prim. quia eſſent inutiles, & fruſtatorij Definitores in quocunque caſu ex vi conſtitutionum Religionum circa votum deciſiuum, ac deliberatiuum. Prim. quia, licèt habeant votum electiuum, ac deciſiuum in electione, & creatione Guardianorum, ſeù Priorum in multis, ac multis Religionibus; attamen id nequit eſſe ex vi conſtitutionum, licèt id præcipiant, ſed ex vi indulti Pontificis; huiuſmodi enim creatio iuxta ius canonicum, cui nullus inferior Pontifice, nequit derogare, ad Collegia, ſeù cœnobia ſpectat c. Cum dilectus de conſuet. Hoſtienſ. in ſumm. tit. de electión. §. qui poſſit eligere. Varallus dec. 296. p. 1. Rota dec. 65. p. 1. recent. & dec. 294. n. 5. coram

Q R. P.

R. P. D. Coccino; ideò ſi Definitores hac fruuntur poteſtate, fruuntur quidem authoritate Pontificis, aliàs ſtatutum eſſet nullum, vt dicunt omnes DD: Secund. quia, eſto videatur eos habere votum deciſiuum in multis actibus præſcriptis à conſtitutionibus, ſi non addatur clauſula irritans, nunquam erit deciſiuum, ſed tantùm conſultiuum; nam ſi concedatur in his regiminibus Prouinciales habere iuriſdictionem ordinariam gubernandi ſuas Prouincias independenter à Definitoribus, conſequenter poſſident authoritatem in omnibus actibus neceſſarijs pro ritè regimine gerendo; aliàs adeſſet defectus in ſufficienti iuriſdictione; vndè quælibet forma adhibita Prouinciali in ſuo modo operandi, ſi non addatur clauſula irritans, cenſetur forma accidentalis, & non ſubſtantialis, nec omiſſio eius irritat actum.

Audiamus doctrinam Suar. de legib. lib. 5. cap. 31. n. 10. At vero, inquit, quandò ſupponitur poteſtas, & præcipitur forma, ſeù ſpecialis modus procedendi, ſi non addatur clauſula irritans, forma eſt accidentalis, & omiſſio illius non cenſetur irritare actum, & ita tradit Gloſſ. in Clement. de iur. patronat. verb. inhibentes, & Felin. cum alijs cap. Ex parte, de Conſtit. limit. 2. & ſumi poteſt ex cap. Dilectus de præbend. ex l. 1. C. de appellat. vbi ſententia à Prætore lata, non ſeruato ordine, dicitur iniuſta, & non nulla: idem ſumo ex l. penultim. C. de ſentent. recitata ſine ſcripto, licèt antea eſſet contra formam, non cenſebatur nulla, donec ibi clauſula irritans addita eſt. Ratio verò eſt, quia hæc forma ſupponit abſolutam poteſtatem, quæ poterat validè operari ſine tali forma; & ideò ſi noua lex expreſſè non tollit, aut minuit poteſtatem, cenſetur actus ab antiqua poteſtate manare, & ita eſſet validus, licèt indebito modo fiat propter ſolemnitatem, vel formam nouam non ſeruatam; vt ergo talis forma ſubſtantialis cenſeatur, neceſſe eſt, vt in lege exprimatur: hæc Suar. Doctrinam hanc ſequuntur Farinac. 2. p. fragm. vbi de lege n. 204. pag. 209. & n. 225. pag. 211. Bonacin. de legib. diſp. 1. qu. 1. punct. 7. §. 5. n. 17. Layman. tr. 4. lib. 1. cap. 17. 8. Rodriq. tom. 2. quæſt. 45. art. 2. fin. & alij, quos citatos ſequitur Caſtr. Pal. tom. 1. tr. 3. diſp. 2. punct. 9. num. 2. Sed etiam audiamus doctrinam Salas ex multis de legib. qu. 96. tr. 14. diſp. 16. ſect. 10. num. 43. probantē noſtrum intentum: Item, ait, probatur (quod intendit probare) ex illa regula, quam tradunt Silu. verb. conſ. qu. 3. Roſell. n. 5. Armill. n. 5. Angel. n. 3. Tabieo. qu. 6. n. 9. Panorm. cap. Ex parte de conſtit. circa fin. Gloſſ. Clem. prim. de iure patronat. verb. inhibentes. Sà verb. lex n. 14. Felin. cap. Quoniam frequenter, vt lite non conteſtata n. 4. Burſat. conſ. 90. quem citat, & ſequitur Rodriq. qq. Regular. qu. 45. art. 2. in fin. quandò lex præcipiens formam dat ſimul poteſtatem ad efficiendum, actum, ſeruata tali forma, ſi non ſeruetur actum eſſe nullum; ſi verò antea homo habebat poteſtatem, actum ſine tali forma validum eſſe; non enim eſt credibile ſimplici illa poſitione formæ reſtringi eius poteſtatem, & iuriſdictionem, ſic & quandò quis habet poteſtatem iuriſdictionis ad aliquid faciendum, non ex eo, quòd lex, vel Superior illud ei prohibeat, factum contra talem prohibitionem erit irritum, vt patet ex c. Dilectus 2. de præbend. vbi electio facta contra præceptum Pontificis valida fuit, vt patet ex ipſo textu, & Gloſſ. & notant Authores proximè citati: ſimiliter excommunicatio lata contra formam præſcriptam à Pontif. cap. prim. de ſent. excomm. in 6. valida eſt, & probat Gloſ. ex textu ipſo: ſic Emm. ſupr. ait: Generales, & Proiuciales peccare, ſi abſque Definitorum conſilio aliquam grauem ſententiam contra Monachum delinquentem ferant, illam tamen fore validam, ſi illi tantùm habebant votum pro forma, ſcilicet ſubſtantiali non requiſitum, quod probat, quia aliud eſt actum eſſe iniuſtum, aliud nullum, ſic ſententia alia iuſta, alia iniuſta & teſtamentum aliàs eſt iniuſtum, & aliàs nullum, & excommunicatio alia eſt iniqua, alia nulla, vt tradit Couar. c. Alma pater part. 1. §. 7. n. 5. de ſentent. excomm. in 6. ergo, quamuis ſententia lata non petito Definitorum conſilio ſi ſit iuiuſta, non tamen ideò erit nulla: hæc Salas.

Nec

Nec obſtat, quòd huiuſmodi forma adhibita in caſibus prædictis poteſtati Prouincialis, & non in alijs indicare videtur aliquid ampliùs, quàm forma accidentalis; quia falſum eſt, niſi addatur clauſula irritans, vt dictum eſt; iuncto illo, quòd expreſſio eius, quod tacitè ineſt, nihil prorſus operatur c. Significaſti de elect. l. 3. ff. de legat t. l. conditiones, quæ extrinſecùs ff. de condit. & demonſtrat. Sanch. de matrimon. lib. 3. diſp. 33. n. 3. nam ſi non exprimeretur in prædictis caſibus, & etiam in alijs conſilium eſſe petendum à Definitoribus, cum ſint res magni momenti, ſemper ſubintelligitur Prouincialem teneri petere conſilium à Definitoribus; aliàs eſſent fruſtatorij, etiam quoad conſilium conſultiuum.

Addo tandem, quòd ſequeretur, quòd Prouinciales in ambitu Prouinciarum vterentur dominio monarchico, quia haberent iuriſdictionem illimitatam, ac independentem; & quamuis teneantur ex vi conſtitutionum, & ſtatutorum requirere conſilium Definitorum in rebus grauibus, communiter tamen non obſtringuntur datum ſibi conſilium ſequi, vt probant textus in c. t. de Monach. & c. In veteri de elect. vbi Panormit. in vtrumque textum, & in c. Ad Apoſtolicam de Regul. & in c. Quàto n. 5. de his, quæ fiunt à Prælatis. Bartol. Felin. Silu. Tuſch. & alij, quos citatos ſequitur Sigiſmund. de elect. dub. 107. in 2. edit.

Ex his ergo doctrinis, & incōmodis clarè oboritur iuriſdictionē Prouincialiū eſſe limitatā ad conſiliū Definitorū, ita vt ſit forma eſſētialis, & nō accidētalis, vnde patet, quòd ſententia illa prolata à Prouinciali contra Sacerdotem reū prætenſum eſſe nullā, quia conſiliū vnius Definitoris fuit neglectum.

Nec obſtat, quòd iuriſdictio ordinaria nunquam intelligitur coarctata, niſi per clauſulam expreſſam, nec conſilium habetur de ſubſtantia actus, ſi non exprimatur, quia falſum eſt, vt patet ſupr. ex plurimis doctrinis, & rationibus.

Nec obſtat, quòd in aliqua Religione habeatur tanquam regula, quòd à ſententia prolata à Prouinciali poſſit appellari Reus, non ab illa prolata à Prouinciali vnà cum Definitoribus, vbi ſupponitur Prouincialem poſſe ferre ſententiam abſque conſenſu Definitorum, quia iſte modus procedendi in caſu ſemper eſt intelligendus, quando periculum eſt in mora, nec præſentia Definitorum poteſt haberi iuxta doctrinam Silu. & aliorum inferiùs citand. & non abſolutè, vt patet ex doctrinis ſuperiùs relatis; & ideò Felin. in cap. Cum acceſſiſſent n. 32. de conſtit. aſſerit in caſu neceſſitatis non requiri conſenſum, qui commodè haberi non poteſt, & approbat dictum Innocent. in cap. niſi cum pridem de renunt. qui dicit licere transferre Epiſcopum inuitum ob periculum ſcandali.

Nec obſtat, Prouinciales poſſe delegare cauſas vſque ad ſententiam definitiuam incluſiuè, quia non videtur verum; nam ſi id facerent, excederent limites ſuarum poteſtatum: poſſunt quidem delegare cauſas, ſicut & ipſi poſſunt formare proceſſus, quia iſti ſunt actus concernentes ad regimen ſecundum hic, & nunc, pro quorum exequutione, ſi ſemper eſſent congregandi Definitores, eſſet & ob temporis dilationem, & ob alia incommoda ſatis nota in detrimentum boni communis; non tamen poſſunt ſententiam proferre ob rationes ſuperiùs notatas: audiamus Sanctorium de pœnal. diſtriction. examin. c. 1. p. t. pag. 8. vbi ſic loquitur: Prouincialis eſt Iudex ordinarius epiſcopalem quàſi iuriſdictionem habens, limitatam tamen cum ſuo Definitorio, ita vt in grauioribus ſine ſui Capituli conſenſu procedere non poſſit, iuxta titulos, De his, quę fiunt à Prælato & cum maiori parte Capituli: congruit decretum Concil. Trid. tam ſeſſ. 6. c. 4. quàm 25. c. 6. de reformat. in quibus præcipitur, ne Epiſcopus procedat in cauſis criminalibus ſine conſilio, & aſſenſu duorum à Capitulo electorum tam in formando proceſſu, quàm in cæteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ incluſiuè: conceditur circa atrocia delicta, vbi de perſonali detentione opus ſit, quòd poſſit ſolus Epiſcopus ad ſummariam informationem, & neceſſariam detentionem procedere, ſeruato tamen in reliquis ordine præmiſſo; ad cuius ſimilitudinem, inquit Rodriq. tom. 2. qu. 21. art. 7. & tom. 1. qu. 30. art. 17. eliguntur in Capitulo prouinçiali Definitores,

cum quorum conſilio, & aſſenſu grauiores cauſæ priuationis, & punitionis finiuntur iuxta c. Epiſcopus nullus. 15. qu. 7. Caputaquen. deciſ. 102. p. 2. iuxta cuius decreti diſpoſitionem poteſt Prouincialis formare proceſſus, non requiſitis Definitoribus, & Reum conſtituere, & carceri mancipare, punire tamen, & priuare ſine illis non poteſt: hæc Sanctor.

Nec obſtat, quòd, quandò Collega, vel eſt mortuus, vel eſt abſens, vel non, vult conſentire, poſſit procedi ad actus conſummationem, vti docent Armill. Angel. & Silu. vbi ſupr. (in caſu noſtro Collega erat abſens, cuius præſentia de facili poterat haberi) quia loquuntur, quando conſilium nequit haberi ab abſente, cum periculum ſit in mora, vt videre eſt apud ipſos, quod non fuit in caſu, vt ſupponitur, & referunt Panormit. vbi ſupr. & Bartol. in l. 1. § ſi plures ff. de exercit. act. quibus ſunt addendi Gloſſ. Clem. 1. de for. compet. verb. dioceſanis. Abb. Tiraq. Meteſ. Gratian. & alij quos refert Sanch. de matrim. lib. 1. diſp. 34. n. 26. Tuſch. vbi ſupr. n. 9. referens Felin. Biſigu. Vecchis de nouit. diſp. 7. dub. 2. n. 11. vndè concludit Angel. vbi ſupr. de mente iuris eſſe, quòd, ſi poteſt haberi conſilium, habeatur, & ſi non poteſt haberi, & periculum ſit in mora, procedatur ad conſumationem actus.

Nec obſtat, quòd conſilium fuit petitum ab alijs Definitoribus, vt patet, quia, quandò iuriſdictio coarctatur ad conſilium Conſultorum, ipſum conſilium ſe habet tanquam forma eſſentialis: quò fit, vt etiam in minimo debeat obſeruari, cum ſit de genere indiuiſibilium, vt notatur in l. ſi veritas C. de fideicomm. Tiraq. de iur. marit. Gloſſ. 6. n. 4. Molin. de primogen. lib. 1. c. 9. n. 17. & alij quamplurimi apud Barb. axiom. 106. n. 14. alias actus corruit, vt ex infinitis DD probat eudem Barboſ. cit. n. 15. & axiom. 12. n. 24.

An in aliqua Religione poſſit eſſe praxis in contrarium abſque declaratione, & authoritate Capituli generalis, cuius authoritas eſt minuere, & augere poteſtatem Prælatorum inferiorum, me remitto.

6. An ſententia lata ab vna Definitione expiret ijs, ex quibus componitur, extinctis, ſeù mortuis, ſeù ab officijs amotis. Reſpondeo cum Salas de legib. tr. 14. diſp. 1. ſect. 7. n. 44. in fin. citante Vaſqueſium, aliosque DD. ſententiam illam non expirare morte Iudicum, ſeù ijs ab officio amotis, quia eſt veluti lex, & quia ſic expedit, ne delicta careant pœna condigna, & proportionata; vndè ſubſequens Definitio debet huiuſmodi ſententiam exequutioni tradere.

An præcepta, decreta, & ordinationes, quæ fiunt à tota Definitione pro regulari diſciplina obſeruanda, alijſq; rebus exequẽdis, expirent morte ferentium, vel amotione eorum ab officio. Reſpondeo, quoties præceptum Superioris non datur per modum ſtatuti, conſtitutionis, vel legis, expirare morte ferentis, vel amotione eius ab officio, vt cum Silueſtr. Angel. Armill. Vaſq. & Ioann. Andr. docet Salas vbi ſupr. diſp. 1. ſect. 9. dub. 62. quam doctrinam admittunt Nauarr. cap. 27. num. 2. 73. Menoch. 1. de arbitr. quæſt. 69. numer. 4. citans Decium, Cordub. citat. Vgon. ſuper Regul. D. Franciſci cap. 10. qu. 3. punct. 1. particul. 3. Silueſtr. verb. Delegatus qu. 9. n. 7. & verb. Mãdatum qu. 3. Sanchez 8. de matrimon. diſp. 28. num. 47. Bonacin. de legib. diſp. 1. qu. 3. p. 8. §. 1. n. 25. 26. Baſſæus in ſumm. verb. mandatum n. 7. verùm quatuor vltimi DD. ita affirmant doctrinam, etiamſi res non ſit integra. Ratio eſt, quia, cum ea præcepta minime ſint conſtitutiones, vt ſupponitur, non ſunt ex natura ſua perpetua, nec poſſunt ligare extincta pręcipiẽtis iuriſdictione poſt eius obitum, ſeù poſt ab officio amotionem; vnde benè docet Cordub. omnia expirare, quoties per modum conſtitutionis ab eo, qui authoritatem habet, edita non ſunt, non tantùm mortuo præcipiente, ſed etiam eo ab officio amoto, quia quoad hoc, inquit Sanch. Bonacin. & Baſſæus vbi ſupr. perindè habetur ac mortuus, cum in vtroque caſu extinguatur pręcipientis iuriſdictio, à qua præcepta vim habent: docent tamen ex multis iuribus Sanch. Angel. Silu. Armill. Vaſquez, quos citatos ſequitur Salas vbi ſupr. ſect. 9. n. 62. ſi mandatum conferat iuriſdictionem, & res ſit cœpta, non expirare mandatum morte, vel amotione ab officio

ficio

ſcio mandãtis; ſecus re integra; vndè ſubdit Salas. Regula eſt, omne mandatum Superioris, quod non continet commiſſionem iuriſdictionis, etiamſi res ſit cœpta, expirat morte mandãtis: ſecus de mandatis teſtatoris, vel alterius, qui Superior non eſt; vel ſi eſt Superior non mandat, vt Superior, ſed de ſuis rebus, tanquam priuata perſona diſponit; huius enim voluntati ſtandum eſt, etiam poſt ipſius mortem, eiuſque mandatum etiam re integra poſt mortem eius non expirat: quandò vero res dicatur cœpta videantur Salas vbi ſupr. n. 63. & Sanchez vbi ſupr. diſp. 28. num. 1. cum ſequentibus: dixi ſuperius, quoties præceptum Superioris non datur per modum ſtatuti, conſtitutionis, vel legis, &c. quia communiter leges feruntur à Capitulis; ideò niſi aliter diſponatur in cōſtitutionibus Religionũ, Prouincialis, & Definitores nequeũt ferre ſtatuta, & leges perpetuò duraturas.

Hic nota quòd cũ huiuſmodi forma ſit eſſentialis rei decidendæ, & legislatores nolint ſententias in lucem exire, niſi omnibus Definitoribus auditis in congregatione, vt magis iuſtitia cauſæ habeatur, ſi antequam fiat congregatio omnium Collegarum pro decidenda cauſa ad cuſtodiam ſit detrudendus Reus prætenſus etiam per aliquos menſes in carcerem, abſque ſtimulo conſcientiæ detrudi poteſt in eam, quia maius incommodum eſt deſtruere naturam regiminis tali forma adminiſtrandam pro euitandis incommodis, quæ poſſunt oboriri ex rebus non maturè diſcuſſis, quàm ſit incommodum, quod patitur Reus ex carcere ad cuſtodiam; poterunt tamen Iudices benignè temperare pœnam, quæ debetur delicto ob illud incommodum carceris, quod paſſus eſt Reus.

Ad perfectam intelligentiam materiæ, quæ tangitur, pro fine duo addenda ſunt. Prim. quòd, qui tenetur ſequi conſilium, non tenetur tamen ſequi conſilium iniuſtum, vt optimè obſeruant Armill. Silu. & Angel. referentes alios; vbi ſup. quia manifeſta iniuſtitia ſemper eſt excepta in omni diſpoſitione. Caſt. conſil. 232. in cauſa, quæ vertitur n. 3. verſ. item non obſtat lib. 1. Tuſch. vbi ſupr. concl. 769. n. 23. & conſilium ſemper importat, quod ſit iuſtum, vt in l. Titium, & Mæuium ff. de admon. tu. & no. Bartol. in l. 1. § ſi plures ff. de exerc. Angel vbi ſupr. qui addit ſecundum Hoſtienſem poſſe Iudicem proferre ſententiam contrariam, quod verum eſt ſecundum Pan. de æquitate ſecus de rigore iuris, quod verum credo, ait Angel. niſi periculum eſſet expectare, quia tunc poſſet dare etiam de rigore iuris. Secund. quòd Conſultor electus ad conſulendum per Iudicem poteſt compelli ad conſilium ferendum, vt docet ex Bartol. vbi ſupr. Tuſch. vbi ſupr. concl. 771. num. 1. dummodò ſit ſubditus, & de illa iuriſdictione; aliàs non, vt docet idem Tuſch. vbi ſupr. n. 2. ex Albert. de Rep. in tr. de conſil. habend. inter tract. & Bartol. vbi ſupr.

## DVBIVM CXXXXII.

*An Definitores, qui tacent, dum Prouincialis abutitur poteſtate multa operando, quæ ſub pœna nullitatis actuum, abſque conſenſu ipſorum Definitorum nequit operari, ſibi præiudicent.*

### SVMMARIVM.

1. *QVatuor rationibus ſuadetur Definitores tacendo, dum Prouincialis abutitur poteſtate, nonnulla operando, quæ ei interdicuntur operari abſque conſenſu Definitorum ſub nullitatis pœna, non ſibi inferre præiudicium: & eidem obiectioni ſatisfit.*

### *CONCLVSIO.*

1. DEfinitores nequeunt ſibi inferre præiudicium tacendo, dum Prouincialis excedens limites ſuæ poteſtatis, operatur multa, quæ operari nequit abſque conſilio, & conſenſu ipſorum Definitorum. Suadetur prim. tunc Definitores inferrent ſibi præiudicium tacendo, ſi Prouincialis modo prædicto operando acquireret aliquod ius: ſed hoc nequit eſſe: igitur nullum præiudicium inſurgit aduerſus De-

Definitorum ius: maior certa, minor probatur, quia actus Prouincialis ſunt nulli; vti dixi in quæſito 140. & quod eſt nullum, nullum producit effectum. l. 4. §. condemnatum. ff. de re iudic. l. non putauit. §. Non quæriſ. ff. de bonorum poſſeſſione contr. tab. cap. Illud. de iure Patronat. Surd. deciſ. 40. n. 8. & conſ. 3. n. 11. & conſ. 323. n. 24. Alex. conſ. 33. in princip. vol. 1. Flamin. de reſignat. benef. lib. 7. n. 16. Aloyſ. Riccius in collect. deciſ. part. 3. collect. 623. Rota deciſ. 422. n. 1. apud Farinac. p. 2. recent. Barboſ. in tract. axiomat. exiom. 164. ideò aliquod ius tribuere nequit, Rota deciſ. 572. apud Farinac. p. 1. recent. igitur Definitores tacendo ſibi non inferunt præiudicium. Et dato, & non conceſſo, quòd actus Prouincialis non eſſent nulli, ſed validi, adhuc Definitores nequeunt ſibi præiudicare, & hæc ſit ſecunda ratio: in caſu Definitores proprium ius damnificarent, quia tacendo non faciunt proteſtationem, quæ ex propria natura infirmat actus, ne tollat aliorum ius, idque incolumen ſeruat; ſed illa non eſt neceſſaria, quia vice illius eſt ipſum ius Definitorum, quod reſecat omne præiudicium, quod taciturnitas poſſet inferre; vndè quandò ius reſiſtit, non eſt opus reclamationis, nec tacens conſentire videtur. Gloſſ. in cap. Plerunquè qu. 2. diſt. 7. Maſcard. de probat. concl. 1153. n. 52. ergo. Et dato, & non conceſſo, quòd actus non carerent validitate, & quod ius Definitorum non reſiſteret, adhuc eorum taciturnitas non nocet, & hæc ſit tertia ratio, quia non poterit imputari, & interpretari pro conſenſu; non enim poterunt huiuſmodi Definitores contradicere, quia nequeunt producere actus legitimos, niſi collegialiter vniti, cum congregatio requiratur tanquam forma ad ſubſtantiam actus, vti dixi in quæſito 140. vndè niſi congregentur à Superiore, nequeunt proteſtari contra ipſum, quod ſupponitur non eſſe factum; ideò taciturnitas non nocet Definitoribus iuxta ea, quæ tradunt Gloſſ. & DD. in cap. Cum omnes de conſtit. vbi latè Felin. Dec. conſ. 437. num. 3. Pariſ. conſ. 90. per tot. lib. 4. Et dato, & non conceſſo, quòd actus haberent ſuam validitatem, & quòd ius Definitorum non reſiſteret, & quòd fuerit celebrata congregatio, in qua Definitores poterant proteſtari, adhuc eſt dicendum taciturnitatem non officere ipſis Definitoribus, & hæc eſt quarta ratio, quia nequit imputari pro conſenſu; nam, licèt admittatur illud axioma, quod tacẽs conſentire videtur. l. 2. §. voluntatem. ff. ſoluto matrimonio. l. qui tacet. vbi Dec. & Cagnol. ff. de regul. iuriſ. cap. Nonne de præſumption. cap. Qui tacet. de regul. iuriſ. reg. 43. Menoch. conſil. 246. n. 26. & conſ. 237. n. 25. Maſcard. de probat. concluſ. 1218. Azor. p. 1. lib. 1. c. 4. in princip. nihilominus in præiudicialibus non habet locum; vndè pro diſſentiente regulariter habetur. l. Inuitum. ff. de ſeruit. verb. præd. l. in eo. §. pen. ff. de ritu nupt. homin. conſ. 53. circa fin. verſ. Nec iſto caſu. Bald. conſ. 299. n. 5. verſ. Item contractus. lib. 1. Couarr. pract. c. 15. verſ. Deindè. Menoch. conſ. 573. n. 12. Surd. deciſ. 302. n. 3. & conſil. 349. n. 4. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. c. 38. n. 20. Tuſc. lit. T. concl. 3. per tot. Thom. de Thomaſſ. in floribus legum. reg. 253. Sanch. lib. 1. de matrim. diſp. 5. n. 5. & cum in caſu ſimus in præiudicialibus; tractatur enim de amittendo ius Definitorum in negotijs decidendis, quæ nequeunt concludi à Prouinciali abſque eorum conſenſu; igitur etiam celebrata congregatione, & ſequuta taciturnitate non inferunt ſibi damnum ipſi Definitores.

Dices contrà vltimam rationem, & hæc eſt obiectio Barboſ. in collect. DD. in regul. iuris in 6. reg. 43. n. 10. qui hoc modo loquitur: Sed hæc vulgaris opinio, quamuis magis communiter recepta, improbabilior eſt, & confutatur ex textu, in cap. Nonne, de præſumptionibus; vbi Gregorius regulam ſtatuit affirmatiuam, ibi *tacendo conſenſit*; neque diſtinguit inter fauorabile, & præiudiciale. Reſp. quòd Barboſ. ſuis proprijs armis ſe confodit; nam eo ipſo, quòd dicit opinionem prædictam eſſe vulgarem, & magis communiter receptam, dicit etiam quòd in foro fori eſt ſequenda, cum Iudex in iudicando ſemper debeat ſequi magis communem opi-

opinionem, vt communiter tenent DD. vt videre eſt apud Sanchez lib. 1. ſumm. cap. 9. numer. 47. & ita obtinuit communis opinio; ideo textus eſt explicandus ſecundum doctrinam allegatam: videantur Gloſſ. Felin. Abb. in dict. cap. Nonne. qui optimè explicant ipſum textum. conſulendus eſt etiam Panormitan. in dicto c. n. 3.

## DVBIVM CXXXXIII.

*An ſententia prolata in Definitorio à maiori parte ſit à minori, quæ votis ſuis in eam non conſenſit, ſubſcribenda.*

## SVMMARIVM.

1. *QVid ſit dubium, opinio, & ſententia.*

2. *Iudex in iudicando tenetur ſequi opinionem probabiliorem: habentur multa ſcitu digna.*

3. *Definitor tenetur ſubſcribere ſententiã prolatam à maiori parte, quæ iuſtitiam continet manifeſtam: ſecus ſi continet manifeſtam iniuſtitiam.*

4. *Si iuſtitia ſententiæ eſt valdè dubia, dum maior pars in vnam partem inclinat, tenetur Definitor eam ſubſcribere: variæ limitationes notantur.*

5. *Itidem tenetur eam, quæ ſecundum probabiliorem opinionem eſt prolata, ſubſcribere.*

1. Not. prim. aliud eſſe dubium, aliud opinionem, aliud ſententiam, ſeù iudicium animi certum. Dubium eſt, cum mens in neutram partem contradictionis inclinat ob æquales rationes pro vtraque. Opinio eſt aſſenſus in vnam partem cum formidine, ſaltem virtuali de oppoſita ſententia. Iudicium verò eſt aſſenſus certus, & indubitatus excludens formidinem alicuius partis; vel propter euidentiam obiecti; vel propter conteſtantis authoritatem; porrò dubium diuiditur in ſpeculatiuum, & practicum. Ita Layman tract. 1. lib. 1. c. 5. ille verò, qui habet dubium ſpeculatiuum debet in praxi formare iudicium ſimile ſpeculatiuo, niſi aliqua ratio ſuadeat in praxi aliud eſſe iudicandum: ratio verò faciendi contra dubium ſpeculatiuum eſt poſſeſſio, quæ eſt titulus communis non ſolùm in materia iuſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum, poſita ſufficienti diligentia, ad veritatem aſſequendam iuxta regulam iuris, quòd in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Baſſæus in ſumm. tit. Dubium. n. 1. ſoluens multos caſus.

2. Not. ſec. an Iudex tuta conſcientia ſuam ferre poſſit ſententiam ſecundum minùs probabilem opinionem. Breuiter eſt reſpondendum, ſuppoſita diſtinctione opinionum, quæ verſari poſſunt; vel ex parte iuris, nimirum cum textus, ſeù ſtatuta, quæ decidere debent litem, aliter ab aliquibus DD. & aliter ab alijs exponuntur; vel ex parte facti, nimirum cum ex parte rei, & actoris teſtimonijs, alijſque neceſſarijs eorum factum probatur; ſi ex parte iuris ſunt opiniones æquè probabiles. Layman. vbi ſupr. §. 5. & Bann. 2. 2. qu. 63. art. 4. circa ſolutionem ad 2. inquiunt Iudicem iudicare non poſſe iuxta opinionem, quam maluerit, ſed teneri, vel litigantes componere, vel diuidere inter ipſos, vel ad ſuperiorem Iudicem cauſam ablegandam eſſe, vel arbitros partium conſenſu ſtatuendos; imò compoſitionem eſſe imperandam in tali caſu nimijs ambagibus irretito, ſicut notauit Abbas in c. vltim. not. 4. de maior. & obedient. quarè non rectè ſenſerunt Sanch. lib. 1. ſumm. c. 9. n. 45. Sayr. lib. 1. c. 11. n. 4. Valent. 2. 2. diſp. 5. qu. 7. tract. 4. dub. 2. Baſſæus vbi ſupr. tit. conſcientia. n. 16. aſſerentes poſſe Iudicem pro amico ferre ſententiam; quis enim non videat hoc ab æquitate alienum, ſi duo æquale ius habeant, Iudicem, quem oportet eſſe iuris interpretem, iuſtitiæque miniſtrum, vni eorum totum adiudicare? vnde reg. iuris eſt 12. n. 6. *In iudicijs non eſt acceptio perſonarum*: & ideò fundamentum contrariæ ſententiæ ſcilicet, quòd Iudex ex debito iuſtitiæ diſtributiuæ, & officij non magis vni, quàm alteri bonum fauorabilis iudicij debet, corruit, quia etiam in arbitrarijs iuſtitia diſtributiua locum habet, vt dixi in dub. 5. ſi verò altera opinionum

num eſt probabilior contra Aragon. 2.2. qu. 63. art. 4. ad penultim. Salon. 2.2. qu. 63. contr. 2. concl. 4. & Salaſ. 1.2. qu. 21. tr. 8. deciſ. vnic.ſect. 72. n. 118.dicendum eſt, non poſſe Iudicem ſecundum minùs probabilem ſententiam ſtatuere, tum quia videtur acceptator perſonarũ, tum quia ius ſuum cuique debet tribuere ſecundum merita cauſæ, quæ magis videtur eſſe apud eum, qui pro ſe habet opinionem probabiliorem. Ita Sanch. vbi ſupr. n. 47. citans pro hac ſententia Sotum, Valent. Bann. Ledeſm. & Vaſquez. Limita cum Vaſq. 1. 2. qu. 19. art. 6. diſp. 64. c.2. n.6. Sanch. vbi ſupr. niſi Iudex ſit inferior, & cauſa per appellationem denuò ſit iudicanda à Superiore, quæ per ipſum iudicanda ſit ſecundum minùs probabilem; eò quòd magis in praxi ſit recepta, quia non tenetur cum tanta ſui honoris iactura huiuſmodi ſententiam proferre ſecundum opinionem probabiliorem: ſi verò ex parte facti ſunt opiniones æquè probabiles, quia ſcilicet vterque ex æquo probat factum ſuum, in criminalibus, de quibus præſertim eſt ſermo, in fauorem Rei cauſa eſt iudicanda. Ratio eſt, quia vbi ſunt æqualia fundamenta Fiſci in accuſando, & Rei in ſe defendendo, ratio naturalis dictat, vt faueamus Reo tanquam debiliori, iuxta regulam iuris in 6. *Quandò iura partium ſunt obſcura, Reo fauendum eſt potiùs, quàm actori*. Salon. 2.2. qu. 63. art. 4. contr. 4. Aragon. ibid. addo tandem ad condemnandum Reum probationes debere eſſe luce clariores; vndè, quandò iura partium non ſunt ita clara, ſed obſcura, licet declinare in fauorem Rei, quamuis probationes accuſatoris, aut Fiſci ſint paulò probabiliores, & clariores; adhuc enim non ſunt luce clariores. Portell. & Baſſæus vbi ſupr. doctrina tradita eſt optima, ſed fortè meliùs explicatur in dub. 46. vide locum.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. SI ſententia prolata in Definitorio à maiori parte contineat in ſe manifeſtam iniuſtitiam, vel manifeſtam iuſtitiã, Definitor, qui in eam non conſentit, in vtroque caſu iudicandus eſt peccati mortalis reus, ſi primæ concedit, ſecundæ verò neget ſubſcriptionem. Prima pars ſuadetur: ſi teneretur ſubſcribere illam iniuſtam ſententiam, maximè quia eſt prolata à maiori parte Definitorum, quæ ſe habet tanquam legitimus Superior, & Definitor diſſentiens, licet conſiliarius, tanquam ſubditus: ſed magis eſt obediendum Deo, quàm hominibus, vt ait D.Petrus, & habetur c. Si Dominus. cauſa 11. qu. 3. vbi Barboſ. in collect. referens multos alios: ergo: adde ex D. Thom. quodlib. 10. art. 10. & 2.2. qu. 104. art. 5. ex Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 41. dub. 9. n. 76. ſolùm Religioſum teneri obedire in his, quæ ſunt materiam voti: res autem iniuſta, & illicita nequit eſſe voti materia: ergo. Secund. pars ſuadetur: diſſentire voluntati alterius in his, quæ ſunt de bono diuino, & humano, cui debet conſentire, ex intentione contradicendi ex ſuo genere eſt peccatum mortale, vt docet D. Thom. 2.2. qu. 37. art. 1. Valent. tom. 3. diſp. 3. qu. 14. Caietan. in ſumm. tit. diſcordia. Baſſæus vbi ſupr. eod. tit. ſed talis Definitor non ſubſcribendo iuſtam ſententiam, voluntariè diſcordat in his, in quibus ex officio diſcordare non debet, quia ad hoc munus ab electoribus eſt electus: ergo crimini obnoxius eſſe videtur. Secund. teneretur Superiori parere, præſertim pro exequutione, ſi per obedientiam iuberetur: ergo eſt ſubſcribenda, quia videtur bono communi iuſtitiam denegare, pro cuius conſeruatione, ac defenſione legitimè fuit electus, & hoc eſt, quod dicit Abb. in c. 1. de his quæ fuerunt à maiori, & in c. Ex parte. de conceſſ. præbend. n. 3. & in c. Poſtulaſti. eod. tit. n. 14. quem ſequuntur DD.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. SI iuſtitia ſententiæ prolatæ eſt valdè dubia, & pro vtraque parte non ſunt rationes probabiliores, tenetur diſſentiens iuxta DD. citandos eam ſubſcribere, quandò maior pars in vnam inclinat. Probatur: in dubijs, an res præcepta ſit licita tene-

tenetur ſubditus Superiori parere, tum quia in dubijs poſſeſſio ſtat pro Superiore, maximè quia nullum eſt peccatum operari cum dubio ſpeculatiuo quandò adeſt aliqua ratio, cuiuſmodi eſt poſſeſſio Superioris ad aliud formandum iudicium practicum, tum quia poteſtas Superioris maximè eſt neceſſaria in rebus dubijs, alioquin totum regimen confunderetur. Ita Sanch. in ſumm. c. 3. n. 3. lib. 6. citans multos alios. Mirand. tom. 1. qu. 26. art. 1. Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 7. ergo diſſentiens eã debet ſubſcribere, quia maior pars Definitorum verè ſunt Superiores. Limita prim. manente dubio ſpeculatiuo, quia manente practico nefas eſſe eã ſubſcribere, aliſque Definitoribus, ſeù Conſultoribus parere, quia ageretur contra dictamen conſcientiæ, quod illicitum eſt; eſſet tamen deponendum ob rationem poſſeſſionis Superioris, quæ in dub. præponderat. Ita Molin. tom. 1. de iuſtit. diſp. 113. Clauis regia lib. 1. c. 13. c. 39. Sanch. vbi ſupr. n. 2. Limita ſecund. ſi Definitor eſt certus ſe non peccare non parendo, ſeù non ſubſcribendo, eò quòd res præcepta, ſeù illa ſententia excedit limites poteſtatis illorum, ſiue dubitat ſpeculatiuè, an res ſit illicita, ſiue practicè, an obediendo, ſeù ſubſcribendo peccet, tenetur non obedire vtrouis dubio permanente, neque ſubſcribere, quia, ſtante illa certitudine, poſſeſſio Superioris nullam poteſt habere vim, & ſine cauſa exponeret ſe periculo. Ita Cordub. in quæſt. lib 8. qu. 7. propoſit. vnic. Sanch. vbi ſupr. n. 14. Rodriq. tom. 3. quæſt. 19. art. 1. Salas 1. 2. quæſt. 21. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 17. n. 106. Limita tert. niſi ſtandum eſſet pro Reo iuxta ea, quæ dicta ſunt in ſecund. not. Doctrina concluſionis in caſu, de quo agitur, videtur habere vim ad conſeruandum regimen pacatum, & vnitum in Religionis capitibus; ideò ſequenda: in alijs verò caſibus videatur doctrina dub. 68.

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. SI ſententia eſt prolata ſecundum opinionem probabiliorem, diſſentiens tenetur eã ſubſcribere. Concluſio eſt ſatis clara in ſecund. not. quia Iudex in iudicando tenetur ſequi probabiliorem ſententiam. Limita, vt dixi ſuperiùs, niſi Iudex ſit inferior, & cauſa per appellationem denuò deuolui debeat ad iudicium maioris Superioris, qui inclinabit ad iudicandum in opinionem probabilem, eò quòd magis in praxi eſt recepta, quia non tenetur in honore tantam iacturam pati. Hæc, quæ dicta ſunt de ſententia, poſſunt facilè applicari alijs cauſis, quæ deciduntur, definiuntur, atque determinantur in Definitorio.

## DVBIVM CXXXXIIII.

*An Definitores, ſeù Conſultores teneantur liquidò, ac ſincerè ſuam ſententiam in Definitorio aperire.*

### SVMMARIVM.

1. *Tenentur Definitores ſuum ſenſum aperire in Definitione: habetur quædam limitatio.*

2. *Nequit Superior cogere Definitorem ad præſtandum conſenſum, quando pro diſſenſu adeſt iuſta cauſa.*

3. *Collega, ſeù Definitor poteſt adhærere opinioni alterius Definitoris, quia peritior; ſecùs retinendo proprium ſenſum, & æſtimando poſſe deponere conſcientiam abſque eo, quod ſit peritior.*

*CONCLVSIO.*

CONſiliarij, ſeù Definitores tenentur ſub pœna lethalis culpæ in Definitorio clarè, & apertè ſuum ſenſum, expoſtulato conſilio, aperire, non obſtante in contrarium voluntatis Superioris cognitione. Ita Mirand. tom. 2. quæſt. 17. art. 4. Rodriq. tom. 2. quæſt. 25. art. 3. cum ſuo compendio reſol. 124. Samuell. de elect. canon. tract. 3. diſp. 3. contr. 3. referens Innoc. Panormit. Felin. & alios. Prob. ex D. Chryſoſtom. hom. 25. in Matth. rela-

to in cap. Nolite timere. cauſa 11. qu. 3. præſertim ex S. Auguſtin. 10 epiſt. ad Caſulanum, & habetur in c. Quiſquis. ead. cauſ. & quæſt. vbi dicit. *Quiſquis metu cuiuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem, quàm Deum*: & S. Gregor. relatus in c. Quatuor modis. ead. cauſ. & qu. inquit: *Quatuor modis peruertitur humanum iudicium; timore, dum metu poteſtatis alicuius veritatem loqui pertimeſcimus; cupiditatem, dum proemio animum alicuius corrumpimus; odio, dum contra quemlibet aduerſarium molimur; amore, dum amico, vel propinquo complacere contendimus*: videatur Tiraq. de pœnis tempor. cap. 51. num. 81. cum ſeq. vbi plura de amore. Præterea, officium, ſeù munus Definitorum eſt, vt res examinent, diſcutiant ſecundum charitatem, & iuſtitiam, & in medium proferant, vt veritas eluceſcat, & bono communi conſulatur: ſed ſi Definitores in contrarium faciunt ob timorem Superioris, vel ob aliquem alium reſpectū diſſimulāt ſuum verum ſenſum aperire, fidē non ſeruant Definitorum muneri: ergo; aliàs pro conſentientibus habendi ſunt; nam ille, qui tenetur loqui, & tacet habetur pro conſentiente. l. de ætate. §. qui tacet ff. de interrogat. action. c. Si præſertim de confeſſ. in 6. Ita Pet. de Ancharan. conſil. 57. Panorm. cap. 2. in fin. de location. & conduction. cap. 2. numer. 9. de his, quæ fiunt à Prælatis. Felin. in c. Cū omnes n. 11. in fin. de conſtitut. Rodriq. & Mirand. loc. citat. Tamburin. de iure Abbat. to. 3. diſp. 1. qo. 3. numer. 3. concluſio eſt adeò certa, vt, quamuis certum ſit, & apud ipſos pro comperto habeatur, Superiorem ita decreuiſſe, ac determinaſſe, nec fore mutandum ob eorum ſenſum, nihilominus tenentur eum aperire, & in medium proferre. Ita DD. citati.

Hæc tamen ampliatio eſt limitanda, modò res, quæ eſt expedienda in Definitione, ſit de illis, cuius abſolutio expeditur per vota deciſiua; non verò quandò per vota tantùm conſultiua, cum deciſio ſpectet ad Superiorem. Ratio eſt, quia nemo tenetur ad actum fruſtatorium, vt communiter tradunt DD.

2. Pro fine eſt addendum, quòd nullos Regularis, licet ſubditus, compelli poteſt ad conſentiendum, quandò pro diſſenſu adeſt iuſta cauſa, vnde rationabiliter nō poteſt pręſtare conſenſum; imò, ſi Superior cogit ſubditum ad tradendum conſenſum, datur locus in caſu apellationis ad Superiorem maiorem. Ita habetur ex Panormitan. in c. Licet num. 9. de Regular. Lambert. de iure patronat. lib. 1. p. 2. quæſt. 1. ar. 20. n. 13. Gōzal. ſuper regul. 8. Cancell. Gloſſ. 47. num. 43. Sigiſmund. de elect. dub. 112. num. 4. Samuell. de elect. can. tract. 3. diſput. 3. contr. 3. num. 5. addendum eſt etiam, quòd metus etiam grauis incuſſus à Superiore, vt conſentiat Definitor, non excuſat à culpa in ijs, quæ intrinſecè mala ſunt, veniali, ſi aliàs, ſecluſo metu, eſſet venialis, & mortalis, ſi, ſecluſo metu, eſſet mortalis; vndè vnuſquiſque tenetur potiùs mortem ſubire, quàm culpam venialem contrahere: videatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 110. art. 3. ad 4. Panorm. in c. Sacris num. 5. de his, quæ vi, metu, caſu fiunt. Couar. 4. decret. 2. part. c. 3. §. 4. n. 3. Sigiſmund. & Samuell. vbi ſupr.

Poſtquam hæc conſcripſeram, ad manus peruenit meas quoddam volumen Franciſci Bard. de conſcient. in quo vidi quoddam dubium, ſeù quæſitum ſub diſcept. 4. cap. 28. & optimè iudicaui in calce huius quæſiti eius doctrinam pro maiori explicatione eiuſdem quæſiti adnotare.

Quęrit ergo, vtrùm vnus ex Iudicibus, ad quos eiuſdem cauſæ deciſio ſpectat, poſſit contra proprium ſenſum iuxta alterius Collegæ opinionem ſententiam ferre. Ad tollendam omnem æquiuocationem, & ambiguitatem aduertit Doctor: quæſitum hoc duobus modis formari poſſe. Prim. inquirendo: an Iudex iſte poſſit adhærere opinioni ſui Collegæ ob authoritatem illius, deponendo tamen, & relinquendo propriam ſententiam, & iudicando veriorem opinionem ſui Collegæ per rationes extrinſecas, nempè per illius authoritatem, qui creditur doctior, & peritior, & magis verſatus in materia, quæ agitatur. Secund. an Iudex retinendo proprium ſenſū contra illum poſſit ſententiā ferre ſequēs

ductum

ductum alterius Collegæ, atque adeò conſcientiam deponere non relinquendo tamen propriam opinionem, ſed reputando licitum ſibi eſſe adhærere dictis alterius Iudicis, eidemque cauſæ definitionem committere. Iuxta primã acceptionẽ dicit doctor poſſe fieri; vndè Iudex deponendo conſcientiam poteſt adhærere opinioni Collegæ, qui eſt doctior, & peritior. Ratio mihi videtur eſſe, quia rationi conſonum eſt minùs doctum ſequi doctrinam peritioris, ac doctioris; imò ſecundum D. Thom. contr. Gentil. lib 3. c. 81. eſt ſecundum ordinem diuinæ diſpoſitionis, quòd doctior inſtruat minùs doctum. Iuxta ſecundam affirmat idem Doctor (quamuis nullum poſſim citare Doctorem ex his, qui in lucem opera ſua dederunt, ſic ipſe loquitur) non poſſe, & probat hoc modo: Iudex ſi modo explicato procedit non ſatisfacit proprio muneri, imò contra illud agit: ergo non poterit contra proprium ſenſum iuridicam ſententiam ferre iuxta dictamen alterius Collegæ: patet conſequentia, ſi verum eſt antecedens; nam vnuſquiſque ex iuſtitia tenetur procedere ſecundum regulam proprij officij: antecedens autem, in quo huius controuerſiæ difficultas conſiſtit, probatur ſequenti diſcurſu. Munus Iudicis eſt ſe gerere ſecundum intentionem, & finem illum, ob quem Reſpublica ipſum conſtituit ad conſeruationem boni communis: at Reſpublica in conſtituendis Iudicibus, & in tradenda eiſdem poteſtate iudicandi vult, vt vnuſquiſque cùm ſinceritate dicat, quid ſentiat; aliter ſi Iudex iuxta alterius ſenſum iudicaret, non ipſe, ſed alius, cuius ſententia ducitur, eſſet Iudex, & ſic totum tribunal conſtans ex pluribus Iudicibus verb. grat. ex tribus, ſeù quatuor, reduci poteſt ad vnum tantum Iudicem; quod eſt contra finem intentum à Republica; imò dico egò deſtrueretur eſſentia ferendi ſententias collegialiter; nam id videtur neceſſarium, quia, vt inquit Scipio Rouitus in conſil. ſuis conſil. 8. num. 10. præſentia vnius poteſt trahere alios in ſuam ſententiam, & poteſt trahi in aliorum ſententiam.

Doctrina Doctoris mihi placet, eò præſertim quia fuit confirmata à nonnullis viris doctis oretenus ab ipſo conſultis, vt ipſe teſtatur; ſcio Doctorem loqui de Iudicibus ſæcularibus; ſcio etiam conuenire Definitoribus, de quibus loquor, vt intelligenti ſemper videbitur; ideò amplexus ſum doctrinam magis enucleantem noſtum quæſitum, quæ etiam addit aliquid noui.

## DVBIVM CXXXXV.

*An, quandò crimen occultum ſubditi eſt reuelatum Prouinciali tanquam Patri, poſſit ipſe omnibus ſuis Conſultoribus, ſiuè Definitoribus illud pro remedio aperire.*

## SVMMARIVM.

1. *In omni Congregatione inueniuntur mali, ideò varij ſunt ſentiendi lapſus.*

2. *Ad impediendum damnum tertij licitum eſt crimen occultum manifeſtare, & multi reſoluuntur caſus.*

3. *Sine conſenſu deferentis nequit Prælatus manifeſtare crimen occultum ſibi datum tanquam Patri, Conſultoribus.*

4. *Poteſt ſubditus crimen fratris abſque præmiſſa correctione reuelare Prælato, tanquam Patri, qui ſemper meliùs corriget, quàm ſubditus, delinquentem.*

5. *Si crimen reuelatum Prælato tanquam Patri eſt commiſſum ab eo, cuius vita eſt virtutibus ornata, eſto in crimen, datâ fortè repentina occaſione, ſit lapſus, nequit illud pro remedio adhibendo propalare Conſultoribus: habetur limitatio, & ſoluta quadam obiectio.*

6. *Si crimen reuelatum, &c. eſt perpetratum ab eo, cuius odor vitæ eſt malus, eius notitia poteſt communicari Conſultoribus pro remedio adhibẽdo: varijs rationibus ſuadetur, adnotatur limitatio, & ſoluuntur quædam obiectiones.*

7. *Itidem ſubditus poteſt propalare omnibus Conſultoribus, dummodò ſit notus ſtatus malus peccantis.*

8. *Qui bono fine errat in huiuſmodi notitia, rarò ei imputatur ad peccatum.*

R 2 1. Præ-

1. Præſens quæſitum iam fuit diſcuſſum in dub. 77. vbi fuit confutata doctrina Em. Lugo; ſed quia non eſt improbabilis; ideò denuò tractatur, & hoc præſcripto modo elucidatur. Pro cuius intelligentia ſit prim. notand. quòd ſummus ille, & ſupremus artifex Deus ita regit, & gubernat Mundum, vt boni miſceantur cum malis, quia, inquit S. Auguſt. in pſ. 34. in prim. conc. *Neceſſe erat, vt inter malos viueremus*: & id videtur ita eſſe neceſſarium pro recto regimine, vt Religiones, quæ ſunt datæ à Cœlo in populorum reformationes, eximere noluerit à tanta hominum peſte, vt optimè teſtatur idem Auguſt. in pſal. 54. *In omni congregatione multitudinis*, inquit, *neceſſe eſt, vt inueniantur mali; Deus enim, qui nouit exercendos nos, miſcet nobis, & non perſeueraturos, aut certè ita ſimulatos, vt nec incohauerint, in quo perſeuerare debeant*: videantur ea, quæ ſatis prolixè dixi in dub. 42. hinc optimè loquutus eſt Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 9. n. 1. Nullam eſſe tam perfectam Religionem, in qua pro humana fragilitate lapſus aliqui non inueniantur tam graues, quàm leues, quos interdum neceſſe eſt à Prælato, vt à Patre corripi, & emendari, interdum vt à Iudice caſtigari, & præcaueri, ne in aliorum detrimentum ſerpant: proindè peccata, & crimina, quæ committuntur in qualibet Prouincia Religionis, erunt communiter loquendo iuxta numerum eorum hominum, ex genere malorum, qui à diuina Sapientia ad bonorum exercitium ibi permittuntur habitare: ſi multa, cenſendi ſunt multi mali in multitudine: ſi pauca, pauci connumerari videntur: verùm horum malorum cognitio, ſeù per ſcandala, ſeù per alias notitias etiam ſecretas, atque coniecturas, vt plurimum, non deeſt Superioribus, vt praxis docet. Hic eſt etiam aduertendum, quòd aliquandò, ita permittente Deo ſecundum ſua æterna iudicia, labitur in peccatum Religioſus moribus probatus, ac virtutibus ornatus non ſine aliqua admiratione.

2. Not. ſecund. quòd licitum eſt manifeſtare crimen alterius occultum ad impediendum damnum impendens proximi, ſiue ſit temporale, ſiue ſpirituale, dummodò ſit alicuius momenti. Ita Sot. lib. 5. de iuſtit. qu. 7. art. 1. & de tegend. ſecret. membr. 2. qu. 7. concl. 4. Nauarr. c. 18. in ſumm. lat. n. 55. & c. 8. num. 18. S. Thom. 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2. Caietan. ibid. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 21. n. 3. Bonacin. diſp. 2. de reſtit. quæſt. 4. punct. 8. n. 1. Baſſæus in ſumm. tit. detractio n. 22. Trullench. in decal. lib. 7. c. 10. dub. 10. Fagundez in præcept. decal. lib. 8. c. 6. n. 7. tum quia lex naturalis ſeruandæ charitatis ſuperat, & vincit legem de ſeruando naturale ſecretum, famâque proximi illæſam, tum quia nemo tenetur tueri famam proximi nocentis cum graui damno proximi innocentis. Adde, etiamſi illud crimen eſſet tibi ſecretum ſub iuramento, vt optimè obſeruat Fagund. vbi ſupr. iuramentum enim contra bonos mores iure naturali inductos, & contra ipſum ius naturale non obligat; nullum autem hic maius ius naturale eſſe poteſt, quàm illud; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Ex qua doctrina ſoluuntur multi caſus. Prim. ſi noui Petrum deditum eſſe furtis, poſſum monere eos, quibuſcum habitat, vt ſibi caueant: ſi gerit ſe vt Medicum, & ego noui eum carere debita ſcientia, poſſum eos monere, quibus imminet periculum. Secund. ſi homicidium imponitur innocenti, qui ob id erit plectendus, & tamen eſt commiſſum à Petro, poſſum ipſum Petrum manifeſtare, dummodò eum moneam, ſi fieri poteſt, vt ſe ponat in tuto, vt obſeruat Trullench. vbi ſupr. cum Mol. à Fauſto, & Villalob. ab ipſo citatis; vide alios apud DD. ſuperiùs.

3. Not. tert. quòd, teſte Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 14. ſect. 7. num. 117. accuratè multa fuerunt diſputata à Patribus Societatis Ieſu, inter quæ ea eſt, quæ facit ad rem noſtram, quòd, quandò Prælatus nouit delictum ſecretum ſubditi, quod ſub ſecreto ad ipſum delatum eſt, vt remedium adhibeat, tanquam Pater, non vt ad Iudicem, ita ſecretum ſeruare debet, vt referentem nulli reuelet ſine eius conſenſu, quem interdum dare tenebitur, & ita, vt Superior ſemper deferentis indemnitati conſulat, & vt maiori cum cautela procedatur, petendum eſt ab ipſo deferente, non quidem

quidem vt delationem ſubſcribat (id enim ad iudicialem non ad paternam delationem deſeruit) ſed vt patiatur Conſultoribus rem ſub ſecreto communicari, ſi id videbitur expedire, tacito tamen nomine deferentis: addit tandem idem Lugo in fine numeri, quòd ſecretum cōmiſſum in tali caſu nō ac quirit ius aliquod delato, ſed deferenti, qui voluit ſecreti ius retinere; quarè eius ſolius conſenſus deſideratur ad vtendum tali notitia, quem tamen conſenſum ipſe plerumquè dare tenebitur, ad ea ſcilicet, quæ ſine graui ſuo detrimento neceſſaria videntur ad bonum delati, vel ad bonum Religionis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. IN Religione videtur licitum reuelare Prælato, vt Patri, peccatum occultum fratris abſque præuia correctione, quandò meliùs ſit per ipſum Prælatum corrigendus. Concluſio ſatis intelligitur probata in dub. 58. ibi videantur rationes, vnà cum DD. quibus addendi ſunt Caſtr. Pal. tom. 1. tract. 6. diſp. 3. punct. 4. n. 2. Trullench. in decal. tom. 1. lib. 1. c. 5. dub. 16. n. 2. Coninh. diſp. 28. de charit. dub. 10. n. 186. Caſpenſis in curſu theologico tom. 2. tr. 27. diſp. 6. ſect. 3. n. 20. & Dian. p. 7. tr. 3. de correct. fratern. reſol. 44. qui in fine addit: Igitur admitto hanc ſententiam tanquam probabilem, concurrentibus duabus conditionibus. Prim. vt delatio fiat Prælato non tanquam Iudici, ſed tanquam Patri. Sec. vt Prælatus ſit prudens, diſcretus, & ſpiritualis, zelo, & dilectione ſuarum ouium ornatus, & taciturnus, & inſuper ſit ſpes maioris vtilitatis fratris, quia nimirum ſperatur promptior, melior, & ſecurior in futurum emendatio per Prælatum, quàm per priuatum.

Addit Palaus vbi ſupr. in Religionibus ſemper præſumendum meliùs ſubditum delinquentem per Prælatum corripiendum eſſe, quàm à quolibet particulari, dum contrarium non conſtat, tum quia Prælatus occaſiones peccati remouere poteſt, quas non poteſt alius ſubditus, tum quia ipſe Prælatus pœnitentias, & remedia applicare poteſt, quæ per alios ſubditos non poſſunt applicari, tum quia difficiliùs ſubditus ſimulare poteſt Prælato emendationem, quam tamen facili negotio ſimulare poteſt alteri fratri: videatur Suar. 4. de Religion. lib. 10. c. 9. n. 11. latè hoc expendens, vnà, cum Coninch. vbi ſupr. dub. 11. n. 202. addens: Ex quibus patet peccantem non ſolùm hac ratione per Superiorem communiter perfectiùs corrigi, ſed etiam eſſe præſumendum, niſi de contrario clarè conſtet, quòd vix vnquam fieri poteſt, niſi conſtet, Superiorem ad regendum eſſe omninò ineptum, aut valdè malè erga corrigendum affectum.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. SI crimen occultum ſubditi delatum apud Prouincialem, tanquam Patrem, vt remedium adhibeat ſit commiſſum ab eo, qui, data aliqua repentina tentatione ex fragilitate, lapſus eſt, nec vlla vehemens ſuſpicio, atque coniectura habeatur de eius vita mala præterita, nequit Prouincialis, niſi peccando lethaliter, illud communicare omnibus Conſultoribus, ſeu toti Definitioni. Suadetur, quia tunc excuſatur à peccato detractionis Prouincialis manifeſtando huiuſmodi peccatum toti Definitioni, quandò conſilium eſſet neceſſarium pro opportuno remedio adhibendo: ſed in tali caſu conſilium omnium Definitorum non videtur neceſſarium, quia licèt ſit crimen, quod rarò committi ſolet, nihilominùs eius remedium tam in fauorem delinquentis quàm Religionis non eſt tam arduum, vt ſupponitur, quin poſſit adhiberi à ſolo Prouinciali, ſaltem adhibito vnius conſilio: ergò huiuſmodi propalatio ſemper erit cenſenda lethaliter peccaminoſa. Præterea, charitas obligat, vt fratri peccanti ſubueniatur cum minimo detrimento famæ, quod fieri poſſit; bona enim fama ad multa eſt neceſſaria, vt inquit S. Thom. 2.2. qu. 33. art. 7. vbi Bann. ſed, ſi notitia talis peccati manifeſtaretur omnibus Conſultoribus, non ſubueniretur bono ſubditi cum minima iactura, quantùm fieri poteſt, ſed cum maxima; nam opportunum remedium poteſt haberi à ſolo Prouinciali: igitur ſemper erit imputanda

tanda huiuſmodi notitia tanquam lethaliter mala, auferens famam abſque neceſſitate.

Limita, modò tale peccatum ob circunſtantias loci, temporis, perſonæ, &c. prudenter iudicetur difficilis reparationis, quia vndiquè ſunt anguſtiæ; in tali enim euentu licita erit notitia apud omnes Conſultores propter rationes in ſequenti concluſione recitandas; maximè quandò eſſet contra bonum publicum, ſeù contra tertium.

Dicit Emin. Lugo vbi ſupr. n. 120. rem non eſſe ita ſcrupuloſè tractandam; nam ille ternarius, aut quaternarius numerus Conſultorum videtur moraliter neceſſarius vel valdè vtilis ad maturè deliberādum de rebus grauioris momenti, vt eſt in caſu; ideò communiter loquendo Prouincialis huiuſmodi crimen communicare poteſt omnibus Definitoribus; aliàs ille numerus deſignatus in Prouincialis auxilium eſſet ſuperfluus. Reſpond. doctrinam eſſe veram pro limitatione, & pro ſubſequenti concluſione, non verò pro caſu deſignato in ſuperiori concluſione, quia, cum habeatur prudenter remediū à ſolo Prouinciali, adhibito ſolùm vnius conſilio, ideò probabiliter nō eſt ſuſtinenda doctrina Em. Cardinal. tanquam vera in omnibus delictis, quæ tanquam Patri ſunt reuelata Prouinciali: dixi in concluſione, & eſt commiſſum, &c. ad inſinuandum, quòd ſi huiuſmodi peccatum committitur à Religioſo, cuius malus odor ob alia peccata, vel ob alias notitias ſuperiùs apertas ſentitur, ſequenda eſt doctrina ſequentis concluſionis.

## TERTIA CONCLVSIO.

6. SI peccatum ſubditi delatum Prouinciali tanquam Patri, vt remedium adhibeat tam pro delinquente, quàm pro Religione, ſit commiſſum ab homine, qui cenſetur malus, pro vt ſupr. poteſt eius notitia communicari omnibus Conſultoribus, dummodò non excedant numerum ternarium, & quaternarium, præſertim in illis Prouincijs Religionum, quæ connumerant multitudinem locorum, in quorum commodum multi Confeſſores ſunt deſtinandi, multa officia ſunt conferenda, multæ familiaritates ſæcularium ſunt concedendæ, multi Priores, & Subpriores ſunt creandi, &c. Suadetur ex doctrina Em. Lugo vbi ſupt. n. 120. verè autem quæ omnem ſcrupulum abigere debet à mentibus hominū timoratæ conſcientię, qui ſic loquitur, mouens dubium, quod conuenit omnibus Religionibus, vt legenti ſemper videbitur. Ex hoc enim naſcitur dubium, vel ſcrupulus in Superiori: an poſſit omnibus ſuis Conſultoribus ordinarijs rem illam manifeſtare, ideſt peccatum ſubditi ei reuelatum tanquam Patri; aliquandò enim ſufficeret ab vno, vel altero magis prudenti conſilium petere, nec videtur neceſſarium omnes conſulere: ergo non poſſunt omnes conſuli; ſine neceſſitate enim non eſt magis infamandus delatus, cum poſſit cum minori famæ detrimento remedium adhiberi: in hoc puncto, inquit Lugo, fateor, ſi metaphyſicè, aut certò conſtare poſſet, quorum, vel cuius conſilium ſufficeret ad remedium adhibendum, non poſſe plures in conſultationem vocari, ne ſine cauſa ſubditus infametur; moraliter tamen loquendo, hoc vix vnquam ſciri poterit; quis enim ſcit conſilium opportunum, ac vtile dandum eſſe à primo Conſiliario, & non à ſecundo? vel quis ſcit ſecundum non additurum aliquid vtile in hoc caſu vltra id, quod dixit primus? puto ego id totum moraliter peragendum eſſe; atque ideò Prælatum raró debere recuſare Conſultores ordinarios, quibus in alijs rebus grauibus vtitur, niſi fortè peculiare aliquod inconueniens ſit in aliquo, vel timeat, ne ea occaſione res publicetur alicui fortaſſe non obſeruanti debitum ſecreti; nam regulariter loquendo illorum conſilium neceſſarium, vel vtile videtur ad res alias graues peragendas, quæ ad gubernationem ſpectant; ideò ille ternarius, vel quaternarius Conſultorum numerus deſignatus eſt, & ideò tales perſonæ ad hoc munus electæ ſunt, quia de eorum conſilio, & prudentia magis fidunt Superiores maiores, vt poſſint Prælatum inferiorem ſuis conſilijs adiuuare, & dirigere: addè, expedire, quòd tales perſonæ, quæ partem aliquam in gubernatione habere videntur cum Prælato,

cui

citri ſaltem ad conſilia adhibenda aſſiſtunt, notitiam aliquam habeant rei, de qua agitur; nam gubernatio circa alias res, aut perſonas connexionem habere ſolet cum regimine, & cum notitia circa alias perſonas eiuſdem communitatis; denique ſi aliqui, vt ſupra vidimus, volunt poſſe citra culpam grauem delictum proximi occultum manifeſtari vni viro graui, & prudenti, qui illud ſecreto ſeruabit, licèt ad hoc eius remedium non conducat, quantò magis id licebit, vbi ſperatur vtilitas non parua ad ſecuritatem remedij, & aliundè Prælatus non poteſt ſine magna perplexitate procedere, dum certò ſcire non poteſt, quot, vel quales poſſit, vel debeat conſulere: laudabilis ergo eſt Prælati cautela in hoc negotio, vt quoad fieri poſſit, cum minori detrimento proximi fiat, non tamen videtur res ſcrupuloſè tractanda, cum non poſſit certa menſura definiri, & aliquandò errari grauiter poſſit, & errari aliquandò viderim ob non petitum, vel à paucioribus petitum conſilium in rebus tanti periculi: & paulò inferiùs: deniquè in dubio: an neceſſarium, vel valdè vtile ſit ad vitandum detrimentum Religionis manifeſtare alijs occultum crimen delati, & an præponderet detrimentum illud Religionis detrimento famæ proximi, videtur fauendum eſſe innocenti, quæ eſt Religio, vt in ſimili docet Leſſius lib. 2. c. 11. dub. 9. ſicut ergo poſſum ego id facere ad impediendum damnum proprium, ita videor, id facere poſſe ad impedediendum damnum graue Religionis, etiam in dubio; non enim teneor cum tanto incommodo, & periculo conſeruare famam delinquentis; hæc Lugo. Præterà, nonne eſt licitum aperire peccatum occultum fratris ad impediendum damnum imminens proximi? ita ſanè habetur ex DD. in tert. not. citatis: ergo ſemper cenſenda erit licita huiuſmodi manifeſtatio, etiam apud multos, quandò moraliter intelligitur neceſſaria ad obſtandum damno imminenti omnibus: valet conſequentia: ergo etiam Prælatus poterit, in caſu propoſito in concluſione delictum fratris aperire omnibus Conſultoribus ad occurrendum damnis imminentibus Religioni, ſeù Prouinciæ; nam in tali caſu nequit ſciri, quis eorum eſt daturus oppoitunum remedium, vel quis eorum poſſit addere aliquid neceſſarium pro ſalute illius animæ, & ad euitandum fortè aliquod non paruum malum imminens ob vitam delinquentis relaxatam. Adde pro tertia probatione doctrinam Layman. lib. 3. de iuſtit. tract. 3. part. 2. c. 4. n. 11. qui refert. Caietan. 2.2. qu. 79 art. 2. Molin. de iuſt. tr. 4. diſp. 9. dicentis: Per ſe loquendo conceſſum eſt patrifamilias delicta domeſticorum occulta etiam grauia, quorum punitio ad ipſum ſpectat, matrifamilias reuelare, atque vice verſa matrifamilias marito, vel ſimili perſonæ authoritatem habenti occulta eiuſmodi delicta ad ſalubrem correctionem, punitionemne manifeſtare, quia paterfamilias, & ſuo etiam modo materfamilias ob incumbentem ipſis curam adminiſtrandæ familiæ ius habent puniendi talia delicta domeſticorum, tum liberorum, tum famulorum, & ancillarum: ergo in iuſtam punitionem, & quaſi partem pœnæ id decernere poſſunt, vt delinquentis crimen deferatur ad alium, qui & ipſe puniendi poteſtatem habet: cui doctrinæ ſubſcribit Em. Lugo vbi ſupr. diſp. 14. ſect. 4. n. 52. dum dicit, ex iuſta cauſa poſſe delictum alterius ſecretum reuelare alicui: quandò autem ſit iuſta cauſa, pendet ex circunſtantijs, vndè coniuges habent iuſtam cauſam regulariter inter ſe manifeſtandi peccata occulta familiæ, quia ad vtrunque ſpectat gubernatio familiæ, quod vix poterunt facere, niſi cognoſcant mores, & defectus ſubditorum, & circa eos inuigilent: pertinet etiam ad ipſos punire defectus domeſticorum, ad quam punitionem ſpectare poteſt tanquam pars illa manifeſtatio mutua: ergo Prælatus poterit manifeſtare huiuſmodi peccatum ſubditi toti Definitioni: valet conſequentia, quia omnibus Definitoribus vnà cum Prouinciali conuenit regimen totius Prouinciæ, quod vix nequit adminiſtrari, niſi cognoſcant mores, & defectus ſubditorum: & tantò magis valet conſequentia, quantò DD. citati concedunt huiuſmodi manifeſtationem inter coniuges ad punitionem, & noſtra concluſio concedit tantùm ad rectam gubernationem, & ad occurrendum

malis Religioſis in tanta diuerſitate officiorum, quæ ſunt conferenda pro recta adminiſtratione locorum, & ob multos Religioſos malos, qui in omni communitate ſecundum magis, & minùs connumerantur, ſic ordinante diuina Prouidentia ad bonorum exercitium. Vltimò ſuadetur ex doctrina Suar. 4. de Religion. lib. 10. c. 10. n. 2. dicentis, verba Chriſti Domini Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter, te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum*: non continere aliam legem, niſi charitatis, & intantum ea omnia ſeruanda eſſe, inquantum charitas poſtulat, quæ docet habendā eſſe rationem fratris non ſolùm quoad emendandum præteritum, ſed etiam quoad cauendum futurum perfecto modo, ac magis ſecuro, nec ſolùm conſulendum eſſe eo perfecto modo fratri peccanti, ſed etiam alijs, quibus poteſt nocere, & multo magis bono communi: ſed in caſu propoſito, ſi delictum ſubditi non manifeſtaretur omnibus Definitoribus, ei non prouideretur perfecto modo, & magis ſecuro, ita vt alijs, quibus poteſt nocere, non noceret, quia moraliter loquendo ob multitudinem officiorum conferendorum ignoratur, à quo debeat procedere remedium opportunum, vel quis eorum ſit adhibiturus aliquid vtile; vndè quantùm moraliter poteſt, non eſſet prouiſum bono communi, ſed illud periclitaretur: ergo Prælatus fluêti ex charitate Chriſti præcepto innixus poteſt huiuſmodi crimen pro opportuno remedio propalare omnibus Conſultoribus.

Limita, dummodò huiuſmodi peccatum non ſit iam præteritum per multos annos, & deletum per continuam morum approbationem, quia in hoc caſu nulla videtur ratio cohoneſtans huiuſmodi propalationem, eò quòd moraliter loquendo nullum videtur periculum, vt ob illud præcauendum neceſſaria ſit omnium conſultatio.

Huiuſmodi concluſionem admittere debet Caſpenſis vbi ſupr. diſp. 6. ſect. 3. n. 25. dum dicit poſſe Superiorem cum ſuis Conſultoribus agere ea de re, quandò id iudicatus neceſſarium ad remedium adhibendum, & Diana vbi ſupr. reſol. 46. ſequens doctrinam Caſpenſis.

Dices, licèt veriſſima ſit doctrina, quòd conſilium poteſt peti pro remedio adhibendo tam ſubdito peccanti, quàm Religioni, quandò Prouincialis habet crimen occultum ſubditi ſibi reuelatum tanquam Patri; nihilominùs docet DD. & ius naturale id dictat eſſe faciendum cum minima iactura delinquentis, quantùm fieri poteſt; ideò dicebat Layman lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 3. Sed operam dare debes, vt quatenùs poſſibile ſit, cum minimo peccatoris damno id fiat; vndè pluribus manifeſtandum non eſt, ſi vnus ad ferendum conſilium ſufficiat, nec perſona eſt nominanda, niſi neceſſe ſit, ſicut monet Leſſius lib. 2. c. 12. dub. 12. quod etiam Prælati obſeruare debent, vt in inquirendis, aut puniendis occultis delictis ſubditorum non plures adhibeant Conſultores, quàm res poſtulat. Reſp. doctrinam eſſe veram in caſu, de quo in prima concluſione, ob rationes ibi relatas, non verò in caſu, de quo in ſecunda, quia talis delinquentis vita pro directione eſt res ardua, & difficilis, & multiplicitas officiorum ob multiplicitatem locorum, quibus incantè poſſunt applicari, reddit rem difficilem, & arduam, ita vt moraliter loquendo ignoretur, à quo ex Conſiliarijs prouenire poſſit rectum conſilium, vel an quis eorum ſit additurus aliquid vtile vltra id, quod dicit primus Conſiliarius; vndè in hoc caſu multùm expedit, quòd tales perſonæ, quæ partem aliquam in regimine habent, notitiam habeant rei, de qua agitur, & quæ eſt ardua, vt regimen reddatur leue auxilio Definitorum, qui ſunt deputati ad peragendas res graues, & arduas.

Dices, ſatis eſt, ſi vnus ex Conſiliarijs ſanum præbeat conſilium; non enim tenetur Superior petere conſilium ab eo, qui ſaniùs præberet. Reſp. falſum eſſe, quia, cum res in caſu noſtro ſit ardua, ex qua, ſi rectè non agatur, oboriri poſſunt multa incommoda, ideò Prouincialis debet efficaciùs pro viribus adhibere remedium omnes Definitores vocando in conſilium, quia ſunt dati ad peragendas res graues in regimine.

Dices,

Dices, cenſent communiter DD. finem denuntiationis euangelicæ, ſiue charitatiuæ, ſub qua certè comprehenditur denuntiatio iſta paterna, eſſe emendationem ipſius peccatoris, & non publicum aliquod bonum, & id videtur colligi ex ipſomet Chriſto, qui Matth. 18. ait: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: ideò nequit Prouincialis delictum ſubditi manifeſtare omnibus Definitoribus, etiam in caſu prout in concluſione, quia huiuſmodi manifeſtatio reſpicit bonum publicum Religionis principaliter. Reſp. falſum eſſe, quòd denuntiatio paterna tantùm reſpiciat bonum delinquentis, ſed etiam bonum commune reſpicit, vt dixi ex mente Suar. vbi ſupr. cui ſunt addendi Coninch. vbi ſupr. dub. 10. n. 173. 189. dub. 11. n. 205. Caſpenſ. tom. 2. tract. 27. diſp. 6. ſect. 3. num. 25. referens doctrinam Turriani, & Dian. tom. 7. tract. 3. de correct. fratern. reſol. 44.

## *QVARTA CONCLVSIO.*

7. SI Prælatus, ſeù Prouincialis poteſt aperire delictum ſubditi omnibus Conſultoribus, prout eſt dictum in præcedenti concluſione, poterit etiam ſubditus, quia eſt eadem ratio, & præſertim quia Prouincialis nequit id facere, niſi ex cõſenſu deferentis, dummodo ſit notus ei ſtatus delinquentis.

8. Pro fine quæſiti, & pro ſolatio multorum ſunt notanda aliqua verba Suar. vbi ſupr. c. 9. n. 17. Quotieſcunquè enim occultum peccatum fratris alteri, quicunque ille ſit, ſine iuſta cauſa reuelatur, vitium eſt detractionis iuxta doctrinam communem cum S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 1. & 2. de qua videri poteſt Nauarr. in c. Inter verba concl. 6. corol. 1. & 33. & Sot. de tegend. ſecret. in relect. membr. 2. dub. 3. vndè conſtat tale peccatum ex genere ſuo mortale eſſe; in indiuiduo autem facile eſſe poterit veniale in præſenti materia; quia ſupponimus denuntiationem bona intentione fieri, etiam ſi fortaſſe non fiat, quia illa intentio facit, vt illa detractio non ſit formalis, ſed tantùm materialis, quam frequenter eſſe peccatum veniale dixit D. Thom. vbi ſupr. & paulò inferiùs: quocirca rarò poterit hoc ad culpam præſertim mortalem damnari, niſi quandò ex parte Superioris timetur, quòd non rectè vtetur illa notitia in bonum ipſius ſubditi, quia v. g. vel concipiet odium in illum, vel iniuſtam, aut ſaltem imprudentem indignationem, quæ ſolet nimiùm affligere, & inquietum reddere ſubditum; idemque erit, ſi ob fragilitatem, & peculiarem fratris conditionem ſimilis perturbatio timeatur, etiam ſine culpa Superioris, quia ſi de facto denuntiatio non eſt illi profutura, & alioquin non iudicatur neceſſaria ad bonum commune, aut aliorum, quia per monitionem ſecretam ſperatur prudenter ſufficiens emendatio, non ſolùm otioſum, ſed etiam alienum à charitate eſſet talem denuntiationem facere.

Pro fine quæſiti denuò eſt addendum doctrinam Em. Cardin. non eſſe improbabilem, quia non deeſt Religio vtens tali praxi.

# DVBIVM CXXXXVI.

## *An Definitores teneantur ſub mortali de iis, quæ tractantur, ac terminantur in Definitorio, ſeruare ſecretum.*

## SVMMARIVM.

1. *Fidelitatis virtus cogit ad ſeruãdum ſecretum, & notantur multi gradus ſecretorum.*

2. *Temerè, & abſque cauſa reuelare ſecretum eſt peccatum mortale; in leuitate tamen materiæ tranſit in veniale.*

3. *Duabus rationibus ſuadetur Definitores teneri ad ſeruandum ſecretum.*

4. *Etiam cum periculo vitæ ſæpè, in re tamen graui: & adnotantur duo non parui momenti.*

Not. prim. quòd ſeruare ſecretum eſt actus virtutis fidei, vt fides eſt idem, quod fidelitas, tenemur enim ratione fidelitatis ad

obſeruandum, quod fidei noſtræ quis committit. Ita Sot. de ſecret. tegend. membr. 1. qu. 1. Sanch. 2. opuſc. lib. 6. c. 6. dub. 1. Em. Lugo de iuſtit. diſp. 14. ſect. 9. num. 136. Trullench. in decal. lib. 7. c. 10. dub. 32. quarè ad illud ſeruandum tenemur ex præcepto naturali, diuino, & humano, vt Sot. Sanch. & Trullench. dicunt; naturale fundatur in eo, vt, quod nobis volumus, alteri velimus, cupimus nobis ſeruari ſecretum: ergo alteri illud ſeruemus: humanum habetur ex l. vnica. C. de famoſ. libell. & c. Siquiſ. qu. 1. diuinum latè probatur à Sot. vbi ſupr. membr. 1. qu. 2. qui etiam notat plures gradus ſecretorum: in primo gradu eſt ſecretum confeſſionis: in ſecund. eſt ſecretum publicum, ideſt ad quod quis tenetur ex officio publico, aut legali debito, vt Senator, vel Canonicus, vel quæuis perſona publica; iſti nãque homines tenentur ſeruare publicum ſecretũ: in tert. eſt ſecretum, quod quis per iniuriam extorſit, vt ſi quis literas alienas aperuit: in quartò, quò quis data fide recipit arcanum amici: in quint. tandem eſt, quandò quis viſu, vel relatione alterius nouit ſecretum; vndè ad hoc ſecretum tenetur quis de præcepto fidelitatis: de his autem ſecreti gradibus, ac generibus videri poſſunt Em. Lugo vbi ſupr. & Molin. tom. 1. diſp. 3. 4. 5. & 6. vbi latè, & optimè de ijs tractant.

Not. ſec. quòd reuelare ſecretum temerè, & abſque cauſa de genere ſuo eſt peccatum mortale. Ita Sot. Sanch. Trullench. Lugo vbi ſupr. Silu. tit. ſecretum D. Antonin. 3. part. tit. 22. c. 17. §. 2. Caietan. 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2. Petr. Nauarr. lib. 2. c. 4. part. vltim. n. 316. & alij. Ratio eſt, quia violatur fides ſeruanda ex iure naturæ, & grauis iniuria irrogatur proximo, dico, grauis, ad inſinuandum, quod poteſt eſſe peccatum veniale ex leuitate materiæ, & eſt, quandò nullum damnum graue infertur proximo. Ita Sanch. Trullench. Caiet. vbi ſupr.

*PRIMA CONCLVSIO.*

Definitores ad munus aſſumptum fideliter exequendum tenetur in rebus grauibus, quæ tractantur, ac deciduntur in Definitorio, ſecretum ſeruare, aliàs cenſendi ſunt peccati mortalis rei. Duas habet partes concluſio, quarum primam tradunt Miraud. tom. 2. qu. 17. art. 5. Tamburin. de iur. Abbat. diſp. 1. qu. 5. tom. 3. & Sot. vbi ſupr. qui eam probat duobus argumentis ex iure naturæ elicitis: lex naturalis eſt, inquit, vt res, & conſilia publica non temerè committantur cuicunque de plebe, ſed ſint Senatores, & Rectores ſpectatæ virtutis, & prudentiæ, quorum fidei commẽdentur: hoc verò conſeruari nõ poteſt, niſi eſſet ſecretorum fides: ergo ad fidem ſecretorum perſonæ præſertim publicæ tenentur. Prætereà, natura in hoc homines produxit, vt in pace, & tranquillitate conuiuant; eſt enim homo ſuapte natura ciuile animal, vt eſt author Ariſt. ethic. 9. ſed ſi homines hominum ſecreta detegerent, maximè indè perturbatio, atque ideò Reipublicæ peruerſio commoueretur: ergo præceptum naturale eſt, vt homines hominum viciſſim ſecreta cuſtodiant. Secunda pars habetur certa in ſecund. notand.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

Vt magis vis obligationis eluceſcat, firmatur hæc propoſitio: qui tenet locum publicum, & officium, vt ſunt Definitores, ſæpè tenentur potiùs perdere vitam, quàm ſecretum detegere Reipublicæ, ad quod priuati non tenentur, nota, appellamus hic Reipublicæ ſecretum; cauſas etiam priuatorum, quæ tractantur in iudicio publico. Suadetur, quia ſecreta Reipublicæ ſunt pro ſalute totius populi: ergo illi, quibus tota Reſpublica ſua tradidit ſecreta ratione officij aſſumpti, tenebuntur multo maiori vinculo reticere ea, quæ in ipſo conſiſtorio aguntur, quàm alij priuati: ergo etiam cum periculo vitæ, ſi res id expoſtulat. Ita ſentiunt Sot. vbi ſupr. membr. 3. qu. 4. conc. 6. Sanch. dub. 2. n. 4. Trullench. n. 9. vbi ſupr. Bonacin. de reſtit. diſp. 2. qu. 2. n. 8.

Quæ concluſio ſemper erit intelligenda in re graui; nam ſi res ſint leuis momenti, non tenentur eas reijcere cum tanto

periculo etiamſi iurauerint celare ſub ſecreto, quæ tractantur in conſiſtorio; non enim cenſētur vinculo iuramenti ſe adſtrinxiſſe ad ea reticenda, quæ ſunt leuis momenti cum tanto ſuo incommodo. Ita Nauarr. & Sot. quos citatos ſequuntur Bonacin. & Trullench. vbi ſupr. addentes alias limitationes, quæ videri poſſunt apud ipſos: ſufficit mihi tantùm oſtendere vim obligationis hominis publici; vndè Definitores ſæpè repetant prudentiſſimum illud Senecæ epiſt. 84. *Vre, cæde, occide, non prodam, ſed quò magis ſecreta quæret dolor, hoc altiùs condam.*

Decet ergo Definitores, vt viros prudentes ſecreta Definitionis cuſtodire, & recordentur dictum Prou. 11. *Vir prudens tacebit, qui reuelat ſecretum, ambulat fraudulenter; qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum*: decet etiam Religionem ordinare, vt antequam Definitores munus exerceant, iuramentum præſtent.

Pro fine quæſiti duo ſunt obſeruanda. Prim. quòd Præſidentes alicuius vniuerſitatis, ſi iurant aliquod, quod ad vniuerſitatem ſpectat, ſe ſub ſecreto celaturos, ſi id tandem pandunt, ſtatim debent officio priuari, vt inquit Bald. in tit. de pac. Conſtant. in verb. credentia, quem ſequuntur Gondiſſ. in tract. de lega, tert. part. qu. 1. n. 36. & Decian. de crim. læſ. maieſtat. lib. 7. c. 17. n. 6. Secund. quòd priuatus, qui priuati ſecreta fidei ſuæ commiſſa detegit, punitur de falſo. Ita Decian. referens l. 1. §. 15. qui depoſita ff. de falſ. cum alijs.

## DVBIVM CXXXXVII.

*An Definitores vnà cum Prouinciali poſt latam ſententiam contra Reum poſſint pœnam minuere, vel aliquo modo in illa diſpenſare.*

### SVMMARIVM.

1. R*Eligionum Prælati fruuntur iuriſdictione, quaſi Epiſcopali: quò fit, vt poſſint diſpenſare in illis, in quibus Epiſcopi.*

2. *Ius ciuile non concedit diſpenſationem, inconſulto Principe, niſi in crimine hæreſis.*

3. *Ius canonicum dat Epiſcopis poſt latam ſententiam, vt poſſint pœnam minuere: adnotantur quatuor limitationes.*

4. *Itidem id competit Prælatis Religionum.*

Pro intelligentia quæſiti ſit prim. not. quòd ab omnibus DD. admittitur hæc propoſitio Prælatos regulares iuriſdictione quaſi Epiſcopali frui in ſuos ſubditos. Ita docent Nauarr. lib. 1. conſil. in 2. edit. tit. de temp. ordin. conſil. 36 & in ſumm. c. 12. n. 75. Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 3. n. 2. lib. 2. ſumm. c. 11. n. 4. Salas de legib. diſp. 8. ſect. 16. Caſtr. Palaus, & Rodriq. inferiùs citandi: hinc oritur quæſtio: an huiuſmodi Prælati diſpenſare poſſint in omnibus, in quibus poſſunt diſpenſare Epiſcopi cum ſuis Clericis. Abſque vlla limitatione affirmatiuè reſpondet Bordon. in conſil. Regul. reſol. 10. n. 6. cum limitatione Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 17. qu. 8. quam non debet reſpuere Bordon. ipſam conſulite apud ipſum; pro præſenti quid ſit dicendum in concluſionibus patebit.

Not. ſec. quòd hic non loquimur, attento iure ciuili, quia poſt latam ſententiam, & pœnam inflictam, ſiue fuerit impoſita ad inſtantiam partis, ſiue ex officio, nullus Iudex, inconſulto Principe, eam poteſt minuere, vel augere, aut aliquo modo tollere: conſtat ex l. Quod iuſſit. ff. de re iudic. l. Mortis. §. iſte ferè. ff. de pœnis. & tradit Gloſſ. communiter recepta in l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his, qui notant. infam. Bartol. l. 1. in princip. n. 14. ff. ſi quis ius dicenti, & ibi Iaſon. Cardin. Panormit. c. 3. de pœnis. Clar. in pract. §. fin. qu. 45. Caſtr. lib. 2. de leg. pœnal. c. 12. Couarr. lib. 2. variar. reſol. c. 9. n. 8. Farinac. qu. 17. lib. 1. tit. 3. n. 61. Baſilius Pontius de matrim. lib. 8. cap. 7. num. 7. Sanch. 2. conſ. lib. 6. cap. 1. dub. 23. n. 1. Caſtr. Palaus tom. 1. tr. 3. diſput. 6. punct. 6. n. 6. Ratio eſt, quia, data ſententia, functus eſt officio ſuo: ve-

rùm in crimine hœreſis doctrinam non habet locum, quia habetur ex c. Vt communi. §. vult. de hœretic. in 6. in huiuſmodi delicto pœnam etiam poſt latam ſententiam poſſe Iudicem minuere. Ita Caſtr. vbi ſupr. Armill. tit. Iudex num. 16. Sanch. vbi ſup. Barboſ. in collect. DD. in citato c. in 6. alios referens: his ſuppoſitis ſit.

*PRIMA CONCLVSIO.*

A Trento iure canonico, poteſt Epiſcopus poſt latam ſententiam pœnam minuere, vel aliquo modo in illa diſpenſare. Conſtat ex c. At ſi clerici. §. de adulterijs delud. vbi datur facultas Epiſcopis, vt Clericus confeſſus, & conuictus de adulterio, & ab officio depoſitus poſſit, peracta pœnitentia, ab ipſis reſtitui. Ita tradunt Rodriq. tom. 1. qu. 24. art. 18. Alciat. & Barboſ. in collect. DD. in cit. c. At ſi Clerici, Tiraq. de pœnis temperand. cauſ. 52. num. 2. Baſil. n. 7. & Caſtr. Palaus n. 15. vbi ſupr. Farinac. vbi ſupr. n. 62. alios citans: quæ concluſio eſt extendenda ad Capitulum ſede vacante, vt optimè obſeruât Caſtr. Palaus, & Pontius n. 15. id probantes claré.

Limita prim. modò Clericus poſt aliquos dies pœnituerit, & non priùs, quia ita cauetur in c. At ſi Clerici. videatur Caſtr. Palaus vbi ſupr. num. 9. qui ex mente Rodriq. ſubdit, quòd in caſu, quòd à populo expoſtuletur diſpenſatio, priuſquàm ſubeat pœnam etiam per aliquos dies, poteſt eam facere, quia tunc videtur neceſſitas concedendi diſpenſationem; adeſt enim ſufficiens cauſa, cum intercedat vtilitas publica.

Limita ſec. non poſſe Epiſcopum ſecum diſpenſare, ſi aliqua pœna eſt mulctatus, quia, cum ſit ligatus per ſententiam, quæ eſt actus iuriſdictionis coactiuæ; ideò abſolui nequit, niſi ab eo, qui eum ligauit; aliàs inutilis eſſet ſententia; ſi ab ipſomet ſententiato tolli poſſet, ex c. Cum inferior. de maior. & obed. Baſil. vbi ſupr. n. 17.

Limita tert. non poſſe etiam Epiſcopum diſpenſare cum præiudicio tertij; nam ſi delinquens fuerit ſpoliatus beneficio, & alteri conceſſo, nequit. Epiſcopus hunc priuare officio, ſeù beneficio, & denuò id concedere delinquenti; vndè reſtitutio conceſſa alicui ſemper intelligenda eſt ſine præiudicio tertij, cum in ſe habeat ius acquiſitum, vt habetur ex l. quòd ſi minor. 25. §. non ſemper ff. de minorib. & tradunt Abbas in c. At ſi Clerici. n. 18. Decius n. 155. Calderin. conſil. 12. de reſcript. & Baſil. vbi ſupr. n. 13.

Limita quart. poſſe Prælatum diſpenſare in pœna pro adulterio, & minoribus criminibus impoſita: ſecus pro grauioribus. Ita habetur ex cit. c. At ſi Clerici, vbi Gloſſ. ait. Cum concedatur de minoribus, de maioribus per conſequens denegatur: videatur Caſtr. Pal. vbi ſupr. reſpondens aliquibus obiectionibus.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

Hviuſmodi poteſtas pœnam minuendi, & in illa diſpenſandi, quæ conuenit Epiſcopis, conuenit etiam omnibus alijs, qui Epiſcopali poteſtate fruuntur; vndè, vt iam dixi, competit Capitulo, ſede vacante, &, vt modò dico, competit etiam Prælatis Religionum reſpectu ſuorum Religioſorum. Ita Emm. Rodriq. tom. 1. qu. 24. art. 18. & Caſtr. Pal. vbi ſupr. Ratio eſt, quia nomine Epiſcopi veniunt intelligendi, vt tradunt quamplurimi DD. in prim. not. citati.

Ex quo habetur inquit Caſtr. Palaus vbi ſupr. n. 8. quòd, ſi Prælatus alicuius Religionis ob furtum, vel è monaſterio diſceſſum, vel mulieris ibi ingreſſum, vel fornicationem aut adulterium ibi, vel foras commiſſum condemnet Religioſum priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ, & inhabilitate ad omnia honoris officia, poterit, ſi Religioſus reſipuerit, cum illo miſericorditer diſpenſare. Sic docet expreſſè Rodriq. vbi ſupr. neque obſtat, ſi pœna priuationis, & inhabilitatis appoſita per ſententiam fuerit etiam in lege aliqua ſtatuta ipſo facto, & ſub verbis perpetuò, omninò, &c, adhuc poterit Prælatus diſpenſare, vt, relato Abbate, Decio, & Marſilio docet Emm. Rodriq. vbi ſupr. qu. 24. art. vltim. §. Secundum argumentum. Baſil. vbi ſupr. n. 15. hæc Caſtrus Palaus.

DV-

## DVBIVM CXXXXVIII.

*An vnio, ſeu fœderatio facta à maiori parte Patrum ex Definitione, vt regimen ordinetur ſecundum eorum ſenſum, ſit lethaliter peccaminoſa.*

### SVMMARIVM.

1. *OMnibus Religioſis tam ex nomine Religioſi, quàm ex proprio officio conuenit conſeruatio, & ſalus Religionis.*

2. *Deſcribitur munus Definitoratus, & ex vi fidelitatis ad illud rectè pertractandum definitores tenentur.*

3. *Vnio, ſeu fœderatio acta à maiori parte hominum ex Definitione iuxta ſenſum tituli eſt lethaliter mala: varijs rationibus ſuadetur, varijſque obiectionibus ſatisfit.*

Titulus ſupponit, quòd ea, quæ deciduntur in Definitorio, ſemper remanent deciſa iuxta ſenſum maioris partis iuxta cap. 1. de his, quæ fiunt à maior. part. Bartol. in leg. omnes populi ff. de iuſt. & iure, Innocent. in cap. 2. de noui operis nuntiat. & hoc de iure communi. Pro intelligentia quæſiti ſit doctrina S. Thom. in 3. polit. lect. 3. commentantis Ariſt. textum vbi dicit: *Quæ ſit virtus boni ciuis*, & ait, ideſt Ariſtot. *quòd ſicut nauta ſignificat aliquid commune multis; ita & ciuis: quòd autem nauta ſit commune multis, manifeſtat; quia, cum multi diſſimiles in potentia; ideſt in arte, & officio dicantur nautæ; quidam eorum eſt remigator, qui mouet nauem remis; quidam gubernator, qui dirigit motum nauis gubernaculo; quidam autem eſt prorarius; ideſt cuſtos proræ, quæ eſt anterior pars nauis; & alij habent alia nomina, & alia officia: manifeſtum eſt autem, quòd vnicuique horum conuenit aliquid ſecundum propriam virtutem & aliquid ſecundum communem; ad propriam enim virtutem vniuſcuiuſque pertinet, quòd habeat diligentem curam, & rationem de proprio officio, ſicut gubernator de gubernatione, & ſic de alijs: communis autem virtus eſt quædam, quæ conuenit omnibus; commune enim eorum opus ad hoc tendit, vt nauigatio ſit ſalua; ad hoc enim tendit deſiderium, & intentio cuiuslibet nautæ, & ad hoc ordinatur virtus communis nautarum, quæ eſt virtus nautæ, inquantum eſt nauta; ita etiam cum ſint diuerſi ciues habentes diſſimilia officia, & ſtatus diſſimiles, per quos exercent proprias operationes in Ciuitate, opus commune omnium eſt ſalus communitatis, quæ quidem communitas conſiſtit in ordine politiæ, vndè patet, quòd virtus ciuis, inquantum eſt ciuis conſideratur in ordine ad politiam, vt ſcilicet ſit ille bonus ciuis, qui benè operatur ad conſeruationem politiæ:* Ex qua doctrina tria eliciuntur: Prim. quòd nomen ciuis pro dirigenda Ciuitate eſt nomen commune multis conueniens. Secund. quòd quilibet ciuis habet ſuum officium, vt experientia docet: Tert. quòd vnicuique conuenit aliquid ſecundum propriam virtutem, & aliquid ſecundum communem; ſecundum hanc ſalus, & conſeruatio Ciuitatis; ſecundum illam diligenter pertractare officium in ordine ad ſalutem, & conſeruationem ipſius Ciuitatis: ita in Religionibus, nomen Religioſi eſt nomen ita commune, vt nullus ſit in congregatione, qui profeſſionem emiſerit, qui verè non dicatur Religioſus, & ibi quilibet non otioſè moratur, ſed aliquo fungitur officio; nam aliqui munere funguntur Prioratus, Prouincialatus, Definitoratus; nonnulli alij officium oſtiarij, ſacriſtæ exercent, &c. multi inſeruiunt choro, alij audiunt confeſſiones, &c. porrò ſecundum communem virtutem ſemper debent operari ad Religionem conſeruandam, perfectionemque propagandam, ſecundum propriam virtutem ita exercere proprium officium tanta cura, ac diligentia, vt conſeruatio illius, & propagatio iſtius non deſideretur, ſed de die, in diem magis, ac magis augeatur; quamobrem Definitores, quorum munus præcipuè eminet in Religionibus, ita illud ſecundũ propriam virtutem tanta cura, ac diligentia pertractare debent, vt ſemper firmetur

Reli-

Religionis conſeruatio, eiuſque perfectio ſublimetur; & quantùm diſtat in excellentia, & ſublimitate eorum officium ab alijs, tantùm ab eis ſecundum propriam virtutem vtrumque munus propagetur.

Quodnam erit præcipuum munus iſtorum Patrum? (& id ſit ſec. not.) deſcribitur à Tamburin. tom. 3. diſp. 1. qu. 3. n. 4. Definitorum munus poſtulat, vt rem diſcutiant, & examinent, & quòd publicæ communitati magis ſalutare, & vtilius iudicauerint, in medium adducant: notatur etiam à Mirand. vbi ſupr. art. 4. in fin. prim. concl. Subditus enim, ait, perſpecta Superioris voluntate non eſt ſui muneris, niſi parere, & obedire, at Conſiliarius, & Aſſeſſor, ſiue Conſultor, quæ omnia pertinent ad munus, & officium Definitorum, non eligitur, vt obediat, nec vt dicat, aut proferat, quod Prælato ſiue Superiori gratum futurum exiſtimauerit, ſed vt res omnes examinet, diſcutiat, atque in iuſtitiæ trutina perpendat, & poſtmodum quod verius, & vtilius, rectæque rationi conforme, atque eidem iuſtitiæ magis conſonum viderit, proferat, & in medium producat; hoc enim Definitorum munus, & officium eſt: idem habetur ex Rodriq. tom. 2. qu. 46. art. 7. & ex Sigiſmund. de elect. dub. 108. n. 1. ſed meliùs, & clariùs omnibus ex Em. Lugo de iuſt. diſp. 14. ſect. 7. n. 120. Nam, regulariter loquendo, ait, illorum, ideſt Conſultorum, ſeù Definitorum conſilium neceſſarium, vel vtile iudicatur ad res illas graues peragendas, quæ ad gubernationem ſpectant, ideò ille ternarius, vel quaternarius Conſultorum numerus deſignatus eſt; & ideò tales perſonæ ad hoc munus deſtinatæ ſunt, & ad cætera negotia adhibentur, quia videtur talis numerus moraliter neceſſarius, vel valdè vtilis ad maturè deliberandum de rebus grauioris momenti; & ideò tales perſonæ ad hoc munus electæ ſunt, quia de eorum conſilio, & prudentia magis fidunt electores.

Not. tert. quòd ad prudenter, & iuſtè pertractandum munus obligantur Definitores virtute fidelitatis, quia ſicut perſonæ publicæ tacita conuentione, inquit Layman in Theol. moral. lib. 3. tract. 3. punct. 2. c. 5. habent obligationem reticendi ſecretum eis commiſſum, & id reuelantes peccant contra fidelitatem, vt dicunt communiter DD. cum tractant de ſecreto; ita Definitores, qui ſunt perſonæ publicæ, eo ipſo, quòd eliguntur ad huiuſmodi munus, obligantur conuentione tacita cum electoribus ad id rectè, & fideliter pertractandum; electores enim fidunt de eorum conſilio, & prudentia; & ideò dicitur in Euang. Matth. 24. *Quis ergo fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*: vndè, ipſis deficientibus à munere dignè præſtando, peccant contra fidelitatem, quæ eſt virtus reſidens in voluntate, & obligans ad confirmanda, inquit Emin. Lugo de iuſt. diſp. 14. ſect. 9. n. 136. poſtea facta cum dictis, cuius violatio in materia graui erit mortale, vt optimè inſinuat Fagund. de iuſt. lib. 3. c. 2. n. 1. Adde, quòd etiam obligantur ex vi iuſtitiæ commutatiuæ; nam quandò Religio per electores Definitores eleuat ad dignitatem, & honorem tanti ponderis, eleuat, inquam, cum hoc onere, vt ex officio conſulant bono communi, vt ſemper ipſa cum ſuo decore conſeruetur; ad hoc enim faciendum obligantur ex vi iuſtitiæ commutatiuæ, quæ non ſolùm verſatur circa emptiones, venditiones, atque contractus, vt in iſtis commutationibus æqualiter ſeruetur, ſed etiam circa Collegium, & communitatem, vt eius homines, dum eis concedit, ex. gr. ius eligendi, diſpenſandi, atque conſulendi, ex officio teneantur in omnibus ſemper conſulere bono communi Reipublicæ: his ſuppoſitis ſit,

### CONCLVSIO.

VNio, ſeù fœderatio facta à maiori parte Patrum ex Definitione, vt regimen reguletur ſecundum proprium ſenſum, & intellectum, cenſenda ſemper erit lethaliter peccaminoſa. Suadetur. officialis: qui in re graui fideliter non gerit munus ſuum, obnoxius eſt lethali culpæ: ſed huiuſmodi Definitores ita ſe habent: ergo: maior habetur ex tert. not. nam ibi fidelitas commiſſa officiali ſub mortali eum obligat in re graui ad rectè, & fideliter gerendum-

dum munus ſuum; ideò dicebat S. Chryſoſtom. hom. 78. in Matth. 24. explicans illa verba ſuperiùs relata: *Quis ergo fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Hæc parabola vel ad gerentes, gubernanteſque Rempublicam accommodari poteſt; docet enim vnumquemque ad communem vtilitatem, omnia conferre, quæ ſua ſunt ſiue Sapientiam, ſiue Principatum, ſiue diuitias, ſiue quidquid aliud non ad detrimentum conſeruorum: nec ad perditionem ſuam; quapropter vtrumque ab eo flagitat, prudentiam ſcilicet, atque fidem; delicta enim ab amentia originem habent: fidelem igitur appellat, quoniam nihil ex rebus Domini ſibi attribuit, nec incaſſum quidquam expendit prudentem autem, quia opportunè diſpenſare nouerit*: minor habetur, quia, dum illi homines in negotijs pertractandis in Definitione ita fœderati ſe habent, ea non diſcutiunt, atque examinant pro maiori bono, ac vtilitate Religionis, ſeù Prouinciæ, ſed ſecundum proprium ſenſum, vt Imperium adminiſtretur ad ipſorum nutum; vndè fideliter non tractant munus Definitoratus; ergo rei peccati mortalis, tanquam infideles reſpiciendi ſunt. Nec obſtat, licèt veriſſimum ſit, dicunt iſti Patres, negotia pertractari, ac concludi ſecundum ſenſum noſtrum; nihilominùs ea ſunt diſcuſſa ſecundum communem vtilitatem Religionis, quia falſum eſt; fides enim eſt commiſſa ab electoribus, ſeù Religione pro prudenter, & iuſtè pertractandis negotijs toti Definitioni, & non tribus, ſeù maiori parti tantùm; & ideò ille quinarius numerus, ſeù maior eſt deſignatus; vndè moraliter loquendò iſte numerus eſt neceſſarius; & valdè vtilis ad res maturè pertractandas, & ſecundum iuſtitiæ rigorem, vt dicit Lugo vbi ſupr. ideò non fideliter gerunt munus proprium, & conſquenter nequeunt propagare communem vtilitatem, ſed proprium ſenſum: & eſto aliquis actus poſſit in ſe continere omnem rectitudinem, ita vt ab omnibus non aliter eſſet decidendus, ſequitur per accidens; nam propria affectio ſemper obſtabit iuſtitiæ rectitudini.

Dicent fortè iſti Patres; ergo omnes ſemper debent conſentire actui decidēdo ad hoc, vt ille habeat iuſtitiæ rectitudinē; ſequitur ſanè ex doctrina tradita, quod falſum eſt; ſufficit enim maior pars. Reſp. eſto verum ſit ſufficere maiorem partem, attamen vera, ac recta iuſtitia etiam ſecundum maiorem partem nequit haberi, niſi ex omnium conſiliò, quod tandem dat illud, quod rectius, & melius eſt concludendum, & non aliter; ideò dicitur Prou. 11. *Salus autem vbi multa conſilia*: & S. Cyrill. lib. 1. apolog. moral. c. 10. cuius titulus. *Vbi ſunt multa conſilia, ibi ſalus*; ait: *Nonne plura vident quatuor oculi, quàm duo, & multiplicati radij plus illuſtrant, maior certè facultas eſt plurium, & ratis pluribus nautis ſecuriùs gubernatur: veruntamen cuius eſt conſilium nonne Sapientiæ? nimirùm hæc quæ abſcondit vni, reuelat alteri, & humilitatis amatrix vt plurimum rectum, de agendis conſilium docet per alienum: quòd ſi benè iudicaſti, rectè conſilio addito, certior eris, & rectè in melius dirigeris: quantò igitur conſilium eſt ex pluribus, tantò ſalubrius exiſtit, quoniam vbi multa conſilia, ibi ſalus, ſic audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.*

Suadetur ſec. vnicuique incumbit onus ſub mortali conſeruandi bonum ſtatum Ciuitatis, ac Reipublicæ, vt dicunt DD. ergo etiam inſurgit eadem obligatio ſub eodem vinculo procurandi media pro eius conſecutione: conſequentia valet; quia quo iure inquit, Bonacin. de Sacram. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. p. 2. §. 1. quis obligatur ad aliquod opus, eodem obligatur ad media neceſſaria ad tale opus: ſed medium neceſſarium pro conſeruatione ſtatus Religionis eſt agere rectè, & fideliter proprium officium, vt dixi in prim. not. ex mente Ariſtot. & S. Thom. quod ſanè per huiuſmodi vnionem ſecundum proprium ſenſum negligitur, vt dixi in præcedenti probatione: igitur nequeunt tales Patres eximi à lethali culpa. Tert. ſeditio, qua vnitas multitudinis diſſoluitur diſcordantibus contra ſe inuicem partibus illius multitudinis eſt peccatum mortale, vt affirmant S. Thom. 2. 2. qu. 42. art. 1. S. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 1. & alij, vtpotè contra

pacem,

pacem, & vnitatem multitudinis: ſed huiuſmodi Definitores operando in ſuo regimine prædicta vnione ſeditioſè ſe habent; nam ab vnitate magiſtratus Definitionis ſe diuidunt, & ſeparant: minorem fouet doctrina D. Chryſoſt. orat. 2. in 2. ad Theſſalon. c. 1. *Quandò bini, aut terni fuerimus coniuncti, & duo quidem, vel tres, aut quatuor valdè inter ſe fuerint colligati à cæteris autem ſe ipſos abſtrahentes, eò quòd ad illos poſſint confugere, & illis in omnibus confidere, hoc eſt diſſenſio, & non dilectio*: & paulò inferiùs illuſtrat ſuam poſitionem exemplo corporis: *Nam etiam ſi à toto homine aliquam accepero partem, ipſa quidem ſciſſura ſibi eſt vnita, & eſt continens, & conglutinata; cæterùm ſic quoquè eſt ſciſſura, quoniã reliquo nõ eſt vnita corpori*: ergo tanquàm lethaliter ſeditioſi habendi ſunt.

Quart. ſuadetur ex eo, quia deſtruunt totam naturam regiminis, cui tria debentur, tanquam finis eius, vt optimè inſinuat S. Thom. 3. de regim. c. 5. *Conſonum videtur natura, vt dominium ſit conceſſum pro pace, & iuſtitia ſeruanda, & iurgys, ac diſcordijs reſecandis*: deſtruunt enim pacem, quia, cum ipſa conſiſtat, vt docet S. Th. 3. ethic. lect. 8. in conuenientia voluntatum, tali modo operando certè diſcrepant grauiter ab aliorum voluntatibus; iuſtitiam violant, quia, alijs Definitoribus neglectis, intendunt negotia pertractare, ſubditis iuſtitiam adminiſtrare cum non parua iniuria eorum, quod ſine violatione iuſtitiæ nequit fieri, quia ſunt eorum Collegæ: ſuſcitant tandem iurgia, & diſcordias; neglecti enim ægrè ferunt hoc; vndè quaſi coacti erumpunt in murmurationes, & acclamationes vſque ad ſuprema tribunalia, vt experientia docet; præterquamquod ex hoc malè adminiſtrato regimine neceſſariò ſunt ſequutura mille incommoda in ſubditos, vt intelligenti ſemper videbitur: ergo tanquam deſtructores totius regiminis ſunt habendi; neceſſariò igitur ſe lethali culpa vinciunt.

Dices, nullius roboris videtur eſſe concluſio; & præſertim vltima probatio; quia, quæ decernuntur, & concluduntur ſuffragijs, ſeù conſilijs communiter inter Regulares, decernuntur, & concluduntur ſaltem cum maiori parte votorum, & cum huiuſmodi vnio ſit ex maiori parte eorum; ideò nulla iniuria irrogatur alijs Collegis, nec pax iuſtè diſſoluitur, & iurgia, quæ ſuſcitantur, ſemper erunt imputanda eis; vndè nulla culpa intercedit. Subtilis ſanè obiectio, cui reſpondetur, quòd, licèt veriſſimum ſit, quòd pro concluſione negotiorum ſufficiat maior pars votorum, attamen eorum diſcuſſio ad omnes ſpectat, ac etiam concluſio; in hoc ſenſu tamen, vt cuiuſlibet poſſit habere concluſionem negotiorum, quæ in Definitione tractantur, quæ omnia per huiuſmodi volontates fœderatas ſimul excluduntur; vndè minor pars contempta in negotijs profert conſilium, ac ſi non proferret, nec propagare poteſt con- conclusionem actus, ac ſi non eſſet de corpore Definitionis: quòd, ſi aliquandò concordat in determinationibus, ſe habet, ac ſi non concordaret; & ideò iniuſtè iuſtitia læditur, pax conturbatur, & iuſtè, ſi fas eſt dicere, iurgia excitantur; vndè maxima inſurgit culpa.

Pro fine concluſionis eſt addendum, quòd, licèt concluſio loquatur de Definitoribus, eſt etiam intelligenda de Prouinciali, ſeù Generali, cum vniuntur cum maiori parte Definitorum, cum ſit eadem ratio, & etiam cum minori; quia, licèt non obtineant negotiorum deciſionem, quantùm in ſe eſt, incidunt in incommoda enarrata.

## DVBIVM CXXXXIX.

*An actus, qui deciduntur ab illis Patribus ſimul vnitis, prout in concluſione præcedentis quæſiti, ſint à iure nulli.*

### SVMMARIVM.

Actus deciſi ab illis Patribus vniône, de qua in præcedenti quæſito, eſſendi ſunt nulli; atque nullius roboris; eò quòd forma præſcripta ad actum decidendum non eſt integra: habetur quadam limitatio, & ſoluuntur duæ obiectiones;

CON-

*CONCLVSIO.*

OMnes actus, qui deciduntur ab illis Patribus prædicta vnione cenſendi ſunt à iure nulli, & irriti. Suadetur ex eo, quia actus procedens ab homine carente iuriſdictione eſt nullus, & irritus; defectus enim iuriſdictionis dicitur inſanabilis, & omnium maximus, vt tradunt Curtius conſ. 69. in ſin. Dec. conſ. 38. num. 7. & conſ. 360. num. 1. Pariſ. conſil. 204. num. 102. lib. 2. Menoch. conſil. 1080. num. 2. Vantius de nullit. tit. nullit. defectu iuriſdict. num. 2. & ſeq. ſed huiuſmodi actus carent iuriſdictione: ergo nulli, & irriti: maior certa: minor habetur, quia iuriſdictio habetur ex forma tradita, ſi forma modificata, & qualificata, etiam iuriſdictio modificata, & qualificata, ſi abſoluta illa, & abſoluta hæc; forma enim dat eſſe rei. l. Iulianus 9. §. Si quis rem. ff. ad exhib. l. Quia hæredi. l. Mæuiuſ. de condit. & demonſtrat. vndè, ea pereunte, corruit actus, vt habetur ex c. Cum dilecta. de reſcript. l. Cum hi §. ſi præter. ff. de tranſact. l. non dubium. C. de legib. Felin. in cap. Cum dilecta num. 6. Tiraq. in tract. de iudic. in rebus exiguis. pag. mihi 51. Rebuff. de pacif. poſſeſſ. num. 155. Tuſc. pract. concl. 2. tom. 3. lit. F. concl. 410. Farinac. in prax. criminal. p. 4. conſil. 76. num. 13. Rota Roman. apud eundem, & alij quàm plurimi, quos refert, & ſequitur Barboſ. in collect. DD. ſuper cap. Cum dilecta. citat. imò ea in minimo pereunte deſtruitur actus l. Cum hi §. ſi præter. ff. de tranſact. l. non dubium. C. de legib. cap. Piſaniſ. tit. de teſtit. ſpoliat. Tiraq. de retract. tit. 2. §. 4. Gloſſ. 6. num. 31. Gutier. pract. lib. 3. quæſt. 15. num. 5. cum ſeq. Tuſc. tom. 3. lit. F. concl. 415. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 4. num. 137. Rota apud Farinac. deciſ. 671. num. 2. tom. 2. part. 1. recent. Barboſ. in collect. DD. cit. cap. Piſaniſ. & cum forma exercendæ iuriſdictionis in Definitorio ſit conſultatio omnium Definitorum; non alio enim modo ab eo poſſunt emanare actus, quæ non attenditur ab illis Patribus ſimul vnitis: igitur neceſſariò eſt concludendum eorum actus validitate carere: quamobrem Paſqualig. in quæſt. moral. cent. prim. quæſt. 39. num. 2. optimè dixit: Quandò à lege, vel ſtatuto, vel à Superiore conferente iuriſdictionem præſcribuntur Conſiliarij adhibendi, præſcribitur forma iuriſdictionis exercendæ, & ipſa iuriſdictio coarctatur ad conſilium Conſultorum: ergo, cum non poſſit validè exerceri iuriſdictio, niſi ſecundum menſuram, & formam præſcriptam, debet exerceri cum conſenſu Conſiliariorum, quia conceditur alligata tali conſenſu, alioquin, pereunte forma, perit etiam ipſa iuriſdictio.

Limita modò aliundè non habeatur iuriſdictio, quod certè non eſt in caſu, quia, ſi ea fruuntur huiuſmodi Patres ex alio capite, actus non erunt nulli, vt docent Silu. tit. Conſil. quæſt. 6. & Panorm. apud ipſum. Felin. Brun. quos citatos ſequitur Barboſ. vbi ſupr. in lib. 3. Clement. de iure Patron.

Dicent fortè iſti Patres, aliorum conſilium in publica congregatione fuit petitum, & auditum; ideo forma integra, nec in minimo læſa: ergo actus validi. Reſp. quòd, licèt aliorum Conſultorum conſilium fuerit expoſitum in congregatione, omnibus præſentibus, ob illam vnionem iam factam in actus influere nequit, perindè ac ſi non adeſſet; ideò forma non integra; forma enim læſa etiam in minimo, vt dixi ſupr. vitiat actum; quarè dicendum eſt, eſſe formam fictam; forma quippè impleri debet verè, & propriè, & non per actum fictum, & improprium, etiam æquippollentem, vt docent Tiraq. de iure mariti Gloſſ. 7. num. 188. Cald. Perier. de renouat. Emphit. quæſt. 11. num 36. Barboſ. vbi ſupr. in cap. Cum ei de conceſſ. præbend. & Eccl. non vacantis.

Dicent denuò iſti Patres, ſi omnium conſilium debeat influere in actus, ſemper res eſſent decidendæ cum ſenſu vniformi, quòd videtur falſum; ſufficit enim maior pars ex Colllegio. Reſp. falſum

eſſe, quod actus ſint decidendi; ſecundum omnium ſententiam, quantùm ſpectat ad qualitatem actus, ſeù ad affirmationem, & ad negationem, ſed ſatis eſt maior pars; quantùm verò ſpectat ad actus ſubſtantiam neceſſariò requiritur omnium conſilium, ita vt ex ſe poſſit ex quolibet conſilio recipere etiam qualitatem. l. duo ex tribus, de re iudicat.

# TRACTATVS SEPTIMVS.

# DE PRIORVM, SEV GVARDIANORVM CREATIONE.

## DVBIVM CXXXXX.

*An magis expediat Priorum creationem fieri à locorum familijs, quàm à Definitoribus, vnà cum Pruinciali.*

### SVMMARIVM.

1. *Riorum, ſeù Guardianorum creatio de iure ſpectat ad locorum familias.*

2. *Sicut in viuentibus datur augumentatio, ſtatus, & declinatio; ita in quocunque regimine.*

3. *Itidem ſicut corpus humanum ſubiacet infirmitatibus; ita regimina habent ſuas tranſgreſſiones, & cauſa deſignatur.*

4. *In augumentationis ſtatu magis expediens eſt locorum Prælatos creari ab eorum familijs, idem dicitur de ſecundo ſtatu.*

5. *In declinationis ſtatu magis expediens eſt eoſdem Prælatos creari à Prouinciali, vnà cum Definitoribus: & aliquibus obiectionibus ſatisfit, & quadam limitatio notatur.*

6. *Si huiuſmodi Patres iuſtitia, quæ propria emolumenta negligit, non fruantur, totum regimen confunditur, & deſtruitur: varijs rationibus probatur.*

7. *Demonſtrantur ex ſubditorum corruptione, nec non & prædictorum Patrum, maiora incommoda eſſe ſequenda ex iſtis, quàm ex illis, ſi apud vtroſque fieret Priorum creatio.*

1. Pro intelligentia quæſiti ſit prim. not. quòd certum eſt huiuſmodi electionem iuxta ſacros Canones ſpectare ad Collegium, ſeù locorum familias; conſtat ex cap. Congregatio 16. q. 7. cap. Abbatum 2. cap. Abbas 2. 18. q. 2. cap. fin. quæſt. vltim. cap. 1. de electione. & cap. Cum dilectus. Ita ſentiunt Panorm. Hoſtienſ. Felin. Gloſſ. Verall. Nauarr. Præpoſit. & alij, quos citatos ſequuntur Sigiſmund. de elect. dub. 110. in 2. edit. Samuell. de elect. canon. diſp. 4. tract. 3. contr. 1. videatur etiam Tamburin. de iure Abbatum diſp. 5. qu. 8. n. 1. Rota deciſ. 65. p. 1. recent. & deciſ. 294. n. 5. coram R. P. D. Coccino: verum tamen eſt, quòd multi Ordines Regularium habent in vſu ex Pontificum indulto huiuſmodi electiones fieri à Definitoribus, vnà cum Prouinciali. Ratio indulti ea fuit, inquiunt Rodriq. tom. 2.

quæſt. 53. art. 1. Mirand. tom. 2. qu. 19. art. 2. ad euitandas rixas, æmulationes, contentiones, ſubornationes, aliaque damna ſpiritualia, quæ ex cœnobiorum familijs oboriri ſolent: dixi, ex Pontificum indulto, quia cum huiuſmodi diſpoſitio ſit correctoria iuris communis, fieri nequit, niſi mediante authoritate ſummorum Pontificum: videantur Sigiſmund. Samuell. & Tamburin. vbi ſupr. qu. 5. n. 4.

2. Not. ſec. quòd ſicut in viuentibus datur augumentatio, ſtatus, & declinatio; ita in regiminibus, vt dixi in dub. 102. quarè in ſtatu perfectionis Religioſorum aſſignari debet augumentatio, in qua charitas ardeſcit, virtutes, aliaque bona ſpiritualia de die in diem magis, ac magis creſcunt: ſtatus, in quo nec hominum virtutes augumentãtur, nec langueſcunt, ac diminuuntur: declinatio, in qua charitas frigeſcit, langueſcentibus etiam alijs virtutibus: vndè quamprimum eſt ſequutura relaxatio, ſi opportunis remedijs declinationi non occurratur:

3. Not. tert. quòd ſicut corpus humanum ſubiacet turpitudinibus, ac infirmitatibus; ita omnium regimina habent ſuas tranſgreſſiones, labes, & infirmitates, teſte Canonherio in 7. Hippoc. aphoriſm. lib. proleg. pag. 231. qui inquit ex Senec. *Sicut nullum corpus humanum reperitur, quod non ſit alieni infirmitati, ac violentiæ obnoxium; ſic nullum eſt Regnum, quod ruinis, & calamitatibus non ſubiaceat.* Ratio eſt naturalis, inquit idem Canonherius vbi ſupr. pag. 234. ex quodam Doctore: *Hoc naturale inter corruptibilia, & inter terreſtria, vt quæ ſub continuo motu cœleſtium rotationum ſunt, nunquam in eodem ſtatu permaneant, gradibus creſcant, vrgeant, decreſcant, alterentur, intereant, morbos ſentiant, remedia quædam recipiant, quædam fatali morbo obſeſſa immedicabilia ſint.* Sed clariùs ratio habetur ex Nazianz. orat. ad ciues Nazianz. *Res humanæ*, inquit, *velut Orbe quodam voluuntur fratres*: & infra: *nihil motus expers eſt, nihil planum, & æquabile, atque in finem vſque ſibi conſtans, non hilaritas, non mæſtitia, non opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, non humilitas, non potentia, non præſens tempus, non futurum, non res noſtra, non aliena, non paruum, non maius, nec denique quidquid dicere quiſquam poſſit: atque hoc vnum æquale inæqualitas habet, nempè in omnibus rebus mutationem; omnia enim facilè in Orbem feruntur, atque in diuerſum migrant, ſibique inuicem aduerſantur, vt ventis tutius, aut literis in aquis ſcriptis fides haberi poſſe videatur, quàm hominum fecilitati.* Quandonam hæ infirmitates, ac labes inſurgent, & quænam erunt? inſurgunt, inquam, cum Rectores gubernant ad propriam vtilitatem, & commodum. Ita Ariſtot. 3. polit. c. 5. *Quandò igitur vnus, vel pauci, vel multi communem vtilitatem in gubernatione ſequuntur, has eſſe rectas Rerumpublicarum ſpecies neceſſe eſt, quandò autem ad propriam vtilitatem vel vnius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, tranſgreſſiones ſunt, & labes*: quænam erunt? ſiquidem tyrannis, & ſeditio, inquiunt DD. Tyrannus inſurgit ex eo, quod dominans in bonorum diſtributione debitos terminos in ſui fauorem tranſgreditur, tribuendo ſibi plus quàm par eſt: *Tyrannus quidem eſt*, inquit Albert. Magn. lib. 8. ethic. tract. 3. c. 5. *qui in omni diſtributione terminum legum, & ordinum non intendit, niſi ſibi ipſi conferens, neglecta communitatis vtilitate*: *Rex autem ſemper eſt, qui in talibus diſtributionibus ſemper vtilitatem intendit ſubditorum*: ex quo commodo oboritur illud malum deſtruens totam machinam regiminis, ſeditio inquam: videantur ea, quæ dixi in dub. 28. his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. Magis expediens videtur in primo Religioſorum ſtatu, cum virtutes in decorem perfectionis religioſæ augumentantur, locorum Prælatos creari ab eorum familijs, quàm à Patribus Definitorij. Suadetur ſolùm ex eo, quòd id eſt ſtatutum à ſacris Canonibus; hi enim ſemper intendunt bonum commune, vt optimè dicit Panormitan. in cap Cum in tanto n. 9. & 10. de conſuet. *Ius canonicum principaliter intendit hominem dirigere in Deum, & venit ad bonũ publicũ Eccleſiaſticũ*: imò eorum

rum ſanctiones ſunt inſpiciendæ tanquam editæ à Spiritu Sancto, vt inſinuat Canon in locis Theolog. lib. 8. c. 6. Canones Eccleſiaſtici, inquit, inſtigante Spiritu Sancto, & ad Eccleſiæ vtilitatem ſunt editi, vt Damaſus ait 25. qu. 1. cap. Violatores. Concluſio etiam eſt intelligenda de ſecundo ſtatu.

### SECVNDA CONCLVSIO.

5. CONſiderando Religiones in tertio ſtatu, dum corruit ſpiritus, frigeſcente charitate, vnà cum omnibus alijs virtutibus langueſcentibus, magis expediens eſt, Guardianorum, ſeù Priorum creationem fieri à Definitorum, ac Prouincialis ſuffragijs, quàm à familiarum votis. Suadetur ex doctrina S. Auguſt. de liber. arbitr. lib. 1. c. 6. *Quandò*, inquit, *populus eſt benè moderatus, & grauis, communiſque vtilitatis diligentiſſimus cuſtos, in quo vnuſquiſque minoris rem priuatam, quàm publicam pendat, rectè lex fertur, qua tali populo liceat, ſibi creare magiſtratus, per quos Reſpublica adminiſtretur: porrò ſi paulatim idem populus deprauatus habet venale ſuffragium, & regimen flagitioſit, ſceleratiſque committat, rectè adimitur populo talis poteſtas dandi honores*: ſed in ſtatu prædicto cœnobiorum familiæ ſolent excitare malas ſubornationes, rixas, contentiones; vndè ſequitur quaſi venale ſuffragium, & regimen interdum tradi indignis hominibus, vt inquiunt Rodriq. & Mirand. vbi ſupr. igitur magis expediens huiuſmodi electionem fieri à Definitoribus, vnà cum Prouinciali, & ita fuit factum in multis, ac multis Religionibus, annuente, & præcipiente Summo Pontifice, ſine quo nequit fieri ob rationem recitatam in prim. not.

Nec obſtat ſacros Canones eſſe tantæ virtutis, vt non debeant ſubiacere mutationi, quia ipſa mutatio eis pro loco, tempore, cauſa, & perſona competere poteſt, vt optimè inſinuat S. Iſidorus relatus diſt. 29. cap. Sciendum. dicens. *Quòd ex cauſa, tempore, loco, & perſona regulæ Canonum intelliguntur ſeruandæ*: & Gregor. ead. diſtinct. *Pro varietate rerum, locorum & temporũ regulæ SS. Patrũ tẽperantur*: idẽ tradit S. Th. in tr. contra impugnantes Religionem *Omnia ſtatuta, quæ ſunt iuris poſitiui, ſunt relicta diſpoſitioni Papæ, vt ea poſſit mutare, vel diſpenſare ſecundum opportunitatem temporum, vel negotiorum*. Ratio eſt, quia eiuſdem eſt deſtruere, amouere, & abrogare, cuius eſt condere, vt habetur C. de legib. l. 1. de in integr. reſtit. & cum Canones condantur authoritate Pontificis; igitur eiuſdem erit remotio, tum quia cum in rebus agibilibus non poſſit haberi firmitas, nec infallibilis certitudo; ideò ſubiacere poſſunt alicui incommodo, pro cuius remedio mutatio in lege prò directione eſt facienda.

Nec obſtat, Canones eſſe à Spiritu ſancto, quia, licèt id veriſſimum ſit, & etiam veriſſimum; quòd à Spiritu Sancto ipſa mutatio quoque eſt, quia ſecundum tempus, loca, &c. mouet Pontifices ad determinanda multa, ſecundum quod exigit vtilitas Eccleſiæ: aduertendum tamen eſt, quòd tantùm loquimur de Canonibus de iure poſitiuo, non verò de iure diuino; nam multi ſunt Canones, ſeù ſtatuta ſpectantia ad articulos fidei, aut ad ſubſtantiam Sacramentorum, aut quæ manifeſtam habent connexionem cum lege diuina pertinentia ad bonos mores; iſta ergo nequeunt à Papa diſpenſari, ac mutari: videantur Auguſt. Triumphus de poteſt. Eccleſ. qu. 60. art. 7. Turrecrem. in ſumm. de Eccleſ. lib. 3. c. 55. 56. 57. referens eximiam doctrinam S. Thom.

Limita, modò huiuſmodi Patres ſint præditi iuſtitiæ virtute, quæ conuenit Præſidentibus, de qua loquuti ſumus in dub. 90. & 98. nam Summi Pontifices intantum correxerunt ius commune, inquantum ipſa correctio reſecat incommoda, quæ oriebantur ex electione familiarum; vndè ſi non pollent tali virtute, ſequutura eſt totalis eneruatio regiminis, quæ demonſtratur per ſubſequentem concluſionem.

### TERTIA CONCLVSIO.

6. SI Prouincialis, ac Definitores, quibus incumbit onus creandi Superiores locales, non ſunt tali virtute ornati, quæ ab intrinſeco negligit propriam vtilitatem & adhæret aliorum commodis, ac vtilitatibus, vt tradit S. Ambroſ. lib. de

Paradiſ.

Paradiſ. *Iuſtitia magis alijs, quàm ſibi prodeſt, vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens*: neceſſariò inuertenda eſt natura regiminis, ſuſcitandum eſt peſſimum malum tyrannidis, & tandem per Prouincias ſerpent factiones, ac ſeditiones. Tres habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur: hoc ſuppoſito, quòd Religioſorum regimen non eſt ſeruorum, ſed liberorum, ſicut fuſiùs fuit explicatum in dub. 106. tunc regiminis natura inuertitur, cum ſubditi tanquam ſerui tractantur, ſed huiuſmodi Patres in Priorum creatione vtendo iniuſtitia, quæ in caſu nil aliud eſt, quàm vti ſubditis, eorum actionibus in ſui vtilitatem, ac conſeruationem, tractant ſubditos, tanquam ſeruos: natura igitur regiminis deſtruitur, & inuertitur; audiamus, quæſo, quædam verba S. Thom. 1. de regim. c. 1. quæ ſatis explicant vim argumenti: *Alius eſt finis conueniens multitudini liberorum, & ſeruorum; nam liber eſt, qui ſui cauſa eſt; ſeruus eſt autem, qui id, quod eſt, alterius eſt; ſi igitur liberorum multitudò à Regente ad bonum commune multitudinis ordinetur, erit regimen rectum, & iuſtum, quale conuenit liberis: ſi verò non ad bonum multitudinis, ſed ad bonum priuatum Regentis regimen ordinetur, erit regimen iniuſtum, atque peruerſum.* Secunda pars ſuadetur ex eo, quod ſequitur ex hoc; nam eò ipſo, quòd iſti Patres per ſubditos, eorumqne actiones, mediante creatione Superiorum localium, propriam conſeruationem operantur, incidunt in tyrannidem: *Tyrannis eſt*, inquit S. Th. 3. polit. lect. 6. *quædam monarchia dominatiua politica communitatis, quia ſcilicet vtitur ciuibus, & ſeruis*. Et ratio eſt manifeſta, quia *de ratione Regis eſt*, ait idem S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *quòd ſit vnus, qui præſit, & quòd ſit Paſtor commune multitudinis bonum, & non ſuum commodum quærens*; & ideò doctiſſ. Abulenſ. in Exod c. 20. qu. 19. maximo cum fundamento in hæc verba prorupit, ſatis dura omnibus Regentibus. Qui autem Princeps, vel Prælatus eſt, magis vacans vtilitati ſuæ, quàm diſtributioni iuſti politici, non Prælatus, aut Princeps, ſed Tyrannus eſt, quæ ſatis dura definitio eſt noſtris Principibus, & Prælatis. Tertia pars ſuadetur, quia dum huiuſmodi Patres intendunt propriam conſeruationem, mediante electione Priorum, neceſſariò ſequitur ſuffragiorum fauor in amicorum fauorem, vndè hi tandem eliguntur in Prælatos, & ita ſenſim ſine ſenſu incipiunt factiones; & quomodo exclusi indignè ferêtes tam notabilem partialitatem, incipiunt ſeditioſè ſe habere in voluntatibus: *Diſſenſio enim*, ait S. Th. 5. polit. lect. 2. *radix eſt ſeditionis in voluntate*; dum enim cognoſcunt dignitates conferre amicis, ipſis excluſis, habent contrarias voluntates voluntatibus illorum Patrum, qui conferunt dignitates prędictas amicis, & ita ſeditioſè ſe habent voluntates, quę tandē tēpore congruo in apertas ſeditiones, querelis, clamoribus, ac vnionibus, vſque ad ſuprema tribunalia in non paruum damnum Religionis erumpunt, vt experientia teſtatur; ideò aiebant S. Antonin. 2. part. tit. 4. c. 8. de diſcordia §. 1. & Ariſt. 6. polit. c. 3. Primus ſic loquitur: *Ex improportionata honorum, & onerum diſtributione generatur ſeditio, & diſcordia*. Secundus ita affatus eſt: *Seditionem autem concitant in paucorum quidem potentia, multitudo indignè ferens, quòd cum ipſi ſint pares, non pariter honorentur*. Adde, quod huiuſmodi ſeditio etiam inter ipſos Patres electores neceſſariò eſt ſequenda, quia, cum vnuſquiſque in conferendis Prælaturis amicis intendat propriam conſeruationem, diſcordiam opus eſt irrepere, teſte Seneca in Prouerb. *Principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi ſuum facere*: his ergo diuiſis, exoritur illud grande malum in Prouincijs, quòd tota multitudo in factiones, ac ſeditiones magnas diſtrahitur in totius Religionis ſcandalum, teſte Ariſt 5. polit. c. 4. *omnium excellentium virorum diſcordiæ totam poſt ſe trahunt Ciuitatē*, teſte experientia, pro vt in dub. 4.

7. Qoid ergo dicendum pro fine quæſiti? quòd corrupta Subditorum multitudo, corruptiſque Patribus prædictis, minora ſemper erunt ſequenda mala, ſi Prælatorum localium creatio fiat à familijs, quàm ſi eligantur à Patribus Definitoribus, ac Prouincialibus. Nec obſtat, ſeditiones, ac factiones etiam in cœnobijs poſſe excitari, quia ſemper erit hoc malum tolerabilius, quam diuiſio

in præ-

in prædictis Patribus, dicent S. Thom. 3. polit. lect. 8. *Malum, quantò magis eſt diuiſum, tantò minus exiſtit, & tolerabilius eſt*. Nec obſtat malas ſubornationes poſſe ſuboriri in multitudine ſubditorum, quod non continget in iſtis Patribus, quia falſum eſt; nam hi, cum ab ambitione ducantur, etiam ſunt excitandæ, & licèt maiores ob multitudinem poſſunt extendi in ſubditos, attamen mala, quæ ſequuntur ob Prouincias totaliter diuiſas, longè maiora ſunt, quàm illa, vt videre eſt in prim. centur.

Non ideò concludere volo, quòd in caſu ſint abſcindendæ electiones Priorum à prædictis Patribus, & reſtituendæ cœnobijs, ſed coactus ſum veritatem oſtendere, vt electores non parua adhibeant diligentiam ad promouendos homines in Prouinciales, ac Definitores virtute iuſtitiæ, de qua ſup. præditos.

Tantùm loquuti ſumus de his duobus modis creandi Priores, quia ſunt magis vſitati, & proſequimur quæſtiones ſpectantes ad modum creandi eos apud Prouincialem, & Definitores, eò quòd apud Religiones eſt magis in praxi: quæ tamen omnia poſſunt applicari alijs modis, paucis mutatis, vt legenti ſemper videbitur.

## DVBIVM CLI.

*An vniones duorum, vel trium Patrum ex Definitione, quæ fiunt tempore celebrandæ electionis Priorum, ſeù Guardianorum, vt ſuffragentur aliquibus in Guardianos ratione ſitus, amicitiarum, ſeù conciuium, &c. cenſendæ ſint lethaliter malæ: & an electi in Priores poſſint tandem vota ferre pro illis tribus Patribus, qui eos elegerunt, vt conſeruentur in poſſeſſis Prælaturis.*

### SVMMARIVM.

*Prima pars tituli ſtatuitur pro parte affirmatiua, & ita huiuſmodi Patres nequeunt excuſari à peccato. ſecunda pars firmatur pro parte negatiua; & ita electores nequeunt eis ſuffragari.*

### CONCLVSIO.

1. Suppoſito hoc, quòd Definitio conſtet ex quinque Patribus, concluſio pro prima parte tituli eſt ſtatuenda affirmatiua, eiuſque probatio extenſiór habetur in ſecunda concluſione dub. 28. quæ hîc breuior notatur, nonnullis adhibitis, tum quia præſtant vota motiuis amicitiarum, conciuium, &c. quæ non ſpectant ad merita neceſſariò inſpicienda, tum quia ſcindunt vnitatem in tali Collegio ſeruandam, tum quia ſeditiosè ſe habent; nam tale vitium præſertim committitur, quandò homines curant, vt vnitas diſſoluatur, & pax amittatur; ideò dicebat S. Baſil. c. 30. conſtit. Monaſt. *Charitatem quidem habere inter ſe mutuam fratres debent, non ita tamen, vt duo, treſue ſeorſum à cæteris ſodalitatem inter ſe coeant; quandoquidem hoc non charitas eſt, ſed ſeditiò, & diuiſio, & eorum, qui ſic coeunt improbitatis indicium*: tum quia deficiunt à proprio fine; non enim intendunt bonum commune, quod eſt eorum finis, ſed ſingulare amicorum, tũ quia generatur ſcandalum; nam homines clarè percipiunt Priores illos eſſe promotos ratione amicitiarum, ſeù conciuium, tum quia poſitiuè dant occaſionem formãdi in tota Prouincia factiones; excluſi enim ad aliorum Patrum protectionem recurrũt, & ita paulatim ſuſcitantur factiones, ac ſeditiones. Secundæ partis concluſio eſt firmanda negatiua, ſcilicet non poſſe electores pro illis Patribus ad eoſdem conſeruandos in Prælaturę poſſeſſione ferre ſuffragia, aliàs nequeunt excuſari à lethali culpa, eiuſque probatio habetur loco ſuperiùs citato.

***

DV-

## DVBIVM CLII.

*An Priorum, ſeu Guardianorum electiones, quæ ſequuntur ex vnionibus prædictis, factæ à maiori parte Patrum ex Definitione, ſint à iure nullæ.*

### SVMMARIVM.

1. *Electio, & prouiſio differunt inter ſe; nihilominus ea, quæ ſpectant ad ſubſtantiam, & formam electionis, proportionabiliter ſpectare videntur ad prouiſionem.*

2. *Prouincialis, ac Definitores in Guardianorum prouiſione, ea, quæ obſeruantur in electionibus, nequeunt negligere.*

3. *Amicorum electiones, quæ celebrantur ex vnionibus prædictis, cenſenda ſunt nulla, & inualidæ: & ſatisfit duabus obiectionibus, adhibita quadam limitatione.*

1. Not. prim. quòd, eſto electio, & prouiſio propriè differant inter ſe, vt habetur in cap. Statuimus. de elect. in 6. & probat Tiraq. in l. Bouef §. hoc ſermone. limit. 6. n. 14. & 15. ff. de verb. ſignificat. cuius doctrinæ aſſentit Barboſ. in collect. DD. in dicto cap. Statuimus; nihilominus omnia, quæ de ſubſtantia, & forma requiruntur in electionibus, proportionabiliter in prouiſionibus exiguntur, teſte illa celebri Gloſſ. in cap. Si poſtquam. verb. prouiſione, de elect. in 6. vbi dicitur: *Cum quotidiè iura pariſicent electionem, & prouiſionem*, cap. Statuimus cap. Vt circa. cap. Si poſtquam §. final. ſi compromiſſarius. cap. Conſtitutio. & cap. Procurator, de elect. in 6. Ita docent Panormitan. in Clement. de elect. n. 1. cap. Cum illis §. Illis verò de præbend. in 6. Francus in Clement. 1. n. 6. & 7. de elect. Felin. in cap. In noſtra n. 28. ad fin. de reſcript. Garcias de benef. p. 1. c. 6. n. 33. & multi alij, quos citatos ſequitur Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſp. 1. contr. 13. n. 1. Ratio videtur eſſe, quia, licèt in odioſis verbum prouiſio ſit interpretandum, vt non includat electionem cap. Cum illis §. illis verò de præbend. in 6. nihilominus in fauorabilibus compræhendit electionem; quoniam tunc continet omnem modum, per quem Eccleſijs prouidetur.

2. Hinc eſt, & hoc ſit ſec. not. quòd, quamuis creatio Guardianorum, ſeù Priorum celebrata à Definitoribus vnà cum Prouinciali non ſit electio, ſed prouiſio, electio enim ſpectat ad conuentum; attamen ea omnia ſunt ſeruanda, quæ iubentur in cap. Quia propter. de elect. & quæ præcipiuntur in Concil. Trident. c. 6. ſeſſ. 25. Ita reſoluunt Gloſſ. 1. in d. cap. Quia propter, vbi Abb. n. 7. verſ. circa. & n. 8. verſ. & placet. Rota deciſ. 65. n. 9. p. 1. in recent. Gloſſ. in Clemēt. Quia Regulares. verb. Monaſt. de ſupplend. neglig. Prælat. & multi alij, quos referunt Samuell. vbi ſupr. n. 10. & Barboſ. de iure Eccleſ. c. 19. n. 154. ideò dicit Garcias vbi ſupr. p. 10. c. 3. n. 42. referens Felin. Rochum, Lambertum, Siluam, Rebuffum, & alios, deuolutionem fieri cum onere, & qualitatibus requiſitis in prima prouiſione.

### CONCLVSIO.

3. Amicorum electiones, quæ inſurgunt ex vnionibus prædictis, omninò cenſendæ ſunt nullæ, & inualidæ. Suadetur prim. ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 6. irritante omnes electiones Regularium, quæ non fiunt per vota ſecreta: huiuſmodi enim electiones non ſunt celebratæ per vota ſecreta, ſed aperta, abſque recta intentione conſulendi bono communi, ſed amicis, ac priuatis commodis, imò cum fraude, quia ibi dignoſcitur quoddam monopolium, per quod remanet multùm defraudata æquitas, & rectitudo electionis, & ecce læſum ſecretum impoſitum à S. Cōcil. ex qua læſione mala ſequitur electionis nullitas, vt videre eſt in dub. 196. in 2. concl. Confirmatur ex Lauor. de elect. tit. 4. c. 19. n. 56. dicente: Non tamen debent per Superiores tolerari, vt vocales omnes, vel maior pars ante electionem ſuam declaret mentem, maximè in ſcriptis,

cum

cum eorum ſubſcriptionibus ſignificando palàm literis aliquandò directis etiam Superioribus, quem velint eligere, hoc enim eſſet contra Concil. diſpoſitionem, & per conſequens redderetur nulla electio. Sec. ex cap. Quia propter de elect. & electi poteſtat. §. illud: vbi reprobantur electiones clandeſtinæ; imò tanquam nullæ habendæ ſunt, vt notat Ioann. Bapt. Fin. de reg. iur. in veſpertino hom. 5. verſ. & part. pag. 81: quem citatum ſequitur Barboſ. in collect. DD. in citato cap. Quia propter. aſſentiunt Hoſtienſ. Zabarell. Anton. de Butris, quos refert, & ſequitur Caſtellin. de elect. c. 4. n. 54. quòd huiuſmodi electiones ſint clandeſtinæ, habetur ex propria definitione: Electio enim clandeſtina ea eſt, quæ ſingulariter fit, & occultè per occulta conuenticula. Ita Bernard. in cap. Quia propter §. final. in Gloſſ. final. de elect. Io. Bapt. Fin. Barboſ. Caſtellin. vbi ſupr. Silueſt. tit elect. 1. qu. 8.

Dices, licèt veriſſimum ſit, quòd in cameris, & in conuenticulis fuit ſtatutum de dando ſuffragio amicis; non ideò ſequuta eſt electio; electio enim ſequitur, quandò in Capitulo, ſeù loco honeſto, & conſueto dantur vota, & publicantur. Reſp. duplicem formam electionis per ſcrutinium deſignari à DD. alteram naturalē, quæ conſiſtit in eligentium conſenſu iuxta Innoc. in cap. Cum in iure, & cap. Quod ſicut de elect. Abb. in c. Cum poſt petitam n. 3. eod. tit. Decian. in c. Licèt canon. 1. de elect. n. 20. de conſtit. Lauor. de elect. canon. tit. 4. c. 21. n. 2. alteram verò externam; ſeù de iure canon. quæ conſiſtit in aliquibus ſolemnitatibus deſcriptis in cap. Quia propter, & ſunt notata à Barboſ. in collect. DD. c. Quia propter, & Mirand. tom. 2. qu. 22. art. 29. vera ergo electio formalis propriè conſiſtit in eligentium conſenſu, & non in ſolemnitatibus; ideò falſum eſt, quòd electio formalis ſequatur in ferendo ſuffragio; ſed in conſenſu, qui fuit in caſu præſtitus in cameris, & per occulta conuenticula, propterea clandeſtina, & conſequenter nulla: verùm Lauorius de elect. canon. tit. 4. c. 21. n. 19. cognoſcit nullitatem electionis ex alio capite: Ex hoc eodem defectu ait, formæ naturalis vitiatur electio, vbi interueniunt fraudes, pacta, conuentiones, & intēdimenta, quia cum auferant libertatem, nullam conſequenter, & irritam electionem reddunt, & refert Nauarr. & Abb.

Dices, in electionibus debent præcedere tractatus, vt probat ex teſtibus, & ex DD. Samuell. de elect. canon. tract. 1. contr. 9. diſp. 3. videatur etiam Lauorius inferiùs citandus: ſed hi nequeunt fieri, niſi tandem ſtatuatur de eligenda perſona: ergo. Reſp. minorem eſſe falſam, quia ſicut conceduntur tractatus conſultorij, in quibus habetur ſermo de qualitate perſonæ, vt indignus poſtponatur, & dignior digno præponatur, vt videre eſt apud Samuell. vbi ſupr. controu. 11. concl. 5. ita electores nequeunt limites eorumdem tractatuū tranſgredi, tranſgreſſio ſemper cenſenda erit, cum inter ſe nonnulli electores concordant de eligendo amico, ſeù concini, &c. audiantur aliqua verba Lauorij de elect. tit. 4. c. 6. n. 50. Tractatus igitur, ait, eſt veluti præparatio ad electionem, non autem electio, fitque in eo diſcuſſio eorum, quæ facienda ſunt; nominantur vtrinque plures, qui iudicantur digni electione, & fit collatio nominatorum perſonę ad perſonam, & meritorum, zeli ad zelum c. In Geneſi c. Cumneia de elect. & quiſque dicit, quod ſibi videtur, abſque eò tamen, quod ſequatur aliqua concluſio, vel electio.

Dixi in titulo, à maiori parte, ad oſtendendum, quòd ſi huiuſmodi vniones fiunt à minori parte ex. gr. à duobus, non ideò electiones, quæ inſurgunt à maiori parte rectè celebratæ, cenſendæ ſunt nullæ, & nullius roboris, & valoris, iuxta doctrinam electionis clandeſtinæ. Ratio eſt, quia fictio iuris, ſeù malitia, quæ fit à maiori parte corporis, tribuitur toti corpori, vt in cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli: ergò à contrarijs: malitia vnius, vel duorum, qui non ſunt maior pars, tribui nequit toti corpori, iuxta regulam l. eleganter in princip. ff. de dolo. Tuſc. lit. D. concl. 180. num. 2. ideò validum debet eſſe, quod fit à maiori parte; & ita Nauarr. lib. 1. conſil. conſil. 9. de elect. Rodriq. tom. 2. quæſt. 51. art. 9. & Mi-

rand. tom. 2. quæſt. 23. art. 19. inquiunt ex cap. Firmæ de procuratore, defectum clandeſtinum vnius de Capitulo non debere nocere Capitulo id ignoranti, neque actui ab eo aliàs legitimè facto: concludit tandem Mirand. vbi ſupr. peccatum vnius non debere imputari alijs, neque aliorum electionem valere vitiare.

Pro fine quæſiti eſt addendum huiuſmodi Patres non ſolùm lethaliter peccare ratione illarum vnionum, ſed etiam ratione nullitatis electionum, cum nullitas actus electionis ſit res maximi ponderis, imò deſtructio omnis iuſti dominij; & licèt electio clandeſtina minoris partis hominum Definitionis nequeat inualidare electiones aliorum Patrum iuſtè celebratas; nihilominus, quantùm eſt in ſe, intendunt facere actus nullos, quod ſufficit ad contrahendam culpam grauem, & lethalem.

*An promiſſiones, quas ad inuicem ſibi faciunt Patres Definitores, ſcilicet dicit Titius alij Definitori: ſi ſuffragium præſtes meo amico, ſeù conciui in Priorem, ego dabo votum meum tuo nepoti, &c. cenſendæ ſint ſimoniacæ.*

Conclusio eſt affirmatiua, cuius probatio extenditur in dub. 11. videantur ea, quæ ibi dico.

## DVBIVM CLIII.

*An Prouincialis, ſeù Definitor, qui in Guardianorum electionibus præſtant vota ſæpè pro amicis, ſint in ſtatu damnationis æternæ.*

### SVMMARIVM.

1. *Huiuſmodi collatio ſuffragiorum eſt prater naturam, conſequenter violenta, & conturbat pacem, & quietem multitudinis.*

2. *Lethali culpa damnandi ſunt tam Prouincialis, quàm Definitor, qui vota præſtant amicis in Priores ad hoc, vt ipſi in dignitate aſſumpta conſeruentur, & deſignantur mala, quæ ex tali radice oboriuntur.*

Reſolutio indiget pluribus diſtinctionibus, quæ poſſunt videri in dub. 94. vnà cum ſuis probationibus, adhibita etiam doctrina Sãch & Salon. pro vt in dub. 7. in 3. concl. quæ ſatis abundè illuſtrant veritatem tituli, ſed hic tantùm ſtatuitur concluſio, quandò conferuntur amicis vota in ordine ad propriam conſeruationem.

### PRIMA CONCLVSIO:

1. Huiuſmodi ſuffragiorum collatio facta à Prouinciali, ſeù Definitore inter actiones, quæ non bonæ nuncupantur, connumerari debet, quia præter naturam, conſequenter violenta: adde quòd tandem conturbat quietem, concordiam, ac pacem totius multitudinis: audiamus prim. & ſecund. à D. Thom. explicante textum Ariſt. 7. polit. lect. 2. *Qui ſunt ſimiles, & æquales, & ſecundum naturam, & virtutem bonum eſt, & iuſtum omnes principari non ſimpliciter, ſed ſecundum partem, puta vnum in vno tempore, alium in alio, vel vnum in vno principatu, alium in alio; iuſtum enim eſt ſimiles, & æquales ſimile, & æquale habere, non æquales autem, neque ſecundum virtutem, neque ſecundum naturam habere æquale; vel à contrario æquales habere inæquale, & non ſimiles habere ſimile, hoc eſt præter naturam, ſimiles enim, & æquales ad æqualia ſimilia inclinantur ſecundum naturam: ſed nullum eorum, quæ ſunt præter naturam, bonum eſt; quoniam quod eſt præter naturam, eſt violentum, & nullum violentum eſt bonum: ergo aliquem principari quibuſcunque qualitercunque non eſt bonum.* Tert. percipiatur à D. Bernardo mirabiliter loquente de Lucifero, qui ſupra ſolium excelſum ſedere ſolus optabat, de prim. grad. humilitat. *Cæteris aſtantibus cælicolis, dum tu ſolus ſedere affectas, fratrum concordiam totius cæleſtis patriæ, pacem ipſius quantùm in te eſt, quietem Trinitatis infeſtas.*

PRI-

*SECVNDA CONCLVSIO.*

2. PRouincialis, ſeù Definitor præſtans ſuffragia amicis, vt munere Priorum fungantur ad hoc, vt ipſi tandem præſtēt ſuffragia pro cōſeruatione dignitatis aſſumptæ, lethali culpæ obnoxij cēſendi ſunt. Suadetur, quia de ratione intrinſeca officij Prælati eſt, vt ipſe intendat bonum commune multitudinis, propria vtilitate neglecta; vt vult S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *De ratione Regis eſt, quòd ſit vnus, qui præſit, & quòd ſit Paſtor commune multitudinis bonum, & non ſuum commodum quærens*: ſed in huiuſmodi diſtributione votorum deficit à fine Paſtoris; negligit enim commune bonum, quod propagatur viciſſitudine hominum ad dignitates, vt S. Thom. ex mente Ariſtot. 3. polit. lect. 3. ait: *Eſt quidem Principatus, ſecundum quem aliquis principatur non ſicut Dominus ſeruis, ſed ſicut liberis, & ſibi æqualibus, & hic eſt ciuilis Principatus, ſecundum quem in Ciuitatibus nunc hi, nunc alij aſſumuntur ad principandum*: & quærit commodum propriæ conſeruationis: ergo in re graui deficit à fine ſui officij: ergo vacare nequit lethali culpa. Præterea, vnicuique præſertim Rectoribus incumbit onus conſeruandi Rempublicam, ſeù Religionem, & hoc ſub mortali: ſed præſtando vota Prouincialis, ſeù Definitor, deſcripta intentione, negligit conſeruationem Religionis; nam eius conſeruatio petenda eſt à iuſtitia diſtributiua rectè adminiſtrata, vt optimè inſinuat Ægid. Roman. de regim. Princip. 2. part. lib. 1. c. 11. *Sicut ergo corpus naturale non ſubſiſteret, niſi in eo reſeruaretur quædam diſtributiua iuſtitia, vt quod cor in membra debitè influeret; ſic Regnum, vel Ciuitas non poteſt ſubſiſtere, niſi in ea reſeruetur diſtributiua iuſtitia, vt quòd Rex, ſiue Princeps debitè honores, & bona diſtribuat*: quæ ob propriam conſeruationem negligitur, & poſtponitur: ergo reus deſtructionis Religionis habendus eſt; ideò dicebat S. Thom. 2. polit. lect. 11. *Non eſt poſſibile, quòd, qui non habent partem in regimine Ciuitatis, ament talem ordinationem Ciuitatis: vnde relinquitur ſeditionis materia*: & S. Antoninus p. 2. tit. 4. c. 8. de diſcordia §. 3. *Videmus in corpore humano; quòd, quandò humores ſunt in debita proportione, corpus eſt ſanum; ſed quandò intrat diuiſio, cum vnus nimis abundat cæteris, indè ſequitur diſcordia infirmitatis: quandò aliquis nimis intendit ſuæ vtilitati, alij indè grauantur, & modicam cum eo poſſunt habere concordiam; vndè Senec. in prouerb. Principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi ſuum facere*: propterea aiebat Ariſt. 5. polit. c. 1. *Perpetua poteſtas regia iniqua foret, ſi eſſet in paribus*.

Hinc S. Thom. 6. polit. lect. 10. prop. fin. loquens de regiminum corruptione nō aliam affert cauſam, quàm ipſam Regētis conſeruationem: *Regnum corrumpitur, quandò cum Rex vult principare tyrannicè*: quandò incidet in hoc peſſimum tyrannidis malum? dum intendit ſe conſeruare in Imperio, & eſſe Dominum multorum, reluctantibus eorum voluntatibus; nam hoc eſt præter legem; lex quippè dominij democratiæ reſpuit perpetuitatem, vt plurimis in locis dixi, & ita ſubdit S. Thom. *Sicut quandò vult eſſe Dominus plurium, quàm debeat eſſe ipſis nolentibus, & præter legem*: quæſo, quandò id erit, præſertim in Religionibus? dum ſubditi clamores apud Generalem, aliaque ſuprema tribunalia mittunt, ex quibus tandem ſequitur, vt praxis docet, intendentis perpetuitatem expulſio, & ſic regimen mutatur. Ita S. Thom. vbi ſupr. *Tunc enim contingit, quòd ſubditi inſurgunt contra eundem, & ipſum expellunt, & mutant Rempublicam in aliam*. O quot caſus in Religionibus poſſent deſignari.

*An, quandò tractatur de aliquo promouendo in Guardianum, poſſit ex.g Prouincialis manifeſtare eius delicta ſecretè nota in viſitatione Definitoribus, qui habēt vota electiua.*

QVæſiti veritas ſatis elucidatur in dub. 77. in tert. concl. poteſt etiam videri Samuellius ibi citatus, qui etiam ex mente Panorm. in cap. Innotuit. de elect. in 6. Tabien. tit. electio n. 47. Nauarr. in miſcellan.

cellan. 34. de orat. n. 4. Felin. c. Dilectę de except. n. 5. Peirin. tom. 1. de ſubdito q. 1. c. 34. §. 3. verſ. 4. qui notat hanc concluſioné. Si crimen huius prædicti eligendi irregularitaté inducit, vel aliã ſpecialem inhabilitaté, ſiue occultã, ſiue publicam, mortaliter peccat, tam qui eligit, quàm qui electioni conſentit, & electio talis eſt ipſo iure nulla. Concluſio conſtat ex cap. Cum in cunctis. de elect. & cap. Si celebrat de Clerico excommunicato miniſtrante.

## DVBIVM CXXXXXIIII.

*An in Definitorio ex quatuor, vel quinque Patribus conſtante poſſit Definitor, qui tantùm pro munere Guardiani, ſeù Prioris præſtando habet duas voces, conſentiendo electioni, quaſi de ſe factæ, augere numerum, electionemque complere.*

### SVMAMRIVM.

1. *Poteſt Summus Pontifex in electionibus conſenſum non ſolemniter datum inualidare.*

2. *In electionibus, in quibus nulla exiſtit obligatio ſeruandi formam cap. Quia propter, electus poteſt eligere ſe ipſum cum quadam limitatione, & deſignatur modus ſe eligendi.*

3. *In electionibus, quibus eſt annexa neceſſerio forma cap. Quia propter, nunquam eſt licitum eligere ſe ipſum, nec etiam poteſt poſt publicationem ſcrutinij conſentire electioni.*

4. *Definitor nequit augere numerum ſuffragiorum pro ſui electione in Priorem.*

1. Pro intelligentia quæſiti præmittenda eſt quædam diſtinctio: nonnullæ electiones sũt, in quibus nulla exſtat obligatio ſeruandi formam c. Quia propter de elect. nonnullæ aliæ ſunt, in quibus omninò eſt ſeruanda forma prædicti capitis, in quo præcipiuntur aliquæ conditiones, atque ſolemnitates pro electionis validitate; quæ omnia ſunt ſeruanda, aliter electio facta non valet, ſic loquitur textus: quæ verba ſunt tanti roboris, vt licèt in foro conſcientiæ electio eſſet valida; nihilominus ſi electores non obſeruant ea, quæ ibi deſcribuntur, inualident actus celebratos; Summus Pontifex enim conſenſum non ſoléniter datũ inualidare poteſt, vt habetur in cap. vnic. de poſtul. Prælator. Panotmit. in cap. Licet de elect. Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſp. 1. contr. 7. n. 1. Inter conditiones ibi connumeratas eſt illa, quòd ſingulorum electorum vota ſecretè exquirantur: videantur Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 29. Tamburin. de iure Abbat. diſp. 5. qu. 6. Sigiſmund. de elect. dub. 27. ex n. 10. Barboſ. in collect. DD. in citato cap. Quia propter: his ſuppoſitis.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. IN omnibus electionibus, quæ fiunt per ſcrutinium apertum, in quibus non extat obligatio ſeruandi ea, quæ præcipiuntur in dicto cap. Quia propter, electus à media parte poteſt eligere ſe ipſum, dicendo, conſentio electioni de me factæ; ſecus ſi non attingit electio medietatem votorum, ex. gr. ſunt ſex de Collegio, tantùm vnus habet duas voces, tunc electus ab illis duabus vocibus nequit augere numerum; ex hoc enim tantùm inſurgit paritas votorum. Prim. partem amplectuntur Abb. conſ. 25. quem citatum ſequitur Toſcus lit. E. concl. 72. & 78. Samuell. vbi ſupr. diſp. 4. tract. 3. contr. 5. concl. 3. Ratio videtur eſſe, quia ex quo oboritur non eſſe ſeruandam formã c. Quia propter. poſſunt electores, publicato ſcrutinio, variare vota, & numerũ augere; quoniã, qui aſſenſum præbet complectiué electioni de ſe factæ, non videtur ambitioſus, nec videtur eam à ſe oriri, cum ſit potiùs vocatus à Deo, & à ſocijs, ſed eſt officium charitatis, ſi bono corde, & recta intentione fit. argumẽto. cap. Qui Epiſcopatum. 8. q. 1. Secũd. partem amplectitur Samuell. vbi ſupr. vnde dicendum eſt, quòd inchoatiuè ſe primò eligit, quod prohibetur in c. Per noſtras de iur. Patronat. ex c. In ſcripturis 8. q. 1. c. Fin. de inſtit. & reſoluunt Butrius in cap. Vbi periculum de elect. in 6. Innoc. quem refert, & approbat Panorm. in cap. Cum poſt n. 5. de elect.

Dixi

Dixi in concluſione, poſſe ſe eligere dicendo, conſentio electioni de me factæ, ad oſtendendum ſecundum Panormit. quẽ citatum ſequitur Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 40. in ſec. concl. quòd huiuſmodi electus ad augendum numerum non debet in ſe conſentire dicendo, eligo me ipsũ, ne principaliter diſponat in ſe, contra cap. fin. de inſtit. ſed dicendo conſentio electioni de me factæ, & licèt adhuc non ſit facta à maiori parte, eſt tamen in fieri, & omninò factibilis, & cum conſentiat intra tempus à iure ſtatutum ad electionem faciendam, atque appoſitum in compromiſſo, electio cœpta, & inchoata ſuo conſenſu conſumatur, & perficitur. argumen. l. Bonorum. ff. rem ratam. ad quod facit, quod notat Gloſſ. in cap. Quam ſit: de elect. in 6. videatur Samuell. vbi ſupr. in 3. concl.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. IN omnibus electionibus, in quibus neceſſariò exequutioni demãdatur diſpoſitio. c. Quia propter de elect. nunquã eſt licitũ eligere ſe ipſum augendo numerũ vo torum; vndè nunquã vox electi poteſt computari in numero eligentium. Ratio eſt, quia cum electio proſequenda ſit per ſcrutinium ſecretum, cum ignoret, an ab alijs eligatur, nequit ſuo voto conſentire electioni, quia inchoatiuè inciperet ſuam electionem, & reputaretur ambitioſus, & tanquam talis excluſus remaneret. Ita Tuſcus vbi ſupr. referens Abbat. conſ. 25. Quoniam de infraſcriptis, &c.

*TERTIA CONCLVSIO.*

NEc etiam poteſt poſt publicationem ſcrutinij copulatiuè conſentire electioni; nam, publicato ſcrutinio, vota nequeunt electores variare, cap. Publicato de elect. nec quis conſentire poteſt electioni, antequam electio ſit celebrata, cap. Cum poſt petitam. de elect. quarè conſenſus poſtea ſuperueniens nihil operatur, vt colligitur etiam ex cap. Quia propter. Ita Baldus Panorm. Butrius, Præpoſitus, Lambert. Tuſcus, quos citatos ſequitur Samuell. vbi ſupr. videatur Barboſ. in collectan. DD. Ex his, quæ dicta ſunt, ſequitur elucidatio tituli.

*QVARTA CONCLVSIO.*

4. NVllatenus Definitor poteſt numerum augere in Definitone pro ſui electione in Priorem, ſeù Guardianum iuxta modum in titulo explicatum. Concluſio ſatis liquet ex eo, quòd ſuperiùs firmatum eſt, quòd in huiuſmodi electionibus, ſeù prouiſionibus extat obligatio ſeruandi diſpoſitionem. cap. Quia propter, de elect. videatur tamen opinio contraria in dub 189. in fine, quæ in caſu adnotato admitti poteſt.

## DVBIVM CLV.

*In quadam Religione Priores, ſeù Guardiani creantur à Prouinciali, ac Definitoribus per fabas, & lupinos, ſeù calculos, tali præſcripto modo, vt quilibet Guardianus creandus pro quolibet cœnobio nominetur à Prouinciali, & hic ſubijciatur votis omnium electorum; ſi maiorem partem votorum habebit, intelligatur electus: quæritur, an nominatio, ſeù præſentatio facienda à Prouinciali ſit coactiua, an directiua.*

### SVMMARIVM.

1. *IN electionibus requiritur plena libertas, eaque definitur, & habentur aliqua ſcitu digna.*
2. *Explicatur, quid ſit libertas quoad exercitium, & quoad ſpecificationem.*
3. *Itidem explicatur finis Præſidentium, & quomodo eius propagatio habeatur.*
4. *Canonica electio petit non ſolùm libertatem quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem.*
5. *Varijs rationibus probatur Prouincialis nominationem debere eſſe directiuam, non verò*

*verò coactiuam: & ſatisfit cuidam obiectioni.*

*6. Definitores poſſunt, ac debent aliquandò alios nominare præter nominatos à Prouinciali, vt ſubijciantur votis, & Prouincialis eos ſuffragijs ſubdere tenetur.*

Pro nominatione, ſeù præſentatione coactiua intelligo, quòd Miniſter Prouincialis habeat aliquod ius nominandi, ſeù præſentandi, itaut, niſi ea accedēte, nequeāt creari Guardiani: pro nominatione directiua intelligo, quòd ſit quædam directio talis actionis, quatenus ſupponitur, cum habere maiorem ſingulorum hominum meritorum informationem, ne confuſio oriatur, ita tamen vt detur locus alios nominandi à Definitoribus, qui non fuerunt nominati à Prouinciali:

1. Hoc præmiſſo: an ſit licitus modus eligendi per fabas, & lupinos, ſeù calculos, licitus tamen præſumitur ſaltem authoritate Apoſtolica, dum integra Religio non inferioris ordinis vtitur præſcripto modo ex vi ordinationis generalis. Prim. not. ſit, quòd in electione canonica requiritur ſumma, & plena libertas, cap. Vbi periculum. §. Cæterum. de elect. in 6. cap. Cum terra, de elect. quæ libertas in hoc conſiſtere videtur: eligere vnum ex pluribus, ideſt voluntariò vnum ex pluribus capere, vt optimè demonſtrat Panormit. in citato cap. Cum terra n. 1. & cap. Licèt n. 2. eod. tit. quem Petrus de Baiſio in ſuo directorio electionis p. 1. c. 6. cum cæteris Canoniſtis ſequitur, ita vt, ſi in electionibus vnus ex pluribus non capiatur, tunc electio deficeret in ſubſtantia, quæ dat eſſe rei. l. Qui hæredi l. Mæuius. ff. de condition. & demonſtrat. l. Cum hi. §. Propter aditus. ff. de tranſact. Euerard. in topocis legalib. loco 53. Bald. in l. Comparationes in 3. qu. in fin. & ſemper cenſenda erit nullius roboris, quia ſine ſubſtantia eſſet, quod contradictionem implicat, eſtque communis opinio, quam ſequuntur Sigiſmund. de elect. dub. 25. n. 4. & 5. Rodriq. tom. 2. qu. 51. art. 11. Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 22. concl. 3. Ex hac doctrina ſequitur, quòd electio à Præſidente, ſeù quocunque alio nequit coarctari ad duas, vel tres perſonas, ſeù quatuor, quia ligatur libertas electorum, vndè ſemper cenſenda eſt nulla. Ita ſentiunt Abb. in dicto cap. Cum terra. n. 4. & in cap. Vbi periculum. eod. tit. in 6. Rodriq. vbi ſupr. & Mirand. vbi ſupr. art. 22. concl. 3 Caſtellin. de elect. c. 12. diff. 1. n. 27. Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 21. §. 8. verſ. Dico 2. Bordon. in conſ. Regul. reſol. 26. n. 26. Samuell. de elect. tract. 2. contr. 4. n. 11. Sigiſmund. vbi ſupr. verùm ſi idem Præſes quatuor proponeret, addens vel alium quemcunquè idoneum, non intelligeretur coarctata electio, cum poſſint tunc electores vnum ex pluribus capere. Ita Bordon. & Peirin. vbi ſupr.

Not. ſecū quòd, ſi ſtante reſtrictione, adhuc electores ſeligunt aliquem non nominatum, electio ſubſiſtit, & Præſul tenetur habere ratam huiuſmodi electionem. Ita Peirin. Bordon. Rodriq. Mirand. vbi ſupr. vnà cum Paſqualig. qu. canon. qu. 125. n. 6. addens, quòd, ſi non confirmaretur huiuſmodi electio, peccaretur contra iuſtitiam, tum quia priuarentur electores iure ſuo, quod habent eligendi talem perſonam; tum quia fieret iniuria electo; priuaretur enim ſine cauſa iure acquiſito per talem electionem, & læderetur bona opinio ipſius.

2. Not. tert. quòd duplex libertas deſignari poteſt in actibus humanis ſecundum doctrinam S. Thom. 1. 2. qu. 13. art. 1. & 4. ibi Caietan. altera quoad exercitium, & eſt illa, per quam ipſum exercitium, ſeù in ipſo caſu actus eſt indifferens; quia videlicet facultas exercēdi illum actum ita eſt libera eum exercendi, vt requiſitis omnibus poſitis ad agendum, poſſit agens illum agere, & non agere, & illum velle, & non velle: altera verò quoad ſpecificationem; & eſt illa, quæ habet hanc libertatem agendi, & non agendi, volendi, & non volendi æque liberam circa omnia, & ſingula obiecta.

3. Not. quart. quòd Rectores, & Reges, cognita rerum viciſſitudine, de qua ſic loquitur S. Baſil. hom. 12. in princip. prouerb. *Verùm cuncta humana mobilitate quadam rerum inexpectata viciſſitudine ſubduntur; ſicut igitur mare in eodem ſtatu con-*

*ſiſtere*

*ſiſtere non diù poteſt, ſed quod vides tranquillum, paulo poſt venterum impetu turbatum aſpicies, quodque horridum, & vndis fervens, ac tumidam, mox multa quiete conſiſtere videbis; ſic humana res facilè vtrinque convertuntur*: præ oculis ſemper debent habere, ne multitudo ſibi ſubiecta culpa ſua tempeſtati ſubdatur, bonum commune, tanquam finem ipſius multitudinis, inquit Suarez de ligib. c. 7. n. 4. lib. 1. & S. Thom. 3. polit. lect. 11. ait. *Finis politiæ recta eſt felicitur vivere*: hinc eſt, quòd Cicero lib. 2. de offic. Ariſt. 5. ethic. c. 3. & 6. & 3. polit. c. 5. Caluac. de brach. reg. p. 1. n. 124. Bobadil. lib. 2. polic. c. 1. n. 1. & 2. Menoch. conſil 1287. n. 33. Petr. Gregor. lib. 6. de Rep. c. 6. n. 4. aiunt munus Principis eſſe conſeruare pacem, iuſtitiam, tranquillitatem, ac tueri proprios ſubditos. Porrò de hoc fine non eſt conſiliandum, an ſit faciendum, vti dixi alibi: ſed eo præſuppoſito, vt inquiunt S. Th. ex Ariſt. 3. ethic. lect. 8. & 1. de regim. Princip. c. 2. & Ægid. Roman. de regim. Princip. p. 1. lib. 3. c. 13. ſunt inquirenda media, quæ ſubijciantur poteſtati Principis, inter quæ, inquit Suar. vbi ſupr. eſt lex, quæ eſt velut inſtrumentum, per quod Princeps moraliter influit in Rempublicam, vt illam gubernet; proindè leges, ne iniuſtæ exiſtimentur, ſemper debent ferri in commune bonum, vt docet S. Th. 1. 2. qu. 60. vbi Caiet. & communiter DD. tunc lex à Legislatore ſancienda ſemper cenſanda erit conferre ad bonum commune, ideſt ad pacem, felicitatéque multitudinis, quandò duobus malis, quæ deſtruunt ipſam pacem, & felicitatem, obſtabit, nempè tyrannidi Præſidentium, & ſeditioni, ſeù factioni multitudinis, vt pluries dixi, & dicam: de prim. loquitur S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 6. *Sic eſt diſponenda Regni gubernatio, vt Regi iam inſtituto tyrannidis ſubtrahatur occaſio; ſimul etiam ſic eius temperetur poteſtas, vt in tyrannidem de facili declinare non poſſit*: de ſecundo ſic affatus eſt Ægid. Roman. vbi ſupr. *Sic eſt diſponenda Ciuitas, vt conſeruetur in pace, & vt ibi ſeditiones non inſurgant*: his ſuppoſitis.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. VT electio canonica dicatur libera, ex cuius defectu ſequitur nullitas, vt dixi ſuperiùs, nō ſolùm requiritur libertas exercitij, ſed etiam quoad ſpecificationem. Quæ concluſio firmatur contra Samuellium de elect. canon. tract. 2. diſp. 1. contr. 3. concl. 5. & 6. ita aſſerentem: Actus electionis canonicæ, vt liber exiſtat, ſat eſt, ſi habeat libertatem quoad exercitium, ita vt eligens poſſit aliquem hic, & nunc eligere, & non eligere: Suadetur ex eius doctrinis: admittit tanquam ſubſtantiale electioni, vt ſit libera; cum eligere, inquit tract. 2. diſp. 1. contr. 2. concl. 1. ſit vnum ex pluribus voluntariè capere: ſed libertas quoad exercitium non dat vnum ex pluribus voluntariè capere, ſed tantùm capere, & non capere nominatum, & præſentatum: igitur ad canonicam electionem non ſolùm requiritur libertas quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. Admittit etiam contr. 4. concl. 3. n. 11. quòd electio coarctata ad tres, ſeù quatuor perſonas certas, & determinatas eſt nulla: ergo tantò magis erit nulla coarctata ad vnam perſonam, licèt poſſit eligi, & non eligi: conſequentia probatur, quia in illa coarctata ad tres perſonas includitur in ſingulis libertas, quoad exercitium; nam quælibet poteſt eligi, & non eligi, & tamen ſecundum ipſum eſt nulla: ergo tantò magis erit nulla coarctata ad vnam perſonam, eſto poſſit eligi, & non eligi: igitur clarè apparet veritas concluſionis, & falſitas Doctoris.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

1. PRouincialis nominatio, ſeù præſentatio eligendorum, vt Guardianorum munere fungantur, non eſt intelligenda coactiua, ſed tantùm directiua: In primis ſuadetur, quia huiuſmodi electio non eſſet plenè libera; de eſſentia enim, & ſubſtantia libertatis eſt vnum ex pluribus voluntariè capere: ſed ſi electores cogerentur vnum ex propoſitis ſeligere, non eſſet vnum ex pluribus voluntariè capere, ſed

ſed coactè capere, quos vult Prouincialis; nam ipſe multos, ac multos poteſt negligere: igitur huiuſmodi nominatio ad hoc vt ſaluetur plena libertas, habenda eſt tanquam directiua electionis Guardianorum.

Suadetur ſec. leges, quæ ſtatuuntur, ſemper ordinantur in ordine ad bonum commune, ideſt ad conſeruandam pacem, ac concordiam hominum, eiuſque malis, quæ ſunt tyrannis, ac ſeditiones, vt dixi in quart. not. obſtandum: ſed ſi huiuſmodi nominatio eſſet coactiua, non aduerſaretur prædictis malis; non enim eſſet temperata Prouincialis poteſtas, ne de facili declinare poſſit in tyrannidem; nam facillimè poſſet incidere in regimen iniuſtum, tantùm nominando, ac præſentando amicos, & fortè eos, qui eum ſelegerunt aliquo intereſſe ductus, ne priuetur iure dominij, mediantibus eorum votis, ſaltem in amico, quem intendit ſublimare vice ſua; vel intendit à Definitoratus munere excludere nõ amicos, & includere amicos, vt ſuo nutu totum regimen inflectat abſque remedio, alijs excluſis, quorum merita non ſunt inferioris ordinis nominatorum; hoc enim eſt tyrannicum. *Si igitur*, inquit S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 1. *regimen iniuſtum per vnum, aut per plures tantùm fiat, quia ſua commoda ex regimine quærant, non autem bonum multitudinis ſibi ſubiectæ, tales Rectores vocantur tyranni nomine à fortitudine deriuato, quia ſcilicet per potentiam opprimunt, non per iuſtitiam regunt*: nec eſſet ita diſpoſita multitudo, ne de facili poſſit in ſeditiones incidere; nam cum facillimè poſſit Prouincialis nominare eos, qui ſibi placent, alijs ſpretis, ac neglectis, quod ipſis intolerabilius erit, niſi magna virtute polleant; ideò maxima cum facilitate ſeditionem aggredientur: *Ipſi inhonorati*, inquit Ariſt. 5. polit. c. 3. *& alios honoratos cernentes ſeditionem aggrediuntur*: igitur huiuſmodi ſtatutum iuxta regulas iuſtæ legis ſemper erit cenſendum directiuum, & non coactiuum. Tert. nonne iuſtitia præſertim diſtributiua confert ad finem regiminis, vnionem videlicet, & pacem? profectò, imò ea abſciſſa, abſcinditur etiam pax inter ſubditos, vt dixi plurimis in locis, vt videre eſt in indice tit. Iuſtitia, ſed præſertim in tractatu de iuſtitia diſtributiua: ergo lex, quæ ſancitur, ſemper proferri debet de ijs, quæ conferunt ad finem multitudinis, ad pacem videlicet. Ita S. Th. 3. polit. lect. 12. *Lex eſt ordinatio quædam ſecundum rationem de conferentibus ad finem politiæ*: ſed ſi ſtatutum, ſeu lex, quæ tribuit nominationem Prouinciali, eſſet tantùm coactiua, non eſſet in ordine ad ea, quæ conferunt ad vnionem, & pacem Religionis; quia Prouincialis in iudicandis ijs maximè quæ pendent à ſuo intellectu, vt ſunt merita, & demerita ſubditorum, difficilè videtur eſſe odio, vel amore eum non ductũ iri, quia, vt rectè dicit Mirand. to. 2. qu. 25. art. 5. homines, vtcumque perfecti, carne cum ſint induti, ſæpiſſimè paſſionibus perturbantur, multiſque alijs rebus, quæ ipſos à recto tramite, & à veritate deflectere faciunt, vndè multorum merita forent neglecta, & poſtpoſita in magnam violationem iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ eſt vnicum medium conferens in vnionem, & pacem multitudinis: igitur omninò eſt dicendum eſſe ſtatutum, ſeu legem tantùm directiuam; nam quandò affectio Prouincialis ſua nominatione aliquorum merita negligit, aliorum nominationes eius defectum ſupplent. Tandem ſuadetur quart. quia, cum lex conſiſtat in ratione, & ſine ratione non ſit lex, cap. Conſuetudo diſt. 1. quia eſt anima legis, vt habetur in l. cum oratio. ff. de bonis damnat. & tradunt Alex. conſ. 32. n. 5. & conſ. 129. Tuſc. pract. concl. tom. 4. l. R. concl. 31. n. 15. & alij: recta quippe ratio dictate nequit, quòd cuncti Religioſi, inter quos multi excellunt tam virtutum, quàm doctrinarum prærogatiua, velint ſua merita, quibus per profeſſionem non renunciarunt, fore iudicanda ab vnius hominis iudicio, qui aliquandò ſupra meritum, & fortè artificijs dignitatem Prouincialatus obtinuit: igitur, &c.

Dices, forma præſcripta actui celebrando eſt omninò obſeruanda, vt communiter tradunt DD. nam dat eſſe rei. l. Diuus ff. de integ. reſtit. l. Iulianuſ. 9. §. ſi quis rem ff. ad exhibendum. Clement. 1. de rebus Eccl. non alienan. Iaſ. in l. Cum quiſ.

quis n. 11. C. de iuris, & facti ignorat. Caſtellion. conſ. 17. n. 9. Tiraq. de retract. legis §. 2. Anton. hom. var. tom. 1. c. 2. n. 7. vndè, ea ablata, & omiſſa, corruit actus. cap. Cum dilectus de reſcript. c. Quia propter. de elect. Rebuff. in tract. de pacific. poſſeſſ. nu. 155. Tiraq. de retract. conuent. §. 4. Gloſſ. 6. nu. 31. cum ergo in huiuſmodi Guardianorum creatione per ſtatutum generale fuerit præſcripta forma talis, vt Guardiani eligendi priùs nominentur à Miniſtro Prouinciali; ideò, ne corruat actus, hæc eſt obſeruanda, eò præſertim quia eſt ſtatuta præter ius commune; forma enim ſufficienter dicitur inducta cum aliquid ſtatuitur præter ius commune, vt reſoluunt Roland. conſ. 71. n. 61. lib. 3. Boccac. in conſtit. March. Gloſſ. 6. n. 168. Reſp. doctrinam traditam valere de forma ſubſtantiali, & non de accidentali, vt eſt illa, de qua loquimur, vt optimè inſinuat Suarez de legib. lib. 5. c. 31. n. 2. Salas de legib. qu. 96. tr. 14. diſp. 16. ſect. 9. n. 36. Barboſ. in tract. var. axiom. axiom. 100. n. 1. Regula verò pro cognitione formæ accidentalis inter alias aſſignatas ea eſt, quandò ſupponitur poteſtas, & præcipitur forma, ſeù ſpecialis modus procedendi, ſi non addatur clauſula irritans, intelligitur forma accidentalis, & conſequenter illius omiſſio non cenſetur irritare actum. Ita tradunt Gloſſ. in Clement. 1. de iur. patron. verb. inhibẽtes. Felin. cum alijs in cap. Ex parte de conſtit. limit. 2. Suar. vbi ſup. in caſu noſtro, quandò fuit tradita forma pro Guardianorum electione, ſupponitur poteſtas tradita toti Definitioni à Summo Pontifice, qui iuri communi derrogauit; electio enim Priorum de iure communi ſpectat ad cœnobiorum familias, ideò accidentalis. Et id magis confirmatur, ſi inſpiciatur §. de hoc incluſum in Breui Apoſtol. Vrbani VIII. dat. 10. Nouembr. 1642. Religios viros pro eius confirmatione vna cum alijs, in quo nulla fit mentio de nominatione, ſicut de votis ſecretis, & de ballotationibus; nam ſi eſſet aliquid ſpectans ad formam eſſentialẽ, à ſupplicante eſſet expoſita, vt confirmetur à Summ. Pontifice.

*TERTIA CONCLVSIO.*

6 SOcijs Prouincialis, nempè Definitoribus in Guardianorũ electione non eſt interdicta alia nominatio, ſeù præſentatio, præter nominationem Prouincialis; vndè poſſunt eam facere, & aliquandò tenentur, ſicut etiam Prouincialis ſub eadem obligatione præſentatos à Definitoribus ſuffragijs ſubiacere tenetur. Tres habet partes concluſio, quarum prima ſatis clara habetur in probationibus præcedentis concluſionis. Recordentur tamen Definitores res Regulares ſemper fore pertractandas maxima cũ pace, nec non & cũ reuerentia erga Superiores; ideò huiuſmodi nominatio erit humiliter exponenda, & quaſi priùs petita licentia à Prouinciali. Secunda pars habetur, quia cum onus ſatisfaciendi ſubditorum meritis ſit ex iuſtitia diſtributiua, quæ obligat ſub mortali, vt dicunt DD. quoties ergo à Definitoribus dignoſcitur ipſam iuſtitiam lædi, quia aptus, ſeù apti à Prouinciali non nominantur, toties inſurgit obligatio eos neglectos nominandi; electoribus enim incumbit onus propagandi ipſam iuſtitiam, cum non ſint Domini, ſed adminiſtratores; imò talis obligatio inſurgit ex munere iuſtitiæ commutatiuæ, quæ ſemper intendit conſulere bono communi propagando pacem, ac vnionem, quæ diſſolueretur, ſi multi, & tamen apti ad munera Guardianorum obeunda non præſentarentur; non enim pax, ac vnio multitudinem poſſunt coronare, niſi ex rectè propagata iuſtitia, vt dixi plurimis in locis. Tertia pars clarè habetur ex dictis, quia ſicut Definitores ab obligatione tam diſtributiuæ, quàm commutatiuæ iuſtitiæ ducti tenentur nominare neglectos; ita etiam vtraque iuſtitia ductus Prouincialis tenetur ſub mortali nominatos admittere, eoſque votis ſubdere, prætérquamquod tenetur etiam ex officio non obſtare illis, qui muneri aſſumpto ſuis functionibus volunt ſatisfacere.

Dicet Prouincialis non nominati à me non ſunt apti; ideò fuit eis denegata præſentatio. Reſp. quòd, cum vnuſquiſque etiam ſanctiſſimus nõ eximatur à paſſioni-

bus, in tali caſu ſe debet ſuſpectum habere, & nominatos ab alijs multorum iudicio ſubijcere, mediante votorum ſorte.

Dicet iterum obſtare eis viſitationem, quia aduerſus hos nominatos non deſunt clamores mihi expoſiti tanquam Patri, Reſp. cum Nauarr. de ſpol. cler. §. 2. n. 78. & lib. 3. conſ. de Regul. conſ. 56. Superiori etiam non recognoſcenti alium Superiorem, dicenti ſe facere aliquid ex iuſta cauſa, non credi, niſi conſtet de illa, ſi id nequit facere ſine cauſa.

## DVBIVM CLVI.

*An, renuente Prouinciali exponere votis nominatos à Definitoribus, poſsint hi eos exponere, & tandem eligere in Guardianos.*

### SVMMARIVM.

1. *Multa deſignātur, & explicantur, quæ ſunt neceſſaria ante canonicam electionem.*

2. *Agitatur quædam quæſtio inter Bartolum, & Panormitanum; an ad rectè eligendum ſaltem requirantur duæ partes eligentium.*

3. *Poſſunt, ac debent Definitores in Guardianos eligere eos ab ipſis nominatos, licèt Prouincialis non concurrat ad eorum electionem, & electio tenet, modò ſit celebrata à maiori parte.*

1. Not. prim. quòd priuſquam ad canonicam electionem celebrandam perueniatur, neceſſariò requiritur abſentium vocatio, diei aſſignatio, electorum abſentium expectatio, ſeù eorum procuratorum, quæ omnia ſi omiſſa fuerint, eſto non faciant electionem irritam, & nullam, efficiunt tamen, vt poſſit declarari nulla. Ita habetur ex cap. Quòd ſicut §. Si autem. de elect. in 6. Abb. in cap. Quia propter de elect. n. 17. in 6. cum omnibus DD. communiter: dicitur abſentium vocatio, eorum ſcilicet, qui habent ius eligendi cap. Coram, cap. Bonæ memoriæ cap. Quòd ſicut, & ibi Gloſſ. verb. Vocatus de elect. vndè cap. Quia propter in princip. de elect. & cap. Coram eod. tit. dicitur *Præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commodè intereſſe*: videatur Rebuff. ad l. Abſentem 199. verſ. ad hæc ff. de verb. ſignificat. p. 632. & in comp. alienat. n. 77. Coſm. in pragm, ſanctiou. cap. frequenſ. verb. abbreuiat. p. 60. latè Iul. Lauor. var. lucubr. tit. 4. cap. 17. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 3. Sigiſmund. de elect. dub. 8. num. 1. in nouis Barboſ. de iur. Eccleſ. cap. 19. num. 88. dicitur, *qui debent*, ad includendum, qui de iure communi, & ſpeciali conuenire tenentur; item etiam qui de conſuetudine intereſſe debent electionibus: videatur Sigiſm. vbi ſupr. n. 4. referens quamplurimos DD. ad excludendum quoquè, qui de iure non debent intereſſe: Mirand. tom. 2. quæſt. 23. art. 6. Panorm. in cap. Quia propter de elect. Barboſ. in collect. DD. cap. Quia propter de elect. qui addit ex ſenſu Mirand. nam multi prohibentur eligere; vel quia priuati ſunt; vel alios inhabiles, quia quidem, etiam ſi non vocentur, tenet nihilominus electio, & omnia alia capitularia, licèt nondum ſit proclamatum; an ſint priuati, quia ſufficit, quòd poſſint poſtea conuinci: dicitur, *& volunt*, per hoc excluduntur, qui intereſſe nolunt. Panorm. vbi ſupr. Hoſtienſ. ſumm. de elect. & elect. poteſtat §. Qualiter eſt facienda electio; Sigiſm. vbi ſupr. Tabien. 1. elect. num. 12. Barboſ. de iur. Eccleſ. cap. 19. num. 224. referens multos, Tamburin. vbi ſupr. quarè non debent compelli, niſi interſit Eccleſiæ; Panorm. vbi ſupr. in cap. Quia propter communiter receptus Sigiſmund. Barboſ. in collect. DD. numer. 11. Mirand. vbi ſupr. nec debent computari in numero duarum partium; Panorm. Mirand. Tambur. n. 11. Barboſ. in collect. DD. vbi ſupr. dicitur; *& poſſint commodè intereſſe*, per hæc verba excluduntur, qui commodè non valent venire, c. Cum inter. 2. de elect. Innoc. in cap.

Cum

Cum ex iniuncto. de nou. opor. nunc. Mirand. Sigiſm.n.6.& Barboſ.n.1.vbi ſupr.qui addit, quòd bonus Iudex arbitrabitur & decretn, ac determinato, qui commodè vocari nequeunt, & ſine quibus celebrari potent electio.

2. Not.ſec. quòd non parua quæſtio excitatur inter DD. præſertim Bartolum citatum, & Panorm. in c. In cauſis de elect. n. 9. & ipſummet Panorm. Ille ait, quòd quantuncunquè vniuerſitas vocetur per magiſtratum, oportet tamen ad hoc, vt valeat, quod fit in vniuerſitate, vt accedant ſaltem duæ partes, & allegat l. Nominationum.C. de decu.lib.10.& l. Nulli.ff.quod cuiuſque vni. Hic inquit, quòd ſibi placet dictum Canoniſtarum, referens ex textu c. Cum nobis olim.& Gloſſ. dum dicta. Prim. quòd vocati nolentes venire faciunt ſe alienos. Secund quòd eſt abſurdum in numero computare illos, qui vocati venire noluerunt: per hoc ſubdit, quia ſicut ius vniuerſitatis poteſt reſidere in vno ſolo, alijs remotis, & longè agentibus, vt notatur in c. Gratum. de poſtulat. Prælat.& in l.ſicut ff.quod cuius vni, ita dicemus in alijs contumacibus nolentibus venire; abſurdum nanque eſt, quòd per contumaciam particularium debeant impediri negotia vniuerſitatis. ad l. Nominationum. & l. Nulli. Reſp: non loqui, quandò conuocatio fuit facta per Præſidentem vniuerſitatis, & non ſunt vocati in contumacia: ſed quandò vniuerſitas per ſe congregatur; nam oportet, quòd tunc ſint duæ partes præſentes. Ita ſentit Innoc. hæc Panorm. cuius ſententiam tanquam veram ſequũtur Tambur. vbi ſupr. qui ſic loquitur: Nec ita eſt neceſſarium, vt congregentur duæ partes, quia poſſent aliqui facientes duas partes nolle intereſſe, nec per hoc electio eſſet impedienda;ſed à præſentibus celebrari deberet, quia abſurdum foret per particularium contumaciam vniuerſitatis negotia impediri. Lauor. vbi ſupr. tit. 4. cap. 17, num. 25. quem citatum ſequitur Barboſ. de iur. Eccleſ. cap. 19. num. 98:

*CONCLVSIO.*

3. Die ordinato, ac prefixo legitimè congregatis electoribus Guardianorum, & renuente Prouinciali, nominatos à Definitoribus ſubijcere votis, ij poſſunt, ac debent efficere, quod recuſat Prouincialis, eoſque ſeligere, qui dum maiorem partem votorum habebunt, erunt cenſendi rectè electi. Prima pars ſuadetur, quia Prouincialis computandus eſt inter eos, qui nolunt vota ferre; vndè eorum electio erit valida, & canonica, vt dixi in prim. not. & ad tollendum omnem ſcrupulum, quia eſt caput Definitionis, obſeruari poterit illud, quod dicit Samuell.de elect.canon.tract.1. diſp.2.contr.4.n. 8. nempè illum trinè monere; ſi adhuc recuſat, licitè ad electionem procedi poteſt, quia abſurdum eſſet per particularium contumaciam vniuerſitatis negotia impediri: videatur alius ſenſus Caſtellin.de elect. c. 5. n. 76. de modo procedendi in caſu. Secund.habetur ſatis probata ex probationibus 2.part.3.concl.præcedentis quæſiti, eas conſulite. Tert.ſuadetur ex doctrina Abb.conſ.25.n.4. lib. 2. & in cap. Quia propter de elect. n. 5. Franc. Marc. deciſ. 924. Perez l.3. Gloſſ.2. poſt princip. tit.3.lib.2.ord.Lauor. vbi ſupr. c. 19. n. 85. Barboſ.de iur.Eccleſ.c. 19. n. 220. aſſerentium, quòd electio debet fieri à maiori parte comparatiuè ad minorem partem omnium congregatorum pro electione.

Pro fine tractatus ſunt addenda aliqua notanda cuiuſdam Doctoris oſtendentia, quid ſit obſeruandum in electionibus Priorum, quæ fiunt à Prouinciali cum Definitoribus pro eorum legitima electione.

Not. 1. huiuſmodi prouiſiones Superiorum conuentualium de iure communi ſpectare ad conuentum, cui præficiendus eſt Superior, aliàs quæ fiebant per electionem c. Congregatio. 16.qu.7.c.Abbatem el.2.c. Abbas fin.q.vltim.c.Cum terra. & c. 1. de elect.c.Cum dilectus de conſuetud.vbi Abbaſ.c.2.§.fin.de ſtatu monach.Hoſtienſ.in ſum. tit. de elect.§. qui poſſit eligere, verſ. ſi non apparet Felin.in c. Sed petitionem n.1.de accuſat. Gloſſ.in c.Sciãt cũcti.verb. ſpectat de elect. in 6. Varallus deciſ. 296.

X 2 p. 1.

p.1. Nauar. cõm.3.de Regul.n.2.Rota dec. 65.p.1.recent. & deciſ. 294.n.5.coram R. P.D.Coccino: verùm tamen eſt, quòd apud multas, multaſque Religiones hodiè de iure particulari translatæ ad Superiores, vel Prouinciales, vel Generales, cum ſuis Definitoribus iuxta cuiuſq; Religionis ſtatuta; vndè talia ſtatuta, vtpote iuris communis correctoria, vt reſoluit Rota in terminis deciſ.65.n.9.p.2. recent. ſunt intelligenda, vt corrigent textum ſolùm, quantùm loquuntur, l.ſi iure, §.de viro ff.ſolut.matr. Decius conſ 333.n.2. verſ. quibus tamen. Pariſius conſ.12.lib.4. Bart. Alex. & alij in l.1.§.lex Falcidia, ff.ad leg.falcid. Rota deciſ.724.n. 16.part.1. diuerſ. vbi dicitur de communi. Roman.conſ.199. Mareſt.lib.2. varia.c.29. n.13. Rota deciſ.853.n.6. p.4.diuerſ.& deciſ.398.n.4.coram Sanctiſſimo Ludouiſ. & cum duo poſſunt operari, ſunt interpetranda, vt vnum tantùm operentur contra ius commune. Butr. in c Cum dilecti de donat. Roman.conſ.199.n.7.Gratian.conſ.43.col. 1.lib.1.Tiraquel.de retract.ligna.§.1.Gloſſ. vni.n.4. Rota deciſ.853.n. 8.p. 4. & deciſ. 432.n.10.p.1.diuerſ. Ex quibus infero.

Not. 2. Prouinciales cum Definitoribus in electionibus, ſeù prouiſionibus Guardianorum in illos iure ſtatutorum translatis, obſeruare debere, & teneri formam traditam in c. Quapropter de elect. quia electiones ſunt faciendæ ab illis, ad quos translatæ ſunt, ſicuti fiebant ab illis, ad quos pertinebant, antequam transferrentur. Gloſſ. in Clem. quia Regulares, verb monaſterium de ſupplen. neglig. Prælat. Io. Andr. in regula contra eum in 6. Felin. c. Cum acceſiſſent n. 18. de conſtit. Selua de benef. p. 3. qu. 49. Lambert. de iure patr. 3.p. qu. 7. n. 13.lib.3. Gutierez, conſ. 1.n.71.& conſ. 2. n. 15. Gonzalez.ad 8.Reg. Cancell. Gloſſ. 46.n.43.ex multis relatis.Garcias de benef. p. 10.c.3.n.42. Cum ergo dictæ electiones à Conuentibus eſſẽt faciendæ iuxta dictum caput, Quia propter, ſequitur, quòd eodem modo ſint faciendæ etiam à Prouincialibus, & Definitoribus iuxta idem caput. Formam autem in eo c. traditam non eſſe per Triden.ſeſſ.25.c.6.de Reg. ſublatam dixit Rota in Metinen. Monaſterij 5.Iulij 1621.corã R.P.D.Coccino, vbi allegatur Zerola, Rodriquez, & Azorius, & confirmauit in Treuerenſ. Abbatiæ 20. Nouemb. 1624. coram eodem, vbi habetur etiam Concilium ſolùm addere, quòd nedum vota ſint ſecreta, ſed ita, & taliter, vt eligentium nomina nunquam publicentur: idem tenet Rodriq. tom. 2. qu.52. à 8 verſ. circa quam Garcias de benef.p.5.c.5.n.189.

Not. tert. quòd vbi adeſt clauſula irritans, ibi non poteſt dari contraria conſuetudo, ita vt poſſit allegari conſuetudo in contrarium. Ita Io. Andr. Archidiac. Domin. n. 6. Francus n.4. & alij in c. Cum de beneficio de præbend.in 6. Præpoſit. Alex. in c.in iſtis §.leges diſt.4. Barbat. in Clem. 1 n.23.de elect. Felin. in c. Cum acceſſiſſent n.3.verſ.quarta limitatio de Conſtit. Probos ad Monach. in c.Tibi qui, de reſcript.in 6. ſub n.8.Rochus in c.fin.de Conſuet.ſect.7.n. 7. Rebuff. in concordatis tit. de ſit. & irreuocab.concord.ſtabilit.§.1.Ruinus conſ.13. n.3.volu.2.& conſ. 102.n.11.volu.3.Ferret. conſ.223.n.12.Nauar. in c. Cum contingat de reſcript.2.cauſa nullitatis, & de ſpoli.§. 14.n.2.& 3. Gabriel. concl.3. de Clauſulis à n.39.Duarẽ.Reg.144.n.1.& Hoieda de incompatibil. benef.c. 10.n. 5. & alij plures DD. etiam Rota in verdun. benef. Parochi. 22. Iunij 1586. coram R.P.D. Gypſio, vbi fuit dictum, quòd decretum irritans omnem vſum, & contrariam conſuetudinem tollit, quam refert Garcias 4. part. cap. 2. num. 50. & hanc ſententiam Gabriel. de clauſulis concl.3 n.40.dicit eſſe communem, & tenet Garcias part. 5. c. 4.n. 179. Boerius deciſ. 1.n. 49. 50. Farinac. in tract. de immunitate n.15. Mart. de clauſulis 191. n.9. vbi ait contra decretum irritans allegari non poſſe non vſum.

Ex his, quæ dicta ſunt, oboritur, quæ poſſunt prætermitti, & quæ eſſentialiter ſunt obſeruanda, ne electio corruat, quandò electiones Guardianorum celebrantur apud Prouincialem, ac Definitores.

# TRACTATVS OCTAVVS.

# DE PRIORIBVS, SEV GVARDIANIS CONVENTVVM.

## DVBIVM CLVII.

*An huiuſmodi Priores, ſeù Guardiani ſint verè Prælati.*

### SVMMARIVM.

1. *Prælati nomen dupliciter poteſt conſiderari largè, & ſtrictè.*

2. *Cænobiorũ Priores, ſeù Guardiani ſunt verè Prælati: tribus rationibus ſuadetur; & obiectioni ſatisfit.*

1. Pro intelligentia ſit prim. not. quòd nomen, Prælatus, accipitur dupliciter, vt notat Panormit. in c. Decernimus de iudic. n. 16. Prim. latè, ſub hac ſignificatione comprehenduntur omnes habentes in Eccleſia perogatiuam, & gradum honorificum ſine iuriſdictione, vt Plebani, Decani, Archipresbiteri, c. 1. de ætat. & qualit. ordinum: item omnes Eccleſiaſticæ dignitates à ſummo Pontifice vſque ad infimas, quæ habent curam animarum, vt colligitur ex c. Tua de Cleric. ægrot. vbi Abb. n. 2. & ex c. Cum ab Eccleſiarum de offic. ordin. Barboſ. de iur. Eccleſiaſt. lib. 1. c. 18. n. 1. & ita Parochus poteſt dici Prælatus hoc modo, ſed non propriè. Secund. ſtrictè, propriè, & iuridicè, & ita ſemper in iure cenſetur Prælatus, qui habet iuriſdictionem ſpiritualem, & ordinariam fori contentioſi, conſtat ex citato c. Decernimus; vbi Gloſſ. verſ. Eccleſiarum Prælati: videatur Suar. 4. de Relig. lib. 2. c. 1. n. 6. Azor. p. 2. lib. 3. c. 22. qu. 2. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. allegor. 36. n. 42. Peirin. de Prælato qu. 1. c. 4. §. 4. & alij penes ipſos: quamobrem ſub iſta propria appellatione Prælati non ſolùm ſunt connumerandi Superiores, ſed etiam inferiores omnes habentes ordinariam iuriſdictionem, vt docent Rebuff. in tract. de pacific. poſſeſſ. ſeſſ. n. 64. Franc. in cap. fin. notab. 1. Ne Clerici, vel Monach. & in cap. 1. notab. 3. de Cleric. ægrot. lib. 6. Put. deciſ. 238. nu. 3. lib. 3. in correct. Azor. vbi ſupr. cap. 25. quæſt. vnica: Barboſ. in collect. DD. in cap. Decernimus de iudic. citans ſe vnà cum alijs in tract. de appellatiua verborum vtriuſque iuris ſignif. appell. 215. nu. 1.

CON-

### CONCLVSIO.

2. PRælati regulares, qui cœnobijs præſunt, ſunt verè, & propriè Prælati. Ita conſtat ex c. Decernimus, vbi ſupr. & ex cap. fin. de pœnit. & remiſſ. & docent Panormit. in citato cap. de pœnit. Gloſſ. & Franc: in cap. Nullus de elect. in 6. Angel. Silu. tit. delegatus, Suar. vbi ſupr. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 1. quæſt. 2. nu. 2. Vitialin. in Clement. num. 3. de ſuppl. negl. Prælat. & alij, quos refert, & ſequitur Barboſ. vbi ſupr. in cap. Decernimus. Suadetur ratione: habent enim iuriſdictionem ſpiritualem fori contentioſi, eamque ordinariam, quæ omnia ſunt neceſſaria ad conſtituendum hominem verè Prælatum, poſſunt quippè ſuorum ſubditorum confeſſiones audire, quia ſunt velut Parochi; & ideò non debent carere hac iuriſdictione, vt notat Suar. vbi ſupr. c. 2. num. 7. & ecce iuriſdictionem in foro pœnitentiæ; poſſunt etiam excommunicare, vt probat Peirin. vbi ſupr. ex textu, & ex Nauarr. Sot. Henriq. Sa, Tolet. Sayr. Auil. & Fagund. videatur etiam Barboſ. in collect. DD. cap. Abb. Eccleſiarum referens textum, & DD. & ecce iuriſdictionem contentioſam: quòd poſtea huiuſmodi iuriſdictio ſit ordinaria, habetur ex eo, quia iuriſdictio, quæ conuenit alicui per electionem Collegij, vel Vniuerſitatis ad officium eſt ordinaria, vt docent Gloſſ. in cap. Cum Eccleſiar. de offic. ordin. tit. Eccleſiaſtica. Panorm. in cap. Suſpicionis, de offic. delegat. num 7. Armill. tit. Prælatus num. 1. Suar. vbi ſupr. num. 8. Silu. tit. Prælatus: ſed huiuſmodi Prælati eliguntur ab vniuerſitate cœnobiorum: eorum igitur iuriſdictio ſemper cenſenda erit ordinaria. Inſuper iuriſdictio, quæ competit officio, vel dignitati, vel habetur ex conſuetudine, eſt ordinaria ex Innoc. & Panorm. in ca. 1. 2. & 3. de offic. ordin. & habetur in lib. 1. ff. de offic. eius, cui mandata eſt iuriſdictio: Abbatibus autem, cæteriſque Prælatis cœnobiorum competit huiuſmodi iuriſdictio ratione officij dignitatis, & immemorabilis conſuetudinis: ergo,

Dices, cenſenda ſemper erit vera concluſio de Prælatis, qui creantur à cœnobijs, prout ius cõmune præcipit, non verò de illis, qui eliguntur aliter quàm per talem electionem. Reſp. falſum eſſe, vt optimè probat Oldrad. conſil. 281. & adducit cap. Scriptum eſt de elect. & Cum in Eccleſ. de mai. & obed. cap. Decernimus de iudic. Panormit. in Clement. & ſi Prouincialis num. 6. de reſcript. Silu. tit. Prælatus quæſt. 2. Sorb. in annot. ad compendium tit. Guardianus. Rodriq. & Mirand. quos citatos ſequitur Sigiſmund. de elect. in 2. edit. dub. 115. Iuriſdictio enim, quæ competit alicui non ratione perſonæ, ſed perpetuò ratione officij, & dignitatis, eſto conferatur ex Principis priuilegio, eſt ordinaria, & non delegata, & poteſtatis ordinariæ iura habet, vt docent Bartol. l. ambitioſa num. 34. ff. de Decret. ab Ordin. fact. n. 1. de offic. ordin. & ibi Imol. Couarr. 3. Variar. cap. 20. num. 6. in initio. & num. 9. in fin. & num. 10. in init. Henriq. lib. 13. de excomm. cap. 24. num. 2. Silu. tit. delegatus quæſt. 4. dict. 1. Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 40. num. 14. & lib. 8. diſp. 2. num. 10. Suar. de legibus lib. 6. cap. 15. num. 1. Bartholom. de Vecchis in prax. nouitior. diſp. 7. dub. 1. num. 2. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. punct. 3. allegat. quæſt. 3. n. 16. Samuell. de elect. canonic. diſp. 4. tract. 3. contr. 11. num. 4. Sigiſmund. de elect. in 2. edit. dub. 115. Nauarr. cap. 27. n. 45. Paſarell. compend. minimor. c. 15.

Ex hac doctrina ſequitur, hanc poteſtatem ordinariam alijs poſſe delegari, vt communiter fatentur DD. & elicitur præſertim ex Couart. vbi ſupr. Cordub. quæſt. 8. de Indulgent. Lopez p. 1. inſtruct. cap. 284. Silu. vbi ſupr. quæſt. 8. d. 1. Angel. tit. excommunic. 5. caſu num. 39. Felin. c. fin. num. 8. de offic. deleg. Iaſon. l. à Iudice. C. de Iudicib. num. 2. Baſſæus in ſumm. tit. Confeſſar. 1. num. 9. Nauarr. vbi ſupr. videatur Couarr. citat. circa iſtud multa dicens.

## DVBIVM CLVII.

*Quonam iure diuino, an humano fruantur huiuſmodi Prelati tali iuriſdictione.*

### SVMAMRIVM.

1. *Referuntur DD. qui dicunt iuriſdictionem oadinariam competere Prælatis de iure diuino.*

2. *Probabilior opinio eſt contraria.*

3. *Licèt accipiant iuriſdictionem à Summo Pontifice, dependenter tamen à ſuis Generalibus: habetur quadam obſeruatio.*

4. *Eam poſſunt delegare, & nonnulla adnotantur in ordine ad hanc delegationem.*

### *PRIMA CONCLVSIO.*

1. NOn caret probabilitate opinio illa, quæ dicit huiuſmodi iuriſdictionẽ eſſe de iure diuino. Ita Baſſæus in ſumm. tit. Confeſſar. 1. n. 9. tanquã vera tamẽ admittitur à Medin. lib. de indulgent. cap. 24. Rodriq. tom. 1. qu. 17. art. 25. Mirand. tom. 1. qu. 13. art. 4. Coriolan. de caſib. reſeru. p. 1. ſect. 1. art. 3. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 2. diſp. 1. qu. 3. & omnes alij id dicerent, qui affirmant Epiſcopos habere huiuſmodi iuriſdictionem à iure diuin. vt Maior. in 4. diſt. 17. qu. 7. Sot. 4. diſt. 24. qu. 2. art. 2. Victoria relect. 2. de poteſt Eccleſ. c. 2. Caſtr. de hæreſib. v. Epiſcopatus, tum quia Prælati, inter quos etiam enumerantur omnes Religionum Prælati, illam habent iuriſdictionem, de qua Matth. 18. *Dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*; vbi nomine Eccleſiæ iuxta ſenſum DD. præſertim Chryſoſtom. Prælati intelliguntur, tum quia cadunt ſub illis verbis Chriſti Domini: *Quæcunque ligaueris*, &c. nam verè Prælati Religionum ligant, & abſoluunt, ſicut omnes alij Prælati Eccleſiæ, tum quia habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem, & hi ſecundùm DD. relatos vbi ſupr. vtuntur iuriſdictione habita immediatè à Chriſto Domino.

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

2. LOngè probabilior videtur eſſe altera opinio, affirmans, illam iuriſdictionem eſſe de iure humano. Ita Baſſæus vbi ſupr. tanquam certam tamen probant Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9. num. 7. Bordon. in conſil. Regular. reſol. 2. n. 3. & id etiam debent concludere illi omnes, qui aſſerunt Epiſcopos, cæteroſque Prælatos inferiores, etiam Curatos eam poſſidere emanatam à Summo Pontifice, vt S. Thom. in ſupplemento 3. part. qu. 40. art. 4. Bann. 2. 2. quæſt. 1. art. 10. punct. 2. dub. 5. concl. 5. Bellarmin. lib. 4. de Pontific. Roman. c. 23. Megal. lib. 1. de pœnit. c. 7. n. 3. Faber. diſp. 31. de pœnit. à n. 46. tum quia ad ſummum Pontificem pertinet, approbare Religiones c. Ne nimia de Relig. dom. c. Religionem eod. in 6. Azor. part. 1. lib. 11. c. 23. q. 5. & par. 2. lib. 5. c. 7. qu. 1. Peirin. in conſtit. ſui Ordin. minimor. tom. 1. conſt. 12 Archiepiſcopi Pyrrhi, Rodriq. tom. 3. qu. 48. art. 3. Reginald. in prax. lib. 18. n. 364. Barboſ. de offic. & poteſt Epiſcop. part. 3. allegat. 50. n. 45. ſecundum Lugdun. impreſſ. ergo ab eodem cuncti Prælati recipere debent iuriſdictionem, tum quia probat Sotus lib. 4. de iuſtit. qu. 5. art. 1. quem pro ſe citat Rodriq. q. 22. ar. 6. to. 1. Nauarr. conſil. 3. de ſtatu Monach. n. 51. Summ. Pontifex reſpectu omnium Religioſorum eſt illorum, Generalis, Prouincialis, & Guardianus, ſeù Prior, imò, vt dicit Suar. vbi ſupr. talis modus Prælationis emicans in Religionibus immediatè eſt inſtitutus ab Eccleſia, & non à Chriſto Domino immediatè; igitur debet ſingulis iuriſdictionem communicare: aliæ rationes videantur apud DD. citatos. Rationes verò in contrarium poſſunt ſolui; vel quia loquantur de poteſtate ordinis, quæ ſatis deſcribitur à Tamburin. vbi ſupr. qu. 2. n. 5. aut de Apoſtolis, vel quia dependent à Deo, tanquam à prima cauſa, & originatio principio, à quo omnes riuuli iuriſdictionum dimanant: videatur Suar. vbi ſupr. qui ſatis longam ſolutionem adducit.

3. Pro fine duo ſunt animaduertenda.

Prim.

Prim. quædam verba Fagund. in 2. præcept. Eccleſ. lib. 8. c. 4. Prouinciales, vbi ad munus canonicè eliguntur, ſtatim accipiunt iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem à Summ. Pontif. immediatè, dependenter tamen à ſuis Generalibus: Generales verò illam etiam accipiunt immediatè à Papa; & ideò illis Papæ poſſunt reſtringere, & temperare ex cauſa, quoties ita ad maiorem vtilitatem animarum iudicauerint; reliqui verò Superiores locales, veluti Guardiani, Rectores, Abbates, quocunque nomine vocentur, iuriſdictionem etiam accipiunt immediatè à Papa, cum dependentia tamen à ſuis Prouincialibus, & Generalibus: cuius doctrina ſemper erit intelligenda iuxta doctrinam Emin. Lugo de pœnit. diſput. 20. ſect. 3. n. 34. vbi referendo duas opiniones de nimia reſeruatione facta ab Epiſcopis: an ſit valida, ſic dicit de prima opinione affirmante fore inualidam. Aduertendum etiam eſt Authores primæ ſentẽtiæ nõ loqui de reſeruatione Epiſcopi in ordine ad Confeſſarios, qui ſolùm ex mera eius delegatione iuriſdictionem haberent; nam ijs ſicut poteſt nullam dare iuriſdictionem, ſic poteſt eam pro libito limitare, vel omninò auferre; ſed loquuntur in ordine ad Parochos, qui, licèt beneficium ab Epiſcopo accipiant, non tamen poſſunt pro libito Epiſcopi ſua poteſtate, & iuriſdictione priuari, quia facta diuiſione Parochiarum non poteſt Epiſcopus ſine authoritate Summi Pontificis, Parochos amouere, & omnẽ eorum iuriſdictionem ad ſe aduocare; vndè eodem modo dicendum videtur in ordine ad Regulares, quos ſi Epiſcopus approbet; nam ij non dependent ab Epiſcopo quoad iuriſdictionem, quam per ſua priuilegia accipiunt à Summo Pontifice, quarè non magis poteſt Epiſcopus eam per nimiam reſeruationem caſuum limitare, quam iuriſdictionem Parochorum, etiam vbi ex decreto Clementis VIII. Regulares non poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis.

Vndè idem eſt dicendum cum proportione de reſeruatione facta à Prælatis Regularibus; nam ij, ſecluſa prohibitione Clementis VIII, potuiſſent procul dubio limitare validè iuriſdictionem Confeſſarijs ſuorum ſubditorum, & reſeruare ſibi plura peccata, quia tota iuriſdictio illorum Confeſſariorum erat merè delegata, & dependens ab ipſis Prælatis; non tamen poſſet Generalis v. gr. vel Prouincialis reſeruare ſibi plura, & plura peccata limitando facultatem Prælatorum localium, quia hi, licèt eligantur à Prælatis Superioribus, ſemel tamen electi ſunt Parochi ſuorum ſubditorum, & non poſſunt Prælati ſuperiores auferre illum ordinem per Religionis conſtitutionem ſtabilitum: hæc Emin. Lugo: & hæc dicta ſunt in fauorem opinionis Fagundez.

4. Secund. quòd omnes, qui habent iuriſdictionem ordinariam eam poſſunt delegare iuxta c. Inter cętera de offic. ordinand. & cap. Cum Epiſcopus eod. tit. in 6. quia vnus ex proprijs actibus iuriſdictionis ordinariæ eſt delegatio: Suar. de pœnit. diſp. 26. ſect. 2. n. 3. Sanch. de matrim. lib. 3. diſp. 31. n. 2. Layman lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 11. & alij communiter; & ita Summ. Pontif. Epiſcopi, Parochi, Generales, Prouinciales, Guardiani, &c. poſſunt ſuam iuriſdictionem alteri delegare, vt etiam dixi in dub. præced. Summ. Pontif. ergo fruitur ſumma, & vniuerſaliſſima poteſtate delegandi; & ideò poteſt ſuam iuriſdictionem cuilibet perſonę delegare pro quolibet loco, & pro quibuſcumque peccatis independenter ab Epiſcopis, & Parochis; imò etiam illis contradicentibus: videatur Layman, & Suar. vbi ſupr. Quamobrem ſicut poteſt validè reſeruare omnes caſus; licèt illicitè id faceret, quia iuriſdictio omnium inferiorum dependet à Summ. Pontif. vt docent Suar. vbi ſupr. diſp. 29. ſect. 4. & Emin. Lugo vbi ſupr. diſp. 20. ſect. 3. ita poteſt omnem delegationem omnium aliorum inferiorum interdicere, quia ſi poteſt per reſeruationem tollere iuriſdictionem, tantò magis delegationem poterit prohibere; nã minus eſt hoc, quàm illud Epiſcopus verò non poteſt à Parochis per reſeruationem eorum totalem iuriſdictionem ſuſpendere, vt iam dixi; ita vt eorum delegationem totalem reſcindat ob rationem Emin. Lugo ſuperiùs aſſignatam de iuriſdictione, cum ſit eadem ratio; nam id præſertim ſpectare videtur ad directum regimẽ

vt

vt eam poſſit delegare ſecundum caſus, qui de facili poſſunt occurrere; vel quia Confeſſatij deputati non ſunt grati pœnitentibus; vel quia ita poſtulatur à pœnitente ob ſuam maiorem conſolationem ſpiritualem, &c. & ideò non rectè eſt loquutus Suar. vbi ſupr. diſput. 25. ſect. 2. n. 3. quem ſequitur Baſſæus vbi ſupr. n. 5. dicendo, Epiſcopum poſſe Parochorum delegationem impedire, ſicut poteſt caſus reſeruare; non tamen eſt mirandum, quia tenet ſect. 4. nimiam reſeruationem Epiſcopi in damnum etiam Eccleſiæ, licèt illicitam, eſſe validam: quod dicitur de Epiſcopis circa Parochos, idem eſt aſſerendum de Generali, ac Prouinciali erga Priores, ſeù Guardianos.

## DVBIVM CLIX.

*An authoritas competens Prioribus electis à familijs per electionem canonicam cōpetat etiam illis Prioribus, qui aliter, quàm per electionem inſtituuntur: & an ea poſſit limitari à Superioribus.*

### SVMMARIVM:

1. *Duobus modis eliguntur Prælati locales: illis, qui eliguntur à familijs locorum, conuenit iuriſdictio ordinaria in ſubditos.*

2. *Iuriſdictio, quæ conuenit Prælatis à familijs electis, conuenit etiam alijs aliter electis, quàm per electionem.*

3. *Religionum ſtatuta nequeunt limitare iuriſdictionem Prælatorum localium; modò non accedat Summi Pontificis confirmatio in forma ſpeciali.*

1. Titulus ſupponit dari duplicem ſpeciem Prælatorum conuentualium: aliqui ſunt, qui eliguntur, à familijs, cœnobiorum, quorum electio eſt conformis iuri canonico præcipienti huiuſmodi electionem, vt vidimus in diſp. de creatione Guardianorum vbi ſupr. nonnulli alij verò ſunt; qui aliter quàm per electionem prædictam inſtituuntur, vt ſunt, qui creantur à ſolo Generali, vt mos eſt apud Ieſuitas, qui inſtituuntur à Prouinciali cum ſuis Definitoribus, vt facit tota Religio Franciſcana cum alijs Religionibus; qui eliguntur à vocalibus Capituli Prouincialis, vt conſueſcunt fratres Carmelitæ diſcalceati, &c. primis autem competit iuriſdictio ordinaria in ſubditos, cum eam poſſideant ex iure communi. Innoc. in c. Cum ab Eccleſiarum n. 1. de offic. ordin. Rota deciſ. 2. n. 1. tit. de præſcript. in nouiſſ. Sigiſmund. de elect. dub. 114. n. 2. in 2. edit. Samuell. de elect. canonic. tract. 3. diſp. 4. controuerſ. 10. n. 3. & ita hiſce Prælatis fauent omnia priuilegia ipſis conceſſa: quæritur ergo, an tota hæc authoritas competat ſecundis Prælatis localibus.

### PRIMA CONCLVSIO:

2. Prorſus cenſendum eſt huiuſmodi Prælatos locales eadem frui authoritate, ac iuriſdictione, quam habent illi, qui eliguntur à familijs cœnobiorum ſecundum ius commune. Suadetur ex eo, quia, ſi eam non poſſiderent, eſſet, quia eliguntur aliter quàm per electionem: ſed hoc non impedit, quin ſint verè Prælati, & in ſubditos gaudeant iuriſdictione ordinaria, eamque poſſint delegare, vt dixi in dub. 157. imò in eorum creatione electores tenentur ſeruare c. Quia propter, vt adnotaui in creatione Priorum in dub. 154. igitur luce clariùs eſt eam poſſidere, & ita elicitur ex Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 3. n. 9. alios referente; quarè non rectè dixit Sigiſmund. vbi ſupr. cum dicit de his, ideſt de Prioribus à cœnobijs electis, intelligo Sanch: in terminis enim loquitur de Prioribus, ſeù Præpoſitis, qui eliguntur aliter, quàm per electionem. Præterea, ſuadetur ex doctrina Sigiſmund. vbi ſupr. n. 4. aſſerentis omnia, quæ conceduntur non ratione iuriſdictionis in ſubditos, ſed ratione dignitatis ſolùm, æquè competunt vtriſque Prælatis, ſcilicet electis, & item prouiſis, quia tam hi, quàm illi ſunt Prælati, vt probatum eſt, hæc Sigiſmund. ſed iuriſdictio in ſubditos conuenit Prælatis localibus, non ratione perſonæ, ſed dignitatis, & officij, vt probaui in calce concluſionis dub. 157.

ergo eadem iuriſdictio competit vtriſque Prælatis localibus; hoc argumentum demonſtrat quandam diſtinctionem eiuſdem Sigiſmundi non eſſe rectè formatam.

### SECVNDA CONCLVSIO.

3. RElligiones ſuis ordinationibus, ac conſtitutionibus nequeunt vtriſque Prælatis cœnobiorum huiuſmodi iuriſdictionem in ſubditos, quæ eis competit ſecundum ius commune, limitare. Suadetur, quia nullus inferior Pontifice condere poteſt ſtatuta contra ius commune, c. Quod ſuper hiſ. de maior. & obed. Panorm. & Dec. in cap. Si duobus de apellat. Nauarr. lib. 1. conſil. 3. num. 1. de electíon. in nouiſſ. Rodriq. 3. tom. quæſt. 11. art. 1. Suar. de legibus lib. 6. cap. 26. tum quia lex Superioris tolli nequit ab inferiori, Clem. Ne Romani. de elect. tum quia inferior nullam poſſidet iuriſdictionem contra Superiorem, Nauarr. lib. 3. conſil. tit. de Regular. conſ. 5. tum quia inferior ſubuertere nequit iura Superioris, vt docent Surd. conſil. 98. num. 6. Crauet. conſil. 238. num. 5. Cardoſ. in Prax. Iudicum tit. lex. 9. ſed omnes Religiones ſunt inferiores Summis Pontificibus; igitur limitare nequeunt huiuſmodi iuriſdictionem.

### TERTIA CONCLVSIO.

ACcedente Summi Pontificis confirmatione in forma ſpeciali ad ſtatutum, poteſt Religio limitare huiuſmodi iuriſdictionem, & in hoc corrigere ius commune. Ita omnes DD. Dixi, corrigere, ad oſtendendum quòd ſtatutum concedens aliquid contra ius commune eſt correctorium iuris communis, vt docent Rota deciſ. 65. num. 9. p. 1. in recent. Sigiſmund. de elect. vbi ſupr. n. 4. Samuell, vbi ſupr. n. 9.

Aduertendum tamen eſt cum Nauarr. lib. 4. conſ. tit. de Regul. conſ. 3. quòd non ſufficit generalis licentia ad ſtatuta condenda, ſed requiritur, vt Generalis cum Capitulo obtineat ſpecialem licentiam, & facultatem, vt derogare poſſit iuri communi, aliter nullius momenti erunt ſtatuta condita: quandò enim Summ. Pontif. dat licentiam generalem condendi ſtatuta aliqua in communi, ac deniquè in generali confirmat, intelligitur, dummodò ſint licita, & honeſta, ac ſacris Canonibus non aduerſentur, & hoc eſt valdè notandum.

## DVBIVM CLX.

*An confirmatio in forma ſpeciali derogante iuri communi, quòd ſcilicet electio Guardianorum creetur aliter, quàm per electionem, intelligatur etiam, quòd ſit derogatum iuri communi, ita vt poſſit Religio coarctare, & limitare iuriſdictionem Prælatorum localium, quæ eis competit ſecundum ius commune.*

### SVMMARIVM.

1. *QVid ſit confirmatio, & ſub duplici forma poteſt concedi; & qualibet explicatur.*

2. *Itidem explicatur, in quo conueniant, & in quot differant.*

3. *Priuilegium corrigens ius commune conceſſum in forma ſpeciali poteſt vni derogare, altero relicto in ſuo robore, eſto inter ſe habeant connexionem, & hoc tripliciter poteſt conſiderari.*

4. *Guardiani electi ex. gr. à tota Definitione fruuntur iuriſdictione ordinaria, ſicut alij creati à familijs locorum iuxta primam, & ſecundā acceptionem ex tribus deſignatis.*

Dubium mouetur, quia iuriſdictio conſequitur ex creatione, nam eo ipſo, quòd quis eſt electus in Guardianum, ſtatim habet iuriſdictionem ordinariam à iure in ſubditos: quæritur ergo, &c.

1. Pro intelligētia ſit prim. notand. quòd multipliciter accipitur nomen, confirmatio, ſed de hoc cōſulēdi ſunt DD. præſertim Barboſ. in collect. DD. in tit. de confirmatione vtili, & inutili; ad rē noſtrā tamen eſt definitio Bald. in l. Si expreſſimus n. 17. ff. de appellat. Abb. in c. 1. n. 5. de treg. & pace. Gutier. conſil.

conſil. 11. n. 5. *Eſt iuris quocũque modo quæſiti per legitimum Superiorẽ facta corroboratio*: quæ definitio per verba, iuris quocunque modo quæſiti oſtendit, dari duplicem confirmationis ſpeciem; alterã in forma cõmuni, alterã verò in forma ſpeciali, ſiue ex certa ſcientia. Prima eſt, cum Superior, non præcedente cauſæ cognitione; actum ab inferioribus geſtum confirmat: de hac loquitur c. Examinata 3. tit. de confirmat. vtili, & inutili, c. Qui diuerſitatem in princ. de conceſſ. præbend. c. 2. vbi Gloſſ. 2. Ne ſede vacante, de qua vide Dec. in c. a. 0. 5. de confirmat. vtili, & inutili. Curt. iun. conſ. 279. n. 27. lib. 3. Riminald. iun. conſil. 117. lib. 2. Secunda verò dicitur, cum ſcilicet fit cum perfecta notitia totius negotij, & omnium eius circunſtantiarum, velut quandò tenor totius priuilegij, ſeù ſtatuti inſeritur in ipſa confirmatione: de hac loquitur c. 1. c. Veniens de traoſact. c. Pin. tit. de confirmat. vtil. & inutil. & Clem. 1. de iudic. de qua vide Decian. in c. Porrecta o. 15. tit. de confirm. vtil. & inutili Roman. cõſ. 336. n. 2. Molin. de primogen. lib. 2. c. 7. n. 9. Maſcard. de probat. concl. 22. Rot. deciſ. 455. num. 3. p. 2. diuerſ. ad hoc ergo, vt confirmatio, ſeù reſcriptum dicatur ex certa ſcientia, duo copulatiuè requiruntur, alterum, vt totus tenor inſeratur, alterum verò, vt cum eo cauſæ cognitio concurat, alioquin, voo iſtorum deficiente, gratia io forma communi intelligitur obtenta: Pariſ. conſil. 33. n. 51. lib. 5. Alexand. conſil. 128. n. 18. & num. 22. lib. 4. Grat. conſil. 47. n. 5. lib. 1. Socin. iun. conſil. 32. n. 4. lib. 3. & alij, quos citatos ſequitur Barboſ. in collect. DD. cap. Cum dilecta tit. de confirm. vtil. &c. in dubio an confirmatio ſit in forma communi, an potius in forma ſpeciali, ommiſſis aliorum reſolutionibus, magis receptum eſt; quòd nunquam præſumatur confirmatio in forma ſpecifica. Ita Dec. vbi ſupr. à n. 44. cum ſeqq. Tuſcus lit. C. concl. 708. n. 7. Garc. de benefic. part. 3. c. 2. n. 225. cum ſeqq. Molin. vbi ſupr. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. Gloſſ. 45. §. 1. n. 76. Aloyſ. Ricc. in collect. deciſ. part. 5. collect. 1192. Suar. de legibus cap. 18. num. 4. Rodriq. tom. 1. qu. 8. art. 3.

Prò ſecund. notand. ſit, quòd vtraque confirmatio pro pręſenti in hoc cõueniunt, quia per vtramque tribuitur authoritas, & robur actui, qui confirmatur cap. Quis neſciat 11. diſtinct. Abb. in cap. Ea quæ num. 4. de re iudic. Vital. in tract. de clauſul. in clauſul. ſupplentes; differunt verò prædictæ confirmationes, quia confirmatio in forma communi actui, aliàs nulli, validitatem non tribuit, nec dat vim non habenti cap. Quia diuerſitatem de conceſſ. præbend. cap. Cum dilecta. §. Nos igitur verſ. volentes, de confirmat. vtil. & inutil. Oldrad. conſ. 237. n. 8. Butr. in cap. Dudum num. 7. de decim. Crauet. cooſ. 668. num. 2. Innoc. & Imol. in cap. Dudum de dec. Felin. in cap. inter dilectos num. 13. de fid. inſtrum. Abb. ibid. & alij, quos refert, & ſequitur Barboſ. in collect. DD. in citat. cap. Cum dilecta. num. 21. confirmatio verò ex certa ſcientia actui oullitate carenti robur validitatis tribuit, cumque firmum facit, & validum, cap. 1. & cap. Veniens de tranſact. Felin. cap. Inter dilectos n. 3. de fid. inſtrumen. Paoorm. ibid. Oldrad. vbi ſupr. num. 12. Petr. de Vbald. de collect. num. 44. Gutier. conſ. 51. num. 5. Tuſcus lit. C. tit. coofirmatio ex certa ſcientia; Suar. de legib. cap. 18. num. 12. Palaus p. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 2. §. 10. num. 5. Giuoipat. io defenſ. iur. Pontif. diſp. 1. quæſt. 1. cap. 3. num. 2.

3. Not. tert. quòd, quandò ſunt duo diſtincta, atque diſparata ordinata à iure communi, licèt inter ſe habeant connexionem, priuilegium corrigens, ſeù ſtatutum confirmatum in ſpeciali forma poteſt vni derogari, altero relicto in ſuo robore, vt per ſe patet, quia illa connexio non ſe opponit alterius derogationi, ita vt alterum non permaneat in ſuo robore: exemplum ſit in caſu: Eſt ſecundùm ius commune, quòd electio Guardianorum, ſeù Priorum fiat à familijs cœnobiorum, & eo ipſo, quòd ſuot electi, habeant iuriſdictionem ordinariam in ſubditos; ſunt tamen, licèt dependeat vnum ab altero, diſtincta, & diſparata, iuriſdictio enim non eſt electio, neque hæc eſt illa; vndè non ſequitur, quòd ad vnius derogationem, ſequatur

etiam alterius derogatio, & ita confirmatio in forma ſpecifica, quæ validat ſtatutum aliàs nullum, quoad derogationem Priorum, ita vt poſſint creari aliter, quàm per electionem canonicam, tripliciter poteſt conſiderari. Prim. quatenus in forma ſpeciali per clauſulam, ex certa ſcientia, &c. confirmat ſtatutum Religionis, corrigens ius commune, ita vt electio Guardianorum ampliùs non celebretur á locorum familijs, ſed ex. gr. à Prouinciali vnà cum Definitoribus, nulla facta mentione eorum iuriſdictionis in ſubditos. Secund. facta mentione derogationis iuriſdictionis aliquarum rerum nominatarum. Tert. facta mentione derogationis aliquarum rerum nominatarum; hoc adhibito, & ſingularum ſecundùm omnes partes, &c.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

4. SI conſideremus ſtatutum confirmatum in forma ſpeciali, prout in prima acceptione ex tribus aſſignatis, quatenus eſt correctorium iuris communis, itaut electio Priorum aliter quàm per electionem celebretur, nulla facta mentione iuriſdictionis eorum in ſubditos procul dubio huiuſmodi homines electi in Guardianos fruuntur illa authoritate, ac iuriſdictione in ſuos ſubditos, ac ſi eſſent electi à locorum familijs. Suadetur ex doctrina Suar. de legib. lib. 8. cap. 14. num. 4. quæ explicat cap. De his de priuil. aſſerit ergo in hoc textu reprobari quandam reſtrictam interpretationem cuiuſdam priuilegij, per quam inutile reddebatur; deindè verò in textu additur, inquit ita eſſe interpretandum, vt priuilegiati aliquam indè gratiam conſequantor, & tandem adiungitur: *Dummodò ab alijs, quæ in re parochiali proueniant, prorſus abſtineant*: ex quo textu omnes colligunt, priuilegium, quod vni iuri derogat, non eſſe extendendum contra alterum, ſi citra læſionem alterius poteſt conſequi ſuam vtilitatem; idemque ſumitur ex cap. Parentibus, eodem. ſed id habetur in caſu; nam prædictum ſtatutum concedens ex. gr. Prouinciali, ac Diffinitoribus prouiſionem Guardianorum, aliter quàm per electionem familiarum locorum, derogat vni iuri, nempè quòd ampliùs talis electio non celebretur à conuentibus, & citra læſionem alterius habet ſuam vtilitatem, quia obtinet ſuum finem abſque eo, quòd lædat ius iuriſdictionis in ſubditos: igitur non eſt extendendum ad derogationem alterius iuris. Prætereà, ea, quæ lex non dicit, nec nos dicere debemus, nec eſt præſumendum l. Diſſentientes. C. de repud. & c. Illa tit. de ſede vacante: ſed huiuſmodi priuilegium, ſeù ſtatutum nullam facit mentionem de derogatione alterius iuris, nempè de iuriſdictione in ſubditos: ergo neque nos id dicere debemus, neque id eſt præſumendum.

### *SECVNDA CONCLVSIO.*

SI huiuſmodi priuilegium, ſeù ſtatutum inſpiciatur prout in ſecunda acceptione, abſolutè eſt dicendum Guardianos creatos aliter quàm per electionem frui illa iuriſdictione in ſubditos, quæ conuenit alijs Guardianis per canonicam electionem electis, de quibus nulla fit mentio in priuilegio, ſeù ſtatuto derogante. Suadetur ex eo, quia ſpecies extenſionis in materia correctoria iuris communis eſt prohibita; vndè quodlibet priuilegium, ſeù ſtatutum correctorium iuris communis non eſt trahendum vltra caſus in eo expreſſos. l. Præcipimus in fin. C. de appellat. Gloſſ. in cap. Quamquam poſt figur. caſus verſ. not. 1. de elect. in 6. Rota deciſ. 840. coram Card. Seraph. & deciſ. 661. num. 4. p. 1. in recent. ſed ſtatutum prædictum nonnullis caſibus derogat, nulla penitus facta mentione aliorum; ergo ad iſtos extendi nequit: ergo in iſtis pollent iuriſdictione aliorum Superiorum, qui ſunt electi ſecundum ius canonicum. Inſuper ſuadetur, & erit doctrina etiam firmans concluſionem præcedentem, ex doctrina Ioann. Andr. C. p. vnico de exceſſib. Prælatorum. Anchatan. Geminian. ibid. Abb. in cap. Examinata in 6. de confirmat. vtil. & inutil. Alexand. in l. Quamquam. n. 2. C. de teſtam. milit. Mantic. deciſ. 222. n. 2. Felin.

in

in cap. Nonnulli num. 32. de reſcript. quæ eſt, nunquam intelligi aliquid conceſſum contra ius commune, niſi ſpecialiter exprimatur: ſed hoc eſt in caſu noſtro: ergo nequit negari, quòd Guardiani tali priuilegio creati non habeant iuriſdictionem in ſubditos, de qua nulla fit mentio in ſtatuto pro derogatione eorum.

Dices, hanc probationem tantùm habere vim circa ea, quæ ſunt inſerta in corpore iuris, de quibus ſpecialis mentio in derogatione fieri debet, non verò circa priuilegia, quæ tribuunt iuriſdictionem Guardianis in ſubditos, quæ non ſunt inſerta in corpore iuris. Reſp. falſum eſſe, quia, eſto ſit verum, quòd non enumerentur in corpore iuris, quandò tamen fauent Religioni, & ſunt perpetua, vt ſupponitur, reputantur ob eorum perpetuitatem, ac ſi eſſent inſerta in corpore iuris. Ita Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 1.n.13. Henriq. lib. 7. de indulgent. c. 22. n. 3. & c. 24. n. 4. fin. Bonac. diſp. 1.q.3.punct. 7.§.1.n. 6. & 7. & alij penes ipſos Caſtr. Palaus p. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 10. n. 6. præterquamquod dici poteſt, quòd iſta ſpectant ad ea, quæ in facto conſiſtunt; vndè clauſula etiam ex certa ſcientia nil operatur circa ea, quæ in facto conſiſtunt, vt docent Alexan. conſ. 123. n. 20. verb. præmitto. & n. 22. & ſeq. vol. 4. Pariſ. conſ. 1. n. 81. lib. 1. & conſil. 4. n. 28. & conſil. 74. n. 29. lib. 4. Menoch. conſil. 1. n. 432. & conſil. 2. n. 330. & lib. 2. de præſumpt. 20. n. 2. Garcias de benef. c. 2. n. 232. Tuſc. lit. C. concl. 340. n. 44. & concl. 341. n. 20. Molin. lib. 2. de primog. c. 7. num. 21. Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 4. num. 6. & alij penes ipſos. Tertia acceptio indiget non medio- cri explica- tione; ideò mouetur ſubſequens quæſitum.

***

## DVBIVM CLXI.

*Quandò in confirmatione aliqua explicantur ſecundum ſubſtantiam, nulla facta mentione aliorum, ſed tantùm in communi, dicendo, reliqua confirmantur, omnia, & ſingula ſecundum omnes partes, articulos, &c. & clauſulæ, motu proprio, & ex certa ſcientia cadunt tam ſuper illa ſingillatim explicata, quàm ſuper reliqua tantùm in communi: quæritur, an confirmatio ſit in forma ſpecifica reſpectu omnium, an verò ſolum reſpectu eorum, quorum tenor ſaltem ſecundum ſubſtantiam eſt inſertus.*

## SVMMARIVM.

1. ***Adnotantur opiniones: an confirmatio dicenda ſit in forma communi, vel potiùs ex certa ſciētia, cum clauſula illa, ex certa ſcientia, apponitur, & nihilominus res confirmata non eſt inſerta in confirmatione.***

2. ***Confirmatio iuxta titulum intelligitur tantùm in forma ſpecifica reſpectu eorum, quæ enumerantur: quò fit, vt Prælatus localis circa illa nequeat ampliùs exercere iuriſdictionem, & circa alia poteſt: varijs rationibus ſuadetur, varijſque obiectionibus ſatiſfit.***

1. Illis præſuppoſitis, quæ de confirmatione dicta ſunt in præcedenti quæſito, non leuiter inter DD. agitatur quæſtio: an confirmatio dicenda ſit in forma communi, vel potiùs ex certa ſcientia, quandò clauſula illa, ex certa ſcientia, adijcitur; & nihilominus tenor priuilegij, aut rei confirmatæ non eſt inſertus in confirmatione. Affirmat prima opinio clauſulam, ex certa ſcientia, etiam ſi non inſeratur tenor rei confirmatæ ſaltem ſecundùm ſubſtantiam, producere ſuum effectum, qui eſt præſertim corroborare actum, aliàs nullum.

lum. Ita Dec. in c. Porrecta. n. 10. Abb. c. Examinat. circa fin. tit. de confirm. vtil. & inutil. Ripa reſponſ. 6. n. 10. lib. 2. Felin. in c. Cum vigeſimum. n. 12. de offic. delegat. &c. Nonnulli. de reſcript. Monoch. de arbitr. lib. 1. qu. 52. n. 9. Palaus p. 1. tract. 3. diſp. 4. punct. 2. §. 10. Suar. de legibus. c. 18. n. 14. Alexand. conſ. 15. Negat ſecunda aſſerendo, quòd clauſula, ex certa ſcientia, nòn ſufficiat, vt confirmatio ſit in forma ſpecifica, ita vt producat effectum intentum, ſed deſideratur etiam tenorem rei confirmatæ inſeri in cōfirmatione, aut ſaltem quoad eius ſubſtantiam: hanc amplectuntur Bald. in l. fin. C. de fruct. & lit. expenſ. & in l. fin. C. ſentent. reſcind. non poſſ. Beroius in c. 1. n. 37. & 42. de confirmat. vtil. & inutil. Mandoſ. ibid. Gozadin. conſil. 9. nu. 8. Alexand. conſil. 123. n. 20. 22. vol. 4. & cōſil. 125. & conſ. 126. vol. 2. Ferret. conſ. 38. Molin. lib. 2. de primogen. c. 7. n. 9. & lib. 1. c. 2. n. 21. vbi alios citat. Gabriel. lib. 6. de clauſul. concl. 1. n. 10. plures alios referens. Brunus conſil. 12. Ægid. deciſ. 392. & 475. Socin. Iun. conſil. 32. n. 4. vol. 3. Manric. deciſ. 222. n. 4. Paſqualig. in qu. mor. cent. 2. qu. 107. & alij. Ratio huius opinionis, quæ eſt ſequenda, prout inferiùs, poteſt eſſe, quia nequit confirmatio promanare in forma ſpecifica à Principe, niſi ab ipſo ſit volita ſecundum formam ſpecificam; vndè neceſſariò in eo requiritur eius cognitio, nam nil volitum niſi præcognitum, quæ cognitio clara nequit haberi, niſi ex cognitione rei in ſuo eſſe ſpecifico, & ſecundum omnes alias circunſtantias; aliàs non eſſet clara cognitio, ſed confuſa: confirmatio enim in forma ſpecifica dicit, quòd res in ſpecie ſecundum ſuum eſſe determinatum; & circunſtantionatum ita confirmetur, vt ex voluntate confirmantis abſolutè valorem accipiat, ac ſi de nouo ab ipſo fieret; quandò autem Princeps non inſerit tenorem rei confirmatæ, aut clarè non conſtat habuiſſe plenam informationem, non dat rei valorem ſecundum eſſe determinatum, nec declarat ſuam voluntatem, quòd tendat in rem confirmatam ſecundum eſſe determinatum, & circunſtantionatum: voluntas autem; quæ non exprimitur pro forma ſpecifica, non valet pro forma ſpecifica, quia tantùm ſolùm operatur, quantùm ſe declarat velle operari. Adde, quòd praxis docet ſæpè apponi clauſulam, ex certa ſcientia, & alias ſimiles de conſuetudine, eſto Princeps non fuerit in ſpecie informatus: hinc, cum Sixtus IV. confirmaſſet priuilegia Minorum, cum clauſula, ex certa ſcientia, motu proprio, mera voluntate, & de nouo conceſſimus. Iulius ſecundus in Bulla, quæ incipit: In militantis Eccleſiæ agro apud Rodriq. tom. 1. Bullar. reſpondet non fuiſſe confirmata priuilegia, quæ non erant in vſu: ſi ergo dicta clauſula tribueret eſſe confirmationi, ſeù priuilegijs in forma ſpecifica, etiam priuilegia, quæ non erant in vſu, reſtituiſſet, cum proprium ſit confirmationis ſpecificæ reſtituere priuilegia amiſſa, cum ſit noua conceſſio: hinc non videtur habere vim nouæ conceſſionis huiuſmodi clauſula, niſi conſtet Principem habuiſſe plenam notitiam, vt notat Rota deciſ. 666. n. 7. part. 1. Recent. apud Farinac. & deciſ. 192. n. 2. part. 1. Recent. apud eundem. Prætereà, intentio operantis, dum occulta manet, non cauſat; ſed ſolùm quatenus manifeſtatur, l. ſi repetendi ff. de condit. ob. cauſ. & notat Rota deciſ. 354. n. 6. apud Farinac. part. 1. ſed, dùm non exprimitur in confirmatione, ſemper manet occulta. igitur huiuſmodi confirmatio operationis expers eſſe debet, & conſequenter non in forma ſpecifica. Quamobrem dicendum eſt hanc eſſe veriorem opinionem, & ideò ſequenda eſt, non tamen eſt prima ſpernēda, vt non habeat aliqualem veritatem, quia, cum clauſula, ex certa ſcientia, operetur, vt habeatur præſumptio informationis in Principe, vt latè tradit Alexand. conſil. 15. n. 2. lib. 5. Rota apud Farinac. deciſ. 180. n. 2. p. 1. Recent. proindè admittendum eſt cum Farinac. clauſula 59. n. 14. in fin. cauſare tantùm præſumptionem informationis, quandò confirmatio verſatur circa aliquod vnum determinatum: his ſuppoſitis.

*CONCLVSIO.*

2. HViuſmodi confirmatio ſicut intelligitur in forma ſpecifica reſpectu eorum, quæ enumerantur, ſaltem quoad ſubſtantiam, ita vt ampliùs non fruantur Priores tali iuriſdictione in ſubditos, ſic nec intelligitur in forma ſpecifica pro alijs, quæ ſpeciatim non recitantur in dicta confirmatione, vel ſaltem quoad eorum ſubſtantiam; vndè iuſtè poſſunt vti tali iuriſdictione in ſubditos ſicut priùs. Suadetur: tunc adeſt confirmatio in forma ſpecifica, cum tenor rei confirmatæ, vel eius ſubſtantia inſeritur in confirmatione, vt patet ex ſecund. not. ſed in caſu, licèt dicatur, reliqua confirmari, &c. neque ſingula exprimuntur, neque eorum ſubſtantia notificatur: igitur reſpectu eorum nequit confirmatio habere vim formæ ſpecificæ, & conſequenter in his nulla derogatio. Præterea, regula admiſſa eſt, quòd ea, quæ lex vult, exprimit. l. vnica. §. ſin autem ad deficientis. C. de cadue. tollend. l. ſi ſeruus §. Prætor ait. verſ. non dixit. ff. de acquirend. hæredit. Tiraquell. in l. Si vnquam tit. libertis n. 3. Surd. conſ. 88. n. 4. & deciſ. 322. n. 22. & conſil. 245. n. 45: vol. 2. Gutier. pract. lib. 5. qu. 22. n. 7. Alexand. conſil. 94. lib. 2. ergo confirmatio vnà cum re confirmata, cum ſit quædam lex particularis, ſi illis voluiſſet derogare in forma ſpecifica, expreſſiſſet: ſed ſic eſt, quòd non expreſſit: igitur dicendum eſt, illa omnia, quæ carent expreſſione, carere etiam robore confirmationis in forma ſpecifica. Et id magis confirmatur, ſi ſenſum Menoch. conſil. 30. n. 8. Armendar. in proem. additionum ad recapil. legum: Nauarræ n. 150. & Barboſ. in collect. DD. c. Inter corporalia. tit. de translat. Epiſcop. n. 14. attendamus, qui aſſerunt, quòd id voluiſſe præſumitur lex, cum facilè id exprimere potuiſſet, neque expreſſit. Adde, quòd modus diſcretiuus Principis, qui ſecernit aliqua, quæ in ſpecie recenſet ſecundùm ſubſtantiam, & aliqua, quæ non ſpecialiter recenſet, niſi in communi, ſufficienter declarat diuerſitatem intentionum in ipſomet Principe; iuxta regulam, quòd vnius incluſio eſt alterius excluſio. l. Cum Prætor. init. ff. de iudic. & l. Cum maritus. C. de procuratoribus. & l. ait Prætor. §. ſed quod. ff. de minoribus. & c. Nonne, de præſumptionib. Thom. de Thomaſ. reg. 148. Menoch. de arbitr. caſu 37. n. 22. & conſil. 106. n. 314. Tuſc. tom. 4. lit. I. concl. 71. Surd. deciſ. 291. n. 2. Barboſ. in collect. DD. in citat. cap. Nonne. ſed Summ. Pontifex in huiuſmodi confirmatione modo diſcretiuo ſe habet aliqua in ſpecie recenſendo, nonnulla alia in communi, vt de ſe patet: igitur pro certo tenendum eſt illa recenſita quoad ſubſtantiam confirmari in forma ſpecifica, ita vt intelligantur derogata: alia verò recenſita tantùm in communi in communi confirmari, & conſequenter habere vim confirmationis in communi, cuius ius nequit attingere iuris communis derogationem, aliorumque priuilegiorum à Summ. Pontif. conceſſorum.

Dices, prædicta clauſula, ex certa ſcientia, in caſu nil operatur, & ideò fruſtra eſt appoſita. Reſpond. falſum eſſe; quia, licèt fortè nil operetur circa ea, quæ non ſunt recenſita ſingillatim, neque quoad ſubſtantiam in confirmatione; vndè ibi cenſetur eam eſſe appoſitam ex conſuetudine, proindè non debet eſſe in conſideratione, vt notant Tiraquell. in l. ſi vnquam, in præfat. n. 126. Couarr. rubric. de teſtament. ſec. pars n. 14. Menoch. conſ. 291. n. 24. nihilominus operatur reſpectu eorum, quorum tenor notatur, aut deſcribitur in dicta confirmatione.

Iterum dices, reſponſionem non ſoluere argumentum, quia, cum in Principe præſumatur ſcientia iuris, vt ex textu. Licèt de conſtit. in 6. ex Tiraquell. de nobilit. c. 20. n. 41. & c. 31. n. 537. Valaſc. conſ. 51. n. 6. Gonzal. ad reg. 8. cancell. §. 4. proem. n. 85. habetur, & cum ea, ſuper quæ cadit dicta clauſula, ſpectent præſertim ad ſcientiam iuris, ideo circa ipſa etiam cenſenda eſt ſuperflua. Reſp. etiam hoc falſum eſſe, ſufficit enim ad hoc, vt non iudicetur tanquam ſuperflua, quod ex conſuetudine apponatur, ſed melius, ſufficit ad hoc, vt, &c. quod declaret Principem procedere ex certa ſcientia iuris, & quamuis huiuſ-

modi

modi ſcientia præſumatur in Principe, nihilominus ſolent etiam ea explicari, quæ regulariter ſolent præſumi; vndè, vt verba non habeantur tanquam ſuperflua, ſufficit, quòd aliquid, vel minimum operentur, vt notat Crauet. conſil. 76. n. 29. Becc. conſil. 1 n. 10. Surd. deciſ. 36. n. 19. Macerat. lib. 2. reſol. 46. n. 13.

Rurſùs dices, totam hanc doctrinam ſatis deſtrui ex eo, quòd admittitur opinionem contrariam (quid operetur clauſula, ex certa ſcientia) non eſſe ſpernédam, ſed amplectendam, quandò confirmatio ex certa ſcientia, verſatur circa aliquod vnum determinatum, equidem ſumus in caſu; nam confirmatio eſt circa vnum determinatum, nempè circa iuriſdictionem, & licèt in dicta confirmatione nonnulla, in ſpecie explicentur, hoc fit ad maiorem explicationem; quarè etiam in rigore doctrinæ traditæ per huiuſmodi confirmationem, ex certa ſcientia, habetur totalis derogatio iuriſdictionis. Reſp. ſubtilem eſſe obiectionem, ſed etiam falſam, quia doctrina tradita ſemper erit intelligenda de vno ſpecifico, & non de vno generico; iuriſdictio enim Guardianorum circa ſubditos ſe habet tanquam genus, & cum genus ſit aliquid confuſum, vt omnes Philoſophi fatentur, neque habere effectum, niſi confuſum iuxta regulam, quòd effectus reputatur ſecundum naturam cauſæ, vt notat Bald. conſ. 150. lib. 5. Tuſc. lit. C. concl. 138. n. 10. ideò confirmatio confuſa, quæ opponitur confirmationi ſpecificæ, quæ tamen eſt illa, quæ debet derogare iuri communi, vt dixi ſuperiùs, & non generica.

Iterum inſtabis reſponſionem non ſatiſfacere, quia, licèt in philoſophia genus reſpiciatur tanquam aliquid confuſum; nihilominus apud legiſtas habetur pro expreſſo, expreſſum enim dicitur, quod in genere dicitur; videatur Tiraquell. Gloſſ. ſept. in verb. Expreſſ. referens text. & DD. præſertim Bald. & Bartol. proindè reſponſio non videtur ſoluere vim argumenti. Reſp. veriſſimam eſſe doctrinam, quæ patitur tamen ſuas limitationes, relatas à dicto Tiraquell. inter quas hæc connumeratur, quòd non procedat, quandò lex noua correctoria iuris antiqui requirit aliquid expreſſè fieri, quia tunc non ſufficiunt verba generalia, ſed debent nominarim fieri, & ſpecialiter, vt volunt Angel. & alij, quos citatos in ſexta limitatione ſequitur idem Tiraquell. in caſu noſtro ſatis fuit probatum id requiri; ideò reſponſio vera, & concluſio noſtra firma, & ſtabilis.

Particulæ verò, ſeù clauſulæ, motu proprio, quæ apponitur in confirmatione, non eſt inſiſtendum, quia adhuc effectus eſt minoris efficaciæ, quàm ſit clauſula, ex certa ſcientia imò nullius, quia clauſula, motu proprio, excludit ſolùm inſtantiam partis, & declarat, quòd Princeps ſpontè à ſe ipſo procedit. c. ſi motu proprio de præbend. in 6. & volunt Gram. deciſ. 605. n. 31. Menoch. conſil. 255. n. 40. Gloric. reſp. 1. part. 2. n. 56.

Verùm doctrina tradita mihi magis placet; contraria tamen non eſt ſpernenda, quia eſt æquè probabilis, & fortè magis recepta in praxi.

## DVBIVM CLXII.

*An Abbas, ſeù Prior in ſuo cœnobio, cui præeſt, pacem teneatur procurare.*

### SVMMARIVM.

1. *Tripliciter poteſt inſpici pax, & concordia; multiſque modis ea definitur.*

2. *Eſt finis omnis regiminis, & Imperij, eiuſque laudes deſcribuntur.*

3. *Prior tenetur habere pacem cum Deo, & curare, vt ſubditi ea itidem fruantur.*

4. *Sub mortali tenetur conſeruare pacem cum ſubditis.*

5. *Deſignantur media pro eius conſecutione, & documentum non parui momenti extenditur.*

1. Tribus modis (& hoc ſit prim. not.) poteſt inſpici pax, & concordia, inquit Gregor. Toloſan. de Republ. lib. 11. cap. 13. Prim. inter Deum, & Principem, & popu-

populum. Secund. inter Principem, & populum. Tert. inter ſubditos ipſos.

Not. ſec. quòd ſicut in omnibus rebus inuenitur pax, cum omnia pace conſtent; nec aliqua ſine pace ſubſiſtere poſſint; ita multis modis definitur ſecundùm D. Auguſtin. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 13. quem ſequitur D. Bernard. paru. ſermon. 16. *Pax itaque*, inquit, *corporis eſt ordinata temperatura partium, pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum; pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actioniſque conſenſio; pax animæ, & corporis ordinata vita, & ſalus animantis; pax hominis mortalis, & Dei immortalis ordinata in fide ſub æternæ legis obedientia; pax hominum ordinata concordia; pax domus ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium; pax Ciuitatis ordinata imperandi, atque obediendi concordia ciuium; pax cœleſtis Ciuitatis ordinatiſſima, et concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & inuicem in Deo; pax omnium rerum tranquillitas ordinis; ordo eſt partium, diſpariumq; rerum ſua cuiq; loca tribuens diſpoſitio; proinde miſeri, quia inquantum ſunt miſeri, vtique in pace non ſunt, tranquillitate quidem ordinis carent, vbi perturbatio nulla eſt*: hæc Auguſtin. non omnes definitiones congruunt noſtræ intentioni, ſed aliquæ, de quibus inferiùs.

2. Not. tert. quòd ſicut *Libertas*, inquit Chryſoſtom. hom. 23. in cap. 13. ad Roman. *illa diſſoluta, ac moderamine carens, vbique mala, confuſioniſque cauſa eſt*; ita Summus Prouiſor ad confuſioni obſtandum ordinauit, vt crearentur Rectores, ac Duces, vt inquit B. Laurent. Iuſtinian. de regim. Prælatorũ c. 3. *Verùm ne chiſma fiat in corpore, quoſdam ex membris inſtituit Rectores, atque Paſtores ad componendum credentium mores, & dirigendum eorum greſſus in diſciplina virtutum, ac ſemitis mandatorum cœleſtium*: quorum finis, vt plurimis in locis dixi, eſt pax, & teſtatur Gregor. Toloſan. vbi ſupra, quæ ab Auguſtin. definitur, *ordinata concordia*, conſiſtens præſertim, ait S. Thom. 3. ethic. lect. 4. *in conuenientia voluntatum, ſicut corpus in conuenientia humorum*: cuius laudes breuibus, ſed grauibus verbis tangit B. Laurent. Iuſtinian. de lign. vitæ tract. 5. de patient. cap. 1. dum dixit: *Magnum etenim pacis eſt bonũ; eſt enim pax ſecuritas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis; vinculum amoris, conſortium charitatis; hæc ſimulationes tollit, bella compeſcit; iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida; neſcit extolli, neſcit inflari; hanc, qui accipit teneat, qui perdidit, exquirat; quoniam, qui in ea non erit, à Deo alienus efficitur, nec ad hæreditatem Domini poterit peruenire, qui ad bonum pacis non ſtuderit peruenire*: quæ verba ſaltem vltima certè deſumpſit ex D. Auguſtin. lib. 19. de Ciuitat. Dei, cap. 13. *Deus*, inquit, *naturarũ omnium ſapientiſſimus conditor, & iuſtiſſimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum inſtituit mortales genus hominum, dedit hominibus quædam bona huius vitæ congrua, ideſt pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipſa ſalute, incolumitate, ac ſocietate ſui generis, quæque huic paci, vel tuendæ, vel recuperandæ neceſſaria ſunt, ſicut ea, quæ aptè, ac conuenientèr adiacent ſenſibus; lux iſta viſibilis; auræ ſpirabiles, atque potabiles, & quidquid ad alendum tegendum, curandum, ornandumque corpus congruit eo pacto æquiſſimo, ut quicunque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis rectè vſus fuerit, arripiat ampliora, atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, eique conuenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo, qui autem perperam, nec illa accipiat, & hæc amittat.*

*PRIMA CONCLVSIO:*

3. GVardianus, ſeù Prior localis ſub pœna lethalis culpæ toto conatu tenetur adhærere paci cum Deo, & procurare, vt ſubditi ea pariter fruantur, conſiſtente, teſte D. Auguſtin. vbi ſupr. in obedientia diuinæ legi præſtanda. Prima pars ſuadetur, quia id poſtulare videtur officium aſſumptum; illud enim exercere in peccato mortali eſt notabilis irreuerentia facta Deo, inquit Aragon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. & ſufficiens ad contrahendam

lethalem culpam, tum quia eligitur in miniſtrum Dei iuxta illud 1. ad Corinth. cap. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*: qui veró, ait Salon. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. controu. 1. inimicus Dei eſt, cum ſit in peccato, quomodò poteſt eſſe miniſter eius? qui clamat in Euangelio. Ioann. 12. *Qui mihi miniſtrat me, ſequatur*: & ideò S. Remig. in loc. Paul. citat. inquit: *Miniſter Chriſti eſt, qui præceptum illius ſeruando imitatur illum, ſicut ipſe dixit Ioãn. 12. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur*: tum quia eligitur in fidelem diſpenſatorem miſteriorum Dei, ideſt Sacramentorũ Eccleſiæ, inquiunt S. Anſelm. & S. Th. in loc. cit. S. Paul. pro quorum digna adminiſtratione tenentur diſpenſatores, dicunt communiter DD. viuere ſub æternæ legis obedientia, tum quia, ait S. Thom. 2. de reg. Princip. cap. 15. *Populum gubernare, iudicare, & vnicuique ſuorum ſubditorum ſecundum merita prouidere, tranſcendit virtutem naturæ*: vndè neceſſariò pro recta gubernatione indigent Rectores diuinis illuminationibus per Spiritum Sanctum: *Qui odit*, inquit S. Bernard. ſerm. 3. de Annunt. *ſordes, nec habitare poterit in corpore ſubdito peccatis*: ideò inter conditiones, quæ faciunt dignum miniſtrum pro Prælatura, eſt honeſtas morum, & probitas: videantur Sanch. lib. 2. conſ. cap. 1. dub. 2. Aragon. & Salon. vbi ſupr. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 1. num. 1. & audiatur Caietan. ſuper verb. Io: vlt. *Simon Ioannis diligis me plus his, inquiens*: *Qui non habet amorem Ieſu, non eſt Paſtor, neque Pontifex, niſi æquiuocè*. Secunda pars ſuadetur; quia Prælati ſunt dati in fidelium vtilitatem, inquiunt S. Thom. 1. de regim. cap. 1. S. Antonin. 3. part. tit. 19. cap. 11. Regin. in prax. lib. 20. num. 69. Salon. vbi ſupr. nulla maior vtilitas nequit eſſe niſi in dilectione ſubditorum pro æterna ſalute procurando mandatorum Dei obſeruantiam in eis, ſine qua nemo videt Deum, quia etiam proprium officium, atque munus Prælatorum eſt expurgare, inquiunt DD. congregationem ab omnibus vitijs, & peccatis, vt regularis obſeruantia de die in diem magis, ac magis propagetur; idcircò, inquit Dionyſ. Carthuſ. in opuſc. de regim. polit. lib. 1. cap. 17. *Bonum commune Ciuitatis, veraque pax, & proſperitas eius in hoc præſertim conſiſtit, vt populus in cultu, & honorificentia Dei benè ſe habeat, diuina præcepta obſeruet; in hoc quoquè Superiores debent ſe inferioribus exemplares præbere.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. OBnoxius lethali culpæ ſemper cenſendus erit Prior, ſi non habeat pacem cum ſubditis ſuis. Suadetur prim. ex doctrina D. Bernard. aſſerentis ſerm. 41. de modo viuendi: *Concordia ad faciendum peccatum mala eſt, concordia verò ad faciendum bonum, ad ſectandam iuſtitiam, ad ſeruiendum Deo bona eſt, propter hoc ſumus congregati in vnum, vt in ſeruitio Dei omnes vnum ſpiritum, & vnam animam habeamus*: ſed id obtineri nequit niſi per pacem, ipſa enim gignit concordiam, quia conſiſtit in voluntatum conuenientia, vt dixi ex mente S. Auguſtin. & S. Thom. ipſa enim componit membra in vnum corpus, teſte D. Chryſoſtom. ſuper verb. Pauli ad Coloſſ. 3. *Pax chriſti exultet, &c. Propter pacem vnum corpus ſumus*: ergo ad hoc, vt habeatur fructus deſcriptus à D. Bernard. tenebitur Prælatus, qui tanquam caput in familia reſidet, habere pacem cum ſuis ſubditis: Suadetur ſecund. ex eo, quòd, reſecato Ductore, ac Rectore à familia, reſecatur pax, teſte B. Laurent. Iuſtinian. de regim. Prælat. cap 3. *Vbi deeſt*, inquit, *qui regat, vniuerſa confuſa ſunt, procul eſt pax, &c.* ergo à contrarijs, vbi adeſt qui regat, vniuerſa ſub ordine ſunt, & pax non deſideratur: igitur, vt id habeatur, maxima debet præſertim enitere pax in capite cum ſuis membris; ideò dicebat Em. Lugo de iuſtit. diſp. 35 ſect. 5. n. 23. Cæteris paribus, ille meliùs gubernabit, qui maiorẽ cõcordiã cũ ſubditis habebit: & Petr. Caſtrõ: in polit. Ariſtot. lib. 4. § quæ verò ſit optima Reſpublica, ait: *Quantò eſt maior vnio Principantis ad ſubditos, tantò eſt politia ſecurior, rectior, & vtilior.*

TER-

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. QVamuis ſit ſatis probatum in Prælato ſummam enitere debere pacem cum ſubditis; nihilominus niſi deſignentur media, ſemper probatio cenſenda erit ſuperflua. Ratio deſumitur, quia Ariſtot. 3. ethic. c. 3. ait, quòd Rector, & Politicus non conſiliatur de fine, ideſt de pace, ſed eo præſuppoſito, de medijs conſiliatur; ideò dicebat S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 2. *Nec rectè conſiliatur Rector, an pacem faciat in multitudine ſibi ſubiecta, ſicut nec medicus, an ſanet infirmum ſibi commiſſum; nullus enim conſiliari debet de fine, quem intendere debet, ſed de his, quæ ſunt ad finem*: idem repetit in loc. cit. Ariſtot. lect. 8.

Media ergo congrua ad Abbatem ſpectantia pro quocunque tempore ad ſibi cõciliandam pacem cum ſubditis; paucis ſanè verbis, ſed grauibus recitantur à B. Laurent. Iuſtin. de triumph. Chriſti agone c. 26. *Vniuerſorum congregationes, familiaſque Regentium hoc ineſſe debet pectoribus, vt ita ſe vniformiter communicent ſingulis, quatenus vni alteri inuideri non liceat; ſic infirmos fouere ſtudeant, vt non negligant fortes, ſicque miniſtrent validis, quatenus ſalutis monita, & exhortationis verba opportuno tempore afflictis, & imbecillioribus propinare non deſinant: curam gerunt omnium habeant, & ſingulorum in præcordijs ſuis cunctos charitatis vinculo ligatos teneant, ita vt apud illos nec acceptio ſit perſonarum, neque particularis affectio, quæ conuiuentium animos turbare valeat, ſeu obtutus offendere; alioquin liuoris, ac murmurij materiam germinabunt, fientque in ſubditorum laqueum, qui diſponente Deo ad adiutorium conſtituti ſunt*: & S. Bonau. de ſex alis Seraph. cap. 6. ait: *Sit etiam humilis affabilitate, vt ſubditi facilem acceſſum ad eum habeant, & fiducialiter loqui, de quibus indigent, audeant, & patienter eos audiat, & benignè eis ſatisfaciat, & ſtudiosè inſtruat; & alacriter exhortetur; ſtudeat magis amari, quàm timeri, quia libentiùs obeditur ei, qui diligitur, quàm qui timetur*:

Licèt propoſita media ſint multùm congrua Superioribus, & Abbatibus pro ſe colligandis in vinculo pacis cum ſubditis; nihilominus non inferioris ordinis eſt iuſtitia in bonis monaſteriorum diſtribuendis, imò fortè dicam altioris, quia, ea non ſeruata in bonorum diſpenſatione, etiam inter malos, vt optimè probat S. Chryſoſtom. ad Epheſ. cap. 4. hom. 9. prop. fin. nulla poteſt excitari pax, imò ſpectari, tandem dicit: *Vbique autem pacem licet inuenire cum iuſtitia, & virtute*: ideò S. Bonau. in loc. cit. aiebat. *Communẽ vitam cum cæteris Prælatus obſeruet in victu, veſtitu, & labore, vt non vacet conuiuijs, & potationibus; cum alijs ſobrio cibo, & potu vtatur, nec ſit eis diſſimilis habitu, cum quibus eſt ei profeſſio communis: nec à labore cæterorum ſe ſubtrahat, qui illos iubet in eiſdem laboribus exerceri: Paſtor ſi ſe à grege ſegregat, oues inſidijs luporum exponit.*

Verum quia in huiuſmodi bonorum diſpenſatione multi ſub prætextu conſuetudinis, ac dignitatis decipiuntur, huc ſunt reuocanda, quæ dixi in tractatu de iuſtit. diſtribut. præſertim ea, quæ ſeriò diſcutiuntur in dub. 57. cuius titulus eſt: Quæ diuiſio bonorum communium inter ſubditum, & Superiorem ſeruanda ſit, quæ tuta in conſcientia iudicari poſſit.

Pro fine quæſiti ſunt addenda aliqua verba Gregor. Toloſan. de Republ. lib. 11. c. 13. ad eruditionem omnium Regentium: *Amor, & concors animus Principis cum ciuibus præcipuum eſt politicum fundamentum, & conſtantis Principatus, vnum eſt inexpugnabile munimentum amor ciuium, nec pulchrius eſt, quàm viuere optantibus cunctis, & vota non ſub cuſtode nuncupantibus: in hoc conſiſtit, ait Seneca lib 1. de clementia cap. 19. vera Principis prudentia, vt ſciat conciliare ſibi populum, & conciliatum continere in amore ſui cum optimis legibus, modeſtia ita, & patientia ab initio eſt neceſſaria, vt quod ſtatim non poteſt populus pati, paulatim aſſueſcat.* Tertia acceptio pacis examinatur in ſequenti dubio.

## DVBIVM CLXIII.

*An Abbas, ſeu Prior curare teneatur, vt ſui ſubditi vnione, ac pace fruantur.*

### SVMMARIVM.

1. *PAx finis regiminis ſeruanda à Rectore in cœnobijs; tanquam donum è Cœlo elapſum.*

2. *Deſignantur tres ſpecies ſeditioſorum, quæ poſſunt lædere familiam ſacri cœnobij.*

3. *Prælatus localis poteſt inſpici, & tanquam caput politicum, & tanquam Pater ſpiritualis.*

4. *Sodalitates ſingulares à SS. PP. damnātur tanquam diſſidia, ac ſeditiones; vndè lethaliter ſunt malæ, & tenetur Prælatus eas reſcindere.*

5. *Commendatur pax, & habetur remedium ad euellendas ſodalitates.*

1. Not. prim. quòd, cum finis regiminis, omniſque Imperij ſit vnitas, & pax, vt dixi in ſuperiori dubio; proindè non ſolùm illa enitere debet, vt elicitur ex Caietan. ſumm. tit. ſeditio, in Ciuitate, Regno, & exercitu, ſed etiam in domo; vndè quælibet domus, familia, ac congregatio religioſa tenetur eā colere, propagare, tanquam donum è Cœlo elapſum, vt inſinuat D. Benardus in epiſt. 29. in qua fundatur tota machina regularis obſeruantiæ; *Qua facit*, inquit idem Sanctus in dedic. Eccleſ. ſerm. 5. *vnius moris habitare fratres in vnū, ſine qua non populus, ſed turba vocatur; non eſt Ciuitas, ſed confuſio, Babylonem exhibet, de Hieruſalem habet nihil*; de iſta ergo loquimur in præſenti, quæ interrupta à ciuibus ſeditio dicitur, aut factio, vt obſeruat Gregor. Toloſan. lib. 11. de Republ. c. 13. numer. 4.

2. Not. ſec. quòd huc eſt reuocanda materia ſeditionis, quæ eſt tractata in dub. 28. cui addendum eſt, quòd tres ſpecies ſeditionum, ſeù ſeditioſorum, ac conſpiratorum poſſunt conſiderari in Religionum cœnobijs, quæ contaminate videntur illa ſacra loca, & quæ alijs Religioſis ſodalibus ſolent eſſe moleſtæ, & odioſæ. Prim. eſt cognatorum, ac cōſanguineorum conſociatio, atque vnio, quorum ſcopus, & finis eſt inter ſe viciſſim commendare ingenium, doctrinam, probitatem, in rebus agendis dexteritatem extollere, ad nauſeam vſque ſodalium audientium, vt, alijs neglectis, promoueantur ad altiora ſtudia, munera, gradus, ac dignitates, & vt meliùs fortè obtineatur finis intentus, aliorum virtutes deprimunt, ſociorum errata notant, augent, & ſeminant, qui nihilo ſunt illis omnium ſententiam deteriores. Secund. eſt conterraneorum, hoc eſt ciuium eiuſdem communis Patriæ, ſiue illa Vrbs ſit, ſiue Prouincia, ſiue Regnum, ſiue natio, qui ſe in cœnobijs conglutinant, quamuis hoc originem habeat à natura; vt Ariſt. lib. 4. ethic. cap. 1. & ex eo Cicero lib. 2. offic. nihilominus mortalium prauitate à recto degenerant, & incidunt in conſpirationem malam in omnium conſodalium damnum, & contemptum, & eſt, cum conſpirant ad excludendos alienigenas ſodales ſuos, vt ipſi ſoli dominentur, ſoli negotia tractent, ſoli regnent in cathedris, in pulpitis, in confeſſionarijs, & in dignitatibus, in hæc tandem verba prorumpentes ab omni iuſtitia, & charitate aliena: noſter cibus, panis, & potus ſunt hæc. Tertia ſpecies eſt illorum tam conſanguineorum, & conterraneorum, quàm aliorum, qui inter ſe conglutinantur, & vniuntur diuidentes ſe ab alijs eo fine, vt in electione futura Prioris eiuſdem cœnobij eligendi à familia, ſeù Socij, ac Diſcreti pro ferendo ſuffragio in futuro Capitulo prouinciali, ſeù generali celebrando, vnus ipſorum per calculos, quantùm fieri poteſt, eleuetur in Priorem, ſeù Socium.

3. Not. tert. poſſe Priorem localem dupliciter inſpici. Prim. tanquam caput politicum. Secund. tanquam Patrem ſpiritualem, & Prælatum.

PRI-

*PRIMA CONCLVSIO.*

4 HVIuſmodi ſodalitates, ac vniones damnantur à SS.PP. alijſque tanquam diſſidia, ac ſeditiones: audiamus D. Baſil. verba in c. 30. conſtit. *Charitatem quidem Monachi habere inter ſe mutuam debent, non ita tamen, vt duo, treſque ſeorſum à cæteris ſodalitatem coeant; quandoquidem hoc non charitas eſt, ſed ſeditio, & diuiſio, vt eſt in caſu, & eorum, qui ſic coeunt improbitatis indicium*; & paulò inferiùs addit: *Eos, qui ita ſociantur, improbè agere, & communis diſciplinæ iura velle peruertere*: ſubſcribit Baſilio S. Chryſoſtom. 2. Theſſ. c. 1. or. 2. commendans mutuam charitatem Chriſtianorum Theſſalonicenſium in explanatione verborum illorum: *Et abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum inuicem: Quandò*, inquit, *bini, vel terni coniungimur, & duo quidem, vel tres, vel quatuor vehementer colligantur, à reliquis verò nos ipſos auellimus, dum ad iſtos refugium habemus, de iſtis omnia præſumimus; illud charitatis diuiſio eſt, non charitas*: & tandem illuſtrata doctrina exemplo corporis, quod perderetur prorſus, ſi oculus omnem curam in manum ſolam impenderet, neglectis reliquis membris, concludit: *Iſta namque non ſunt charitatis, ſed diſſidij, ſchiſmata nempè, & biulcæ rupturæ*: ſentiamus etiam Iacob. Aluar. de vita ſpirit. l. 5. p. 2. cap. 26. de Religioſis immediatè loquentem, deque ijs differentem, qui inter ſe amore ducti conglomerantur ad vnum ipſorum, quantùm fieri poteſt, eleuandum, & extollendum laudibus, vt alijs ſit antepoſitus: *Ex hoc autem*, inquit, *quid in congregatione Religioſorum, niſi diſcordia, & rixa, & diſſenſiones ſperari poſſunt, dum quiſque ſuum familiarem in potiori loco collocare, & ſupra alios efferre intendit? quid niſi iuſtitiæ, & æquitatis violatio, dum dignus non amatus reijcitur, & indignus amatus extollitur? quid niſi ipſius religioſæ familiæ pernicies, dum volumus ab indignis, & immeritis, quia eos diligimus, gubernari?* Tandem Iulius Negronus in ſuo tract. de paucorum amicitijs c. 1. huiuſmodi coniurationes ſic definit: *Sodalitas paucorum, vel ab affectu, vel à praua voluntate Dæmonis aſtu per coniurationem clandeſtinam conflata, ad moliendum aliquid, quod ſit contra leges.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

VT meliùs SS. PP. doctrina, & aliorum ſolidetur, dicendum eſſe cenſeo huiuſmodi ſodalitates, quoad duas priores, in rigore doctrinæ eſſe veras ſeditiones, & cōſequenter lethaliter peccaminoſas. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſatis vera dignoſcitur ex definitione ſeditionis: Seditio eſt, qua vnitas multitudinis diſſoluitur diſcordantibus contra ſe inuicē partibus illius multitudinis; ſed huiuſmodi vniones, ſeù ſodalitates ſunt tales; nam vnaquæque & per animorum diuiſionem, in qua formaliter conſiſtit ſeditionis morbus, teſte D. Iſidoro ethymol. lib. 10. lit. S. quem ſequuntur D. Thom. 2.2. qu. 42. art. 1. D. Antonin. vbi ſupr. & Farinac. de de crimin. læſ. maieſtat. qu. 113. inſp. 5. & per actiones malas, & graues diuidit homines à corpore familiæ diſrumpentes vnitatem, & pacem, quæ ſunt maximum bonum in quacunque communitate: igitur haud hæſitandum eſt, quin propriè ſibi vendicent ſeditionis nomen: & licèt altera pars familiæ non excitetur contra iſtas malas vniones, in quibus conſiſtit ſeditio, contradicentibus contra ſe inuicem partibus; non ideò eximuntur a tali vitio, quia, quantùm in ſe eſt, ſcindunt pacem, vnitatemque diſrumpunt, quod ſufficit ad contrahendam culpam. Secund. pars habetur, ſcilicet quòd huiuſmodi vniones ſint lethaliter peccaminoſæ, quia priuant familiam vnitate, & pace, quibus felix ſtatus eiuſdem familiæ ſemper debet propagari; nam vt dixi in dub. 28. ſeditio ex genere ſuo eſt peccatum mortale, quia vnitati, ac paci communitatis opponitur. Probationes verò tertiæ coniurationis, ſeù malæ vnionis, quibus probatur, eam eſſe lethaliter malam, ſicut extant duæ primæ, notantur in prima concluſion. dub. 28. ad quam mitto lectorem.

*TER-*

*TERTIA CONCLVSIO.*

SEmper lethali culpæ obnoxius cenſendus erit Prælatus localis, ſi pro viribus à cœnobio huiuſmodi conſpirationes non reſcindet, & ſi non curabit, vt familiæ reſtituatur pax amiſſa. Suadetur prim. ex eo, quia quodlibet caput politicum, ſiue Dux, ſiue Gubernator, ſiue Rex ſit, ſub mortali, vt communiter aſſerunt DD. tenetur pacem procurare, eamque conſeruare in ſubditis, tanquam finem regiminis, expellendo mala, ea præſertim quæ vnitatem, pacemque ſcindunt: ſed Prælatus huius cœnobij, ſicut & alij Superiores, eſt caput politicum ſuorum ſubditorum, vt rectè notat Em. Lugo de pœnit. diſp. 22. ſect. 3. n. 70. igitur ſub mortali tenebitur prædictas ſeditiones reſcindere, vnitatem, ac pacem reſtituendo. Secund. ſuadetur ex eo, quia idem munus incumbit ei tanquam Patri ſpirituali, & Prælato, qui eſt à Chriſto Domino pro directione ſuarum ouium inſtitutus, vt eas ducat per viam mandatorum ſuorum, & per ſemitas monaſticæ perfectionis, vt optimè inſinuat B. Laurent. Iuſtinian. de triumph. Chriſti agon. c. 26. in princip. *Qui obedientiæ iugo* inquit, *colla ſubiecit, non reijciat illud, ſed humiliter quaſi Deo, non hominibus famuletur, quia verò præſidet, non intumeſcat, ſed veraciter ſe agnoſcat, atque ſubiectos diligat tanquam fratres, & coæquales in Chriſto, eorum ſtudeat militare profectibus, non ſibi placeat, pacem habeat in ſe, pacemque in ſuo grege cuſtodiat, quatenus vnanimes ſint, & non ſit in eis ſchiſma, aut æmulationis materia*: idem ferè repetit de regim. Prælat. c. 3. *Verùm ne ſchiſma fiat in corpore, quoſdam ex membris Deus inſtituit Paſtores, atque Rectores ad componendum credentium mores, & dirigendum eorum greſſus in diſciplina virtutum, ac ſemitis mandatorum cæleſtium.*

Recordentur Prælati, quòd tanti eſt æſtimanda pax, quia, ipſa introducta in familia, introducitur etiam Spiritus Sanctus vniens homines diuerſi generis, morum, conditionum, atque ſtudiorum, ea amiſſa, & vnio amittitur, & Spiritus Sanctus indè aufugit: audiant quæſo verba Theophilacti aperientis ſenſum literæ verborum illorum S. Pauli ad Epheſ. 4. *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: Quemadmodum*, ait, *in corpore ſpiritus eſt, qui omnia continet, & vnit, etiam ſi diuerſa fuerint membra, hunc ad modum in fidelibus Spiritus Sanctus eſt, qui vnit, & coniungit omnes, etiam ſi diuerſa habuerimus & genus, & mores, & ſtudia, atque per hunc Sanctum Spiritum vnum corpus efficimur: laboremus itaque hanc vnitatem conſeruare per pacem, quæ eſt inter nos mutua; niſi enim connexio dilectionis inter nos fuerit, & pacis mutuæ ſtuduerimus, vnitatem iſtam, & coniunctionem amiſimus, quam Spiritus Sanctus nobis dedit: quemadmodum ſi diſſidium fiat inter manum, & pedem aduerſum reliquum corpus impediaturque a coagmentatione, & connexu erga reliqua membra, non porrò deinceps ab vno Spiritu continentur: multa igitur ſedulitate opus eſt, nec ſine defatigatione, ac labore pacem poterimus habere connectentes nos inter nos, vt ſi hic vnus feratur, alter ſimul feratur.*

Pro fine quæſiti duo ſunt deſignanda: Prim. pro remedio ad extirpandas huiuſmodi coniurationes, ac malas vniones ſit, vt tales pernicioſi homines remoueantur à locis, & per alia cœnobia diſpergantur, præſertim capita, quia, his percuſſis, diſperguntur & oues iuxta dictum Zachar. 13. *Percute paſtorem, & diſpergentur oues*: etenim in huius generis ſodalitijs, & conſpirationibus ſolemne eſt, capro duce, ac ſignifero, ſocios affectu in diuerſa labi, & fœdera diſſolui: ideò dicebat S. Gregor. lib. 6. regiſtr. epiſt. 14. *Vulnerato vexillifero, multitudo citiùs diſperſa capitur*. Secund. ſit pro præſeruatione, vt ipſi Superiores, ac Magiſtri præluceant ſubditis, & diſcipulis exemplo, cauentes iſtas peſſimas vniones; veriſſimum enim eſt dictum S. Petr. Chryſolog. ſerm. 167. *Magiſtri authoritas conſtat ex vita docenda faciens, obedientem perficit auditorem*: & tantùm ſe debet alienare à prædictis malis, quantùm ſe cognoſcit obligatum præ cæteris eſſe ornatiorem moribus, virtutibuſque locupletiorem; menſura enim obligationis deſumitur, inquit Laurent. Iuſtin. de regim. Prælat.

Iac. c. 3. à capite corporis humani: *Quantùm*, inquit, *corpus differt à membris, tantùm Prælatus debet ſubditos in perfectione præcellere*; quòd ſi aliqua ductus cupiditate ad promouendum amicum in ſucceſſorem cœnobij, vel ad habendum Diſcretum, ſeù ſocium ſibi gratum eligendum à familia pro ſuffragio ferendo in futuro Capitulo Prouinciali, vel ad ſublimandum nepotem, ſeù conciuem ad aliquam dignitatem conuentus, ſe immiſceat, & fortè tanquam caput prædictis ſodalitatibus, ſciat etiam ſe immiſcere duplici peccato, videlicet ſeditionis vitio, peccatoque neglecti muneris, cuius officium præcipuum eſt abſcindere prædicta mala, vnitati, ac paci adhærere.

## DVBIVM CLXIV.

### *An Abbas, ſeù Prior in ſuis functionibus conſilia adhibere teneatur.*

### SVMMARIVM.

1. *Conſilium dupliciter conſideratur; Prim. quoad res parui momenti. Secund. quoad res arduas.*

2. *Itidem conſideratur, prudentiam eſſe neceſſariam Præſidentibus, quæ tamen, vt rectè operetur, bonorum conſilio indiget.*

3. *Aduerſus prudentiam peccatur per defectum ſcilicet, & per exceſſum.*

4. *In rebus parui momenti non tenetur Prior petere conſilium: ſecus in arduis: & ſatisfit duabus obiectionibus.*

1. Not. prim. quòd hìc non loquimur, quandò à lege, ſeù ſtatuto decernitur conſultatio, ita vt conſilium ſit de ſubſtantia rei agendæ; nam de hoc ſatis dictum eſt in diſputatione de munere Definitorum, conſulite ibi doctrinam, quæ facillimè applicari poteſt Prioribus, ſeù Guardianis; ſed loquimur de conſilijs adhibendis in negotijs, quæ paſſim occurrunt, pertractandis, ſecundum quod eſt conſentaneum iuri communi, vſui, & rationi; vndè duplicites ſe poſſunt habere. Prim. quandò ſunt res parui momenti, quæ quotidiè, & paſſim accidere ſolent. Secund. quandò ſunt negotia ardua, quorum media pro exequutione Regentis animum nimis turbant, ita vt neſciat, quæ ſeligat, quia vndiquè ſunt anguſtiæ pro felici exequutione, ita vt malum, quod timetur, præcaueatur; aut bonum, quod ſperatur, habeatur.

2. Not. ſec. notum eſſe apud omnes, quantùm indigeant hi, qui præſunt, aliorum conſilijs; ideò dicebat S. Thom. ex Ariſt. lib. 4. polit. lect. 13. *Operationes autem Principatus ſunt conſiliari de aliquibus, iudicare, & præcipere*. Pro maiori intelligentia eſt aduertendum, quòd Ariſt. 3. polit. c. 3. inquit, prudentiam eſſe eorum propriam, qui Imperium gerunt, adeò vt, ſi hac virtute ſint penitus orbati, orbare etiam ſe debeant Imperio; vt optimè dicebat Plut. in ſimil. *Vt non debet ſumere citharam, qui canendi ſit imperitus, ita non debet Imperium ſumere, qui non ſit prudentia præditus*: proindè dicebat S. Chryſoſtom. ſerm. 15. ad Epheſ. *Nihil ad rerum adminiſtrationem ita neceſſarium eſt, quàm prudentia*: & quamuis id verum ſit, veriſſimum tamen eſt & illud pronuntiatum Taciti 3. Ann. *Principem ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti*: ideò præcipuum munus prudentiæ eſt aliorum vti conſilijs: quòd ſi hoc verum eſt in quocunque regimine, multò magis in animatum gubernatione, quam eſſe artem artium dicit Innoc. III in cap. Cum ſit, de ætate, & qualitate: aſtipulatur etiam S. Gregor. Nazianz. in orat. 1. Apolog. *Nam profectò*, inquit, *ars quædam artium, & ſcientiarum mihi eſſe uidetur hominem regere, animal maximè uarium, & multiplex, idest ars una eſt plures artes continens*: proindè S. Bernard. epiſtol. 28. ad Ardutionem promotum Epiſcopum aiebat; *Paulum imitari curato in honorificando miniſterium tuum; honorificabis autem grauitate morum, maturitate conſiliorum, actuum honeſtate: hæc ſunt, quæ officium Epiſcopale maximè nobilitant, & ornant: omnia fac cum conſilio, non tamen omnium, nec quorumcunque, ſed tantùm bonorum*: idq. etiam ex S. Ambroſ. lib. 2. de offic. elicitur; *Talis debet eſſe*, inquit, *qui conſilium dat, vt ſe ipſum*

*ſe ipſum formam alijs ad exemplam bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in grauitate, vt ſit eius ſermo ſalubris, atque irreprehenſibilis conſilium vtile, vita honeſta, ſententia decora.*

3. Vt meliùs intelligatur vis concluſionis pro tert. not. inquirendum eſt, quibus modis peccetur contra prudentiam; nam cum ipſa ſit virtus, operari contra eam, erit peccatum. S. Thom. 2.2. qu. 53. Leſſ. de iuſtit. lib. 1. c. 2. dub. 4. Gregor. de Valent. 2.2. diſp. 4. qu. 5. punct. 1. Baſſæus ſumm. tit. prudentia n. 4. aſſerunt dupliciter peccari contra prudentiam per defectum ſcilicet, & per exceſſum. Ratio deſumitur, quia ſicut obiectum aliarum virtutum in medio conſiſtit, ita etiam obiectum prudentiæ; igitur ſicut contra alias virtutes poteſt peccari per exceſſum, & per defectum; ita contra prudentiam. Prætermiſſo membro per exceſſum, quod non facit ad rem noſtram, dico cum DD. citatis per defectum contra prudentiam peccati quadrupliciter, præcipitatione, inconſideratione, inconſtantia, & negligentia; iſta enim omnia ſunt contra regulas prudentiæ, quæ docet eas eſſe ſeruandas. Prætermiſſis etiam his vltimis duobus modis, qui ſimiliter non ſpectant ad rem noſtram, aſſero cum Valent. vbi ſupr. quòd præcipitatio eſt conſilium non ſatis maturum, & circunſpectum pro qualitate negotij; vndè directè opponitur contra maturum conſilium: Inconſideratio eſt incogitantia, vel non ſatis attenta cogitatio earū veritatum, ex quibus eſſet rectè iudicandum, vt tradit S. Thom. vbi ſupr. qu. 55. art. 4. Caiet. ib. id. & Valent. vbi ſupr. & quamuis hæc duo ex genere ſuo non ſint peccata mortalia, vt dicunt DD. nihilominus ratione periculi alicuius peccati mortalis, cui ſe homo exponit præcipitenter, & inconſideratè iudicando, & agendo, poſſunt eſſe peccata mortalia. Ita Leſſius, & Baſſæus vbi ſupr.

CONCLVSIO I.

4 IN rebus, ac negotijs parui momenti, quæ paſſim occurrunt in cœnobijs, non tenetur ſub mortali Prior petere aliorum conſilium, ſed ſufficit proprio adhærere: ſecus eſt dicendum in rebus, ac negotijs arduis maximi ponderis tam ad euitandum aliquod malum, quàm ad promouendum aliquod bonum, quorum media pro electione ſunt ſatis ambigua. Prim. pars ſuadetur, tum quia res ſunt ordinariæ, & leuiores momenti ex ſe non petentes tantam cautionem, tum quia eſſet valdè durum, & oneroſum pro ſingulis rebus parui momenti, quæ frequenter occurere ſolent, conſilium congregare, tum quia, ſi huiuſmodi negotia non poſſent expediri, niſi adhibito conſilio, hoc eſſet in magnum præiudicium regiminis, nam multa, ac multa ſtatim ac ſunt orta, ſeu expoſita, indigent nō dilata exequutione, tum quia Prior eo ipſo, quòd eſt electus ad hoc munus, iuxta electorum iudicium præſefert talem aptitudinem ad rectè conſultandum, & iudicandum de rebus iſtis abſque aliorum conſilio. Secunda pars ſuadetur: tunc eſt peccatum mortale præcipitatio, & inconſideratio, cum homo ſe exponit periculo alicuius lethalis culpæ: ſed ſi Prior in negotijs arduis, & non leuioris momenti, per quæ ſunt promouenda non mediocre bonum, ſeu præcauendum non mediocre malum, quod ſanè incumbit ſub mortali Prælato ex munere aſſumpto, non adhibetet aliquorum, ſeu alicuius conſilium, præcipitanter, & inconſideratè ageret cum probabili periculo peccandi lethaliter; cum homo ob imbecillitatem naturæ neſciat congruè media ſeligere, deque illis rectè iudicare, quia eius ſcientia neſcit omnia cōprehendere, vt dixi ſuperiùs: igitur protſus eſt dicendū, Priorē in talibus euentibus, ne præcipitanter, & inconſideratè cum periculo errandi lethaliter agat, ſub mortali teneri infirmitatem naturæ propriæ aliorum conſilijs munire: lumen huius concluſionis elicitur etiam ab Ariſt. 3. ethic. c. 3. dicente, conſilium non debere eſſe de minimis quibuſcunque, ſed de rebus magnis: *Ad magnas*, ait, *res Conſultores etiam adhibere conſueuimus, nobis ipſis diffidentibus, quaſi ſufficere ad diſcernendum ſoli nequeamus.*

Dicet fortè quis, aliqua ſcientia inflatus, ſufficere in rebus etiam arduis, & grauibus conſi-

conſilium, quod emanare poteſt à proprio intellectu, ad hoc enim ſciẽtia fuit acquiſita. Reſp. huiuſmodi hominẽ talia proferentem mittendum eſſe ad verba Sapientis Prou. 3. *Ne ſis ſapiens apud temetipſum, & ne innitaris prudentiæ tuæ, quia dicentes, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, inquit Cyrill. interiùs citandus; vndè Plut. in moralib. aiebat: *Vt in magnis tempeſtatibus validiſſimo clauo, optimo Gubernatore, & pluribus culturis opus eſt, ſic magnas, & turbulentas res adminiſtraturis ſumma ſapientia opus eſt, quam cum Gubernator non habeat ex ſe, à probis conſiliarijs mutuetur, & diſcat*: hinc S. Cyrill. lib. 1. apolog. moral. c. 10. cuius tit. *Vbi ſunt multa conſilia, ibi ſalus*, inquit: *Nonne plura vident quatuor oculi, quàm duo, & multiplicati radij plus illuſtrant, maior certè facultas eſt plurium, & ratis pluribus nautis ſecuriùs gubernatur: verùmtamen cuius eſt conſilium? nonne ſapientiæ? nimirùm hæc, quæ abſcondit vni, reuelat alteri & humilitatis amatrix, vtplurimum rectum de agendis conſilium docet per alienum.*

Iterum dices, ex conſilio petito ſequitur confuſio; nam cum ſint diuerſa ingenia, vt plurimum oboriuntur diuerſæ ſententiæ, quæ nequeunt ad aliud inſeruire, niſi ad confudendam mentem petentis cõſilium; ideò magis tutum eſt aggredi negotium, licèt durum, & arduum à proprio tantùm conſilio deſumptum, quàm etiam ab alieno. Reſp. falſum eſſe, quòd ex diuerſis ſentẽtijs a Cõciliarijs prolatis ſequatur confuſio; ſequitur enim vera lux ad eligendum, quod meliùs videbitur pro finis conſecutione negotij pertractandi, cum contrarietas in conſilijs parturiat hoc ingens bonum, teſte Erodoto lib. 9. aſſerente: *Niſi diuerſæ inter ſe ſentẽtiæ dicãtur, non poteſt quis eligere meliorem, ſed neceſſe habet, ea, quæ dicta eſt, vti; at cum plures dictæ ſunt, licet tanquam aurum deligere*: & Iſo. orat. de pace aiebat: *Enim verò decebat vos, ſi publicam vtilitatem ſpectaretis, attentiùs eos audire, qui voluntatibus veſtris aduerſantur, quàm illos, qui aſſentantur omnia*: & paulò inferiùs: *Præterea non fieri poteſt, vt illi; vel de præteritis rectè iudicent; vel de futuris prudenter deliberent, niſi contrarias inter ſe rationes conferant*; proindè S. Cyrillus vbi ſupr. *Quantò igitur conſilium eſt ex pluribus, tantò ſalubrius exiſtit; quoniam vbi multa conſilia, ibi ſalus.*

## DVBIVM CLXV.

*An Abbas, ſeù Prior ſolo ſuo arbitrio abſque aliorum conſilio ſuis ſubditis præcepta imponere poſſit.*

### SVMMARIVM.

1. *Habetur acceptio de præcepto oneroſo, & leui: graue, vel imponitur vni, vel pluribus, ſeù communitati.*

2. *Prælatus, dum imponit præceptum leue pluribus perſonis, non tenetur adhibere conſilium: ſecus ſi eſt graue: habetur quædam ampliatio, & etiam limitatio.*

Titulus ſupponit huiuſmodi præcepta non eſſe ſtatuta ab aliqua Religionis lege, ſed pendere ab arbitrio Prælati, qui ſecundum res contingentes iudicat ea eſſe imponenda.

1. Pro intelligentia ſit, quòd præceptum, quod imponitur; vel eſt valdè oneroſum, & extraordinarium, vel non eſt talis naturæ, ſed potius mite, & leue: oneroſum; vel imponitur vni perſonæ; vel pluribus, ſeù toti communitati; vel pro vnico actu; vel pro pluribus, ſeù pro tempore, quo durat Abbas, ſeù Prior; huiuſmodi enim præceptum clarum eſt, vt dicitur in materia de legibus, & de cenſuris, extingui, extincto per mortem præcipiente, vel elapſo Prælationis tempore.

### CONCLVSIO.

2. SI Abbas imponit aliquod præceptũ ſingularibus perſonis, & non eſt valdè oneroſum, & extraordinarium, ipſe ſolus abſque aliorum conſilio, ſed proprio iudicio ductus illud imponere poteſt: ſecus ſi graue imponere voluerit; nam tunc ſufficiens conſilium, vel maius iuxta negotij grauitatem adhibere debet. Prima pars ſuadetur, tum quia huiuſmodi præceptum eſt ordinarium, & facile ad ferendum, tũ

quia eſſet durum, imò multùm onerosum pro ſingulis perſonis in quolibet actu adhęrere aliorum conſilio, imò conſilium conuocare. Secunda pars habetur ex eo, quod inquit Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 8. quòd regula rectæ prudentiæ poſtulat, vt res grauis non fiat ſine maturo conſilio, cum rectum in ea iudicium ex multis circunſtantijs, rationibus, & interdum ex ſpecialibus legibus pendeat; vndè ſi aliter fiat, grauiter peccari poteſt; vel ratione poſitiuæ legis; vel ratione temeritatis, & periculi errandi. Quæ probatio ſemper maiorē vim habebit, cum graue præceptum toti communitati imponitur, maximè ſi perſeueranter, ſeù pro diuturno tempore, quia tunc res eſt valde grauis: verùm ſubdit Suar. ſi pro vno actu, cuius occaſio, & tēpus citò tranſit, faciliùs ferri poteſt. abſque huiuſmodi conſilio, niſi ſpecialis prohibitio Religionis exiſtat.

## DVBIVM CLXVI.

*An Prælatus, qui numeroſæ familiæ præeſt, ita regularem diſciplinam in tali loco tueri debeat, vt tres; vel quatuor vigiles, & cuſtodes ponere poſſit in locis communibus, & publicis, vt explorent, & referant actiones, vt, ſi correctione digna ſint, corrigantur.*

### SVMMARIVM.

1. *Sicut munus Prælati eſt corrigere ſubditorum defectus, ita eos debet inquirere: extenditur quadam doctrina Caietan. negantis ſpecialem inquiſitionem.*

2. *Dupliciter ſumi poteſt bonum commune. Prim. pro illa ſumma felicitate. Secund. pro felicitate humana quæ tamen nequit omne malum abjicere, ſed multa permittit ad maius malum vitandum.*

3. *Prælatus localis, tanquam frater nequit inquirere ſubditorū actiones, nec etiā vt Pater ſpiritualis tenetur cuſtodes ponere pro maiori cuſtodia diſciplinæ regularis: varijs rationibus ſuadetur, & duæ obiectiones diluuntur.*

Pro intelligētia tituli ſit prim. not. quòd hic non loquimur de illis cœnobijs, in quibus penitus regularis diſciplina eſt relaxata, & deformata, quia clarum eſt Prælatos teneri abſque præiudicio prudentiæ, ne maiora incommoda oriantur, vti congruis medijs, vt illis reſtituatur in integrū, quod fuit per negligentiam Superiorum, & per labilem ſubditorum naturam deperditum; ſed loquimur de illis cœnobijs, in quibus vigor diſciplinæ regularis floret, Superiorumque zelus magis, ac magis feruet, vt ſemper propagetur, ac foueatur.

1. Not. ſec. quòd ſicut officium Paſtoris, & Prælati eſt monere, & corrigere ſubditorum peccata; ita tenetur ea inquirere, & in eorum vita inuigilare, vt videāt, ſi quę in eis fortè corrigenda ſint. S. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 2. ad 4. Silu. tit. correctio q. 2. Tabien. ibid. n. 3. Armill. n. 3. D. Antonin. 2. part. tit. 9. cap. 6. §. 2. & alij, quos citatos ſequitur Diana part. 3. de dub. Regular. reſol. 42. & reſol. 10. tract. 3. part. 7. Caietan. verò in 2. 2. D. Th. vbi ſupr. vnà cū Flores, mat. de correction. diff. 3. non audet id affirmare, ſed dicit, vt Prælatus fungatur officio ſuo, ſufficere vigilantiam communem, ad quam Prælatus communiter tenetur, & ſecundum occurrentes caſus iuxta ſigna alicuius peccatoris inquirere, an correctione opus ſit, ad quod maxima opus eſt prudentia, ne multa ſuſpicio præcipitem, & exoſum reddat Prælatum, & ne incuria multiplicationem peccatorū occultorum pariat in iudicio, cuius doctrina ſatis eſt extenſa à Bann. 2. 2. qu. 33. art. 3. dub. 2. & licèt adhęreat opinioni aliorum, ab eodem tamen laudatur, aſſerente eſſe ſcientificam, nec non & diſcretione, & prudentia prętantem; quarè in fine quærſit timens ſe non attigiſſe ſcopum, inquit: In cuius deciſione, ſi ſcopum non attigimus, nō mirum eſſe debet, cum prudentiſſimus Caietanus huius rei definitionem ſuſpenderit; quamobrem me veniam poſtulare decet, quòd rem ita difficilem in caſibus ſingularibus documentis communibus complecti auſus fuerim. Ratio verò ſuperiorum DD. videtur eſſe, quia maxima cū facilitate impunè peccarent ſubditi, cū eis nō ſit nimis difficile, præſentiā Prælati in incōmodis, & defectibus fugere in maximū boni cōmunis dānū, ac diſciplinæ regularis detrimētū; verùm

rium tamen eſt, talem doctrinam hac moderatione prudentiæ eſſe temperandam, ne ſit nimia ſolicitudo, & intempeſtiua inquiſitio; aliter enim à ſubditis Prælatus tanquam inquietus, & ſuſpicioſus odio haberetur in damnum eſſentiæ regiminis, quod in reciproco amore ſeruatur. Ita Lorca 2. 2. qu. 33. art. 6. diſp. 45. ſect. 3. num. 11. Cordub. in annot. ſupr. 6. concl. Soti relatus à Sanch. opuſc. 2. lib. 6. c. 2. dub. 14. cuius doctrinam tanquam veram admittit; vnde S. Benedictus citatus à Diana vbi ſupr. in Reg. c. 64. de Abbat. inquit: *Non ſit turbulentus, & anxius, non ſit nimius, non ſit Zelotypus, & nimis ſuſpicioſus*.

2. Not. tert. commune hominum bonum dupliciter ſumi, vt docet Mirand. tom. 2. qu. 25. art. 2. Prim. pro vltimo fine ſupernaturali, qui eſt illa ſumma felicitas ſupremi boni in altero ſæculo mediantibus bonis operibus conſequenda, de qua modò non eſt ſermo. Secund. pro naturali felicitate, quam ab intrinſeco omnes homines poſſidere ſummoperè percupiunt in hoc ſæculo conſiſtente in quieto, tranquillo, ac pacifico ſtatu Reipublicæ; & ideò omnis lex humana, quæ ſancitur, ſemper debet tendere ad iſtud bonum conſequendum, ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 2. aliàs eſſet exiſtimanda iniqua, & iniuſta quamobrem huiuſmodi ſtatus non adeò eſt cenſendus pacificus, vt expellat à ſe omnia mala, & vitia, ſed permiſſiuè admittit multa, modò ſocietatem humanam non diſrumpāt, ad euitandum maius malum, vt meretrices, ſicut notat S. Auguſt. lib. 2. de ordin. c. 2. vt detractores, vt ciues in ſuo officio proprias affectiones moderentur, & eorum timore contineantur, de qua re Ioann. Faber. §. in ſumm. inſtit. de iniuria. vt vſuras Iudæorum, de quibus Nauarr. lib. 5. conſil. 33. de vſuris edit. 2. Layman de legibus lib. 1. tract. 4. cap. 4. n. 2. quia lex humana imponitur multitudini, & communitati, in qua maior pars hominum non floret virtute perfectorum; vt leuia peccata in congregatione, vt grauiora euitentur, de quibus Mirand. tom. 2. quæſt. 5. art. 5. concl. 4. quia Prou. 30. & Eccleſ. 7. ſcriptum eſt: *Noli eſſe nimium iuſtus; nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem*: imò imperfectorum ſtatus petit, vt ipſæ leges multoties mitigentur, & benigniùs interpretentur recurendo ad piam intentionem Legiſlatoris. Ita Miranda.

Pro quart. notand. reuocanda eſt hæc doctrina not. 1. dub. 168. in qua oſtendam tripliciter poſſe conſiderari Prælatum in ordine ad alios corrigendos, tanquam fratrē, Patrem ſpiritualem, atque Iudicem, &c.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. PRælatus localis nullo modo, vt frater, tuta conſcientia poteſt inquirere ſubditorum acta, ſed vt Pater ſpiritualis poteſt, ac debet ea explorare. Duas habet partes concluſio, & vtraque intelligitur probata in proprijs notandis.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

PRælatus localis, vt Pater ſpiritualis, pro tuenda regulari diſciplina fideli cuſtodia nullo modo vigiles, ſeu cuſtodes ponere poteſt in cœnobio, vt explorent ſubditorum actiones, vt ſi quid viderint correctione dignum, ſibi denuntient ea intentione, vt fraternaliter corrigat, quem inuenerit delinquentem. Concluſio eſt aduerſus Bann. vbi ſupr. & Hurtad. de Mendoza in 2. 2. vol. 2. diſp. 162. ſect. 5. §. 45. & Ægid. Coninch. diſp. 28. n. 67. qui nimis rigidè loquuntur. In primis ſuadetur: ſi huiuſmodi cuſtodes eſſent deputandi à Superiore, cuius cœnobium multitudinem Religioſorū numerat, præſertim vt diſciplina regularis cōſeruatur, ac magis, magiſq; de die in diē propagetur, & non labefactetur: ſed hoc videtur eſſe alienum à vigilantia prudentis Paſtoris; quia leges non poſſunt, nec debent omnia vitia cohibere, tantò magis Prælatus, qui per tot vigiles contrarium intendit facere: ergo non debet, nec poteſt eos deputare; vnde in Eccleſ. 7. notatur: *Neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt*, ideſt inquit Bonau. ibid. *Non debet Prælatus, ſeu Iudex excedere in perſcrutando culpam, quia qui vehementer emungit, elicit ſanguinē; ideò dicebat Paul. ad Rom. 12. Nō plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*: & Nazianz. orat. 26. ait: *Ne magnopere iuſtus ſis, nec ſupra modum ſapiēs par etenim iuſtitiæ, ac ſapientiæ detrimentū*

*affert, acris tam in actione, quàm in ſermone animi impetus à bono nempè, & à virtute propter exceſſum excedens; hanc enim defectus, & exceſſus peræque regulam labefactant, non ſecus ac additio aliqua, aut ſubtractio: nemo igitur ſapientior ſit, quàm conueniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior, nec norma rectior, nec præcepto diuino ſublimior: id verò qua tandem ratione conſequemur? nempè ſi modeſti, & compoſiti eſſe curemus, naturæ leges comprobemus, rationem ducem ſequamur, ordinem, & diſciplinam non aſpernemur.* Secund. ſi deſignandi eſſent, maximè quia ad officium, ſeù munus boni Paſtoris ſpectat non ſolùm monere, & corrigere, ſed etiam inquirere ſubditorum facta, vt probatum eſt in ſec. notand. ſi quæ in eis eſſent temperanda, & reſcindenda: huiuſmodi autem inquiſitio debet eſſe multùm modificata, ac temperata, ne odio habeatur Superior, tanquam nimis ſuſpicioſus, & inquietus, vt inquit D. Benedictus; ne eſſentia regiminis in amore reciproco inter ſubditum, & Superiorem conſiſtens deſtruatur; ne, inquit Caietan. multa ſuſpicio præcipitem, & exoſum Prælatum reddat; ne tandem excitentur odia, diſſenſioneſque inter vigiles, & ſubditos, & maxima diffidentia contra charitatem, & ſocietatem humanam inter ipſos ſubditos, quæ omnia ſanè euenient, teſte experientia, in alijs caſibus, eò quòd medium videatur eſſe nimis violentum, ſi vigiles deputarentur: ergo, vt inquiſitio intra terminos temperantiæ contineatur, abſtinendũ eſt à tali violento medio. Tert. nimia iuſtitia in Prælatis damnatur à Sapient. Eccleſ. 7. *Noli eſſe iuſtus nimium*: ſed ſi vigiles pro regimine deſignarentur, nimia iuſtitia extenderetur, & exceſſus in culpis indagandis in præiudicium iuſtæ permiſſionis videretur; vndè S. Hieron. in Eccleſ. 7. tom. 1. ait: *Si quem rigidum, & trucem ad omnia fratrum peccata conſpexerit, vt nec in ſermone peccanti, neque propter naturalẽ interdum pigritiam moranti det veniam, hũc ſcito plus iuſtum eſſe, quàm iuſtum eſt; nam inhumana iuſtitia eſt fragilitati conditionis hominum non ignoſcere: noli ergo eſſe iuſtus multum, quia pondus grande, & pondus paruum abominatio coram Domino*: ergo. Quart. ad quietum, tranquillum, & pacificum Reipublicæ ſtatum poſitum in illa ſũma felicitate tantùm in hoc ſæculo deſiderabili pertinet non ſolùm delicta moderata diſciplina, ac correctione punire iuxta illud dictum: *Multùm intereſt Reipublicæ, congregationibuſque cunctis, ne delicta maneant impunita*: quarè S. Auguſtin. in quæſt. vet. teſtam. q. 15. dicebat: *Nimia iuſtitia incurrit peccatum, temperata verò facit perfectos*: ſed etiam multa permittere, & impunita relinquere ad euitandum maius malum, vt dicebam in tert. notand. ergo pro tranquillo, quieto, ac pacifico ſtatu illius cœnobij nonnulla incommoda ad euitandum maius malum contra diſciplinam regularem erunt permittenda, & tolleranda: ſed ſi huiuſmodi inquiſitio in conuentu cõſtitueretur, prudens permiſſio arceretur à cœnobio in maximum illius damnum, quia, ea amota, ſuſcitantur odia, diſcordiæ generantur, murmurationes audiuntur, & pax, pro cuius conſeruatione multa ſunt diſſimulanda, vt docent SS. PP. expellitur, teſte experientia; maximè quia huiuſmodi vigiles nequeunt ita ſecretè inſtitui, vt tandem non detegantur: ergo tale medium inquiſitionis tanquam pernicioſum à pacifico ſtatu cœnobij eſt abdicandum. Quint. & vltim. probatur ex doctrina ipſius Bann. quia, quandò dicit Prælatum poſſe inſtituere vigiles in cœnobio eſt deductum ex tertia cõcluſione, in qua tanquam principale intentum ſtatuit poſſe aliquandò Superiorem deſignare vigiles: ergo doctrina Doctoris benè intellecta nihil aliud concludit, quàm continuatam damnare inquiſitionem, ſed tantùm in aliquo caſu eſſe inſtituendam, quod nos non negamus.

Dices, ſi huiuſmodi inquiſitio non eſſet inſerenda in numeroſa familia Religioſorum, multa incommoda ſequerentur in detrimentum regularis diſciplinæ, & ſic paulatim omnino infirmaretur, ac debilitaretur, quia in quacunque congregatione plures ſunt infirmi, & debiles in virtute; maximè quia Superior vbique nequit eſſe. Reſp. diſciplinam regularẽ non eſſe ita ſeruandam, vt exiſtimet Superior omnia incõmoda euelli poſſe, quia eſſet maximus error in regula prudẽtiæ, & regiminis, vt clarè habetur ex ſuperioribus, ſed eſt tuẽda iuxta obligationem notatam in ſec. not.

Prælatus ipſe debet prudenter ſubditorum vitam inquirere, qui diſciplinam ſolent incommodis labefactare; nam ij ſatis innoteſcunt: debet etiam eis præbere aures, qui zelo diſciplinæ, & charitatis ducti de incommodis ortis, viſis, & non inquiſitis monent, qui in familia reformata non deſunt: poteſt adhuc officiales maxima cum prudentia, & circonſpectione, ne pax amittatur, interrogare, quia hic non loquimur de incommodis famam ſubditorum denigrantibus, ſed de illis, quæ diſciplinæ regulari leuiter aduerſantur, nonnullaque alia media à prudentia ſuppeditata adhibere. Addo, quòd, quandò infirmi, ac debiles ſciunt Superiorem proprijs oculis euigilare, monaſterium patum, aut nihil perturbant, in proprijs incommodis temperantur, & maxima cum cautela in actionibus progrediuntur, vt experientia docet.

Dices, Prælatus tenetur inquirere: ergo tenetur media adhibere proportionata fini correctionis, erunt talia, ſi non exceſſerint officium Patris, ac Prælati prudenti zelo ornati, inter alia quippè enumerantur huiuſmodi vigiles iuxta dictum Bann. in quart. concluſ. aſſerentis non excedere ius Prælati. Reſp. excedere ius prudentiæ, ſi ſemper ſunt inſtituendi, eò quòd ſit nimia vigilantia, quæ mille incommoda tandē parit; non excedere, ſi aliquādò in caſu particulari; ideò admittitur tertia concluſio Doctoris, quia in illis caſibus non ſequuntur incommoda recenſita; & ſi ſequuntur in delinquente ſolùm, & ſunt modica, quæ non debent propter bonum delinquentis, & propter bonum commune perpendi, ſed delinquenti imputari.

## DVBIVM CLXVII.

*An Prælatus tuta conſcientia tolerare poſſit ſubditum, omnia referentem, quæ de eo ſubditi obmurmurant.*

### SVMMARIVM.

1. *Non loquimur de detractionibus ſubditorum grauiter lædentibus Prælati famam, ſed de leuibus.*

2. *Ob plures infirmos, ac debiles leues murmurationes in cœnobijs poſſunt frequenter audiri, quæ tamen prudenter a Prælatis ſunt ſpernendæ.*

3. *Nequit Prælatus tolerare ſubditum, qui refert murmurationes, quæ de ipſo Prælato per cœnobium circumuoluuntur: varijs rationibus probatur, & diluitur quadā obiectio.*

1. Not. prim. quòd hic non loquimur de illis detractionibus ſubditorum grauiter lædentibus Prælati famam, quia ſicut nequit defenſionem diſſimulare, vt docent S. Thom. 2.2. qu. 73. art. 4. Sot. de iuſtit. lib. 6. qu. 12. art. 2. Leſſ. de iuſtit. lib. 2. c. 11. dub. 6. n. 32. Petr. Nauarr. lib. 2. de reſtitut. c. 4. n. 103. Salon. 2.2. qu. 73. art. 1. contr. 3. eò quòd eius fama obſtricta regimini omninò cenſenda ſit; ita nequit nō tolerare ſubditum eius famam grauiter denigratam referentem, & declarantem delinquentem. Limita, modò diffamatio ſit publica, quia ſi ſecreta, tanquam detractor habetur delator; ſed loquimur de leuibus murmurationibus, in quas aliquandò clauſtrales prolabuntur.

2. Not. ſec. quòd in communitate, vt dictum eſt ſæpius iuxta mentem Soti, & Suar. plures infirmi, ac debiles, quàm fortes in ſpiritu morantur; quarè tales murmurationes in cellis, alijſque officinis poſſunt frequenter audiri; vndè ſignum ſemper erit maximæ prudentiæ Prælati eas ſtudioſè diſſimulare, ac ſpernere, inquit Peirin. de Prælato qu. 2. c. 3. §. 11. n. 97. à D. Gregor. homil. 9. in Ezech. inſtructus: *Cum linguæ*, ait, *denigrantium corrigi nequeunt, æquanimiter ſunt per omnia toleranda*: & S. Hieronym. in Eccl. c. 7. ait. *Fac quæ præcepta ſunt tibi, & Sapientiæ auxilio confortatus, vel ad bona, vel ad mala præpara cor tuum, & non cures quid de te loquantur inimici, qualis foris opinio ſit; quomodò enim prudentis uiri eſt murmurantem famulum non audire; nec curioſè aurem apponere, quid de te loquatur abſente, ſi enim hoc fecerit ſemper in tribulatione erit, & ad muſſitationem ſerui iracundia commouebitur; ſic & ſapientis hominis eſt ſapientiam præuiam ſequi, & vanos non conſiderare rumores*: & ali-

& aliqui DD. præſertim Mirand. tom. 2. qu. 5. art. 5. conſil. 4. affirmant maximam eſſe ſapientiam, & prudentiam leuia peccata diſſimulatione p æterire, admoniti ab illo Prou. 30. & Eccl. 7. *Noli eſſe nimiùm iuſtus; nam qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.*

*CONCLVSIO.*

3. SVubditus referens Prælatò leues murmurationes, quæ de eò per cœnobia circumuoluuntur, delinquentes nominando, non eſt in conſcientia tolerandus. Probatur ex c. Diſcordantibus Clericis diſt. 90. vbi habetur iuxta ſententiam Felin. in c. 1. n. 5. de tregua, & pace: Marc. Anton. Genuenſ. in man. Paſt. c. 45. n. 1. Barboſ. in collectan. DD. eod. tit. & diſt. Prælatos ſub mortali teneri, diſcordantibus Clericis, pacem procurare: ſed ſi tolerare huiuſmodi ſubditum à munere proprio deficeret, quod eſt iurgia reſecare, pacem, & concordiam amare, dando manum diſcordiæ inter ſeipſum, & ſubditos murmurantes, teſte experientia, quia, quandò aures conceduntur delatoribus, pax à domo expellitur; nam, vt benè probat Tiraquell. de pœn. tempor. cauſ. 5. n. 82. & Peirin. vbi ſupr. n. 106. *Tantus eſt amor ſui, vt quiſque etiam ſanctiſſimus cæcutiat in proprijs:* & S. Hieronym. ad Celant. epiſt. 14. tom. 1. inquit: *Nihil tam inquietat animum, nihil eſt: quòd ita mobilem mentem, & leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi; hinc enim crebra diſſenſiones, hinc odia iniuſta naſcuntur, hoc eſt quod ſæpè de amiciſſimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, ſed credulas animas maliloqua lingua diſſociat: at contra magna quies animi, magnaque eſt morum grauitas non temerè de quoquã ſiniſtri quid audire:* ergo Prælatus talem ſubditũ tuta conſcientia tolerare nequit. Præterea; vel id fit zelo iuſtitiæ, vt murmuratores pœna plectantur; vel zelo charitatis, vt Prælatus emendetur; non prim. vt ait Ariſt. 3. polit. c. 6. *Qui de ſe ipſis iudicant, vt plurimùm non ſunt recti Iudices:* & ibi S. Thom. ait lect. 7. *Quòd id prouenit ex nimia affectione, quam homo habet ad ſe ipſum;* quæ rationis iudicium peruertit vnde 2. 2. qu. 64. art. 5. ad 2. addit, quòd nemo eſt Iudex ſui ipſius, & nemo eſt Iudex in propria cauſa. l. qui iuriſdictioni. ff. de iuriſd. omn. iud. non ſecund. quia ſi charitas poſtulat emendationem Prælati, poſtulat etiam, vt manifeſtentur imperfectiones abſque eo, quòd detegantur nomina murmurantium: reſtat ergo id fieri vel aliqua malignitate; vel ad ſibi conciliandam, ſeù conſeruandam beneuolentiam Prælati ob aliquem finem à regula diuina aberrantem; quocumque modo ſit, nequit tuta conſcientia tolerari. Addo, ſi eſſet tolerandus, maximè quia aliquandò peccata ſubditorum ſunt diſſimulanda, vt ait Mirand. cum omnibus DD. ſed in hoc caſu id nequit fieri, quia perueiſis delationibus opponitur eſſentia regiminis, quæ conſiſtit ex ſententia PP. teſte Homobono tract. 7. de 4. præcept. decal. c. 16. qu. 78. in reciproco amore inter ſubditum, & Superiorẽ, qui licèt ſanctiſſimus, in proprijs tamen ob amorem ſui cæcutiens ſe habet; ergo. Et confirmatur, quia ſicut Superior tolerare nequit ſubditum diuidentẽ fratres ſeminando zizania inter ipſos, eò quòd mortaliter peccat dirimendo amorem, & amicitiam, vt aiunt DD. ergo tantò minùs tolerare nequit auferentem à ſe amorem erga ſubditos, maximè quia amor inter ſubditũ, & Superiorem abſque vllá difficultate maioris ponderis videtur eſſe, quàm amor, & amicitia inter amicos.

Dices toleratur in ordine ad rectam gubernationẽ, & ad propriam emendationem. Reſp quòd ſicut prudentia eſt illa virtus, quæ totam domum, ſeù familiam regere, & gubernare debet; ita ſignum maximæ prudentiæ eſt in Prælato eas murmurationes ſpernere, & ſtudioſè negligere, non ignorando Prælatos eſſe poſitos tanquam ſignum, in quod linguæ ſubditorum murmurationum ſagittas immittunt; nec modificatio actionum ad propriam vtilitatem eſt facienda dettactore nominato, quia non eſt medium neceſſariũ pro emendatione, ſed pro diſcordia, vt rectè notat S. Hieronym. vbi ſupr.

Pro fine quæſiti legant Prælati verba S. Gregor. epiſt. 52. lib. 2. regiſtr. de quodam ſpon-

ſpontaneo de'atore, & hæc ſcripſit Ioanni Conſtantinopolitano: *Ego beatiſſimo viro domino Ioanni ſcripſeram, ſed credo, quòd mihi familiaris veſter ille iuuenculus reſcripſit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viſcera charitatis neſcit, qui in ſceleſtibus rebus ab omnibus accuſatur, qui inſidiari quotidiè diuerſorum mortibus dicitur per occulta teſtamenta, nec Dominum metuens, nec homines erubeſcens: mihi crede frater ſanctiſſime, ſi zelum charitatis perfectè habes, ipſum prius corrige, vt ex his, qui nobis vicini ſunt, & ij, qui vicini non ſunt, exemplo meliùs emendentur: illius linguam noli recipere, ille ad conſilium veſtræ ſanctitatis debet dirigi, non autem ſanctitas veſtra ad verba illius inflecti; enim illum audit, ſcio, quia pacem cum ſuis fratribus habere non poterit*: hæc S. Gregorius. Doctrina hæc, licèt vera, habere debet aliquandò ſuas limitationes iuxta doctrinam Bonacin. de reſt. diſp. 2. qu. 4. punct. 7. cui mitto prudentem lectorem.

## DVBIVM CLXVIII.

*An Prælato locali licitum ſit ſocium adhibere ſubdito ſuſpecto de minùs honeſta conuerſatione, vt ſibi, tanquam Patri, ad fraternè corrigendum illum denuntiet.*

### SVMMARIVM.

1. *PRælatus conſideratur primò, vt frater; ſub hac forma nequit explorare vitam Religioſorum, imò peccaret, ſi id faceret. Secund. vt Pater ſpiritualis. Tert. vt Iudex; ſub hac enim forma cauere debet, ne ſibi velit vſurpare iudicium Dei.*

2. *Poteſt, ac debet Prælatus ſocium ei, quẽ tanquam ſuſpectum habet de crimine, aſſignare.*

3. *Adnotantur duæ opiniones, an poſſit idem Prælatus ſocio ſignificare aliquid de ſubdito ſuſpecto, & inclinatur in partem negatiuam.*

4. *Itidem adnotantur ea, quæ facere poteſt Prælatus circa ſubditum ſuſpectum.*

1. Not. prim. quòd in Prælato Eccleſiaſtico tria ſunt conſideranda, ratione quorum ſe habet aliquo modo ad alios corrigendos. Prim. ſe habet tanquam fratrem, ſicut ſunt omnes alij, quibus officium correctionis incumbit, & vt talis nullo modo debet, & poteſt vitam fratris explorare, vt fraternaliter corrigat, quia, vt dicit Auguſtin. lib. de verb. Domin. ſerm. 16. *Admonet nos Dominus noſter non negligere peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas; alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum contra id, quod dicitur Prou. 24. Ne quæras impietatẽ in domo iuſti*: nomine iuſti intelligitur, qui in communi opinione habetur innocens; videatur Sanch. opuſc. 2. lib. 6. c. 2. dub. 4. referens pro confirmatione doctrinæ multos DD. addendum tamen eſt Lorcam 2. 2. qu. 33. art. 6. diſp. 45. ſect. 3. n. 10. damnare huiuſmodi inquiſitionem, tanquam vitioſam, & reprehenſibilem, quia generat ſcandala, & occaſionem præbet odijs, & diſſenſionibus; nam homines moleſtè ferunt acta ſua inueſtigari ab alijs, & natura ſua hæc inquiſitio iniuriam facit proximo; aduerſatur enim honori, & æſtimationi, quãquiſq; habere apud omnes cupit; quare nunquam ex charitate, ſed ex ambitione, & ſolicitudine vana, & inepta oritur: hæc Lorca, & Fernand. in exam. Theol. moral. part. 1. c. 3. §. 3. n. 7. inquit ex D. Thom. in 4. diſt. 19. qu. 2. id eſſe ex genere ſuo mortale, tanquam rem nimis iniurioſam; ex quo ſequitur, malè ſe gerere Religioſum circumeuntem monaſterium ad inquirenda, & exploranda aliorum Religioſorum facta, vt denuntiet Prælato, peiuſque facere Prælatum tolerantem talem ſubditum. Secund. tanquam Patrem ſpiritualem, cuius officium eſt verbo, & exemplo inſtruere ſubditum, eique Sacramenta miniſtrare, vt ipſe ſaluus fiat. Tert. tanquam Iudicem habentem in foro exteriori poteſtatem iuridicè procedendi ad correctionem delinquentium propter bonum commune; & ius ad inquirendam vitam ſubditorum, vt fraternaliter corrigat, ac ſuperioritatem ſupra communitatem ad proui-

prouidendum bono communi. Aduertant tamen Prælati cum Bann. 2.2. qu. 37. art. 8. dub. 2. ad 4. quòd multa ſunt relinquenda iudicio Dei, & caueant, ne ſibi velint vſurpare iudicium illius, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua: ſunt enim aliqui Prælati, qui plùs nimio zelo corrigendi crimina aguntur, & non ſecundum ſcientiam, & valdè ſatagunt, vt vniuerſa ſubditorum peccata in publicum iudicium veniant prętextu boni communis conſeruandi, cum tamen non omnia peccata ſint specialiter boni communis deſtructiua, circa quæ ſolùm rigidus zelus iuſtè exercetur; alia verò crimina debent Prælati præſertim Eccleſiaſtici, vt Patres corrigere, & in profundum maris demergere, cuius rationem tradit D. Thom. 2.2. qu. 33. art. 7. quoniam hominis fama magnum bonum temporale eſt, & ad ſpirituale vtile.

*CONCLVSIO.*

2. POteſt Prælatus tanquam Pater, & tenetur ſocium iungere ei, quem tanquam ſuſpectum de aliquo crimine, ac parum honeſta familiaritate habet, vt eius actiones obſeruet, atque exploret, & referat Superiori, vt fraternaliter corripiatur. Ita Bann. 2.2. qu. 37. art. 3. dub. 2. Torres ibid. diſp. 89. dub. 5. Caſtr. Palaus 1. de charitate tract. 6. diſp. 3. part. 11. n. 8. Suadetur prim. ſicut ditior, quàm minùs diues in multis caſibus obligatur magis ad præceptum eleemoſinæ; ita Prælatus, qui eſt alijs potentior ad commodè exercendam correctionem fraternam, quandò opus eſt, efficaciora media tenetur adhibere: at caſus propoſitus eſt talis: ergo ſocium vigilantem ſubdito ſuſpecto aſſignare debet; quia eſſe videtur illud medium congruum, & efficax pro conſecutione finis eleemoſynæ ſpiritualis, quæ eſt correctio; maximè quia tenetur inquirere ſubditorum vitam, vt inquiunt D. Thom. Abulenſ. Tabien. Turrecrem. Gabriel. D. Antonin. Viguer. Adrian. & alij, quos citatos ſequitur Sanch. vbi ſupr. Bann. vbi ſupr. & cui incumbit finis in hoc caſu, etiam incumbunt media ad finem; vndè D. Gregor. lib. epiſt. 12. nullo modo excuſat Prælatum à correctione ſubditorum ex eo, quod dicat, ſe ſubditorum delicta neſcire: *Quæ poteſt*, inquit, *eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedat, & Paſtor neſcit.* Secund. quia Prælatus tenetur ex præcepto correctionis exponere vitam, vt corrigat oues in caſu, quo priuatus non tenetur, vt Sanch. vbi ſupr. docet: ergo ſimiliter tenetur aliam maiorem adhibere curam ad corrigendum: ergo ſocium tali ſubdito adhibere tenetur.

3. Addunt Bann. & Torr. vbi ſupr. poſſe Prælatum ſocio ſignificare, ſe malum ſuſpicari de ſubdito dicendo, obſerua illum, ſi iam apud Prælatum ſuo modo ſubditus amiſit famam; ſecus ſi retinet eam, quorum doctrina non placet Caſtro Palao, & rectè quidem, quia abſque malæ opinionis ſignificatione poteſt ſocij vigilantiæ commendari, & quæ cauſa eſſe poteſt cohoneſtans infamationem? addit tamen, ſi Superior corrigens delinquentem de eius emendatione dubitat, poſſe ſocio exploratori aliquid de ſubdito ſignificare, ac proindè neceſſariam eſſe vigilantiam ſuper illum, vt ſic aperiatur via ſocio deferendi Superiori crimen, ſi viderit; nam in tali caſu ſocius præſumere non debet ſe poſſe efficaciter corrigere; cum præſumere debeat monitum fuiſſe, & non eſſe emendatum.

4. Suar. quatuor adnotauit, quæ facere poteſt Prælatus, vt habetur 4. de Relig. lib. 10. c. 10. n. 14. & c. 12. n. 37. quem ſequitur Caſtrus Palaus vbi ſupr. n. 10. & Caſpenſ. in curſu Theolog. tom. 2. tract. 17. diſp. 6. ſect. 3. n. 3. Prim. dicit poſſe Prælatum, ſi ei moraliter conſtet de delicto ſubditi, ſaltem per dictum vnius teſtis oculati à falſitate alieni, grauiter ſubditum reprehendere, etiam coram duobus, vel tribus teſtibus, ſi id iudicauerit expediens, ad eum confundendum, & commonendum. Secund. poſſe ob eandem rationem pœnitentiam ei aliquam iniungere, ieiunium, vel flagellationem. Terr. minis eum terrere. Quart. imponere ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne talem locum ſuſpectum adeat, neue cum tali perſona loquatur, & id etiam cum ipſo delatore & teſtibus, vt ſic de eius tranſgreſſione clariùs conſtet; nam hæc omnia non excedunt officium paternæ correctio-

nis,

nis, & poteſtatis, quam habet, vt Pater in filios: ex alia parte ſemiplena probatio ſufficit ad hæc præſtanda: pro maiori intelligentia doctrinæ videatur Paſqualig. deciſ. 461.

11. Tandem aduertit Suar. vbi ſupr. num. 15. quòd ſi, his non obſtantibus, ſubditus delinquens nullam præmonitionem admittit, & delictum non eſt notorium, nec probabile in iudicio, nec vergit in damnum communitatis, Prælatus ceſſare debet, ſed oret pro illo, vigilet, & occaſiones ſine ſcandalo, aut infamatione ſubditi auferat, quia nequit ob delictum occultum illum infamare, neque ad aliud genus inquiſitionis debet procedere: quòd ſi delictum in damnum communitatis, vel tertij vergit, & fruſtrà paterna correctio facta fuit, quia ſubditus durus eſt, & delictum negat, & emendationem non promittit, poterit Prælatus ad iudicialem correctionem tranſire, & præcipere delatori, vt eum denuntiet, cui præcepto ipſe tenebitur, niſi ob graue periculum ſibi imminens excuſetur: Et ratio eſt, quia bonum commune, & innocentis tertij particulari nocentis præferendum eſt; quarè delator producere debet denuntiationem, & Iudex eam acceptare, ipſumque delatorem tanquam teſtem examinare, qui veritatem tenetur fateri: videatur Suar. vbi ſupr. c. 12. n. 44.

## DVBIVM CLXIX.

*An liceat Prælato locali, quandò habet ſubditum ſuſpectum de aliquo delicto commiſſo in conuentu, ſeu extra cum muliere, ſeu fratre, cuius fama non eſt diuulgata, cum ſtatim ab illo loco remouere.*

### SVMMARIVM.

1. *Prælato incumbit onus conſeruandi famam ſuorum ſubditorum.*

2. *Peccatori publicè nequit adminiſtrari Euchariſtia: ſecus ſecretò.*

3. *Præceptis incompatibilibus ſimul concurrentibus, ſemper obſeruandam eſt, quod magis obligat: habetur quadam limitatio.*

4. *Prælatus cænobij tuta conſcientia nequit ſubditum de aliquo delicto indiciatum à loco remouere, eius fama periclitante: ſecus, ſi illa non læditur: adnotatur quadam aduertentia, & diluitur quadem obiectio.*

5. *Prouincialis poteſt monere Superiorem localem de ſubdito delinquente.*

1. Not. prim. quòd vnicuique ex charitate incumbit onus conſeruandi famam proximi, vt aiunt DD. & præſertim ad Superiores ſpectat ſuorum ſubditorum famam integram ſeruare, quia ex officio tenentur curare eorum ſalutem, famamque cuſtodire; imò iſtud onus videtur eſſe adeò ſtrictum, vt ſi quis detrahentem audiat, & non obſtet, lethalem culpam incurrat. Ita docent Sot. Nauarr. Azor. Rebell. Leſſ. quos citatos ſequitur Bonacin. de reſtit. diſp. 2. qu. 4. p. 11. n. 6. quorum doctrina limitatur à Ioann. de la Cruz. in direct. conſc. p. 8. qu. 8. dub. 7. n. 101. à Reginald. in prax. tom. 2. lib. 24. c. 1. n. 95. à Fabr. de reſtit. in 4. ſentent. diſt. 53. n. 127. & à Diana p. 3. tract. 5. miſcellan. reſol. 35. ad veniale, quandò intercedit timor, ſeù verecundia, ſeù negligentia, ſeù animi leuitas, quæ cauſæ, inquit Tanner. apud Dian. vbi ſupt. non admittuntur in Superiore, quia ex iuſtitia proprij officij timorem, &c. expellere, famamq; ſubditorum defendere tenetur.

2. Not. ſec. quòd ſicut, vt aiunt S. Th. 3. p. qu. 80. art. 6. Alenſ. 5. part. qu. 48. Albert. in 4. diſtinct. 13. art. 17. Bonau. 4. art. 2. qu. 5. diſt. 13. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 12. Nauarr. in ſumm. c. 11. n. 55. Silu. tit. Euchar. Suar. in art. D. Thom. diſp. 67. ſect. 1. miniſtri Euchariſtiæ ſub mortali hanc obligationem habe[n]t ſimpliciter, & abſolutè non miniſtrandi Euchariſtiã peccatori, quia Sacerdos tenetur non dare ſanctum Sacramentũ canibus, nec indignè tractare tãtum Sacramentũ; ita, vt inquiunt Alenſ. Bonau. Thom. Silu. Suar. ſect. 4. vbi ſupr. Layman. de Euchariſt. tract. 4. cap. 6. Sot. 4. diſt. 12. qu. 1. art. 6. Bonac. de Sacrament. in genere diſp. 1. qu. 6. punct.

4. & alij, ineſt etiam eis obligatio Sacramentum præbendi peccatori occulto publicè petenti, & habetur ex c. Placuit 6. qu. 3. & ex c. Si Sacerdos de offic. ordinar: quia eſſet infamare illum, quod eſt intrinſecè malum, quia etiam decet actus publicæ gubernationis, & diſpenſationis exerceti ſecundum publicam notitiam, & ſciētiam, & non priuatam; aliàs periculum eſt, ne excitentur multæ perturbationes, ſcandala, & iniuriæ; ex. gr. miniſtri publici poſſent infamare, quos vellent, peccatum, vel indignitatem fingere, vbi non eſſet, & è contra poſſent fideles ſæpe formidare, ac timere, ne à miniſtris huius Sacramenti infamarentur.

3. Not. tert. quòd, quandò præcepta incompatibilia ſimul concurrunt, ſemper eſt obſeruandum, quòd magis obligat, & eſt communis DD. ſententia. Inter præcepta primum locum obtinent naturalia diuina, vt ſunt decem præcepta decalogi: dicuntur naturalia, quia lumen naturale dictat, illa eſſe ſequenda: diuina, quia ſunt à Deo: ſecundum locum obtinent diuina poſitiua, huiuſmodi ſunt, quæ Chriſtus Dominus inſtituit ore proprio, maximè circa Sacramentorum adminiſtrationem, vel receptionem: dicuntur diuina, quia à Chriſto data, poſitiua ad diſtinctionem naturalium; nam intantùm obligant, inquantùm ſunt à Chriſto Domino impoſita: tertius locus datur poſitiuis humanis, vt ſunt omnia præcepta ab homine puro, ex. gr. à Papa, Concilio, Rege, cæteriſque Superioribus: concurrente diuino naturali, vt eſt præceptum ſeruandi famam, & vitam, cum poſitiuo diuino, magis obligat illud, quàm iſtud, & conſequenter eſt ſeruandū: concurrente diuino naturali, & diuino poſitiuo cū humano poſitiuo: illa ſunt ſeruāda tanquā magis obligatoria: inſuper magis obligāt præcepta primæ tabulæ, vt ſunt tria prima decalogi, quàm ſecundæ tabulæ, vt ſunt alia ſeptē; negatiua magis, quàm affirmatiua, altioris virtutis, quàm inferioris: euenire tamen poteſt ob materiæ vnius præcepti paruitatem, & alterius grauitatem, vel propter maius boni communis periculum, quod ex inferioris præcepti tranſgreſſione imminet, vt hoc magis obliget: quandò verò, conſideratis omnibus circunſtantijs, maior vis vnius non apparet, poteſt eligi quod libuerit, quia non eſt maior ratio, quarè vnum alteri præponatur. Ita Baſſæus in ſumm. tit. Præceptum n. 12. videatur etiam Portell. tit. Præceptum numer. 2.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. PRælatus tuta conſcientia remouere nequit ſubditum de aliquo delicto ſuſpectum iuxta ſenſum tituli, quandò ob eiuſmodi remotionem eius fama periclitatur. Ita Rodriq. tom. 2. qu. 5. art. 3. cum ſuo compendio reſol. 38. n. 4. Peirin. in formulario lit. M. c. 8. colligitur etiam ex Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 10. n. 12. 13. Torres 2. 2. qu. 37. diſp. 89. dub. 4. §. Secundò aduertendum. Caſtr. Palao part. 1. tract. 6. diſp. 3. p. 11: n. 2. Suadetur primò: vnuſquiſque ſub mortali tenetur famam proximi non lædere, & præſertim Prælatus famam ſubditi, quia ex officio curare debet bona temporalia, & ſpiritualia ſuorum ſubditorum, vt tradit Peirin. de Prælato qu. 1. c. 7. n. 13. referens Bart. & Rodriq. ſed, ſi ſtatim ac habet Prælatus ſubditum indiciatum de aliquo delicto, remouet eum à cœnobio, lædit eius famā: ergo huiuſmodi mutatio nequit fieri; maximè quia eſt neceſſaria ad conſeruanda bona ſpiritualia; nam, fama amiſſa, facillimè ſubditi prorumpunt in quæcunque flagitia. Secund. inter ſubditum, & Superiorem, ſeù Religionem videtur eſſe mutua obligatio ſe defendendi, vt probat Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 15. ſed ſi Prælatus remoueret ſubditum, &c. à propria obligatione in re graui deficeret: ergo. Tert. ſi ad tuendam famam peccatoris occulti publicè petentis Euchariſtiam, & ad conſeruandam rectam gubernationem ſui officij miniſter tenetur ei miniſtrare panem Angelorum, aliàs obnoxius mortali culpæ cēſendus eſt, vt dicunt DD. & nunquam dicetur coöperari peccato, ſed tantùm culpam permittere: ergo tantò magis ad cōſeruandam famā, & honorem ſubditi, & ad nō poſtponendā ſcientiā publicā priuatæ cōtra dictamen boni regiminis, nequit Prælatus amouere ſubditū à loco cū iactura eius honoris, & famæ indiciatū de aliquo delicto.

Limita

Limita, modò non immineat aliquod ſcandalum publicum; nam, hoc imminente ad iudicium Prælati, poterit ſubditum ab officio, & loco remouere, quia, inquit Suarez inferiùs citandus n. 41. bonum commune præfertur particulari famæ.

Aduertendum tamen eſt, poſſe Prælatum talem ſubditum à cœnobio remouere, ſeù officio, quandò eius remotio in periculum non adducit famam. Ita habetur ex Suar. Torres, Caſtr. Palao vbi ſupr. vndè Pontifex in c. Qualiter, & quandò: 2. de accuſation. dicit ordinem correctionis cum perſonis religioſis non ſemper eſſe obſeruandum, quia faciliùs, & liberiùs poſſunt à ſuis adminiſtrationibus remoueri, nec eſt exiſtimanda remotio iniurioſa, eſto delictum nō fuerit cōmiſſum, quia ſufficienter honeſtatur ad malum præcauendum: debent tamē Superiores maxima cū prudentia, ac animaduerſione procedere in examinando: an neceſſarium ſit ad emēdationem fratris, & ad præcauendū damnum illud ab officio, & occupatione, & habitatione eū remouere; nam ſi hoc neceſſitate, vtilitateq; careat, nequaquam id efficere debent, quia videtur medium eſſe nimis durum, & rigidū, ſed potiùs debēt ergà eū eodē modo ſe gerere, ac afficere honore, ſicut priùs: colligitur ex Calixto Papa relato in c. Ponderet diſt. 50. *Si aliquis lapſus quocunque modo fuerit, portemus eum, & paterno corripiamus affectu:* & paulò inferiùs: *Porrò ſi Dauid de mortiferis criminibus egit pœnitentiam, & tamen in honore permanſit*, debet etiam Superior animum delatoris inueſtigare, ne fortè inuidia, odioq; motus falſum crimen innocenti impoſuerit. Quapropter ob vnius dictū non concurrentibus alijs præſumptionibus affirmat Caſtr. Palaus vbi ſupr. ex doctrina Suar. 4. de Relig. lib. 10. c. 12. n. 38. Superiorem non debere ab officio, & loco ſubditum remouere; quia eſt res nimis grauis, & quæ ſubditos valdè nimis grauat, quòd ſi hoc fiat abſque culpa, iam ex ſe apparet, quàm ſit graue innocentem punire, nocente delatore manente indemni: Suarez ſic loquitur loc. cit. & benè: Poterit tamen Prælatus (vt cap. 10. num. 13. dixit) pro qualitate ſemiplenæ probationis miniſterium auferre, quod pendet ex voluntate Prælati ſi abſque ſcandalo, & infamia fieri poſſit, & fuerit neceſſarium ad tollendas illi occaſiones peccandi, non tamen ad vindictam commiſſi delicti, & idem eſt de mutatione loci, & ſimilibus.

Addit etiam Caſtr. Palaus cum Torres 2. 2. qu. 33. diſp. 89. dub. 4. circa finem poſſe Prælatum, cui delictum, vt Patri eſt reuelatum, illud enarrare alicui, vel aliquibus ex ſuis Conſultoribus ex neceſſitate tamen pro remedio adhibendo, ſed de hoc iam ſatis: verùm tamen eſt, quòd ſi Superior cœnobij poteſt, ſe ſolo delinquentem à reincidentia cohibere, abſque lethali culpa reuelatio criminis apud Prouincialem, ſeù alios fieri non poteſt, quia iam illa manifeſtatio delicti, & ablatio famæ non habent finem paternæ delationis, quæ eſt fratris lucrum, cum abſque illa ſit emendandus. Nec obſtat dicere, licèt non ſit neceſſarium, eſt tamen conueniens, ne Prouincialis ignarus huius delicti delinquentem exponat alijs periculis maiora delicta committendi, quia, ſi hoc eſſet verum, pateret aditus manifeſtandi pluribus delictum commiſſum, cum non ſit maior ratio, quarè non manifeſtetur cuilibet Superiori immediato, & tam ſubſequenti Prouinciali, quàm præſenti, cum tunc ſecurior futurus ſit delinquens à reciduo, quod quidem non eſt concedendum. Ita Caſtr. Palaus vbi ſupr. n. 3. vide ea, quæ notata ſunt in dub. 77.

Dices, vnuſquiſque tenetur enſem datum ad cuſtodiendum denegare publicè petenti ad occidendum ſe, vel alium, ex quo homicidium ſequuturum ſecretò conſtat, licèt opus ſit prauum eius animum manifeſtare, quia de duobus præceptis concurrentibus, quod magis obligat, eſt obſeruandum: ergo in præſenti caſu licebit remouere à loco delinquentem etiam cum iactura propriæ famæ, quia magis obligat præceptum de amouenda proxima ruina hominis, tanquam damno ſpirituali, quàm de conſeruanda fama, quæ eſt aliquod temporale. Reſp. Alenſ. & S. Bonau. negando licere negare gladium Domino petenti, ſed potiùs eſſe permittendum homicidium, quàm occultum de-

bctum manifestare; ſed hoc, vt ait Suar. vbi ſupr. in ſecund. notand. eſt creditu difficile; vera ergo reſponſio ſit ex doctrina Sori, & Suar. vbi ſupr. admiſſo exemplo, conſequentia eſt neganda, tum quia ſæpè maior eſt obligatio ſubueniendi proximo in corporalibus detrimentis, quàm in ſpiritualibus, quia delicta ſine propria voluntate non committuntur, ſæpiùs eſt minor neceſſitas incurrendi in illa, & ideò minùs etiam eſt neceſſarium auxilium alterius ad illa vitanda, tum quia illud damnum corporale eſt irreparabile; damnum verò animæ ſeparari poteſt moraliter loquendo.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

NVllo modo Prælatus ſuperior monere debet inferiorem, vt, cautè ſe gerat circa clauſuram, domum, & Religioſorum egreſſus, ſed omninò; quandò eſt neceſſarium pro remedio ſubditi ſuſpecti deſcendere ad hominem delinquentem. Concluſio eſt contra vtrumque Rodriq. vbi ſupr. Prima pars ſuadetur, tum quia eſt nimia vigilantia, cura, & circunſpectio, tum quia eſt nimio tædio Superiorem grauare. Secunda pars ſuadetur: ſi nequit fieri niſi ob iacturam famæ, quam ſubditus patitur apud illum Superiorem; ſed tunc hoc non videtur illicitum; aperire enim crimen alterius ad conſulendum bono ipſius docent Nauarr. Rebell. Petr. Nauarr. Bann. & alij relati à Bonacin. de reſtit. diſp. 2. qu. 4. p. 8. eſſe licitum.

Ex his, quæ dicta ſunt, patet, quomodò ſe gerere debeat Superior conuentus in multis caſibus, ex. gr. quandò cuſtos publici ærarij tanquam fur eſt notatus, quandò cuſtos ianuæ, & quæſtuarius ſuſpecti de mala conuerſatione cum muliere habentur, &c.

## DVBIVM CLXX.

*Quænam potiſſimùm conferre poſſunt ad rectam gubernationem cœnobij.*

### SVMMARIVM.

*MVlta ſcitu digna notantur pro recta gubernatione. Nonnulla dixi ſpectantia ad hoc in ſuperioribus; ſed reſtant alia dicenda.*

Hæc quidem conferuntur ad rectam gubernationem: quòd Superiores ſubditorũ animos ſibi quam maximè deuinciant non ſolùm prouidendo eorum neceſſitatibus, ſed etiam illas præueniendo, & pro ſtatu monaſterij, ſeù domus abundanter conſulendo: quòd omnibus æquè amicos, affabiles, ac beneuolos abſque vlla perſonarum acceptione ſe exhibeat, ita vt vnuſquiſque ſibi perſuadere poſſit ſe præ cæteris eſſe dilectum: quòd ſuis temporibus debitas recreationes concedant, præſertim iunioribus, qui vacant ſtudijs: quòd officialibus monaſterij ſedulò inuigilent, vt quilibet ipſorum munus ſuum ritè exerceat: quòd ijs, qui præ alijs laborant, ſiue in bonum ſpirituale proximorum, ſiue incommodũ Religionis identidem & verbis, & factis oſtendat ſibi gratos, & acceptos eſſe eorum labores, ſicque illos hortentur: quòd ſubditis præcipiant non imperioſè, ſed modeſtè, humaniter, & potiùs cohortando, quàm imperando: quòd ita tractent cum ſuis ſubditis, vt hi magnam erga illos concipere poſſint confidentiam: quòd ſe faciles præſtent in concedendis ijs, quæ licitè petuntur; & ſi quandò coguntur eadem negare, ſignificent id ſibi non parùm diſplicere, interdum etiam indicata cauſa denegationis: quòd in malis ſubditorum, & præſertim in infirmitatibus ijs viſcera paterna oſtendat, illos ſæpius inuiſendo, conſolando, & debitis remedijs prouidendò, nullis expenſis parcentes, nullum incõmodũ declinãtes, quãlibet aſperã difficultatẽ ſuperãtes: quòd publicè, & priuatim ſuos Religioſos adhortetur ad perfectionis religioſæ

gioſæ acquiſitionem, ad regularem obſeruantiam, ad exercitium virtutum omnium, idque non ſolis verbis, ſed præcipuè exemplo: quòd iuxta leges prudentiæ, & charitatis illos reprehendant de exceſſibus, iiſque ſalutares imponant pœnitentias, ita tamen, vt ij certò ſibi perſuadere poſſint illis iniungi non ex odio, aut ira, ſed ex amore, ac zelo regularis diſciplinæ, iuxta illud Sapient. 12. *Cum tranquillitate iudicas*: quod oſtendant ſe de omnibus benè ſentire, interim tamen obſeruantes ſuorum ſubditorum mores, ac ingenia, vt ſic tantò melius poſſint eos dirigere; eos ſubtrahendo ex occaſionibus peccandi: quòd curent, vt omnes quàm diligentiſſimè obeant exercitia ſpiritualia orationis, meditationis, examinis conſcientiæ, & alia ſiue priuata, ſiue publica, idque maximè per Confeſſarios, & Præfectos rerum ſpiritualium: hæc, inquam, & alia ſimilia, quæ vnctio Spiritus Sancti docebit; mirum in modum conferent ad rectam Regularium gubernationem.

# TRACTATVS NONVS.

# DE DISCRETIS ELIGENDIS.

## DVBIVM CLXXI.

*An ſit expediens Religiones habere ſtatutum, vt aſſumantur Diſcreti à cœnobiorum familijs pro ferendo ſuffragio in Capitulo Prouinciali?*

### SVMMARIVM.

1. *Quid ſit Diſcretus, de quo loquitur, & quod eius munus tam intrinſecum, quàm extrinſecum.*

2. *Vtilius eſt Reipublicæ gubernari legibus, quàm Principibus, & habetur ratio, quæ leges ſemper debent inſtitui ſecundum multitudinem regendam.*

3. *Iidem debent bonum promouere, malumque præcauere.*

4. *Varijs rationibus ſuadetur, legem aſſumendi Diſcretos vtrumque munus propagare, ideò conuenire debet Religioſorum familijs: & cuidam obiectioni ſatisfit.*

Diſcreti nomen multipliciter accipitur, vt videre eſt apud Mirand. tom 2. qu. 22. art. 1. ſed hic tantùm eſt explicandum, quatenus importat Monachum electum à familia cuiuslibet loci ſuffragijs, vt comitetur Superiores locales, dum proficiſcuntur ad celebrandum Capitulum prouinciale, & in aliqua Religione ad Capitulum generale, eò quòd non diſtinguuntur Prouincijs.

1. Pro intelligentia ſit prim. notand. quòd Sociorum, ſeù Diſcretorum officiũ, ac munus ad duo ſe extendere videtur: Prim. vt ſint vocales nomine illius familiæ, à qua fuerunt electi, & fruantur vtraque voce in electionibus capitularibus, nempè Prouincialium, ac Definitorum, ſeù Conſultorum, &c. Secund. vt exponant Patribus errores commiſſos in regimine à Prælatis conuentuum, quorum ſunt Socij, & ſimiliter ferant neceſſitates, & alia pertinentia ad conuentus, ſiue ad quoſdam ſingulares homines eorundem conuentuum: illud autumat Sigiſmund. de elect. dub. 109. & Samuell. de elect. canon. tract. 2. diſp. 3. contr. 4. eſſe de intrinſeca ratione; iſtud verò, quaſi acceſſorium, & extrinſecum, quia ideò mittitur Diſcretus, ſeù Socius, eò quòd cœnobium habet vocem in Capitulo, ſi hac careret, careret etiam authoritate mittendi Socium in Capitulum; non ideò mittitur, vt ferat errores Prælati, ac neceſſitates, prout ſupr. cum hæc poſſint ſuppleri alijs medijs, vt de facto multi faciunt.

2. Not. ſec. quòd omnes Theologi in hanc conſpirant propoſitionem, vt S. Th. 1. 2. qu. 95. art. 1. ad 2. Mirand. tom. 2. qu. 25. art. 5. Sotus de iuſtit. lib. 1. qu. 5. art.

art. 1. quód vitlius ſemper fuit, ac conuenientius Reipublicæ gubernari optimis legibus, quàm optimis Principibus, Gubernatoribus, ac Iudicibus; & hæc doctrina fuit cognita ab Ariſt. 3. polit. c. 11. & 12. & 5. ethic. c. 6. quarè dicebat, *quòd, qui dicit leges imperare, dicit Deum Mundo præeſſe debere; qui verò dicit, Regem imperare debere, dicit belluam imperare debere*. Ratio deſumitur ex S. Thom. 3. polit. lect. 8. qui explicans ſenſum Ariſt. inquit. *In prima dicit*, id eſt Ariſt. *quòd prauum, & iniuſtum eſt hominem principari, & non legem, quia homo habet paſſiones ſibi coniunctas, paſſiones autem diſtrahunt voluntatem, & faciunt deuiare à recto fine, & per conſequens peruertunt iudicium rationis, lex autem non habet paſſiones, quarè per legem non contingit deuiare à recto iudicio rationis: cum igitur meliùs, & iuſtiùs ſit illum principari, qui non poteſt deuiare à recto fine, quàm illum, qui poteſt, & homo poteſt deuiare à recto fine; lex verò non, manifeſtum eſt, quòd iuſtum eſt legem dominari, non hominem*: porrò cum *lex*, inquit S. Thom. 3. polit. lect. 12. *ſit ordinatio quædam ſecundum rationem de conferentibus ad finem politiæ*; & cum non omnia poſſint adaptari cuilibet multitudini regendæ, ideò præceptum Ariſtot. eſt 4. polit. c. 1. diligenter inueſtigare, qualis ſit politia, ſeù multitudo regenda, & ſecundum illam leges ſtatuere, & condere: cuius ratio eſt, inquit S. Th. ibid. lect. 1. *Quoniam leges omnes feruntur, vel ferri debent, ſecundum quod competit politiæ, per ſe, & non è conuerſo politias ordinare, ſecundum quod competit legibus*.

3. Not. tert. quòd S. Thom. 6. polit. lect. 5. ex Ariſtotel. habet hæc verba: *Oportet reducere ad memoriam, quæ ſunt ſaluantia, & corrumpentia Reſpublicas, & per ea tentare, quomodò ſaluentur Reſpublicæ, fugientes ea, quæ corrumpunt ipſas, & inſtituentes leges, & conſuetudines ſcriptas, & non ſcriptas*: ex quibus verbis deducitur, quòd leges, quæ ſanciuntur pro conſeruatione Reipublicæ, debent ſemper ſtatui ad bonum promouendum, malumque præcauendum, vt alibi dixi: porro duplex bonum in regulari regimine eſt propagandum, alterum regiminis; alterum verò perfectionis; bonum illius eſt vnitas, & pax, ex quibus extenditur pacatum regimen; bonum iſtius eſt profectio, ad quam quilibet Ordo ſecundum proprium inſtitutum, & ordinationes eſt determinatum: malum, quod euertit primū bonum, ſunt tyrannis, factiones, ac ſeditiones: malum verò, quod deſtruit ſecundum bonum, ſunt corruptelæ, & malæ conſuetudines; ideò leges, quæ pro felici regimine ſanciuntur, debent ſemper tendere ad hunc finem, ſi poſſibile eſt, nimirum ad illud duplex bonum promouendum, & ad illud duplex malum præcauendum:

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. Lex de aſſumendo Socio, ſeù Diſcreto in qualibet cœnobiorum familia eſt ita virtute prædita, vt ſit apta ad promouenda bona, malaque præcauenda prædicta. Suadetur: lex, quæ propagat multitudinis finem, idest vnitatem, & pacem, & erigit regimen pacatum, videtur proculdubio eſſe apta pro multitudine regenda: ſed huiuſmodi eſt lex de ereandis Diſcretis: igitur, &c. maior certa; ideò ſuperiùs dictum eſt ex S. Thom. quòd *lex eſt ordinatio quædam ſecundum rationem de conferentibus ad finem politiæ*: minor ſuadetur, quia cum vota Diſeretorum non ſint propria, ſed omnium familiarum, conſequenter omnium Religioſorum, ſequitur omnes habere partem in omnibus electionibus, non ſolùm in electionibus Prouincialium, eiuſque Sociorū nempè Definitorum, à quibus poſtea in multis, ac multis Religionibus creantur Priores, ſeù Guardiani, verùm etiam in illis Miniſtri Generalis, ac Definirorum Generalium, qua ex re oboritur vnanimis electio, & concors exaltatio, & pax inter eligentes, & electos, & pacatum, ac ſuaue regimen, & magis prompta obedientia; proindè dicebat Salon. 2.2.qu. 63. art. 2. contr. 4. quem ſequitur Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 4. quòd electus communi conſenſu, & dilectio ſubditorum multò ſuauiùs, & meliùs gubernabit, & meliùs, ac promptiùs illi obeditur, ex quo ſequitur ſuauis, & pacata gubernatio in maiorem vtilitatem Eccleſiæ:

ſiæ ; & Em. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 5. n. 35. Inquit: Ad bonam enim gubernationem futuram multùm refert pax inter eligentes, & electos, & cæteris paribus ille meliùs gubernabit, qui maiorem concordiam cum ſubditis habebit ; igitur lex, ſeù ſtatuturm de eligendo Diſcreto ex qualibet familia bonum vnitatis, & pacis propagat: propagat etiam perfectionis bonum, quia Religioſi cautiùs, viuunt, ſtrictiùſque, & obſeruantiùs cuſtodiunt Regulæ præcepta, ordinationum, ac generalium conſtitutionum mandata, ne ſe reddant indignos Diſcretorum munere: præcauet tyrannidem Superiorum localium, ne authoritate opprimant ſubditos, & ne ordinẽt regimen in proprium bonum, accipiendo plus de bonis, tam in victu, & veſtitu, &c. quàm par eſt; hoc enim eſt tyrannicum, vt inquiunt Ægid. Roman. de regim. Princip. 2. part. lib. 3. c. 2. & S. Thom. 5. ethic. lect. 11. Primus ait: *Regis autem eſt intendere bonum commune; ſi verò ille vnus dominans non intendit bonum commune, ſed per eandem potentiam opprimens alios, regimen ordinat in bonum proprium, & priuatum, non eſt Rex, ſed Tyrannus*. Secundus inquit: *Princeps ſi ſequitur paſſiones ſuas, faciat hoc ſibi, ſcilicet quòd accipiet plus de bonis, & minus de malis fiet Tyrannus, cum hoc ſit contra rationem Principis*: dum pro munere huiuſmodi Diſcreti habent, vt errores Priorum deferant ad Capitulum pro reformatione: reprimunt quoquè ſeditiones, quæ oboriuntur ex Superiorum maiorum ambitione; ſi enim eſſent pauci electores, de facili poſſent huiuſmodi Superiores habere manus in electionibus, & opprimere Prouincias, eaſque reducere ad nutum ſuæ voluntatis eligendi amicos, & ſibi gratos, alijs poſtpoſitis, ex quo tandem ſequuntur diſcordiæ, & ſeditiones, vt experientia docet, & inſinuat Ægid. Rom. de regim. Princip. 1. part. lib. 3. c. 13. *Nam ait, ſi, ſpretis alijs, ſemper ijdem in magiſtratibus, & Præpoſituris præficiãtur, alij videntes ſe eſſe deſpectos ad ſeditionem conſurgunt, & Ciuitatem turbant*; ipſa namque multitudo ſuffragiorum prohibet, ne ad nutũ trahantur vota, & ne introducatur, vt ita dicam, ſucceſſio loco veræ electionis; hinc S. Thom. 2. polit. lect. 7. ex Ariſt. dicit, *quòd eſt periculoſum Ciuitati, quòd Socrates inſtituebat circa electionem Principum, vt ſcilicet ex aliquibus electis alij electi eligerẽtur; illi enim primi electi, ex quibus eliguntur Principes, ſunt pauci reſpectu totius multitudinis Ciuitatis, & ideò faciliùs erit eos peruertere, quàm totam multitudinem; vndè mutuò ſe eligent*: obſtat tandem malis, quæ aduerſantur perfectioni, de quibus S. Bonau. in opuſc. tom. 2. qu. 16. ſuper regul. S. Franciſc. dum ex officio tenentur deferre corruptelas, malaſque conſuetudines, præſertim Superiorum localium, quæ infirmãt, & labefactant religioſam perfectionem: ergo hæſitandum non eſt, quin lex aſſumendi Diſcretos polleat virtute propagandi illud duplex bonum, quo conſeruato, conſeruatur Reſpublica religioſa, & obſtandi illis duplici malo, quo introducto, introducitur etiam deſtructio bonorum.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

MVltùm expediens eſt Religioſorum familias frui ſtatuto de eligendis Socijs, ſeù Diſcretis ex quolibet cœnobio ad hoc, vt fungantur munere, de quo in prim. not. Concluſio intelligitur ſatis probata ex præcedentibus, & magis confirmatur ex vſu, & praxi ferè omnium Religionum, & nouiſſimè habetur decretum Sacr. Congregationis Cardinalium ſuper negotia Regularium in fauorem prædictorum Diſcretorum pro Religione fratrum Minorum tam de Obſeruantia, quàm reformatorum S. Franciſci, cuius tenor hìc inſeritur.

*Sacr. Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotijs, & conſultationibus Regularium præpoſita, viſa ſupplicatione plurimorum fratrum Minorum tam de obſeruantia, quàm reformatorum S. Franciſc. familiæ ciſmontanæ ſuper reſtitutione antiquæ, & laudabilis conſuetudinis eligendi, ac mittendi vocales, ſeù Diſcretos ab vnoquoque conuentu ad Capitulum Prouinciale, rebuſque alijs in libello ſupplici fuſiùs deductis, auditiſque ſæpius in particulari Congregatione PP. Commiſſarijs Generali, & Curia, nec non*

vice

*vice Procuratore Generali, reque maturè diſcuſſa, ac poſtmodum in plena Congregatione pluries relata, ijſdem PP. Commiſſarijs, & c. informantibus, cenſuit, ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit, reſtituendum omnino eſſe vſum Diſcretorum in tota familia ciſmontana, tam Obſeruantium, quàm Reformatorum, quibuſcunque non obſtantibus: quò verò ad incommoditates, quæ occurrere poſſent in electionibus eorundem Diſcretorum, prouidendum eſſe per Congregationem particularem ad hoc deputandam, cuius Sacr. Congregationis ſententiam per Emin. Cardinales Pallotum, Carpineum, & Franciotum in Conſiſtorio ſecreto Sanctiſſ. D. N. relatam Sanctitas ſua approbauit, & expediri decretum mandauit.* Romæ 19. Maij 1645.

M. Card. Ginettus

Locus † ſigilli

H. Archiep. Patracenſ. Secretar.

Dices, eſto veriſſimum ſit ſtatutum de eligendis Diſcretis videri neceſſarium pro conſeruatione Religionum, nihilominus eſt etiam veriſſimum, quòd in quocunque ſtatu ſunt pauciores viri prudentes, & à priuatis affectibus liberi; & ideò, quandò electio eſt apud omnes, vt eſt in caſu, neceſſe eſt, vt ibi ſint iuuenes, vel minùs prudentes, & in ſuis affectibus non ſatis moderati; vndè facile eſt eos corrumpere, decipere, ſubornare, & ſpiritum ambitioni in ijs generare: adde, quòd etiam in qualibet congregatione, ita Deo ordinante, neceſſe eſt, vt inueniantur mali homines, inquit S. Auguſt. in pſ. 54. *In omni congregatione multitudinis, neceſſe eſt, vt inueniantur mali, Deus enim, qui nouit exercendos nos, miſcet nobis, & non perſeueraturos, aut certè ita ſimulatos, vt nec inchoauerint, in quo perſeuerare debeant*: proindè dicit opinio contraria relata à Mirand. quæ docet non eſſe eligendos Diſcretos ab experientia inſtructa, oboriri ambitionem, & inſanabilem cupiditatem, qua maxima Religioſorum pars per totum anni circulum, quin verò, & per totam vitam ad huiuſmodi munus, & officium eligi anhelat, atque procurat; indè procedunt inuidiæ, iræ, rixæ, contentiones, ſimultates, æmulationes continuæ inter fratres: inde etiam exoriuntur conuentiones, interdum ſimoniacæ, quibus pretio, aut ſaltem pactis ad inuicem promittunt alij alijs ſuam induſtriam, & fauorem in ſimili euentu: oritur prætereà exindè totalis eneruatio regularis diſciplinæ, quia Prælati, vt ſubditis complaceant, & vt ad effectum electionis prędictæ gratos illos habeant, etiã ſi in multis delinquant, haudquaquam eos audent corripere, caſtigare, atque punire; ex quibus omnibus concluditur non fore eligendos huiuſmodi Diſcretos. Reſp. cum S. Thom. quòd nihil in toto Mundo adeò bonum eſt, quo creatura humana abuti non poſſit; ſiquidem & ipſa Dei bonitate abutitur, & cum Mirand. tom. 2. quæſt. 22. art. 2. quòd in omnibus ferè Mundi rebus, quæ reperiuntur ſub Sole, vix quidpiam reperiri poſſit, ex quo non aliquod ſequatur incommodum, & quo humana creatura, ſi voluerit, abuti non poſſit; ideò his incommodis eſt obſtandum alio modo, quàm auferendo Diſcretos, & ea ſunt inſpicienda tanquam occaſionaliter orta, & non per ſe, & retinenda ſunt bona maiora, de quibus in prim. concl. iuxta doctrinam Suar. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 1. num. 12. Res humanæ huiuſmodi ſunt, vt nunquam omnibus incommodis careãt, & ideò, quandò hæc ſequuntur, non ex re ipſa, vel actione, ſed ex infirmitate, vel malitia hominum, non ſunt propter illa ommittenda bona maiora, ſed adhibenda remedia, ne illa mala ſequantur, potiſſimum eſt charitas: proindè remediũ eſt apponendum modo eligendi huiuſmodi Diſcretos; ex hoc enim mala enarrata oboriuntur, non ideò, quòd pes neceſſarius pro hominis ſuſtentatione plagis laborat, reſecatur, ſed, eo retento, vt homini inſeruiat, vlceribus applicatur remedium.

## DVBIVM CLXXII.

*An modus eligendi Diſcretos de neceſſitate conſcientiæ ſit auferendus à cœnobiorum familijs.*

### SVMMARIVM.

1. *OMnis poteſtas tam ſæcularis, quàm Eccleſiaſtica à Deo emanat, cuius finis eſt pax, quæ non eſt ita procuranda, vt expellat omne malum, ſed aliqua ſunt permittenda, & deſignatur cauſa permiſſionis.*

2. *Expediens eſt, imò neceſſarium ex conſcientia, immutare modum eligendi Diſcretos: & cuidam obiectioni ſatisfit.*

1. Præſuppoſitis malis, quæ deſcribuntur à contraria ſententia pro confirmatione ſuæ opinionis, quæ difficilè poſſunt negari non ſequi propter multitudinem imperfectorum, præſertim in tertio ſtatu Religioſorum cum declinant ad occaſſum relaxationis, notand. ſit, quòd ſicut omnis poteſtas in terra eſt à Deo inſtituta; ita etiam à Summo Numine eſt recognoſcendum ſubditorum animas timore duci, vt eorum voluntates per obedientiam ei ſubdantur, vt ſatis videre eſt in vltima obiectione ſecund. dub. finis autem omnium Regentium eſt principaliter adhærere paci pro ſubditorum vtilitate; proindè dicebat S. Ioann. Chryſoſt. hom. 23. ad Roman. c. 13. *Hæc enim illis*, ideſt Principibus, *eſt vita, hoc ſtudium, vt tu quoque modo pace fruaris*: quæ pax non ita eſt procuranda à Præſidentibus, vt omnia mala euitent, ſed aliqua ſunt permittenda, vt inſinuat S. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 1. vbi Bann. & Caiet. hiſce verbis: *Dicendum, quòd humanum regimen deriuatur à diuino regimine, & ipſum debet imitari; Deus autem, quamuis ſit omnipotens, & ſummè bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in Vniuerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis, maiora bona tolerentur, vel etiam peiora mala ſequerentur: ſic ergo & in regimine humano illi, qui præſunt, rectè aliqua mala tolerant: ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, ſicut Auguſt. lib. 2. c. 4. de ordin. parùm ante med. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Ex qua doctrina habetur, quòd permiſſio mali moraliter eſt de ſe bona, inquit Caietan. vbi ſupr. dummodò ſit rationi conſona, & hoc erit quandò aderit rationabilis cauſa; tunc erit, quãdò ex parte boni habebitur motiuum præponderans, ne ſcilicet impediatur, ſeù ex parte mali etiam motiuum præponderans ne videlicet fiat: vbi verò neutra cauſa iſtarũ inſurgit, ſcilicet præponderans, aut mali vitandi, aut boni conſequendi, nullo modo huiuſmodi permiſſio eſt concedenda. Ita Valenc. tom. 3. diſp. 1. qu. 10. punct. 7. concludit Caietan. Caue, ne permiſſio ſit admixta participationi.

*CONCLVSIO.*

2. MVltùm expediens eſt modum eligendi huiuſmodi Socios, ſeù Diſcretos immutari, ne videlicet ampliùs eligantur à locorum familijs; imò id eſt faciendum conſcientia cogente. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur: in Eccleſia Dei ſublatæ fuerunt electiones Epiſcoporum, qui olim creabantur à Clero, & populo, eò quòd paſſim diſſidia, ambitiones, factiones ſuboriebantur. Ita Suar. 4. de Relig. c. 3. n. 7. lib. 10. & Azor. part. 2. lib. 6. c. 14. q. 1. in nonnullis Religionibus Guardianorum, ſeù Priorum electiones à cœnobiorum familijs fuerũt ſublatæ, & conceſſę Prouincialibus vnà cum Definitoribus, vt euitentur rixę, ęmulationes, factiones, aliaq; dãna ſpiritualia, quę ex ſubornatione fratrũ ſæpius oriebãtur. Ita Rodriq. tom. 2. q. 53. ar. 1. Mirand. tom. 2. q. 19. ar. 2. imò modus eligẽdi Summ. Põtifices ſecũdum varia tempora fuit varius ad ſedandas contentiones, rixas, ſcandala, quæ inſurgebãt, vt videre eſt apud Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. c. 4. n. 49. & ſeq. ſi ergo modus eligẽdi prędictos prælatos, qui ſunt tã neceſſarij in ſacro regimine, præſertim vltimus, fuit ad ſedãdas factiones, ſeditiones, æmulationes, ſcandala, aliaq; mala ſpiritualia immutatus: ergo ad reſecanda illa mala prædicta, quæ ſuboriuntur ex Diſcretorum electione in familijs locorum, erit omninò eorum modus eligendi auferendus, præſertim quia huiuſmodi Diſcreti, ſeù Socij nõ

ſunt

ſunt ita neceſſarij, ſicut Priores in conuentibus; Epiſcopi in Epiſcopatibus, Summi Ponifices in vniuerſali Eccleſia. Secund. pars ſuadetur: tunc in regiminibus licita erit cenſenda permiſſio mali, quandò, ea mediante, promouetur bonum præponderans, vel quandò præcauetur malum præponderans: ergo, quandò non adeſt aliqua ex duabus cauſis, mala nequeunt permitti. Ita DD. citati: ergo, quandò haberi poteſt illud bonum, quòd elicitur ex permiſſione abſque ipſa permiſſione mali, nunquam erit licita permiſſio huiuſmodi, quia deficit cauſa, & motiuum eam honeſtans; ita ſanè: ſed auferendo modum eligendi Diſcretos non aufertur bonum, quòd elicitur ex Diſcretis, quia non tolluntur de medio, & aufertur malũ, ſiue mala ſuperiùs relata, quæ oboriuntur ex familijs: ergo tutè nequeunt permitti: igitur conſcientia cogit ad immutandum modum eos eligendi.

Dices, & eſt argumentum Mirand. vbi ſupr. non eſt recedendum ab eo, quod eſt ſtatutum ab illis Patribus, qui prudentia, & ſpiritu prædıti, Religione naſcente, ita inſtituerunt; vndè ſemper cenſendum eſt eos cogitaſſe incommoda ſequutura, & tamen ſtatuerunt legem de eligendis Diſcretis à locorum familijs; proindè ſemper eſt exiſtimandum ita expedire ob maius bonum Religionis. Reſpond. argumentum nimium probare, quia reprobat mutationes factas de modo ſeligendi Guardianos, Epiſcopos, imò Summos Pontifices; nam quando ab initio fuerunt inſtituti, iudicandum ſemper erit, mala oritura, ob quæ modi eos eligendi fuerunt immutati, fuiſſe præuiſa ab Inſtitutoribus; ideò huiuſmodi modi ſemper debebant continuari, quod ex ipſa praxi videtur falſum; proindè dicendum eſt cum S. Thom. 2. polit. lect. 12. *Homines autem in legibus ponendis non debent quærere, quid fuerit à Patribus obſeruatum, ſed quod ſit bonum obſeruandum*: & ideò ob mala euitanda bonum eſt mutare modum eligendi huiuſmodi Diſcretos; hoc igitur eſt obſeruandum, & ita inſinuat decretum Sacr. Congragat. de quo ſupr. vndè huiuſmodi modus, ſic petente bono communi, vt præcaueantur mala, ſuppl ebit vicem omnium votorum familiarum.

## DVBIVM CLXXIII.

*Quinam modus ſit deſignandus pro nouo modo eligendi Diſcretos.*

### SVMMARIVM.

1. *Nonnullis adnotatis, deſignatur noua forma eligendi Diſcretos: & reſpondetur cuidam obiectioni.*

2. *Aliquid adnotatur etiam in hac forma ſcitu dignû.*

1. Remouendus eſt ergo, vt patet in præcedenti dubio modus eligendi Socios, ſeù Diſcretos, ita vt eorum electio interdicta ſit familijs cœnobiorum, ex quibus illæ infinitæ inordinationes ſuperiùs deſcriptæ oboriuntur, idque etiam videtur inſinuare S. Thom. ex Ariſt. 4. polit. lect. 1. *Oportet enim*, inquit, *qui vult corrigere aliquam politiam priùs remouere inordinationes, quæ ſunt in illa politia, & deindè inducere nouum ordinem*. Quinam modus, ſeù ordo erit eligendus, vt cedat in non paruam vtilitatem Religionum? multæ Religionis quaſi deſtitutæ in noua tradenda forma ſorti cõmiſſerunt huiuſmodi electiones, ferendo iſtud incommodum, quod ſors tanquam cæca eligat indignum, potiùs quàm permittere mala enarrata: aliæ verò reſpuerunt bonum, quòd elicitur ex Diſcretis, ſanciendo legem, quòd ampliùs non eligantur, & ita reſecarunt mala enarrata: ego verò à decreto ſacræ Congregationis inſtructus, & à caſibus prædictis exiſtimo non fore abijciendum bonum, quod elicitur ex Diſcretis, ſed fore reſecanda incommoda recenſita, tradendo nouam formam, nouumque modum eos eligendi: modus ergo ſemper erit cenſendus aptiſſimus, qui traditur, paucis ademptis in dub. 37. quandò fuit adductus nouus modus, nouaq; forma ſeligendi Guardianos pro reformatione factionum.

Forma igitur, ſiue modus ſit huiuſmodi. In primo Capitulo celebrando omnes Sacerdotes illius Prouinciæ, & etiam laici, ſi

poſſunt gaudere ſuffragio tam actiuo, quàm paſſiuo; poſt complectum duodecimum annum Religionis ſub omnium ſuffragiorum totius Capituli iudicium immittantur, præſtito iuramẽto de eligendis aptis, atque idoneis, & omnes, in quos maior pars inclinat, intelligantur apti pro eligendis Diſcretis, & ita in quolibet Capitulo de omnibus Sacerdotibus ſucceſſiuè prædictorum annorum terminũ attingentibus fiat deſcripto modo probatio; nomina deindè iſtorum electorum paulò ante Capitulum celebrandum in ſeparatis ſchedulis à Prouinciali, vnà cum Definitoribus coram tota familia, in qua celebratur huiuſmodi actio, vt ſimplicitas, & fidelitas non deſiderentur, in vrnam mittantur, & tres, ſeù quinquè, iuxta quod magis videbitur expedite ſecundum numerum maiorem, & minorem Religioſorum, qui aptè poſſunt fungi Diſcretorum munere, ſorte extrahantur, quorum munus erit pro illa vice ſeligendi Diſcretos, qui ſemper erunt ſinguli ſeligendi ex ſingulis familijs, & non duo, vel tres ex vna familia, vt rectè poſſint fũgi munere ſuo, prout deſcribitur in prim. dub. huius materiæ, prius impoſito præcepto de eligendis aptioribus, deque ſecreto tegendo, & tandem de negando ſuffragio ijs, qui per ſe, vel per alios in Diſcretorum munus ſe cõmendabunt: quòd ſi ſors cadat ſupra Religioſum, qui ob merita à ſuffragiorum multitudine in Definitorem, ſeù Prouincialem iam fuerit eleuatus, & actu huiuſmodi dignitate potitur, alius extrahatur ab vrna, quia ille tanquam Definitor, ſeù Prouincialis non eſt cenſendus idoneus pro illa vice ad eligendos Diſcretos, ne ab intereſſe ductus eligat amicos in ſui conſeruationem.

Nec obſtat dicere, quòd intra ipſos electores multæ, & malæ ſubornationes poſſunt fieri, quia iam præceptum de non cõferendis ſuffragijs illis, qui ſe cõmendatos dederunt, impoſitum fuit, & ipſi electores pro illa vice ab officio Diſcretorum excludendi ſunt, ſicut etiam excludendi ab omni gradu, quem immediatè poſſunt conferre ſuis votis ipſi Diſcreti, ne ambitione ducti ſimul vniantur ad ſeligendos illos in Diſcretos, qui ſunt ſibi grati, & qui ſunt laturi vota in ſui fauorem; & ſi aliquandò aliqua mala enaſcentur, ſemper erunt toleranda tanquam minima reſpectu eorũ, quæ euitantur: præ oculis ſemper habendum eſt, quòd res humanæ, dicit Suar. vbi ſupr. huiuſmodi ſunt, vt nunquam omnibus incommodis careant; & tandem ſi mala in vna electione Diſcretorum ſuſcitabuntur, non tamen annuatim, quia vrna diuerſos pariet electores: nonnullæ aliæ difficultates poſſunt adduci contra iſtum modum, ſed ſatis ſunt ſolutæ in dub. 37. paucis adiectis, ſeù ſublatis: ibi conſulite.

2. Pro fine quæſiti eſt addendum, quòd, ſi alicui videbitur illos tres Religioſos ex vrna extractos nimiam habere authoritatem, dimidietur, alijs tribus extractis, qui medietatem Diſcretorum compleant, obſeruatis illis, de quibus ſupr. in hoc caſu aliqua eſſent conſideranda, quæ remitto conſiderationi prudentum; mihi ſufficit inſinuare modum aptiſſimum ad reſecanda infinita mala, quæ oboriuntur ex Diſcretis electis à familijs conuentuum, cui poteſt addi aliquid, vel minui iuxta neceſſitatem cuiuslibet Religionis.

## DVBIVM CLXXIIII.

*Alius deſignatur modus ſeligendi Diſcretos.*

### SVMMARIVM.

1. *Deſignatur alia forma ſeligendi Diſcretos: & multis obiectionibus ſatisfit.*

1. Nouum non mihi eſt, alicui non placere prędictum modum creandi Diſcretos, ſeù Socios; ſi ducatur ab intereſſe, eius dictum non debet nocere nouæ formę; ſi ab aliquo incommodo, quod præuidet eſſe inſurrecturũ ex prędictæ formæ praxi, parcendum eſt ei, quia ignorat, quòd cũctæ res humanæ incommodis ſubiacent; quò fit, vt illæ eligantur, ex quibus minora ſequuntur: ponderet, quæſo, vtraque incommoda; illa, inquam, quæ oboriuntur ex Diſcretis creatis à familijs locorum,

&

& hoc, quod præuidet ex noua forma introducenda, quod certè non apparebit, & ponderet hunc alium modum, ſi fortè magis placeat.

In futuro Capitulo à tota vocalium vniuerſitate mediante ſcrutinio ſecreto, ſeligantur ſeptem Patres, qui præter ſcientiã, & prudentiam ſingulari ſanctitate enitẽãt: dico, ſingulari, vt eorũ moderatæ paſſiones meritorum cognitioni opitulentur, neque ab amicis attracti in partialitates ruant, alijs neglectis: quorum munus ſit, ſingulorum hominum totius Prouinciæ, qui poſt habitum aſſumptum terminum duodecim annorum attingunt, merita conſiderare, præ occulis ſemper habendo conditiones dignificantes Religioſum, vt dignè poſſit Diſcretorum munere fungi, de quibus in prim. dub. huius tractatus, eaque ſubmittere votis ſecretis, & omnes illi, qui maiorem partem votorum habebunt, intelligantur electi, tanquam habiles ad Diſcretorum munus exercendum: ad hanc etiam cathegoriam deuenire debent laici, licèt fortè non ſint apti pro recipienda in Capitulis voce paſſiua, idque dicitur ob laicos Religionis Minorum, qui voce tam actiua, quàm paſſiua fruuntur, eorum tamen habilitas ob ſcientiæ defectum eſt multùm ponderanda, ne obtenebratis oculis eligãt; non ſunt tamen habiles negligendi, vt petit vnitas, & pax totius corporis Religionis.

His ergo prudenter, & maturè electis, Prouinciales, ac Definitores ſimul vniti, imminente Capitulo celebrando coram tota familia illius loci, in quo ſunt congregati, vt actionis fidelitas ſecurè habeatur, ſingula eorum nomina in ſeparatis ſchedulis ſcribant, eæque immittantur in vrnas, & à fideli homine tot homines, quot ſunt loca, quæ ius habent mittendi Diſcretum ad Capitulum, ſorte extrahantur, hoc tamen ordine non neglecto, ſcilicet pro loco N. vnus extrahatur, pro loco N. alter extrahatur, & intelligantur electi in Diſcretos pro futuro Capitulo, & ſtatim deſtinentur ad habitanda illa loca per ſpatium intercedens inter Diſcretorum electionem, & imminentis Capituli celebrationem, quod ſaltem erit per duos menſes, vt poſſint de neceſſitatibus locorum, nec non & Religioſorum, deque etiam moribus Superiorum inſtructi dignè munus exercere: verùm ad euitandas, quantùm fieri poteſt, vagationes, cum in aliquo loco ſaltem duodecim Religioſi, qui fuerunt iam exiſtimati digni, vt poſſint munere Diſcretorum fungi, morantur, illis in ſeparatam vrnã immiſſis vnus extrahatur, qui intelligatur electus in Diſcretum pro illo loco: alij verò, quos ſors reliquit incluſos, pro illo Capitulo nequeunt cadere ſub aliam ſortem, vt clarum eſt, idque etiam fit ob mille alia incommoda ſatis nota; nec eſt periculum ob tot Religioſos, quòd diſponantur familiæ à Prouinciali ſecundum cor ſuum; ſcilicet vt habeat votum ad proprium nutum.

Nec obſtat, electiones non poſſe fieri per ſortes, vt tradunt ſacri Canones, & probat Lauorius de elect. can. tit. 4. c. 20. quia hi interdicunt ſortes, quæ, vt cæcæ, cadere poſſunt ſuper homines indignos, quòd in caſu noſtro non contingit, eò quòd iam fuerunt omnes exiſtimati habiles, & digni ab illis ſeptem Patribus; videte extenſam doctrinam in dub. 37. quæ breuitatis cauſa prætermittitur: quòd ſi aliquis ſcrupuloſè agendo nolit doctrinæ acquieſcere, attendat aliqua verba Lauor. n. 39. vbi ſupr. Demum aduerte, ait, quòd ſicut in caſibus, in quibus nulla cadit Eccleſiaſtica adminiſtratio, vſus ſortium non eſt per ſe malus; ita nec prohibetur etiam in Eccleſiaſticis, ſi concurrat priuilegium Apoſtolicum, vt legitur de electione Diſcretorum, ſeù Sociorum Prælati apud congregationem S. Bernardi in Italia Monachorum Ordinis Ciſtercicẽſis, Canonicorum S. Saluatoris, & aliorum, de quibus Sigiſmundus p. 1. c. 4. dub. 27. n. 6. Ludou. Mirand. man. Prælat. tom. 2. qu. 23. art. 27. concl. 3. eſt tamen aduertendum, quòd vſus ſortium iſtarum Religionum fortè poteſt eleuare indignum in Diſcretum, qui reputandus eſt dignus, dum tot mala enarrata è medio tollit, quod non poteſt contingere in noſtra electione, & noua forma, vt patet.

Nec obſtat, quòd multi Patres meritis inſignes, qui non habent votum in Capitulo, niſi eligantur in Diſcretos, vt ſunt Definitores,

finitores, cæterique alij, qui non ſunt Prælati locorum, non interſerunt Capitulis in Religionis præiudicium; ſors enim ſuper alios cadere poteſt, quia debent eligi à tota Definitione, alijs adhibitis, ne Definitionis Patres aliquo intereſſe ducti, ne ſcilicet arripiatur ſibi locus, negent vota alicui, vel aliquibus; & ideò numerus iſtorum debet excedere numerum Patrum Definitionis; & extrahi debent ab vrna; & de illis, qui commodè poſſunt haberi; & fortè melius erit, quòd abſque interuentu votorum Definitionis Religioſi extracti ſuis votis hoc tantorum Patrum negotium abſoluant: hic eſt aduertendum, quòd huiuſmodi Religioſi in Diſcretos debent eligi ante electionem per ſortem, vt ſors in tot reſtringatur, quot remanent loca, & eſt in Capitulo determinandum, qualia debeant eſſe hominum merita, quæ ſub hanc deſignatam electionem cadere debeant, ne ſors ea expellat ab electionibus Capitularibus: ex. gr. an qui fungitur officio Definitoratus: an qui iam hoc onus ſubijt: an qui fuerit Prouincialis, &c. & hi in tali caſu nequeunt eſſe electores pro eligendis ſeipſis.

Nec obſtat, quòd multi digniores erunt excluſi; nam ſors cadere poteſt ſuper tantùm dignos, quia falsum eſt; cum enim qualitas eminens, deſumatur ex maiori vtilitate, quæ inſurgit ad fouendum bonum commune, & cum maior vtilitas ob bonum, quod promouetur, & malum, quod præcauetur, habeatur ex iſta noua forma eligendi Diſcretos, vt ſemper intelligenti videbitur; ideò electi à ſorte cenſendi ſunt digniores.

Nec obſtat, quòd excluſi ab illis ſeptem Patribus ob meritorum carentiam de excluſione nimis dolebunt, & erumpent in querelas, quia, ſi ſunt excluſi ob mores, eorum emendatio temperabit dolorem, cū in quolibet Capitulo ſit facienda meritorum diſcuſſio, prout ſupra de illis, qui attingunt terminum annorum prædictorum; vndè hac occaſione poterunt denuò committi votis: ſi verò ſunt excluſi ob naturalem inhabilitatem, eorum querelæ non debent nocere toti Religioni, ſed ipſis; vndè non eſt curandum de iſtis querelis.

Nec obſtat, quòd aliqua incōmoda poſſunt ſequi in illis ſeptem Patribus electis à Capitulo pro eligendis Religioſis aptis ad Diſcretorum munus exercendum, ſcilicet malæ ſubornationes, ac partialitates, quia eſt error maximus affirmare, quòd poſſit inueniri modus, qui non ſubiaceat alicui incommodo; ſufficit enim inuenire modum reſecantem tot mala in prim. dub. huius tractatus enarrata; poterit tamen ipſis Patribus, vt occurratur malis, quæ inter ipſos poſſunt oboriri, dare iuramentum de tegendo ſecreto, deque negando ſuffragio ijs, qui per ſe, vel per alios pro vrna ſe commendabunt: adde, quòd de raró aliquod incommodum continget; cum nullum emolumentum poſſint ſibi promittere, niſi de longinquo, cum ſors non reſpiciat perſonas.

Nec obſtat, quòd vrna poteſt producere aliquem, qui, licèt non fuerit indignus in approbatione, temporis progreſſu ob mores deprauatos factus eſt indignus, quia ſi eius delicta debent voce, ac officio priuari, obſeruetur iuſtitia iuxta leges, & alius extrahatur; ſi non ſunt talia, nequit iuſtè priuari officio, & licèt in aliorum concurſu fortè à familia non eligeretur, nihilominus in concurſu tot incommodorum, quæ auferuntur per hanc nouam formam, iſtud incommodum euaneſcit.

Hic eſt alter modus ſeligendi Diſcretos, qui bonum, quod deſideratur in hac materia promouet, & malum, quod intenditur euitare, præcauet, vt legenti ſemper videbitur; hoc adhibito, quod quælibet Religio huic modo poterit aliquid addere, ſeù minuere, ſecundum quod magis videbitur expedire iuxta modum regiminis, fugata fraude.

An poſtea huiuſmodi meritorum diſcuſſio ſit publicanda nec ne: vnuſquiſque iudicet, quod magis eſt conueniens.

PRO

## DVBIVM CLXXV.

*Alius eligendi Diſcretos modus proponitur.*

### SVMMARIVM.

*Pro eligendis Diſcretis ſeptem deſignantur electores à tota Prouincia electi: adnotantur nonnulla pro directione huiuſmodi functionis, & ſatisfit obiectionibus.*

Illis ſuppoſitis, de quibus ſup. tertius adeſt modus ſeligendi Socios, ſeù Diſcretos, vt quælibet Religio illum, qui magis, ſibi conuenire videbitur, aſſumat; vel ex tribus deſignatis vnum cōponat iuxta proprium inſtitutum, paucis adhibitis, ſeù demptis.

Imminente Capitulo, & perpenſo temporis interuallo neceſſario pro perfecta, executione rerum prout infra, ſicut omnes locorum familiæ in locis, in quibus de more tractantur, ac geruntur res publicæ, creant vnum Religioſum in Diſcretum, ſic vice illarum creationum habeatur electio ſeptem electorum, quibus pro illo Capitulo onus incumbet ſeligendi Diſcretos, hac præſcripta forma, prout infra.

Die præfixo à Superiori maiori quælibet cœnobiorum familia congregata reſpectiuè in locis, prout ſup. iuxta morem aliarum electionum ſeligant duo, vel tres ſcrutatores, fiantque etiam ea, quæ exiſtimabuntur neceſſaria pro directione functionis: his omnibus peractis, quilibet habens ius eligendi iuxta morem, & inſtitutum cuiuslibet Religionis notet in ſchedula propria ad hunc effectum deſtinata ſeptem viros inter omnes ex ambitu totius Prouinciæ digniores pro munere prout ſupr. obeundo, illamque complicatam, ac cera firmatam, vt petit functionis ſecretum iuxta formam aliarum electionum conſignet omnibus videntibus prædictis ſcrutatoribus. Scrutatorum munus erit illicò, vt omnibus fidelitas appareat, in charta omnes illas ſchedulas includere, eamque loci ſigillo munitam, ſtatim ſi poſſibile erit, vna etiam quadam litera narrante factum, ac ſchedularum numerum in charta incluſum, mittere ad locum, vbi erunt Prouincialis, ac Definitores pro tanti negotij complemento congregati. Horum Patrum munus erit poſt omnes habitas chartas, congregata tota familia in loco prout ſupr. ſeligere tres ſcrutatores iuxta morem aliarum electionum, eiſque ſtatim conſignare omnes illas chartas ſub eadem forma, ſub qua fuerunt miſſæ à locorum familijs, vt fidelitas dignoſcatur. Iſtorum ſcrutatorum munus erit illas ſtatim coram tota familia aperire, omneſque ſchedulas more ſolito ſubdere diligenti ſcrutinio, ac illos ſeptem in votis ſuperantes alios pronuntiare electos tanquam electores Sociorum pro futuro Capitulo celebrando, præ oculis ſemper habendo, quòd ætatis Religionis antiquitas præualeat, quandò duo, vel plures eſſent pares in votis.

Hac ergo functione expedita, expediantur etiam literæ obedientiales à Prouinciali pro congregandis electoribus, vt poſſint quamprimum munus eligendi Diſcretos, ſeù Socios obire, qui, vt tanti negotij fidelitas non deſideretur, ſubiaceant pœnæ excommunicationis maioris ipſo facto incurrendæ, quandò ſuffragabuntur ſibi commendatis, quandò inter ſe vniuntur ad aliquos eligendos, quandò melioribus non præſtabunt vota: Diſcreti verò poſſunt aſſumi vel indiſcriminatim à tota Prouincia; vel à qualibet familia more ſolito, ideſt vnus ex qualibet familia eligatur quod magis videbitur expedire: ſi primum magis placet placeat etiam Superiori, eos diſtribuere per familias per aliquod tempus, itaut quælibet familia cognoſcat ſuum Diſcretum, & cui proprias neceſſitates manifeſtare poſſit, & ipſe poſſit ea, quæ ſpectant ad officium, fideliter exercere.

Dices, iſte tertius modus huic ſubiacet incommodo, quòd illi ſeptem electores poſſunt ſeligi ad munus præſcriptum ſine conſenſu maioris partis Prouinciæ. Reſp. quòd non eſt cenſendum incommodum, dum Prouincia voluntariè ſe ſubmittit prædictæ formæ ſeligendi Diſcretos: & quandò eſſet tale, nullius roboris ſemper eſſet habendum, dùm reſecat illa mala ſuperiùs deſcripta.

Dices,

Dices, poſſunt eligi in electores aliqui, quibus poteſt conuenire hoc munus, ex ſupremis Patribus, qui ab intereſſe ducti poſtea dabunt vota amicis,& ſibi gratis in ſui, ſeù amicorum promotionem, ſeù conſeruationem. Reſp. quòd huiuſmodi Patres ſunt excludendi à munere electorum ita poſtulante bono communi, & ſi dolebunt de iſta priuatione, conſiderent, quòd ſubditi dolent de priuatione multorum commodorum, quibus ob dignitates ſupremas ipſi fruuntur; vndè conueniens eſt, quod in communitate vnuſquiſque portet aliquod onus, multa alia poſſunt etiam obijci, quæ ſemper erunt ſoluenda prout in præcedentibus modis.

Vnum tamen eſt obſeruandum dari poſſe Religionem ita formatam ex proprio inſtituto, vt nequeat ſine magno incommodo immutare modum, & formam creandi Diſcretos, in tali caſu retinenda eſt forma ſolita,adhibita ad occurrendum incommodis ſuperiùs enarratis lege, de qua loquutus ſum in dub. 114.

## DVBIVM CLXXVI.

*An, ſecluſo iuramento, ſub mortali teneantur electores ſeligere digniores, & aptiores; vt fungantur munere Diſcretorum; & quomodò ſint confirmandi.*

### SVMMARIVM.

1. *Duo adnotantur, quæ conſiderari poſſunt in Diſcretis.*

2. *Iuramento ſecluſo, exiſtit obligatio eligendi Diſcretos aptiores: duabus rationibus probatur, & vna obiectio diluitur.*

3. *Sociorum confirmatio habetur ex vſu cuiuslibet Religionis.*

1. Intelligendo Diſcreto duo primò, & principaliter ſunt attendenda. Prim. eſt ſuffragium actiuum, quo Diſcreti potiuntur pro eo ferendo in electionibus capitularibus. Secund. eſt ſuffragium paſſiuum, quod habent, vt poſſint eligi ad illas dignitates, quæ non conferuntur niſi vocalibus ipſius Capituli, vt eſt Definitoratus officium. Ita Sigiſmund. de elect. dub. 109. n. 5. Samuell. de elect. canonic. tract. 3. diſp 3. contr. 4. num. 6.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. Sociorum, ſeù Diſcretorum electores, ſecluſo iuramento, tenentur aptiores, ac digniores ſeligere. Suadetur: vtramque iuſtitiam, nempè commutatiuam, & diſtributiuam ſub mortali electores in ferendo ſuffragium tenentur reſpicere: ergo electores ſuffragando Religioſo in Diſcretum ſemper tenentur eligere meliorem, & aptiorem: antecedens communiter à DD. admittitur, & nos paſſim in noſtris dubijs tetigimus: conſequentia probatur, quia, ſi aptior non eligeretur, bonum commune, cui intendit ſemper iuſtitia cõmutatiua conſuleret, non propagaretur; nam à digno tãtum electo acciperet maximum detrimentum, quia eius cognitio pro ferendo ſuffragio non attingeret perfectè qualitates eligendorum ad dignitates ſupremas Prouinciæ, ſeù Religionis; vndè ſequeretur maximum damnum in detrimentum boni communis; maiora merita etiam eorum, quæ poſſunt vota habere in Capitulis pro munere Definitorum, quod tantùm confertur vocalibus, & etiam pro alijs muneribus, quæ paſſim ex quodam vſu ſunt introducta, vt dentur vocalibus, licèt alij non excludantur, negligerentur, quod prohibet iuſtitia diſtributiua ſub mortali: igitur ex vtriuſque iuſtitiæ concluditur, electores Diſcretorum non eximi à mortali, ſi aptiores non eligantur.

Dices, Diſcretorum munus non eſt tanti momenti, vt ſunt electiones aliorum graduum, ac dignitatum in Religionibus, vt Prouincialis, Definitorum, Priorum, &c. ideò non eſt admittẽda obligatio ſub mortali: Reſp. conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia licèt veriſſimum ſit Diſcretorum munus non eſſe tanti momenti, ac ponderis, quanti ſint gradus recenſiti; nihilominùs eſt tanti ponderis, vt ei ſit neceſſaria obſeruatio vtriuſque iuſtitiæ, vt de ſe patet.

PRO

PRO SECVNDA CONCLVSIONE.

3. PRædicti Socij apud multos Ordines regulares confirmantur confirmatione vocali, vt de Patribus Minoribus de Obſeruantia notant eorum conſtitutiones, vt videre eſt apud ipſos, apud Capucinos non verbis, ſed cenſentur confirmati, cum admiſſi ſunt à Prouinciali, ac Definitoribus ad omnes actus capitulares peragendos, qui eis de iure conſtitutionali competunt: apud Patres Dominicanos ſtatim ac electi ſunt per vota ſecreta, ſuſcipiũt officium Socij, habita de hac electione fide teſtimoniali, quam Capitulo ſecum afferunt, & oſtenſa illis, qui ſunt creati ad videndas huiuſmodi literas teſtimoniales, admittuntur; ſi aliàs verè legitimæ, ac bonæ ſunt; vndè huiuſmodi confirmationes ſunt ſuſtinendæ, & ita eas ſuſtinent Oldrad. conſ. 546. factum tale eſt de conſuetudine Eccleſiæ eduenſis n. 6. Rota deciſ. 16. de conceſſ. præbend. in nou. & deciſ. 261. coram Card. Mantic. n. 3. qui omnes aſſerunt in tabulis non referri quoquomodo Superiori declarent ſuam voluntatem. Innoc. amplectit. in c. Cum Bertoldus n. 4. verſ. memorato de re iud. Archid. in c. vt quis duaſ. verſ. confirmationem petere de elect. in 6. Sigiſm. vbi ſupr. n. 6. cum ergo Socij habeant actum à Superiore emanantem, videlicet præfatam admiſſionem, conſequenter nõ accedunt ad capitulares actus ſine confirmatione. Ex hac doctrina ſequitur, quòd nouo modo ſeligendi Diſcretos poterit applicari aliqua forma confirmationis, quæ erit ſuſtinenda ſecundum doctrinam Doctorum relatorum.

## DVBIVM CLXXVII.

*An illegitimi nati poſſint eſſe Diſcreti mittendi ad Prouinciale Capitulum.*

SVMMARIVM.

1. *Illegitimi abſque vlla diſpenſatione poſſunt eſſe Diſcreti pro ferendo ſuffragio ni Capitulo*

2. *Pro recipiendo ſuffragio paſſiuo ad munus Definitoratus nequeunt eligi in Diſcretos: habetur quadam aduertentia.*

Ex ſupradictis habetur, quòd Diſcreti, de quibus loquimur in præſentiarum, gaudent voce tam actiua, quàm paſſiua, & de vtraque eſt firmanda concluſio.

*PRIMA CONCLVSIO.*

1. NOn videtur eſſe prohibitum, ſtante iure canonico, quòd illegitimi non potiantur voce actiua pro ferendo ſuffragio ad omnes dignitates, quæ per electionem conferuntur in Capitulis Prouincialibus. Ita Rodriq. tom. 1. qu. 13. art. 19. Mirand. vbi ſupr. art. 5. Samuell. de elect. canon. tract. 2. diſp. 5. contr. 3. concl. 5. Sigiſmund. de elect. dub. 69. n. 4. Ratio videtur eſſe ſatis clara, quia huiſumodi officium nequit connumerari inter ea, à quibus arcentur illegitimi; eorum enim munus eſt tantùm ſecundùm vocem actiuam promouere Religioſos, quos iudicant digniores pro illis dignitatibus, quæ per ſuffragia diſtribuũtur in Capitulis Prouincialibus: aduertendum tamen eſt, quòd hìc loquimur de Diſcretis, qui eliguntur à conuentibus, vt ferant votum in electionibus Capituli Prouincialis, non de Diſcretis, ſeu de Cuſtodibus inſtitutis à S. Franciſco in ſua regula, quia longè eſt diuerſum iudicium, vt videre eſt apud Rodriq. & Mirand. vbi ſupr.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

2. EX vi vocis paſſiuæ huiuſmodi Religioſi illegitimi nequeunt fungi munere Diſcretorum. Ita Rodriq. & Mirand. vbi ſupr. Ratio eorum eſt, quia, licèt ratione vocis actiuæ, non repugnet eis eſſe Diſcretos; nihilominus huiuſmodi munus habet annexam vocem paſſiuam; vndè ſæpè eliguntur tales Religioſi electi in Diſcretos, vt fungantur numere Guardianorum, Definitorum, ac Prouincialiũ, quæ officia, ſeu dignitates conferuntur illis, qui ſunt de corpore Capituli, ideò, attenta connexione vocis actiuæ, & paſſiuæ

abſque diſpenſatione nequeũt eſſe Diſcreti.

Quæ doctrina non eſt abſolutè tradenda tanquam certa, quia officijs Guardianatus, & Prouincialatus non eſt ita annexa hæc neceſſitas, vt tantùm conferantur illis, qui ſunt de corpore Capituli; nam ſæpè conferuntur Religioſis, qui non ſunt in Capitulo, vt experientia docet, & ita debet fieri ob multas rationes ſatis notas viris prudẽtibus; officium tantùm Definitoratus datur Capitularibus; vndè quandò illegitimi non impediunt Religioſum, quin ſit Diſcretus, & Socius, cui probabiliter multi præſtabunt vota pro Definitoratus munere, non video, cur eligi non poſſint in Diſcretos?

## DVBIVM CLXXVIII.

*An huiuſmodi Diſcreti, ſeù Socij poſſint renunciare voci tam actiuæ, quàm paſſiuæ.*

### SVMMARIVM.

1. *Aliqui ſunt, qui ex officio aſſumpto fruuntur voce actiua, & paſſiua alij verò ex iure priuato.*

2. *Quilibet poteſt renunciare iuri ſuo, dummodò non cedat in perniciem publicam.*

3. *Religioſus poteſt renuntiare voci actiuæ, & paſſiuæ, & adnotantur quædam limitationes.*

4. *Diſcretus nequit cedere per renuntiationem iuri vocis.*

1. Not. prim. quòd, qui fruuntur voce actiua, & paſſiua, ſe habent in duplici differentia: alij gaudent officio publicò, vt ſunt Guardiani, Priores, Abbates, & Diſcreti; nam eo ipſo, quòd ſunt electi, eorum officium dat, vt poſſint ferre ſuffragium in electionibus capitularibus, id quoquè recipere, ſi adſunt merita, pro aptè exercendis muneribus, quæ in dicto Capitulo conferuntur: alij verò gaudent prædicta voce ratione iuris priuati, ideſt eo ipſo, quòd Religioſus ex vi profeſſionis ſe obligat inſeruire Religioni ſuis functionibus, operibus, nec non & perſona, vice verſa Religio ſe obligat ei prouidere de neceſſarijs tã in corporalibus, quàm in ſpiritualibus, tribuendo etiã ei omne ius tam actiuum, quàm paſſiuum in omnibus electionibus, dũmodò ſit inſignitus ordine ſubdiaconatus, vt præcepit Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 4. *Quòd non initiatus ſacro ordine, & ad minùs conſtitutus in ſubdiaconatu, vocem non habere poſſit in Capitulo, etiam ſi hoc ſibi liberè ab alijs fuerit conceſſum*: an Clerici, ſeù laici, etiam ſtante huiuſmodi decreto, poſſint frui voce, videantur priuilegia cuiuslibet Religionis: verùm tamẽ eſt, quòd Religiones in conferendo iſtud ius priuatum pro diſciplina regulari propaganda obſeruant aliquas ordinationes, quæ ſemper ſunt ſupponendæ iuſtæ, quibus me ſubmitto.

2. Not. ſec. quòd quilibet renuntiare poteſt iuri ſuo, l. ſi quis in cõſcribẽdo. C. de Epiſcopis, & Clericis l. pen. C. de pactis. c. Tuis. 39. verſ. niſi de teſtibus. c. ad Apoſtolicam de Regularib. cap. ſi de tertia de priuil. Tiraq de iur. primog. qu. 24. n. 4. cũ ſeqq. Socin. reg. 8. Thom. de Thomaſet. in floribus legum reg. 58. Azor. p. 1. lib. 5. c. 22. q. 10. Tuſc. tom. 6. lit. R. concl. 176. Suar. de legib. lib. 8. c. 33. quæ tamen doctrina ſemper erit intelligenda, vt procedat in ijs, quæ ſingulorum priuatam reſpiciunt vtilitatem; non ita ſi publicam offendat renuntiatio, vt habetur ex textu in l. Ius publicum ff. de pactis. & in l. 2. §. ſed quia veremur, C. de iuriur. propter cal. & in c. ſi diligenti de foro comp. Couarr. in c. quãtis pactum part. 2. §. 1. n. 5. & 6. Gutier. de iurament. confirm. part. 1. c. 1. à n. 2. & c. 16. n. 50. Suar. vbi ſupr. lib. 8. c. 6. à princip. Nauarr. in tract de fin. human. actu. n. 29.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Qvilibet Religioſus poteſt renuntiare voci tam actiuæ, quàm paſſiuæ, quæ ei competit ratione iuris priuati, prout in ſecund. acceptione prim. notand. Concluſio ſatis probatur ex legibus, & DD. relatis in ſec. not. quibus ſunt addendi Bald. in c. Cum omnes n. 24. de cõſtit. Panormit. in c. In Geneſi. n. 10. de elect. Angel tit. electio n. 19. Armil. eod. tit. n. 20. Sigiſmũd. de elect. dub. 13. n. 4. Samuell. de elect. tr. 1. diſp. 2. cõt. 16. Mirãd. to. 2. q. 23. a. 6. con-

6. concl. 5. Tabien. tit. electio 1. num. 12: nam quilibet poteſt renunciare proprio fauori.

Limita prim. vt non procedat, vbi ex tali renuntiatione fama electoris non leue detrimentum pateretur. Ita Sigiſm. vbi ſupr. affirmans hoc eſſe certum apud omnes, quē ſequitur Samuell. vbi ſupr. concl. 3. idque forte fundatur in hoc, quia, licèt ſit omnibus licitum renuntiare propriæ famæ, nihilominus fama Religioſi eſt fama Religionis, cui nequit renuntiare, vt videte eſt apud Clau. reg. lib. 11. c. 3. n. 38. Bonac. de reſtit. diſp. 2. qu. 4. punct. 10. n. 8. & Baſſæum in ſumm. tit. detract. n. 19. quæ tamen doctrina indiget explicatione; ideò, ea prætermiſſa, admitto limitationem ob doctrinam Nauarr. 4. de Regul. n. 24. dicentis: Nimis durum eſt omni honore, ac officio in Religionibus priuari, & opus eſt maxima patientia, cuius rei æquanimis patientia non eſt omniū, ſed paucorum, quos Iupiter æquus amat, & ardens euexit ad æthera virtus; vndè, amiſſa fama, amittuntur etiam officia in maximam oppreſſionem, quæ tolerari nequit niſi à paucis, proindè vocis renuntiatio, quæ cedit in detrimentum, fieri nequit.

Limita ſec. vt non procedat, quandò huiuſmodi renuntiatio cederet in damnū Religionis, Prouinciæ, ſiue monaſterij, vt notat Panormit. in c. Quia propter n. 4. de elect. communiter receptus dicens: Illi, qui nolunt intereſſe, non debent compelli, niſi Eccleſiæ interſit; nam propter intereſſe Eccleſiæ poterunt compelli; adhærent Panormit. ſequentes DD. Mirand. Tabien. Rodriq. Samuell. Sigiſmund. vbi ſupr. Tuſc. lit. R. concl. 170. Portell. tit. electio in addit. 1. n. 5. tunc autem in detrimentum Religionis cedere videtur, ſi Religioſi obſeruantiæ regularis cultores ab eligendo ſe abdicarent, & poteſtas eligendi penes alios laxioris diſciplinæ amatores, & ſequaces remaneret; vel ſi ex defectu illius vocis electio dirigenda eſſet in indignum, ſeù in dignum quidem cum notabili detrimento dignoris neglecti, tunc renuntiatio fieri nequit: hinc Silu. tit. conſenſus qu. 3. in fin. tit. electio. 1. qu. 5. dict. 5. ait: Et ſic malè faciunt, qui permittunt eligi indignos, vel inſufficientes renuntiātes voci ſuæ, ne notentur, vel alio humano reſpectu; & poſſet facilè hoc eſſe peccatum mortale; grauitas verò, & leuitas huius culpæ metienda eſt ex leuiori, vel grauiori detrimento prædicto.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Diſcretus, ſeù quælibet alia perſona, cui debetur vox ex officio pro vt in prima acceptione prim: notand. nequit eidem voci renunciare. Suadetur, quia huiuſmodi ius non eſt ei conceſſum in fauorem, ac vtilitatem propriæ perſonæ, ſed in fauorem, ac vtilitatem officij, ac Prouinciæ. Ita ſuſtinent DD. relati in calce ſec. not. quos ſequuntur Sigiſm. & Samuell. vbi ſupr. qui, licèt tantùm loquantur de voce actiua; nihilominus eſt eadem ratio de paſſiua, & ita in terminis reſoluunt de Diſcretis, deque eorum voce paſſiua Rodriq. tom. 1. qu. 13. art. 19. & Mirand. tom. 2. qu. 22. art. 5. concluſ. 2.

## DVBIVM CLXXIX.

***An, repudiata, ac renuntiata voce à Diſcretis, poſſint eam reaſſumere.***

### SVMMARIVM:

1. ***Voce renuntiata tam à Diſcretis, quàm ab alijs electoribus, & à Superiore acceptata, nequeunt eā reaſſumere, habentur quædam obſeruationes ſcitu dignæ.***

*CONCLVSIO.*

1. Diſcreti, ſeù quælibet alia perſona, qui iure vocis tam actiuæ, quàm paſſiuæ fruuntur, eo repudiato, ſeù renuntiato, ampliùs non habent regreſſum ad illud. Suadetur, quia, quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt: regula quod ſemel. 21. de reg. iur. in 6. Is, quem pœnitet, iurique ſuo renuntiat, ac contradicit, non auditur amplius illud allegans. c.

Prohibetur; 2. qu. 1. c. De his de accuſat. c. Quàm periculoſum 7. qu. 1; l. Quæritur §. ſi vendita; ff. de ædilit. edicto. l. ſi maritus §. ſi negauerit. ff. de adult. Dec. conſil. 389. Roman. conſil. 369. num. 16. Afflict. deciſ. 220. n. 19. Grauet. conſ. 74. n. 4. & conſil. 191. n. 3.

Limita, modò ſit acceptatum à Superiore habēte poteſtatem acceptandi. Ita ſuſtinent Gloſſ. Ioann. Andr. Archid. Geminian. Franc. & Ancharan. in c. licēt de procurat. in 6. eiſque adhærent Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 32. n. 2. Monera de cōmutat. vltim. volunt. c. 8. n. 845. Sigiſmūd. de elect. dub. 15. ad hoc facit textus cap. Vbi periculoſum §. ſanè de elect. in 6. ſi enim non fuerit acceptatum à Superiore, reddit ad ſuum priſtinum ſtatum; res namq; de facili reddit ad ſui naturam. c. Ab exordio d. 35. l. filio quem Pater. ff. de liber. & poſthum. Seraphin. de priuil. iuram. priuil. 58. n. 8. Stephan. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 544. n. 31.

Sublimita, modò renuntians non renuntiauerit ex certa cauſa, vel ſub conditione; quia cauſa non impleta, vel conditione nō purgata, reuertitur ad iura propria. Ita Grauet. conſil. 127. num. 13.

Ex hac limitatione ſequitur prim. quòd quoties vocalis renuntiat iuri vocis ferendæ in tali electione particulari determinata, celebranda tali die ab eodem ſpecificato, ſi eadem electio differatur ad alium diē, poteſt ferre ſuffragium, & debet admitti ad eandem electionem. Ratio eſt, quia eſt conditionata renuntiatio, & ad tale tempus ſolùm determinata.

Secund. quòd quoties elector renuntiat iuri ſuffragij in tali electione non ſimpliciter, ſed cum ſequenti limitatione: pro hac vice tantùm exeundo de Capitulo, caſu quo nullus ſit legitimè electus ex vi actus, quem celebrarunt pro illa vice electores, etiam ſi eadem die procedatur, iterum ad aliam electionem, ſi vult ferre ſuffragium, debet admitti, quia eſt renuntiatio conditionata, pro illa vice tantùm, & non pura renuntiatio; tunc enim cenſenda eſt pura, quandò in totum ſimpliciter, & abſolutè fit renuntiatio: videatur Hoſtienſ. tit. de renuntiat. c. niſi cum pridem. num. 47. & ſeqq. vbi citat codices, leges, & Canones.

Tert. quòd ſi vocalis, ſiue elector renūtiauerit voci per ſequentia verba: renuntio electioni, quandiù Eccleſia, vel conuentus hac vice vacauerit ſuo Prælato: certum eſt, quòd in ſecunda vacantia eiuſdem Eccleſiæ, vel conuentus poterit eligere, & tenebuntur alij electores illum admittere ad electionem, quia eſt renuntiatio conditionata, & non ſimpliciter.

# TRACTATVS DECIMVS DE SVFFRAGIIS CONFERENDIS AB ELECTORIBVS.

## DVBIVM CLXXX.

*An ſub mortali electoribus exiſtat obligatio conferendi vota digniori, & vndenam dignioritas ſit exquirenda.*

### SVMMARIVM.

1. *Electores non eximuntur à lethali culpa, ſi ſuffragia non conferunt dignioribus: duæ limitationes adnotantur.*

2. *Ex varijs DD. habetur dignioritatē exquiri ab Eccleſiæ vtilitate; ita vt ille dignior ſit putandus, qui maiorem vtilitatem Eccleſiæ eſt allaturus.*

Quamuis à me vtraque puncta maturè fuerint pertractata, atque diſcuſſa plurimis in locis, vt videre eſt in indice tit. Electores, & Dignus; nihilominus denuò vtrumque aggredior non ſine vrgenti cauſa, prout inferiùs patebit, ſimulque multa in hoc tractatu vniuntur, quæ in opere ſunt multis in locis explicata.

### PRIMA CONCLVSIO.

1. Semper erunt lethali culpa damnandi electoris, ſi in electionibus Prælatorum, aliorumque dignitatum non parui momenti pro dignioribus non ferent ſuffragia. Ita docēt infiniti DD. quos citatos ſequuntur Sanch. inferiùs citandus, Samuell. de canon. elect. tract. 1. diſp. 6. contr. 4. n. 6. Couarr. de reſtit. ſec. part. §. 7. num. 4. In primis poſſet probari ex varijs locis ſacræ Scripturæ; ſed quia hæc loca ad inducendā obligationem ſub mortali patiuntur aliquam difficultatem; ideò adhæreo doctrinæ Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 2. nu. 11. poſſet etiam probari ex varijs rationibus à DD. adductis, quæ non placent Cardinali citato; aliquibus equidem, non tamen omnibus libenter ſubſcribo, attamen eius ratio, per quam probat concluſionem mihi placet, & eſt iuxta noſtra principia. Inquit num. 18. hanc obligationem eſſe naturalem, ortam ex ipſo officio diſpenſatoris publici, ad quem ex munere ſuo ſpectat bono communitatis conſulere; cui non benè, & prudenter conſuleretur eligendo minùs dignos; quia verò hæc obligatio tota eſt propter bonum commune;

mune; & ideò S. Thom. in c. 21. Ioann. lect. 3. ex Ariſt. ait. *Naturali ordine ille, qui præſidet, & gubernat, debet excellentior eſſe*; hinc eſt, quòd non æquè obliget in electione ad quælibet beneficia, quia non infertur ſemper æquale damnum omittendo digniores: diximus ergo in ordine ad Epiſcopatus, Cardinalatus, & ſimilia beneficia ſemper peccari grauiter omittendo notabiliter digniores, quia ea inuerſio in ijs beneficijs ſemper damnum infert grauiter bono communi ipſius Eccleſiæ; eliguntur enim Paſtores præſertim Epiſcopi ad hoc, vt grauioribus ouium neceſſitatibus opitulentur, vt peccata ſubditorum impediant, vt eos in obſeruantia Chriſtianæ legis contineant, vt deprauatos mores reforment, & vt priſtinum fidelium ſplendorem, & puritatem, quantùm fieri poteſt, reſtituant; ideò enim Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 2. meritò prohibuit, ne vllus vnquam duas Cathedrales Eccleſias regere etiam in commẽdam præſumat: *Cum valdè*, inquit, *felix ſit ille cenſendus, cui vnam Eccleſiam benè, ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere cõtingerit*: hæc Cardin. Cuius rationis efficacitas, & robur etiam ſuo modo debet valere in Prælaturis Regularium, alijſque gradibus maximi momenti; proindè idem Cardinalis non adhærendo doctrinæ Ioann. Valerij in differentijs vtriuſque fori tit. electio differentia 1. n. 1. & Caſtr. Pal. part. 2. tract. 13. de benefic. diſp. 2. punct. 11. §. 2. num. 14. dicentium; ſecluſis enim ſpecialibus Religionis cuiuſque conſtitutionibus, & iuramento eligendi digniores, non videtur præceptum illud iuris communis de eligendo digniori extenſum vnquam in iure communi eſſe ad electiones Prælatorum regularium; ſed ſequendo doctrinam communem Vaſq. Sot. Sanch. Turrian. qui addit eodem modo obligari Generalem ad eligendum Superiorem digniſſimum, quandò ad ſolum Generalem Superiorum electio ſpectat; Nauarr. Fernand. Portell. Peirin. Salon. Villalob. Dianæ, quos citat, affirmantium eandem eſſe obligationem eligendi digniorem in Prælatum regularem, inquit ſect. 5. num. 55. hæc communis ſententia per ſe loquendo vera eſt, & iuxta noſtra principia: Ratio eſt clara, quia, cum tota ratio huius obligationis ſumatur ex bono communitatis, cui electores debent conſulere, & ex damno eiuſdem communitatis, quod impedire tenentur; negari non poteſt, quòd eadem mala oriri poſſint in Religione, ſi non eligantur digniſſimi, cum facilè poſſint eligi indigni, qui digni videbantur, & cum valdè difficile ſit, inuenire verè, & abſolutè dignum, qui ſuo exemplo, & prudentia continere poſſit ſubditos in diſciplina religioſa, & hanc ſi (vt plerunque contingit) relaxata ſit, ad priſtinum, ac debitum rigorem reducere, ſubditoſque ad perfectionem religioſam promouere, qui eſt finis gubernationis religioſæ: verùm Emin. Cardinal. explicando bonum, cui tenentur conſulere electores, tantùm recurrit ad finem perfectionis religioſæ, cum ſit aliud bonum, vt inferiùs patebit, quod tenentur etiam propagare electores; imò eſt radix boni perfectionis, ad quam iuxta proprium inſtitutum tendere debent Religioſi, imò ob hoc tractatur præſens quęſitum. Secund. ſuadetur, quia electores in conferendis ſuffragijs tenentur reſpicere exactè rationem meritorum: ſed ſi non ſuffragarentur dignioribus; præ oculis non haberent hominum merita; multa enim, & maiora merita eſſent neglecta, & poſtpoſita: tenentur igitur ſub mortali meliores, ac digniores ſeligere: huic rationi aduerſatur Emin. Lugo vbi ſupr. num. 56. aſſerendo, in Religionibus non eſſe obligationem ſeruãdi iuſtitiam diſtributiuam; ſed fallitur, quia, cum huiuſmodi iuſtitia obſtet malis, ideſt tyrannidi, factionibus, ac ſeditionibus, quibus ſubiacent Regularium regimina, vt experientia docet; ideò nequit negari huiuſmodi iuſtitia in Regularium congregationibus; ſed de hoc plurimis in locis tractatum eſt.

Limita prim. modò dignior habeatur in promptu, & facilè poſſit haberi; vndè inquit Salon. 2.2. quæſt. 63. art. 2. controu. 3. certum eſſe apud omnes electores non teneri ad exquirendos per Orbem digniores, ſed ex eis, quos habent in promptu, & facilè poſſunt nominare, debere eligere; ſic enim dictat recta ratio: & Chriſtus Dominus, licèt potuiſſet ſanctiorem hominem

creare,

creare, quàm Petrum, non tamen creauit, ſed ex illis, quos habebat in ſuo Collegio, deſignauit, quem vidit ſanctiorem, & maiori charitate ornatum; vt beatum Petrum; & Apoſtoli volentes eligere vnum in locum Iudæ dixerunt: *Oportet ex ijs viris, qui nobiſcum ſunt congregati, eligere vnum*, &c. videatur etiam Aragon. 2.2. quæſt. 63. verſ. ad vltim. ex dictis.

Limita ſecund. modò exceſſus non ſit exiguus, quia tunc ratione paruitatis materiæ tantum erit veniale, vt cum Soto, Salon. Bann. Villalob. & Sanch. tenet Trullench. in decalog. lib. 7. cap. 11. dub. 8. num. 4. concordant etiam Aragon. vbi ſupr. Emin. Lugo vbi ſupr. ſect. 3. num. 21. & Baſſæus in ſumm. tit. electio. num. 10. cui doctrinæ non adhæret Tutrian. 2.2. diſp. 22. dub. 1. num. 6. quia materia præcepti hic non eſt exceſſus, ſed eligere digniorem: non eſt tamen ob eius ſententiam, inquit Lugo vbi ſupr. num. 22. eum confutans, vt videre eſt apud ipſum, recedendum à communi ſententia, quamuis electores iuraſſent de eligendo meliori, aſſentiunt Trullench. & Sanch. vbi ſupr.

## SECVNDA CONCLVSIO.

2. Maior dignitas, vt iam inſinuaui, exquirenda eſt ab vtilitate Eccleſiæ, ita vt ille cenſendus ſit dignior qui Eccleſiæ, cui præferendus eſt, maiorem eſt allaturus vtilitatem. Ita communiter DD. præter allegatos plurimis in locis, hic etiam multi alij referuntur. Didac Couarr. de teſtit. 2. part. §. 7. num. 4. ait: Dignior verò in hac quidem diſputatione non ſimpliciter dicitur ille, qui doctior ſit, vel qui ſanctior, ſed is, qui iuxta munus, & rem, cui præficiendus eſt, aptior eius miniſterio apparet, ſiquidem quandoque qui ſanctus vir virtute præditus, & bonus eſt, ac propterea diligentior ad curam præferendus eſt viro ſanctiori, qui non ita diligens eſt, eaque ratione non ita aptus, ſicut prior adminiſtratione eius muneris, cui eſt præficiendus, quod D. Thom. ac cæteri paſſim adnotatunt: conſentit Silu. tit. accept. perſonar. quæſt. 2. Melior dicitur quis dupliciter. Prim. ſcilicet ſecundum ſe, & ſimpliciter, vt qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis. Secund. in ordine ad bonum commune; ad quod interdum magis conferre poteſt minùs ſanctus, aut ſciens propter potentiam, vel induſtriam ſæcularem, & huiuſmodi: Epiſcopus igitur, vel alius diſtributor prædictorum non tenetur dare meliori ſecundum ſe, & ſimpliciter, ſed meliori quantùm ad hoc, ſiue in ordine ad commune bonum, ad quod principaliùs ordinantur ſpiritualium diſpenſationes, ſicut etiam gratias gratis datas, quæ ordinantur ad communem vtilitatem Eccleſiæ: Deus dat minùs bonis: igitur ſi præferat vnum alteri propter cauſam pertinentem ad honorem Dei, & commune bonum, præfert meliorem, & non eſt acceptor perſonarum; ſed ſi cauſa præferendi non pertinet ad hoc, erit acceptio perſonarum, & tantò grauior, quantò in rebus diuinis committitur: adhærent Armill. tit. electio num. 3. & Naldus tit. eligere num. 19. Prim. ait: Eligens aliquem in Prælatum in conſcientia tenetur eligere, quem credit eſſe ſine mortali culpa, & ad tale officium pro hic, & nunc, & pro tali Collegio magis idoneum omnibus, qui poſſunt eligi, & haberi; aliter mortaliter peccat eligens, etiam ſi bonum eligat, dimiſſo meliori, quia perſonarum acceptor eſt ſecundum Caiet. Secund. inquit: Eligendus erit, qui iuxta munus, & rem, cui præficiendus eſt, aptior apparebit miniſterio, & ita ſæpius reſpondit Rota: audiamus etiam Caſtr. Palaum part. 2. de benef. Eccleſ. diſp. 2. punct. 11. §. 2. Digniorem voco, qui ad miniſterium aſſumptum vtilior eſt; contingere enim poteſt, vt ſanctior, & doctior minùs aptus ſit ad animarum curam ob defectum prudentiæ, quam alius, qui non ea ſanctitate, & doctrina pollet, vt excellit prudentia: addamus tandem verba S. Thom. in 21. Ioann. lect. 3. *Secundum iudicium diuinum & conſcientiam neceſſarium eſt eligere meliorem; ſed tamen aliquis dicitur melior ſimpliciter, & ſic ille dicitur melior, qui eſt ſanctior; ſanctitas enim facit bonum, ſed non meliorē quātùm ad Eccleſiam; & quoad hoc aliquis eſt melior, inquantum eſt liberatior, competentior, & diſcretior, & magis concorditer eligitur.*

*gitur*. Ratio verò per ſe eſt manifeſta, inquit Salon. 2.2. quæſt. 63. art. 2. controu. 3. verſ. Secundò certum eſt, &c. quia, cum beneficia primò, & potiſſimè ſint inſtituta in vtilitatem Eccleſiæ, & cum hæc à Regente ſit procuranda toto conatu; ideò eius dignioritas ſemper erit exquirenda iuxta vtilitatem Eccleſiæ, cum ipſa nil aliud intendat niſi promotionem boni communis.

## DVBIVM CLXXXI.

*Quæ vtilitas primò, & principaliter eſt demandata ſtudio, curaque Præſidentis, ex cuius propagatione dignoſcitur dignior: quibuſque medijs eſt tandem procuranda.*

### SVMMARIVM.

1. *Vtilitas attendenda in multitudinis regimine præcipuè eſt eius vnitas, & pax: ſuadetur ex ordinatione Dei, quæ vſus eſt erga hominem creatum; & diluitur quædam obiectio.*

2. *Adnotantur media, quibus propagatur vnitas.*

Cum electores ſemper exiſtimandi ſint in peccatum mortale ruere, ſi digniores ad beneficia eccleſiaſtica, cæteraſque dignitates non parui momenti non promouent ſuis votis; & cum ipſa dignioritas nequeat exquiri niſi ab Eccleſiæ vtilitate, ita vt dignior ſemper cenſendus ſit, qui maiorem vtilitatem Eccleſiæ, cui præficitur, eſt allaturus; ideò pro electorum inſtructione operæ pretium eſt præſens quæſitum non præterire; imò fideliter indagare.

### *PRIMA CONCLVSIO.*

1. Vtilitas procuranda in multitudine regenda primò, & principaliter ſemper erit cenſenda eius vnitas, & concordia. Concluſionis probatio non eſt ab alio exquirenda, niſi à ſummo Deo, qui in creatione hominis, eiuſque ordinatione poſt lapſum nil aliud videtur intendere, niſi inter ſe homines conciliare, & conglutinare, mediante vnitate, atque concordia: quæſo, abſque tædio nonnulla verba D. Chryſoſtom. 1. ad Corinth. cap. 13. hom. 34. extendamus: *Etenim Deus*, inquit, *ab initio innumerabilia eſt machinatus, vt eam, ſcilicet charitatem, & concordiam nobis insereret; nam & nobis vnum dedit caput, nempe Adamum: cur enim non naſcimur omnes ex terra: cur non perfecti ſicut ille? vt & partus & filiorum educationes, & alium ex alio inter nos naſci nos inter nos colligarent; propterea neque mulierem fecit è terra; nam quoniam non ſuffeciſſet ad nos incitandos ad concordiam; quod ſimiliter eſſemus eiuſdem eſſentiæ, niſi etiam eundem haberemus primum parentem, hoc quoque effecit; nam ſi nunc ſolis disiuncti locis nos à nobis inter nos exiſtimamus alienos, ſi noſtrum genus duo haberet principia, multò magis hoc fieret; propterea tanquam ab vno quodam capite ligauit totum corpus generis humani: & quoniam ab initio videbantur eſſe duo quidem, vide quomodò rurſus eos conglutinat, & in vnum cogit per matrimonium: propter hoc, inquit, relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: non dixit autem mulier, ſed homo, quoniam in illo maius eſt deſiderium; nam propterea hoc quoque maius fecit, vt id quod excellit, inflectat tyrannide huius amoris, & ſubijciat ei, quod eſt imbecillius; quoniam autem induci oportuit matrimonium eum: ex quo orta eſt, fecit maritum mulieri; Deus enim omnia poſtponit charitati; nam cum etiam ſi hæc ſic fuerint, primus tandem ſtatim ſic inſanijt, & tantam pugnam, & inuidiam ei inſeuit Diabolus, quid non feciſſet, ſi non ex eadem radice germinaſſent? deinde vt alterum quidem eſſet ſubiectum, alterum verò imperaret: nam quod eſt par honore, ſolet pugnam inducere, non ſinit, vt eſſet populare Imperium, ſed Regnum, & ſicut in caſtris eundem videris ordinem in vnaquaque domo: eſt ergo loco quidem Regis maritus, præfecti autem, & legati, vxor: tertium autem imperandi locum ſortiti ſunt filij, deinde poſtea quartum Imperium eſt ſeruorum; nam ipſi quoquè*

*quæ imperant minoribus, & vnus ſæpè ex ijs præeſt omnibus locum tenens Domini, ſed tāquam ſeruus: & cum eo rurſus aliud Imperium, alterum mulierum, alterum puerorum, & in ipſis pueris rurſus aliud ex ætate, & ex ſexu; non enim in infantibus ſimiliter dominatum obtinet fœmina, & vbique ferè Deus frequentia fecit Imperia, vt omnia maneant in concordia, & pulchro ordine: proptereà etiam priuſquam genus hominum eductum eſſet in multitudinem, cum duo ſoli eſſent, qui erant primi, alteri quidem iuſſit imperare, alteri verò parere; & ne rurſus eam deſpiceret tanquam minorem, & abſcinderetur, vide quemadmodum eam honorauit, & vnijt etiam ante creationem: faciamus enim, inquit, ei auxilium; oſtendens, quòd ad eius vſum facta fuerit, & hac ratione ipſum ei conciliarit, quæ propter ipſum facta eſt; in ea enim melius, & beneuolentiùs affecti ſumus, quæ propter nos facta ſunt: rurſus autem ne illa efferretur, vt quæ ei data ſit ad auxilium, & hoc abrumperet vinculum, eam facit ex latere, oſtendens eam eſſe partem totius corporis: ne autem vir hinc efferretur, non amplius ſinit eſſe ſolus, quod ſolus priùs fuit, ſed fecit contrarium ei adhibens liberorum procreationem in hoc quidem uirum præferēs, non tamen totum eius eſſe ſinens: uidiſti quàm multa charitatis uincula Deus fecerit; ſed hæc quidem ex natura concordiæ poſuit pignora, ad id enim ducit eſſe eiuſdem eſſentiæ; omne enim animal diligit ſibi ſimile, & mulierem eſſe ex uiro, & ex ambobus rurſus filios, unde etiam naſcuntur multi modi affectionis; nam alium quidem diligimus tanquam patrē, alium uerò tanquam auum, & aliam quidem tanquam matrem, aliam uerò tanquam nutricem, & alium quidem tanquam filium, alium uerò tanquam nepotem, & pronepotem rurſus aliam tanquam filiam, aliam tanquam ſororis filiam & alium quidem tanquam fratrem; alium uerò tanquam patruelem, & aliam quidem tanquam ſororem, aliam uerò tanquam conſobrinam, & quid opus eſt recenſere omnia nomina cognationis? porrò autem excogitauit etiam aliud argumentum cognationis; prohibitis enim cognatorum matrimonijs, nos eduxit ad alienos, & illos rurſus ad nos attraxit; nam quoniam ex naturali hac cognatione non licebat illos nobis coniungi ex matrimonio, illos rurſus coniunxit totas domos per unam ſponſam; & generibus tota commiſcens genera: Ne ducas enim, Leuit. 8. inquit, uxorem ſororem tuam, neque ſororem patris, neque aliam puellam, quæ tecum habet cognationem, quæ prohibet matrimonium nominatim ponens genera eiuſmodi cognationum: tibi ad illarum ſufficit affectionem eodem utero eſſe editas, ad te aliter attinere alias: cur in anguſtum redigis latitudinem charitatis? cur cauſam tuæ in ea amicitiæ ſuperuacaneæ conſumis, per quam potes etiam tibi parare aliam occaſionem amicitiæ foris ducta vxore; & propter illam cognatorum ſeriem, & patrem, & matrem, & ſorores, & eorum neceſſarios? uidiſti, quot modis nos colligauit; ſed tamen ne hæc quidem ei ſuffecerunt, ſed effecit etiam, ut alter alterius inuicem egeremus, ut ſic nos quoquè coniungeret; quoniam amicitias maximè facit vſus, & indigentia; proptereà nec omnia vbique gigni permiſit, vt inde etiam cogeret commiſceri; cum autem effeciſſet, vt alter alterius egeremus commixtionem, rurſus effecit facilem, nam niſi hoc eſſet res ad aliam rediret moleſtiam, & difficultatem; ſi enim medico egentem, aut fabro, aut aliquo opifice longè oporteret peregrè proficiſci, periret vniuerſum: proptereà & Vrbes conſtruxit, & omnes ſimul coegit: vt autem etiam quæ procul ſunt remota, facilè nobis ſuppeterent, in medio poſitum mare extendit, & ventorum dedit celeritatem, hic faciles efficiens peregrinationes; in initio autem omnes etiam in vno coegit loco, nec priùs diſperſit, quàm ad malum vſi ſunt concordia, qui primi donum acceperant; ſed omnes nos ſimul congregauit; & ex natura, & ex cognatione, & ex loco, & quomodò nos non voluit excidere à Paradiſo; nam ſi voluiſſet, ne illic quidem poſuiſſet hominem, quem fecit ab initio, ſed eius cauſa fuit, qui non obedit; ita nec diuerſa linguæ eſſe voluit; nam ab initio hoc feciſſet; tunc autem tota terra vnum erat labiū, & vox vna omnibus; proptereà quidem certè nec quandò terram oportuit deleri, neque nos tunc ex alia fecit materia, neque iuſtum tranſtulit, ſed eo dimiſſo in media tempeſtate veluti quadam totius Orbis terræ ſcintilla noſtrum genus indè rurſus accendit ex beato illo Noe, & ab initio quidem vnum fecit Imperium, dum virum præfecit mulieri: poſtquam autem genus noſtrum in multam deci-*

*dit confuſionem, & ordinis defectionem, alia quoque conſtituit, nempe Dominorum, & Magiſtratuum, idquè etiam propter concordiam, atque charitatem; nam quoniam vitium noſtrum genus diſſoluit, & interimit tanquam quoſdam medicos Iudices conſtituit in medijs Ciuitatibus, vt tanquam concordiæ, & charitatis peſtem vitium expellentes omnes in vnum cogant*; ecce quanta innumerabilia, & alia, quæ proſequitur Chryſoſtom. machinatus eſt ſummus Deus, vt homines in vnum pacis, concordiæ, atque charitatis connectat: ſed audiamus etiam, quæſo, nonnulla alia eiuſdem ſacri Doctoris 1. Corinth. 11. homil. 25. *Deus enim volens omnes inter ſe colligare, rebus, eam impoſuit neceſſitatem, vt in eo, quod eſt proximo conducibile alligatum ſit quoquè quod alteri, ſic conſiſtit totus Mundus: propterea in naui quoque ſi orta tempeſtate gubernator dimiſſo eo, quod confert multis, ſolum quærat, quod ſibi conferat, & ſe, & illos citò demerget; porrò autem ars quoquè qualibet, ſi id ſolum ſpectet, quod ſibi ſit conducibile, vita nunquam conſtiterit; neque ars, quæ hoc quærit: propterea agricola non tantùm frumenti ſeminat, quantùm ſibi ſufficiat: nam iam pridem & ſe, & alios perdidiſſet, ſed quærit quod confert multis; & miles non dimicat in acie aduerſus pericula, vt ſe conſeruet, ſed etiam, vt Ciuitates in tuto collocet; & mercator non tantùm ſolum quantùm ſibi ſuffecerit, ſed quantùm multis etiã alijs; ſi quis autem dicat, quod vnuſquiſque hæc facit ſpectans non quod meum eſt, ſed quod ſuum; nam omnia hæc agit & pecuniã, & gloriam, & vt in tuto ſit ſibi comparans: quamobrem quærens id, quod eſt mihi conducibile, quærit etiam id, quod ſibi; ego quoquè hoc dico, & id iampridem volebam audire, & pro eo omnia verba feci, vt oſtenderem, quod proximus quærit id, quod ſibi confert, quando, quod tibi confert, ſpectauerit; nam aliter non ferrent homines, quæ ſunt proximi quærere, niſi fuerint ad hanc redacti neceſſitatem; propterea Deus hæc ſic coniunxit, neque ſinit prius venire ad commodum proprium, & quod eſt nobis vtile, niſi egreſſi fuerimus per ea, quæ alijs conferunt; atque hoc quidem eſt humanum ſic ire ad id, quod eſt proximo conducibile*: Et ratio elicitur ex Boetio de conſolat. lib. 3. *Omne, quod eſt, tandiu eſt, quandiu eſt vnum, & interire pariter, atque diſſolui neceſſe eſt, ſi vnum eſſe deſierit*: hinc S. Thom. 1. de regim. Princip. cap. 2. ait: *Bonum autem, & ſalus conſociatæ multitudinis eſt, vt eius vnitas conſeruetur, quæ dicitur pax, qua remota, ſocialis vitæ perit vtilitas, quinimmò multitudo diſſentiens ſibi ipſi fit oneroſa; hoc igitur eſt, ad quod maximè Rector multitudinis intendere debet, vt pacis vnitatem procuret*: hinc B. Laurent. Iuſtinian. de regim. Prælator. cap. 3. inquit: *Equidem propter ſeruandam vnitatem Præſidentium miniſterium in Eccleſia neceſſarium eſſe cognoſcitur, tanquam caput in corpore, ſine quo prorſus congregatio quæque confunditur, diuiditur, & deperit*: hinc S. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. de amore: § 5. & Iacob. Aluarez de vit. ſpirit. p. 1. lib. 3. part. 3. cap. 32. aſſerunt: Ille. *De quinta vnitate, ſcilicet regulari dicitur pſalm 132. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum; vbi dicit Auguſtin. quòd hæc vnitas, & ſi conueniat omnibus Chriſti fidelibus, propriè tamen monaſterijs, & fratribus conuenit habitantibus in vnum ſpiritualiter, & corporaliter, vnde & monaſterium dicitur à monos, quod eſt vnum, quia maximè debet ibi vnitas reperiri*: Hic: *Nam Religio vnum myſticum eſt corpus varijs partibus compoſitum, cuius bonum in iſtarum partium vnione, & connexione conſiſtit*.

Dices, licèt veriſſimùm ſit inter omnes vtilitates, quibus locupletari debet Religio, eſſe vnitatem ſubditorum; nihilominus nõ eſt affirmandum eam eſſe primò, & principaliter, quia, cũ Religio ſit ſtatus perfectionis, vt dicunt DD. ideò finis principalis in ea erit perfectio, ad quam quilibet Ordo eſt inſtitutus ſecundum regulam, & ſancitas conſtitutiones; vndè Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 1. tom. 2. ait: Officium Prælati ordinatur ad hoc, vt ſubditi in regulari obſeruantia contineantur, & promoueantur ad perfectionem religioſam ad quã Ordo ille inſtitutus eſt, quòd ſi fortè fragilitate humana congregatio illa primum feruorem, & obſeruantiam non retinet, cura Prælati eſſe debet, vt paulatim obſeruantia, & perfectio reſtituatur. Reſp. veram eſſe doctrinam; attamen quia, reſecata vnitate à multitudine; & diſtractis

hominibus

hominibus in partes, reſecatur etiam omnis perfectio, vndè nequeunt perfectionis opera perficere, vt optimè docet S. Thom. 1. de regim. Princip. cap. 15. *Sicut enim*, inquit, *homo nihil benè agere poteſt, niſi præſuppoſita ſuarum partium vnitate; ita hominum multitudo pacis vnitate carens, dum impugnat ſe ipſam, impeditur à benè agendo:* & contr. Gentil. lib. 3. cap. 117. *Ad hoc, quòd homo diuinis vacet, indiget tranquillitate, & pace:* & Iacob. Aluarez vbi ſupr. *Si verò ſe auerſione mutua, & diſſenſionibus ſeparent Religioſi iam non erunt vna Religio, ſed tot deteſtanda conuenticula, quot fuerint in domo factiones: Ex quibus*, inquit S. Antonin. 2. part. tit. 4. cap. 8. §. 2. *tota vita regularis deficit*: proindè opus eſt dicere, vnitatem, & pacem inter Religioſos eſſe præcipuam vtilitatem, qua ornatur Religio, & quæ à Rectoribus primò eſt ſolicitè procuranda:

*PRO SECVNDA CONCLVSIONE.*

2. EA ſunt videnda, quæ dixi in tractatu de iuſtitia diſtributiua, & alibi, quia aptiorem diſcurſum non inuenio; attamen ad parcendum labori lectoris, hic ea repetam, paucis mutatis, pro probatione ſecundæ partis, videlicet quibus medijs propagetur huiuſmodi vnitas, S. Thom. vbi ſupr. cap. 2. poſtquam firmiter aſſeruit Rectorem vnitati incumbere debere in fauorem, ac vtilitatem ſubditorum, hæc verba ſubdit: *Nec rectè conſiliatur, an pacem faciat in multitudine ſibi ſubiecta, ſicut nec Medicus, an ſanet infirmum ſibi commiſſum; nullus enim conſiliari debet de fine, quẽ intendere debet, ſed de his, quæ ſunt ad finẽ, propterea Apoſtolus commendata fidelis populi vnitate: Soliciti, inquit, ſitis ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*: media ergo, quæ ſolicitè procurare debet Rector pro vnitatis propagatione, ſe habent in duplici differentia quædã ſunt deſtructiua, & corruptiua ipſius vnitatis Reipublicæ, ſeu Religionis, quibus cognitis ſaluatur, Reſpublica non per ſe, ſed quatenus eis aduerſatur; ideò dicebat Ariſtotel. 5. polit. cap. 8. *Illud autem ante omnia patet, quòd ſi ſciamus, per quæ corrumpuntur Reſpublicæ, ſciimus etiam, per quæ conſeruantur, contrariorum enim contrarijs effectus*: quædam verò deſignãtur directè influentia in conſeruationem, & propagationem eiuſdem vnitatis; porrò media corruptiua, & deſtructiua boni communis ſunt iniuſtitiæ, quæ fiũt tam in conferendis honoribus, quam in cæteris alijs bonis, nempè victu, veſtitu, &c. Religionis diſpenſandis iuxta doctrinã S. Th. vbi ſupr. cap. 15. *Aliud autem*, inquit, *impedimentum boni publici conſeruandi ab interiori proueniens in peruerſitate voluntatum conſiſtit, dum vel ſunt deſides ad ea peragenda, quæ requirit. Reſpublica, vel inſuper ſunt paci multitudinis noxij, dum trãſgrediendo iuſtitiam aliorum pacem perturbãt*: imò iuxta præceptũ Ariſt. 5. polit 5. cap. 7. *Diſſoluuntur autem maximè & Reſpublicæ, & optimatum gubernationes propter trãſgreſſionem iuſtitiæ in ſe ipſis factam*: & ratio huius, ait S. Thom. 5. polit. lect. 6. *quia Reſpublica ſaluatur propter mutuam cõmunicationem ſecundum aliquã proportionẽ; huiuſmodi autem communicatio ſecundum proportionem iuſtitia eſt, quarè Reſpublica ſaluatur iuſtitia exiſtente: ſi ergo fiat tranſgreſſio, corrumpitur*: quæſo, quando ergo committitur tranſgreſſio in iuſtitia? cum communicatio iuxta meritorum menſurã tam in honoribus, quam in victu, & indumentis, cæteriſque commodis non extenditur; quandò vnus, ſeu pauci, alijs poſthabitis, conantur ſemper Imperia regere, Prælaturaſque poſſidere; quandò maiores vnà cum amicis vltra debitam mẽſuram iuſtitiæ diſtributiuæ, de qua ſatis prolixè dictum fuit in dub. 57. fruuntur bonis communibus; quando ijdem non communem vitæ rationem ſequuntur, ſed vitæ commoda proſequuntur, & eo nomine delectantur gubernatione, eò quòd cũ cæteris præſint facultate, & quaſi claui potiuntur ad aperiendum vitæ cõmodis, corporiſque ſenſibus aditum; tunc corrumpitur Religio, inſurgunt enim mille iniuſtitiç, & opreſſiones, quæ infirmant Religionis corpus, & ad corruptionem diſponunt, vt optimè tradit Ægid. Roman. 2. part. lib. 1. cap. 11. *Non qualibet inæqualitas tollit vitam corporis naturalis, tamen qualibet inæqualitas ægrotat, & infirmat ipſum; ſic*

*non qualibet iniuſtitia corrumpit totaliter Regnum, & politiam, tamen per quamlibet iniuſtitiam Regnum, & politia infirmatur, & diſponitur ad corruptionem*: quæ tandem erumpit in mutuas auerſiones, proclamationes, ſciſſuras, ac factiones potiùs lacrymis deplorandas, quàm calamo exarandas, vt experientia docet, & teſtari poſſunt ſacra tribunalia: Cognitis igitur medijs corruptionis vnitatis, ac pacis Reipublicæ, *ſciamus etiam*, inquit Ariſt. vbi ſupr. *per quæ conſeruatur*: quibuſnam medijs conſeruatur hæc vnitas? illis ſanè medijs, quæ opponuntur, & aduerſantur contrarijs, & dum deſignantur ea, quæ directè influunt in eius conſeruationem, deſignantur etiã ea, quæ deſtruunt, & corrumpunt ipſammet vnitatem, & pacem, vt ſemper intelligenti videbitur: audiamus D. Antonin. part. 1. tit. 6. cap. 2. §. 5. alibi relatum: *Cauſatur, & conſeruatur hæc vnitas in Ciuitatibus, quandò ad hoc vnum attenditur, vt iura ſeruentur vniuerſaliter, ideſt tam maioribus, quàm minoribus; vt honores, & officia pluraliter diſtribuantur, & non omnia, vel multa vni, & nihilum alteri, vt onera proportionabiliter imponantur; nam ſi maioribus, & amicis leuia iniungantur, minoribuſque grauia, & importabilia, oportet ſequi diſcordiam, inuidiam, ſeditionemque, aliaque mala deſtruentia Ciuitatem*: idemque repetit part. 4. tit. 5. cap. 4. §. 2. *Media autem huic fini conuenientia ſunt legum, & ſtatutorum moderata diſciplina, bonorum præmiatio, tranſgreſſorum punitio, & alia huiuſmodi*. Pro fine quæſiti addenda ſunt aliqua verba Platonis de legib. 6. quæ totum includunt diſcurſum. *Quemadmodum enim ius, quod conſiſtit, in æqualitate analogica, eſt præcipuè cauſa conſeruans Reſpublicas; ita etiam inæqualitas contra analogiam præcipuè cauſa eſt, per quam Reſpublicæ mutantur, & corrumpuntur.*

## DVBIVM CLXXXII.

*An Prælatus propria commoda, vtilitatemque quærens ſit idoneus miniſter ad prædictam vnionem propagandam: & an electores ſub mortali ei vota denegare teneantur.*

### SVMMARIVM.

1. *Prælatus nequit eſſe talis, niſi, neglectis proprijs commodis, aliorum vtilitati adhæreat.*
2. *Prælatus affectans propria commoda idoneitate caret ad vnitatem regiminis propagandam.*
3. *Pro tali homine nequeunt electores ferre ſuffragium.*

### PRIMA CONCLVSIO.

1. DD. tam politici, quàm ſacri in hanc conſpirant propoſitionem, hominem non poſſe eſſe verè aliorũ Principem, & Rectorem, niſi intendat ſubditorum iura tueri, poſthabita propria vtilitate. Primus locus ſuadens concluſionis veritatem deſumptus eſt à Platone citato à Cicer. 1. de offic. *Vt enim tutela ſic procuratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus gerenda eſt*: Audiamus ſecundum ab Ariſtot. 8. ethic. c. 10. iuxta claram explicationem S. Thom. ibid. lect. 10. *Tranſgreſſio autẽ Regni quidem tyrannis eſt, in vtraque*, ſcilicet Regni, & tyrãnidis ſpecie *eſt vnus Princeps, ſed inter ſeſe plurimum differunt; nam Tyrannus quidem ſuum, Rex autem eorum, qui ab ipſo reguntur, conſiderat commodum; nõ ſuas Rex, ſed eorum, qui reguntur vtilitates conſiderat.* Tert. decerptus eſt ex S. Auguſt. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 14. *Princeps enim politicus populo ſeruit non ſuã, ſed populi vtilitatem quærens.* Quart. ex D. Chryſoſtom. hom. 8. ad Epheſ. c. 4. *Doctorũ eſt virtus nõ honorem, non gloriam quærere ab ijs, quibus imperent, ſed ipſorum ſalutẽ, & pro ijs omnia facere; nam qui illud quærit, nõ fuerit Doctor, ſeu Magiſter, ſed Tyrãnus; nõ enim Deus proptereà te ijs præfecit, ut tu magis colaris, & obſerueris, ſed ut tua quidem negligantur, quæ uerò ſunt illorum omnia ædificentur.*

Quint.

Quint. & Sext. ex D. Tho. 1. de regim. Princip. c. 1. & B. Laurent. Iuſtin. de regim. Prælatorum cap. 2. Ille ait: *De ratione Regis eſt, quòd ſit vnus, qui præſit, & quòd ſit Paſtor commune bonum multitudinis, & non ſuum quærens bonum*. Hic inquit: *Quamobrem qui non miniſtrare, ſed dominari volunt in Clero, non proinde Domini, ſed raptores, & Tyranni ſunt, dum non ſubditorum, ſed propria quærunt commoda; diuitiarum videlicet, voluptatis honoris, & famæ*: pro vltimo loco percipiamus verba Abulenſ. in cap. 20. Exod. qu. 19. *Principes, & Prælati non debent curare de bonis ſuis, ſed de bonis communitatis conſeruando ſtatum politicum*: & paulò inferiùs: *Quandò aliquis virtuoſus, & non eſt Princeps non incumbit ſibi onus diſtribuẽdi iuſtum, & vacandi aliorum vtilitatibus, relicta ſua; quandò autem eſt Princeps incumbit onus ei ceſſandi a ſuis vtilitatibus*: Et ratio doctrinæ eſt ſatis clara, quia, cum finis regiminis à Regente intendendus ſit vnitas, & pax, quæ nequit propagari, niſi reddendo cuique quod ſuum eſt, vt dictum eſt ſupr. ideò ſi officium Principis, & Prælati concederet, vt ipſe poſſet quærere proprium commodum; *cum homo habeat*, inquit S. Thom. 3. polit. c. 7. *vt plurimum peruerſum appetitum reſpectu ſui ipſius, quia vnuſquiſque nimis afficitur ad ſe ipſum; & ideò propter nimiam dilectionem, & affectionem, quam habet ad ſe ipſum, voluntas peruertitur à fine recto*: facillimè peruerteretur à recto fine vnitatis propagandæ, quærendo plus de bonis, quæ ſibi conuenire poſſunt, ſub coloratis rationibus, conſuetudinis, authoritatis, ac dignitatis, quæ non deſunt concupiſcentiæ naturæ, quæ in concupiſcendo ait S. Thom. 2. polit. lect. 9. in fin. *Natura concupiſcentiæ eſt infinita; non enim quærit ſola neceſſaria vitæ, ſed omnia, quæ poſſunt homini eſſe delectabilia, quæ ſunt infinita*; vndè aliorum iura conſequenter defraudarentur in notabile præiudicium boni communis; ideò natura ipſa ordinauit ad hoc, vt Rector iuſtè, ac rectè imperet in eodem contemptum proprij commodi ad præcauenda mala deſtruentia vnitatem ſubditorum; ideò optimè aiebat S. Thom. ex Ariſt. lib. 7. polit. lect. 7. *Felicitatem Ciuitatis impoſſibile eſt exiſtere ſine virtute, quæ eſt principium eius, cuius ratio eſt, quia ciues in Ciuitate optima oportet operari ad felicitatem, & habere illud, quod eſt principium eius*: ſed de hoc meliùs in ſequenti concluſione.

## SECVNDA CONCLVSIO.

2. PRælatus, qui in aſſumpta dignitate propria commoda affectat, omnino eſt cenſendus pro vnitate propaganda carere debita idoneitate. Suadetur prim. ex doctrina S. Thom. in præcedenti quæſito: *Aliud impedimentũ boni publici conſeruandi ab interiori proueniens in peruerſitate voluntatum conſiſtit, dum ſunt deſides ad ea peragenda, quæ requirit Reſpublica, vel inſuper ſunt paci multitudinis noxij*: ſed huiuſmodi Prælatus, cui incumbit onus ea pertractandi, ac diſpenſandi, quæ deſiderantur pro Religionis conſeruatione, eſt paci noxius: igitur, &c. minor probatur: vel affectat honoris Prælaturæ aſſumptæ commodum in ſui conſeruationem, alijs quidem reluctantibus; tunc inquit S. Thom. 5. polit. lect. 2. *diſſident voluntates, hoc autem eſt radix ſeditionis*; vndè tandem *inhonorati*, inquit, Ariſt. 1. polit. cap. 3. *alios cernentes honoratos ſeditionem aggrediũtur*: & Ægid. Roman. de regimin. Princip. 1. part. lib. 3. c. 13. *Nam ſi, ſpretis alijs, ſemper ijdem in Magiſtratibus, & præpoſituris præficiuntur, alij videntes ſe eſſe deſpectos, ad ſeditionem conſurgũt*: vel proſequitur bonorũ commodum tam in indumento, quàm in cibo & potu vltra menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ; vndè Prælatura ei inſeruit ad magis liberè ea proſequenda, tunc eius voluntas diſſidet ab aliorum voluntatibus, qui ægrè ferunt videre Prælatum tot bonis frui, alijs eſurientibus: quarè S. Thom. 5. polit. lect. 2. inquit: *Cum Princeps accipit bona ſubditorum, voluntatem habet ad accipiendum, alij habent contrarias voluntates, vndè diſſident voluntate*: qui tandem in apertas ſeditiones, & diſcordias erumpunt; ideò dicebat S. Antonin. par. 2. tit. 4. c. 8. §. 3. *Proprij commodi inordinata procuratio in Eccleſia generat diſcordiam*: & Dionyſ. Carth. de Regim. polit. lib. 1. ar.

15. opuſ.

15. opuſc. *Penſent ergo Rectores cur homines in Vrbibus ſub cæteris Rectoribus communitatis congregentur: nonne idcirco, vt quilibet ciuium per diligentiam Rectorum ſufficientiùs ſecundum ſtatum de vita neceſſarijs habeat, pace gaudeat feliciùs viuat? quid namquè eſt politicè gubernare, niſi populum ad hæc obtinenda, & conſeruanda dirigere? vndè qui ita non regunt, ac præſunt, non merentur dici Reipublicæ directores, ac politiæ Rectores, ſed deſtructores, quorum auaritia, & iniuſtitia frequenter parit ſeditiones*: igitur huiuſmodi Prælatus deſcriptis commodis addictus, addictus eſt etiam diſſidijs, iurgijs, ac diſcordijs: non eſt ergo aptus pro conſeruanda vnitate, qua bonum commune propagatur inter ſubditos, eius curæ commiſſos. Nec obſtat prædicta incommoda fore reprimenda brachio potentiæ, quia, vt iam dixi alibi, eſt incidere in Scyllam cupiendo vitare Charybdim, cũ ſit potentia tyrannica; nam vera, & iuſta potentia exerceri nequit, niſi intra limites debitæ iuſtitiæ, vt optimè inſinuat S. Th. 1. de regim. Princip. c. 1. *Si igitur regimen iniuſtum per vnum, aut per plures tantum fiat, qui ſua commoda ex regimine quærant, non autem bonum multitudinis ſibi ſubiectæ, tales Rectores Tyranni vocantur, nomine à fortitudine deriuato, quia ſcilicet per potentiam opprimunt, non per iuſtitiam regunt*: quæ potentia tyrannica tandem patit illa incommoda, quæ intendebat cohibere; audiamus S. Thom. vbi ſupr. cap. 10. *Tyrannorum verò dominium diuturnum eſſe nõ poteſt, cum ſit multitudini odioſum; non poteſt diù conſeruari, quod votis multorum repugnat; vix enim à quoquam præſens vita tranſigitur, quin aliquas aduerſitates patiatur; aduerſitatis autem tempore occaſio deeſſe non poteſt contra tirannum inſurgendi, & vbi adſit occaſio, non deerit ex multis vel vnus, qui occaſione non vtatur: inſurgente autem illo, populus libentèr proſequitur, nec de facili carebit effectu, quod cum fauore multitudinis attentatur.* Concluditur hæc prima probatio verbis Dion. Carth. de reg. Princip. lib. 3. ar. 18. opuſc. *Quoniam Princeps terræ, videlicet Rex, Dux, ſeu Comes, ad hoc diuina Ordinatione præſidet populo tanquam miniſter, atq; Vicarius Dei, vt docet Paul. in Epiſt. 13. ad Roman. vt turbationes, diſſenſiones, iniurias, & iniuſtitias à ſubditis auferat, & pacem, concordiam communionem, atque iuſtitiam eis procuret, conſeruet, ac protegat, ſummè vitare debet ne ſit alicui, & præſertim ne ſit communitati aut Vrbibus ſuis turbationis, diſſenſionis, rebellionis, inquietudiniſue occaſio.* Secundò ſuadetur: tunc cauſatur, & conſeruatur hæc vnitas, inquit S. Antonin. in præcedenti quęſito, *quandò ad hoc vnũ attenditur, vt iura ſeruentur vniuerſaliter, ideſt tã maioribus, quã minoribus, vt honores, & officia pluraliter diſtribuantur, & non omnia, vel multo vni, & nihilũ alteri, vt onera proportionabiliter imponantur*; ſed dũ huiuſmodi Prælatus quęrens ſe conſeruare in Prælatia, officio, & honore, non intendit ea pluraliter diſtribuere; ſi verò quærit proſequi commoda indumenti, cibi, & potus, &c. vltra aliorum menſuram, vnicuique non ſeruat propria iura, ſed ea negligit: igitur quęcunque iſtarum rerum commoda, vel ambo proſequatur, nequit aptitudine pollere pro vnitate cauſanda, ſeu conſeruanda inter ſubditos.

*TERTIA CONCLVSIO.*

3. SVb mortali tenentur electores abſtinere à ſuffragijs ferendis in fauorem prædicti Prælati. In primis ſuadetur ex doctrina S. Chriſoſtom. 1. ad Corinth. cap. 10. hom. 25. aſſerentis: *Hæc regula perfectiſſimi Chriſtianiſmi hoc eſt decretum exactiſſimum, & accuratiſſimum, hoc eſt ſummum faſtigium ea quærere, quæ in commune conferunt*: hoc præſertim munus incumbit electori vt optimè inſinuat, Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. controu. 3. verſ. vtor. iam ratione: Elector, inquit, cum non ſit dominus beneficiorum, ſed adminiſtrator inſtitutus in bonum, & vtilitatem Eccleſiæ, tenetur ex officio conſulere vtilitati Eccleſiæ: idem dicit Emin. Lugo de iuſt. ſect. 5. num. 55. diſp. 35. Electores debent conſulere bono communi: ſed ſi electores ferrent ſuffragia pro tali Religioſo propẽſo ad cõmoda prædicta, non quærerent ea, quæ ſunt boni communis, nec eius vtilitati fauerent: igitur: maior certa apud omnes; minor probatur,

batur, quia bonum commune, quod vinculo vnitatis propagatur, ferè tres ſuffragia electores in fauorem huiuſmodi Prælati non fouent, ſed deſtruunt, ac diſſoluunt; nam quandò Prælatus artificijs ſuam conſeruationem proſequitur, vitæque commodis, imò Prælatura potiri conatur; vt ſit aditus ad quærenda propria commoda; & ad laxandas habenas appetitionibus corporis, vnitas diſſoluitur, ſeditioneſque, ſuboriuntur, vt dixi in præcedenti concluſione: igitur tenentur ſub mortali tali Prælato ſuffragia denegare. Præterea cooperari, vt in Imperio, ac dominatu præſertim Eccleſiaſtico regnet Tyrannus, non ne erit peccatum mortale? ſanè, quia ſicut Prælatus tyrannicè operando ſibi ipſi infert damnum ſe vinciendo culpa lethali, ita ſe vinciunt eadem culpa illi, qui cooperantur, vt tali dominio tyrannico fruatur. Ita fatentur DD. ſed præſtando ſuffragia pro tali Prælato cooperantur electores, vt dominium Eccleſiaſticum tyrannicè regatur; eo ipſo enim, quòd conuertit Prælaturā in ſui vtilitatē, quærēdo in ea ſe conſeruare, & vtitur bonis tam in victu, quàm in veſtitu, &c. pluſquam par eſt, intendit propriam vtilitatem, quod eſt tyrannicum, inquit S. Thom. 3. polit. lect. 6. ex Ariſtotel. *Tyrannicus eſt Principatus unius intendens utilitatem propriam*: & doctiſſim. Abulenſ. Exod. cap. 10. quæſt. 10. Qui autem Princeps, vel Prælatus eſt magis vacans vtilitati ſuæ, quàm diſtributioni iuſti politici; non Prælatus, aut Princeps ſed Tyrannus eſt, quæ ſatis dura definitio eſt noſtris Principibus, & Prælatis: igitur, ne rei ſint electores culpæ lethalis, abſtineant ſe à ſuffragijs ferendis in fauorem talis Religioſi. Adde tandem electoribus incumbere onus ſeligendi Religioſum, qui non ſolùm conſeruet vnitatem inter ſubditos, ſed etiam, qui propaget perfectionem religioſam, ad quā eſt inſtitutus Ordo: ſed conferendo vota pro tali Prælato non dant diſciplinæ regulari hominem eam propagantem, ſed eam deſtruentem, vt optimè docet S. Thom. 1. de regim. Princ. cap. 3. *Tyrannus non ſolùm in corporalibus ſubditos grauat, ſed etiam eorum bona ſpiritualia impedit, quia qui plus praeeſſe appetūt, quàm prodeſſe, omnē profectū ſubditorū impediunt*; vndè hi exemplo ducti ad Prælaturas hiant, propriaque commoda proſequuntur, vt experientia docet: igitur, vt proprio oneri ſatisfaciant electores, ſatisfaciant etiam conſcientiæ ei denegando vota.

Pro fine eſt aduertendum, quòd à diuina Prouidentia, vt vnitas multitudinis non deſideretur, eſt ſtatutum, vt Præſidentes propriam vtilitatem non curent; quapropter Generales tenentur monere electores, ne ferant ſuffragia, vt in concluſione, prout poſtulat eorum officium, dicente S. Th. lib. 3. contr. Gentil. c. 146. quòd *homines, qui in terris ſuper alios conſtituuntur, ſunt quaſi diuinæ Prouidentiæ executores*: & id maximè attendendum, quia *diuina Prouidentia*, inquit idem S. Thom. ibid. c. 140. *non ſolùm diſponat rerum ordinem, ſed etiam mouet omnia ad ordinis ab ea diſpoſiti executionem*.

## DVBIVM CLXXXIII.

*An Prouincialis, qui in creatione Priorum, ſeu Guardianorum plurimos amicos eligit, poſſit ab electoribus tuta conſcientia denuò eligi, ſeu confirmari in Prouincialatus officio.*

### SVMMARIVM.

1. *Prælatus Prouincialis caret idoneitate pro regendo munere Prouincialatus, dum in promotione amicorum ducitur intereſſe.*

2. *Quid ſit iudicium temerarium, & quæ indicia eximunt religioſum ab ipſo in iudicando.*

3. *Promouendo amicos Prouincialis in Priores tripliciter poteſt conſiderari.*

4. *Secundum primam acceptionem non ſunt deneganda ei vota pro conſeruatione, ſeu noua creatione: & ſatisfit cuidam obiectioni.*

5. *Secundum ſecundam, & tertiam ſunt ei deneganda ſuffragia.*

Titu-

Titulus præſupponit Guardianorum,ſeù Priorum electiones creari à Prouinciali vnà cum Definitoribus : præſupponit etiam amicos electos ad munus officiorum prædictorum pendere à voto Prouincialis, qui, licèt eos nequeat ſolus promouere; attamen Definitoribus ſuum deſiderium inſinuat, ne ab eo diſcedant per animum non beneuolum , qui , vt habeant aliquam gratiam , atque ſatisfactionem in fauorem ſui , ſeù amicorum , ſuis votis in amicos eius conſentiunt , ſeù omnes , ſeù maior pars illorũ: electores verò ex eo, quòd priuſquam Religioſus ille eſſet electus in Prouincialem , nunquam talis numerus amicorum eius ab alijs ad huiuſmodi munus fuit promotus , habent ſufficientem , & vrgentem coniecturam dicendi, amicorum electionem eſſe cognoſcendam à Prouinciali.

1. Pro intelligentia ſit prim. notand. fundamentum dubitationis quæſiti tantùm fundati in hoc , quòd , cum vnitas ſit finis regiminis propagandus à Rectore , vt dixi plurimis in locis ; & cum huiuſmodi vnio haberi nequeat , niſi Rector ſit iuſtus à iuſtitia , quæ docet contemptum proprij commodi adhærendo aliorum vtilitati , vt cuſtodiatur communis æquitas ; implicat enim Principem poſſe propagare vnionem inter ſubditos , dum proprio commodo ducitur : Nihil enim,inquit,Mirand.t.2.q.5.a. 5. credo eſſe Reipublicæ , ac regularibus congregationibus cunctis adeò damnoſum, atque nociuum, vt multo damno experientia docente plus ſatis perſpicimus , quàm Prælatos , ſiue Iudices commodo ſuo priuato inhærere : hoc eſt , quòd Reſpublicas omnes in fruſta diuidit , atque in diuiſiones magnas , ſchiſmataque innumera conuertit ; hinc prodeunt etiam æmulationes , inuidiæ , diſcordiæ, inſectationes , & id generis multa alia genimina viperarum , quæ ex radice proprij commodi ortum , atque originem ducunt ; ideò ſemper cenſendus erit deficere Prouincialis in idoneitate pro obeundo munere Prouincialatus , dum in promotione amicorum intereſſe ducitur.

2. Not. ſec. quòd iudicium temerarium eſt firmus aſſenſus intellectus , quo ex leuibus , & non ſufficientibus indicijs bonum opus alterius, vel indifferens, quod bonum, & malum eſſe poteſt ; malum eſſe firmiter iudicamus , vt quandò quis ex leuibus indicijs credit Titium commiſiſſe furtum, & adulterium. Ita Filliuc.tom.2. tract.40.cap. 1. num. 2. & Fagund. in 8.præcept. decal. lib. 8. cap. 11. dicitur ex leuibus indicijs, & non ſufficientibus motiuis , quia , ſi iudicium concipiatur ex iuſtis indicijs, & coniecturis probabilibus, & ſufficientibus, iam non erit temerarium , ſed prudens , rationique conſonum , vt docet Valent.2.2. quæſt. 60. diſp. 5. q.4. punct. 3. propoſ. 1. Filliuc Fagund. vbi ſupr. & Baſſ.in ſumm. tit. Iudicium temerarium ; ideò Bonac. de reſt. diſp. 2. qu. 7. punct. 1. num. 2. format hoc argumentum : illud non eſt iudicium temerarium , quod eſt conforme prudentiæ , & rectę rationi : ſed Iudicium , quod procedit ex ſufficientibus indicijs, eſt conforme rectè rationi , cum ex recta ratione iudicetur eſſe tale ob indicia ſufficientia : ergo tale iudicium nequit eſſe temerarium ; maximè quia homo non habet ius , vt quis de ſe ipſo non malè iudicet, aliter quàm poſtulent indicia ſufficientia : verùm coniecturæ , quæ omnibus conſideratis ſufficienter mouere poſſint hominem prudenter ad ferendum tale iudicium ex multiplici capite deſumi poſſunt, vt docent DD. præſertim Bonacin. vbi ſupr. n° 2. nempè ex circunſtantia temporis , loci , perſonæ referentis alterius delictum , & ex circunſtantia perſonæ, de qua delictum refertum , & etiam ex circunſtantia famæ : ex circunſtantia , inquam , perſonæ , de qua delictum refertur, prætermiſſis alijs circunſtantijs , quæ non faciunt ad rem , erit iudicium prudens , & rationi conſonum : Si quis , inquit Bonacin. vbi ſupr. iudicet aliquod peccatum de Titio , quem conſtat in eius generis peccatum labi conſueuiſſe ; nam reſpectu Titij non tot indicia requiruntur ad ferendum de eo iudicium , quot requiruntur ad iudicandum de alio , qui nõ ſolet huiuſmodi peccata perpetrare ; erit etiam iudicium prudens, & rationi conſonum,inquit Clau. regia lib. 12.cap. 3. num. 13. Noui Petrum pleraſque mulieres, quas alloquitur , prouocare ad libidinem , video eum moroſè cum aliqua loquentem , licet idem malum iudicare de ipſo ; hoc enim iudici-

iudicium in eo ratione conſuetudinis malę ſufficiens eſt, vt prudenter poſſim malum de eo iudicare. Adde, quòd iudicium temerarium fieri ſolet, vel ex peccatis internis, vt quòd aliquis ſit libidinoſus, ſuperbus, ambitioſus, vel de externis, vt quòd ſit fur, proditor, & homicida: verùm ad ferendum iudicium de vitijs, & peccatis externis maiora indicia requiruntur, quàm de internis; licèt enim hæc occulta ſint, & quatenus occulta maiora indicia poſtulent, vt iudicium de illis feratur, tamen cum illa ex ſe, & ex natura ſua ſint ſcelera grauiora, ideò poſtulant maiora indicia, vt de illis proximus iudicetur, quàm ſint indicia, quibus fit iudicium de peccatis internis. Ita Fagundez vbi ſupr. numer. 6. citans Leſſium.

3. Tert. notand. huiuſmodi Prouincialem promouentem amicos prout in titulo, tripliciter poſſe inſpici. Prim. quatenus vnica vice hoc fecit, ſtatim ac fuit electus in Prouincialem; nam ei incumbit onus creandi Guardianos; nihilominus eſt integer, alienus à commodis, fruendo tantùm bonis, quæ ei ſecundum rigorem iuſtitiæ diſtributiuæ poſſunt conuenire, nec in eo exardeſcit deſiderium dominandi, niſi fortè naturale. Secund. quatenus eſt deditus commodis, & ducitur intereſſe proprij commodi, vndè in cibo, potu, veſte, cellulis, pecunijs, &c. rigorem Religionis non vult agnoſcere, & vult tot commodis ſtipatus ſe ab alijs ſegregare. Tert. quatenus plurimis vicibus ita operatus eſt: qua ex re non obſcurè dignoſcitur amicorum vota ei inſeruite tam pro ſui conſeruatione, quàm pro aliorum promotionibus ad alias Prælaturas, ſecundum quod ei placet.

*PRIMA CONCLVSIO.*

4. SI conſideretur Prouincialis promouens amicos pro vt in prima acceptione, dummodò ſit idoneus ad munere fungendum, nec alijs dignioribus fiat iniuria, vt ſupponitur, nequeunt electores tẽpore debito ei denegare vota pro conſeruatione in Prælatura aſſumpta, neque pro alia noua creatione ad alias Prælaturas. Suadetur ex eo, quia nullum iudicium prudens, neque ſuſpicionem rationabilem in tali electione amicorum poſſunt in ſe excitare electores, vt huiuſmodi promotio ſit ducta intereſſe, ita vt dici poſſit non habere iuſtitiam, quæ conuenit Rectori, & quę duo includit, vt poſſit ſeruari ſubditorum æquitas, propriam ſcilicet vtilitatem negligere, ac adhærere aliorum vtilitati: non primum; quia illa vnica promotio non eſt ſufficiens fundamentum ad ferendum iudicium ſiniſtrum de intereſſe Prouincialis, vt de ſe patet; ideò dicebat Menoch. de præſumpt. lib. 1. quæſt. 3. num. 9. illam eſſe leuem præſumptionem, vt ſi vir bonę famæ videatur ſemel alloqui mulierem in loco ſuſpecto; hoc enim debet in meliorẽ partem interpretari iuxta c. Eſtote. extr. de regul. iuris. & Sayr. vbi ſupr. num. 3. inquit: Collocutio alicuius perſonæ grauis in loco ſecreto cum meretrice eſt leue indicium ad iudicandum de eo malum, cum collocutio illa ad eius conuerſionem ordinari poſſit: non ſecundum; quia, licèt talis promotio inſinuet aliquod intereſſe; nihilominus integritas eius mentis, & vitæ, quæ ſpoliat eum commodis tam in victu, & veſtitu, &c. illam paruulam ſuſpicionem delet, vndè nequit dici, non adhærere aliorũ vtilitati, ideò Menoch. vbi ſup. quæſt. 16. num. 15. aſſerit honeſtatem vitæ tollere contrarias ſuſpiciones, & refert Tiraquell. in tract. de pœnis leg. cauſ. 51. num. 4. multa allegantem exempla: igitur illa promotio non eſt ſufficiens motiuũ, vt electores vota denegẽt Prouinciali pro eius conſeruatione in munere Prouincialatus, ſeù pro noua creatione ad alias Eccleſiaſticas dignitates.

Dices, eſto doctrina relata ſubſiſtat, attamen negari nequit promotionem prædictam non præſeferre aliquam ſpeciem ſuſpicionis, atque dubitationis, & quamuis dubia quoad perſonas debeant, adhibita quadam diſtinctione, quæ inſpici debet apud Baſſæum, & Fagund. cap. 2. vbi ſupr. interpretari in meliorem partem; nihilominus quandò agitur de euitando aliquo damno, vel de remedio illi adhibendo, ea ſunt in deteriorem partem accipenda, non quidem iudicando proximum eſſe furem, uel improbum, uel habendum pro tali, ſed

iudicãdo ita ab illo exteriùs cauendũ, illiq; conſulendum, ac ſi dubia eſſet eius probitas, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 60. art. 4. ad 3. Caietan. ibid. Leſſius de iuſtit. lib. 2. cap. 29. dub. 4. num. 42. Filliuc. tom. 2. tract. 40. cap. 1. num. 31. Fagund. vbi ſupr. num. 36. vndè cum in caſu noſtro poſſint ſequi aliqua damna in detrimentum communitatis; nam neglecti, & non grati Prouinciali poſſunt ſe offendere de tali promotione, & recurrere ad aliorum Patrum protectionem; qua ex re incipiunt animorum diuiſiones pullulare, ac amaritudines corda neglectorum lacerare, quæ tandem tractu temporis conuertuntur in factiones, vt dixi in dub. 94. ideò ſunt ei deneganda vota, non quidem iudicando eſſe improbum, & duci intereſſe contra proprium munus docens cõtemptum propriæ vtilitatis, ſed præcauendo malum, quod ſuboriri poteſt ex illa promotione; cum præcipuum munus electorum ſit, vt dixi in præced. dub. ex ſenſu Eminent. Lugo, mala communitatis præcauere. Reſpond. doctrinam relatam eſſe veram, de dubio vero, & reali, quandò ſcilicet animus leuioribus indicijs in vtramque partem mouetur, ſed tamen in neutram declinat, ſed in ambiguo pendens manet; vndè huiuſmodi homines dubios Ariſt. 3. metaph. c. 1. hominibus ligatis comparat, qui nec huc, nec illuc ſe vertere poſſunt; & ideò Trullench in decal. lib. 8. cap. 1. dub. 4. ſequens doctrinam Salon. 2. 2. qu. 60. art. 3. dub. 5. in fin. affirmat: Quandò de alicuius probitate prudẽter dubitamus, ad cautelam licebit ei negare ſuffragium pro officio, ſeu beneficio, modò adſit alter æqualis in meritis; non de illa paruula ſuſpicione, quæ, ſtante integritate vitæ Prouincialis, nullum rationabiliter poteſt habere fundamentum dubitandi; vndè nequeunt rationabiliter ſequi damna relata; et ſi ſequerentur, eſſent imputanda non promotioni Prouincialis, ſed malitiæ illorum hominum, qui abſque fundamento iniuriæ defecerunt ab animo Prouincialis,

*SECVNDA CONCLVSIO.*

5. SI inſpiciatur Prouincialis eligens amicos, & ſibi gratos prout in ſecunda acceptione, electores iudicando huiuſmodi Religioſum non eſſe idoneum ad obeundum munus Prouincialatus, eò quòd caret iuſtitia debita, ſine qua nequit vnitatem multitudinis propagare, vt dixi in prim. notand. implicat enim moraliter loquendo, colligere in vnum ſubditos, retenta propria vtilitate, non incidunt in iudicium temerarium, & conſequenter ſub mortali tenentur ei denegare vota. Duas habet partes concluſio, quarum prima ſic ſuadetur: tunc quis prolabitur in iudicium temerarium, cum ex leuibus, & non ſufficientibus indicijs bonum opus alterius, vel indifferens, quod bonum, & malum eſſe poteſt, malum eſſe firmiter iudicat: ergo quotieſcũque non ex leuibus motiuis, ſed ex ſufficientibus, & probabilibus coniecturis malum firmiter de proximo iudicabit, iudicium temerarium non committet: valet conſequentia ex præcitatis: ſed hoc contingit in caſu: igitur, &c. minor probatur, quia huiuſmodi Prouincialis eſt aſſecutus nomen labendi in vitium proprij intereſſe; nam, experientia duce, vult frui commodis, plus quàm par eſt ſecundum rigorem iuſtitiæ diſtributiuæ, tam in victu, veſtitu, cellulis, quàm in alijs commodis Religionis; qui enim iudicat aliquod malum de homine aſſueto labi in tale malum, non fit reus iudicij temerarij, vt dixi ſuperiùs ex mente Bonacin. & Clauis reg. igitur electores iudicando Prouincialem in tali promotione duci intereſſe, vt confirmetur in Prælatura aſſumpta ad magis liberè vtendum bonis prædictis, proſequendum vitæ commoda, & fruendum iure dominij, non ſunt damnandi rei iudicij temerarij: ideò ait Menoch. vbi ſupr. lib. 1. cap. 15. num. 15. ex reg. iur. 8. in 6. ſemel malus ſemper malus in eodem genere mali exiſtimatur, quantò magis dico ego, exiſtimandus eſt malus, qui pluries malus. Secund. pars habetur: vt electores eximantur à lethali culpa in conferendis votis eligendorum morti tenentur

tur

tur reſpicere: ſed ſi ſuffragarentur huiuſmodi Prouinciali, non attenderent merita, ſed demerita; nam eo ipſo, quòd ducitur intereſſe, & adhæret proprio commodo, nequit vnitatem finem regiminis propagare; implicat enim moraliter loquendo poſſe reddere cuique, quod ſuum eſt, ex quo ſequitur communis æquitas, & vnitas, dum ducimur intereſſe, & animo propendemus ad commoda propria; nam ex hoc multa mala ſequuntur, ſcilicet factiones, ſeditiones, diſcordiæ, murmurationes, & alia mala ſuperiùs relata, & in plurimis alijs locis, ſed præſertim in dub. 200. ex officio euitanda; munus enim electorum eſt mala præcauere, vt dixi ex mēte Emin: Lugo: igitur eximi nequeunt à lethali culpa. Præterea, eligere tyrannum, quis non concludet eſſe actionem lethaliter peccaminoſam? id contingit ſanè in electione Religioſi prædicti, vt determinat S.Thom 1. de reg. Princip. cap. 1. *Si igitur*, inquit, *regimen iniuſtum per vnū, aut per plures tantùm fiat, qui ſua commoda ex regimine quærant, non autem bonū multitudinis ſibi ſubiectæ; tales Rectores tyranni vocantur nomine à fortitudine deriuato, quia ſcilicet per potentiam opprimunt, non per iuſtitiam regunt*: ergo electores ſuffragando huiuſmodi Prouinciali labuntur in actionem lethaliter malam. Idem eſt concludendum de tertia acceptione, vt de ſe patet; ſed quia hæc fortè induit aliam ſpeciem malitiæ in ſequenti dubio eſt diſcutienda.

Ex hac doctrina pro fine quęſiti duo ſunt notanda. Prim. Definitores, qui adhærent ſuis votis electioni talium Religioſorum, qui Prouinciali ſunt grati, cū à dicto Prouinciali eis proponuntur, vt eligantur in Priores, lethaliter peccant, quia cooperantur eius malæ intentioni, & deſtructiuæ omnis iuſti regiminis, nec præcauent mala ex officio euitanda; vndè tenentur abſtinere à tali concurſu votorum: & quamuis huiuſmodi homines pro Guardianorum munere propoſiti innocenter patiantur aliquam iacturam in meritis, cum ſint digni tali officio; nihilominus eſt patienter ferenda; nam periclitante bono communi, etiam innocentes tenentur ſubire aliquod damnum pro defenſione, & ſuſtentatione eiuſdem boni. Secund. idem eſt dicendum, quandò Prouincialis ita diſponit familias, vt eligantur in Diſcretos amici, & ſibi grati; vndè electores Diſcretorum tenentur, ſicut & Definitores, vt ſupra eis ſuffragia denegare.

## DVBIVM CLXXXIV.

*An electores Prouinciali, qui pluries promouit multos amicos in Guardianos, ſeù Priores, quorum vota, experientia duce, ei inſeruierunt ad ſe confirmandum in Prælatura aſſumpta, teneantur in conſcientia denegare vota.*

### SVMMARIVM.

1. *Prouincialis, qui repetitis vicibus promouit amicos in Priores conuincitur vitio ſeditionis: & ſatisfit duabus obiectionibus.*

2. *Electores huiuſmodi Prouinciali pro quacunque Prælatura denegare tenentur ſuffragia.*

Denuò examinatur tertia acceptio, non quidem ſub eodem motiuo; nam clarum eſt, quòd ſicut electores non incidunt in iudicium temerarium iudicando, dum vident Prouincialem ſemel promouentem plurimos amicos in Priores, qui non communem vitæ rationem ſequitur, ſed vitæ commoda vltra rigorem iuſtitiæ diſtributiuæ proſequitur, duci intereſſe, vt confirmetur in Prælatia, vt dixi ſuperiùs; ita non ſunt cenſendi labi in idem iudicium iudicando, dum repetitis vicibus Prouincialis promouit plurimos amicos, qui iudicio prudentem ſuis votis eum denuò elegerunt in Prouincialem, eum duci intereſſe; indicia enim, & motiua ſunt ſufficientia, & probabilia ad mouendos homines prudentes ad malè iudicandum de illo Prouinciali, & hæc eſt regula, quæ eximit homines à iudicio temerario, vt dicunt DD. communiter, vndè in vtroque caſu ſub mortali nequeunt ei præſta-

te vota, vt ſatis clarè probaui in dub. præcedent; ſed ſub alio motiuo examinatur, ſcilicet: an illa reperita promotio inducat ſeditionis vitium in Prouinciali, per quod etiam ducti hoc motiuo teneantur electores ei denegare vota.

*PRIMA CONCLVSIO.*

1. HVIuſmodi Prouincialis ſecundum ſanam, & veram doctrinam DD. eximi à ſeditionis labe nequit, quatenus procurat pacem, & vnitatem ſubditorum dirimere; imò apertè incidere in ſeditionis vitium. Prima pars ex duabus propoſitis ſuadetur ex doctrina S. Thom. 2.2. qu. 42. art. 2. S. Antonin. 2. part. tit. 4. c. 8. §. 1. Silu. & Tabien. tit. ſeditio, aſſerentium vitium ſeditionis pertinere primò ad eos, qui pacem, multitudiniſque vnitatem diſſoluere curant: ſed Prouincialis operans modo deſcripto, ſcilicet ſuam propriam vtilitatem, commodum, & intereſſe imperandi, atque dominandi proſequendo, ex quo ſequuntur ſeditiones, ſchiſmata, vt dixi ex mente Mirand. in præcedenti quæſito, & affirmat S. Antoninus vbi ſupr. §. 3. *Quandò aliquis nimis intendit ſuæ vtilitati, alij indè grauantur, & modicum cum eo poſſunt habere concordiam; vnde Senec. in Prou. Principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi ſuum facere, turpiuſque nihil eſt, quàm cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris;* & demonſtrat Rodriq. tom. 3. quæſt. 34. art. 5. Conſiderent Prælati, inquit, commune bonum à ſuo proprio commodo eſſe alienum, quod ſi aliud faciunt Religionem diuidunt, & in fruſta comminuunt; ait enim Liuius lib. 2. *Reſpectus rerum priuatarum ſemper officit, officietque publicis conſilijs; nam ex priuatis affectionibus ferè omnis humanæ vitæ pernicies naſcitur; bonum enim publicum ſemper euertunt ſtudia priuata:* curat, quantum in ſe eſt, vt dirimatur vnitas, & pax diſſoluatur; igitur ad eum ſpectat ſeditionis vitium. Secund. pars habetur; tunc in aperto huiuſmodi vitium committitur, quandò pars multitudinis opponitur iuſtitiæ, & bono communi, ita docent DD. ſuperiùs relati; vndè damnant, tanquam ex genere ſuo lethaliter malam, ſeditionem, quia opponitur iuſtitiæ, & bono communi: ſed Prouincialis, dum, repetitis vicibus, promouet amicos, & ſibi familiares in Priores, & bis ſuis votis eum conſeruant in Prælatura; inſurgit quædam pars multitudinis, cuius caput eſt Prouincialis, quæ opponitur iuſtitiæ ſeruādæ in communitate; nam multorum, multorumque merita negliguntur pro talibus muneribus obeundis apta, eo iuſtitia agnoſcenda, & opponitur etiam bono communi, ideſt paci, quæ per iuſtitiam conſeruatur: *Per iuſtitiam enim,* inquit S. Thom. 2. polit. lect. 9. *conſeruatur pax Ciuitatis;* igitur concludendum eſt apertè eum labi in ſeditionis vitium.

Dices, eſto, repetitis vicibus, fuerint promoti multi familiares, & amici Prouincialis; nihilominus, ſunt digni tali officio; imò nihilò inferiores ſunt in meritis alijs poſtpoſitis; vndè cum cæteris paribus amicus poſſit præualere ſaltem ex motiuo impulſiuo, vt fuit aduotatum in dub. 6. nulla eis irrogatur iniuria, & per conſequens non læditur iuſtitia; vndè ſi diſſoluitur vnitas, & excitantur diſcordiæ, ſemper erunt imputandæ inquietudini neglectorum, & non malitiæ Prouincialis. Reſp. prim. falſum eſſe nullam Religioſis neglectis irrogari iniuriam; nam iuſtitia, quæ conſeruat Rempublicam, quandò ſubditi habent ius ad omnia bona communitatis, vt eſt in caſu, petit graduum communicationem, vt docet S. Th. 5. polit. lect. 6. *Reſpublicæ diſſoluuntur propter tranſgreſſionem iuſtitiæ, & ſaluantur per iuſtitiam, quæ iuſtitia fit per communicationem:* & cum per huiuſmodi promotiones amicorum per vices repetitas non habeatur communicatio, quia multi, & multi negliguntur, & poſtponuntur, ideò nō parua iniuria eorum meritis irrogatur; vndè ſi vnitas diſſoluitur, & concordia euaneſcit, ſeditioneſque incipiunt, ſemper erunt imputandæ partialitati Prouincialis; vndè quandò DD. affirmant, cæteris paribus, poſſe conferri dignitatem amico, ſemper id aſſerunt in aliquo caſu particulari, & quandò iuſtitia ſeruanda in illa communitate non periclitatur, quod non

contin-

contingit in caſu. Secund. falſum etiam eſſe, malitiam Prouincialis non diſſoluere vnitatem, concordiam inter ſubditos non dirimere, ac excitare diſcordias, nec non & ſeditiones, quia cum illa non propagentur, nec iſta expellantur, niſi mediante contemptu proprij commodi, clauſoque aditu deſiderio perpetuandi in Prælatura prædictis, ſeù conſimilibus artificijs, vt dixi in præcedenti quæſito, quod non eſt in caſu; nam per iſtas repetitas amicorum promotiones propagat deſiderium dominandi, atque imperandi; ideò ſi vnitas perit, iuſtitia violatur; & ſeditiones ſuboriuntur, ſemper in culpa erit Prouincialis malitia, quæ optat, proſequi vtile dominij, & Imperij.

Iterum dicet Prouincialis optans bonũ Prælaturæ poſſidere, amici ſunt inter omnes digniores; ideò omnia mala ſemper erunt imputanda neglectorum malitiæ, qui ob eorum parua merita fuerunt poſtpoſiti, & neglecti. Reſp. hoc eſſe velamen factioſorum, per quod intendunt ſe eximere à culpa conſeruandi animos ſubditorum inter ſe diuiſos, atque ſeparatos. Legat, quæſo, Prouincialis dub. 6. & percipiet clarè moraliter eſſe impoſſibile, quòd neglecti non poſſint maximè in his paruis Prælatijs æquiparari in meritis amicis promotis, & quòd hi in aptitudine tã excedant illos, ac ſi reputandi eſſent tanquam vilis grex, & bruta animalia, legat quæſo, ſanè reſerabit rei veritatem. Recordetur Prouincialis, quòd eius iudiciũ in ferenda ſententia de exceſſu meritorũ non eſt aptum, quia ducitur intereſſe dominandi, & ambitione regandi fertur; quæ excæcat intellectum, teſte D. Bernard. in ſerm. 61. in pſam. Qui habitat: *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, excæcatrix cordium, &c.* & Tiraquell. de pœn. temp. cauſ. 51. à n. 82. ait: *Tantus eſt amor ſui, vt quiſque etiam ſanctiſſimus caecutiat in proprijs.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

2. SEmper exiſtimandi ſunt electores lethali culpæ obnoxij, ſi huiuſmodi Prouinciali non denegant vota; non ſolùm pro Prouincialatus munere, ſed etiam pro quacunque alia Prælatura. Concluſio ſatis liquet ex præcedẽtibus dubijs; nihilominus probatur ex doctrina Egid. Roman. de regim. Princip. 1. part. lib. 3. cap. 13. aſſerentis: *Sic eſt diſponenda Ciuitas, vt conſeruetur in pace, & vt ibi ſeditiones non inſurgant:* ſed ſi ferrent vota in fauorem talis hominis, in Prouincia neque pax conſeruaretur, nec ab ea ſeditiones arcerentur, quia, illo ſelecto, non seligitur niſi quidam ſeditioſus, & factioſus; quomodò claudet oſtium factionibus, & ſeditionibus, & aperiet aditum paci, & quieti? Proh dolor! aperiet illud, & claudet iſtum, vt de ſe patet: igitur nequeunt electores, niſi lethaliter peccando eum denuò promouere.

## DVBIVM CLXXXV.

*An, quandò ex quadam experientia habetur amicos inter ſe mutuò præſtare vota, Prouincialis non mediocris ſanctitatis in ſua prima creatione Priorũ, ſeu Guardianorum eligens multos ſibi familiares, & amicos argui firmiter poſſit, quòd ducatur intereſſe, & propenſione habendi vota amicorum in ſui confirmationem, ita vt electores teneantur in conſcientia ei denegare vota tanquam non apto ad propagandam vnitatem, & pacem pro conſeruatione multitudinis neceſſariam.*

### SVMMARIVM.

1. *PEr indicia obſcura hominis voluntas dignoſcitur.*

2. *Non incidit quis in iudicium temerarium malè iudicando de aliquo ex indicijs, & coniecturis probabilibus.*

3. *Electores nequeunt iuſtè iudicare Prouincialem, licèt in prima creatione Guardianorum, ſeu Priorum, promoueat multos amicos duci intereſſe, niſi videretur exceſſus.*

4. *Electores ferendo vota pro Prouinciali*

*argui*

*argui nequeunt de peccato iuxta ſenſum conclusionis : ſecus iuxta ſenſum limitationis .*

1. Pro intelligentia eſt notand. prim. cum Menoch. de præſumpt.lib. 1. qu. 28. n. 6. obſcuram hominis voluntatem non minùs factis, quam verbis ſignificari l. Si tamen. §. ei qui. ff. de ædil. edict. vndè pro illa dignoſcenda à DD. deſignatur indicium, quod poteſt hoc modo ex mente Sanch. opuſc. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 14. definiri : medium quoddam intellectuale veritatis eliciendæ ex aliqua ſingulari circunſtantia inſurgens, vndè parùm videtur differre à coniectura probabili. l. Indicia, C. de rei vindic. Eſt autē triplex. Prim leue. Secund. probabile, & graue. Tert. violentum. Ita Silu. Tabien. Armill. tit. Indicium, Menoch. vbi ſupr. qu. 6. n. 16. Zacchar. à Saiut. in ſuo Direct. pro Regul. c. 31. Philipp. de Bictis in praxi caus. Regul. qu. 61. n. 7. Leue dicitur, cui ſcilicet communiter contingit abeſſe veritatem. Ita Silu. ex Putuo in tract. de ſyndicat. & Sanch. vbi ſupr. imò hic addit cum Tabien. & Silu. ſi aliud non reperiatur, eſſe abijciendum. Probabile, & graue eſt quædam præſumptio ſecundum Bald. in l. ea quidem n. 8. C. de accuſat. & Menoch. vbi ſupr. fortiter mouens animum ad aliquid credendun, vel non credendum : ſecundum Sanch. vbi ſupr. ſequente veſtigia Silu. eſt illud, cui communiter contingit adeſſe veritatem, & vehementer mouet animum ad aliquid credendum, vel dicendum. Violentum ſecundū Bald. Menoch. cæteroſque alios DD. citatos, quod plenum dicitur, eſt illud, quod ita mouet animum ad aſſentiendum alicui rei, vt in ea tanquam vera quieſcat, & plus inueſtigare non curet.

2. Not. ſecund. ſicut iam dixi, non committi iudicium temerarium malè iudicando de aliquo ex indicijs, & coniecturis probabilibus, & ſufficientibus, tum quia ita operando operatur quis rectæ rationi, & prudentiæ conformis, per quæ excluditur iudicium temerarium, tum quia proximus non habet ius, vt aliter de ipſo non malè iudicet, quandò adſunt ſufficienter coniecturæ ad malè iudicandum de ipſo. Ita S. Thom. 2.2. quæſt. 60. art. 3. Sayr. lib. 12. c. 3. n. 11. Petr. Nauarr. lib. 2. c. 4. n. 445. Salon. 2.2 quæſt. 60. art. 3. Bonacin. de reſtit. diſp. 2. quæſt. 7. punct. 1. n. 2. & alij : Ex qua doctrina habetur committi iudicium temerarium, quandò quis ex leuibus indicijs, & non ſufficientibus iudicat malè de proximo. Ita omnes DD.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Electores inſpiciendo Prouincialem in prima electione Guardianorum, ſeù Priorum creantem multos ſibi gratos, & amicos tuta conſcientia nequeunt firmum præſtare aſſenſum, iudicando eum duci intereſſe, ita vt amici fuerint electi, licèt digni ad proſequendam propoſitionem propriæ conſeruationis in Prælatura iam aſſumpta ſuis votis. Suadetur : tunc non committitur iudicium temerarium iudicando malum graue de proximo, quandò quis ducitur ſufficientibus, & probabilibus coniecturis, & indicijs, vt dicebam ſuperiùs : ergo vbi non adſunt ſufficientia, & probabilia indicia ferendo iudicium malum, & graue de proximo, ſemper erit iudicium temerarium. Ita DD. at in caſu electores non habent ſufficientia iudicia ad formandum iudicium : igitur in tali creatione amicorum ferendo iudicium malum de Prouinciali electores non eximuntur à iudicio temerario : minor indiget probatione, alia enim patent ex ſuperioribus, & ſuadetur hoc modo ; quia non habent indicium violentum, nam illa promotio amicorum non ita mouet animum ad iudicandum malum de Prouinciali, ita vt quieſcat, & plus inueſtigare non curet, vt contingit in violenta præſumptione, quandò quis viſus fuerit cum muliere iacens in lecto ſolus cum ſola, & nudus cum nuda, vt pro exemplo tradunt Maſcard. de probat. concl. 59. à n. 6. & concl. 312. à n. 1. Sanch. de matrim. lib. 10. diſp. 12. n. 45. Farinac. in prax. crimin. part. 5. qu. 136. n. 171. vt prudentibus ſemper patebit : non probabile, & graue, quia, eſto ex quadam experientia habeatur in tali Prouincia amicos ſibi in-

uicem

uicem præſtate vota, ex qua re oboritur iudicium probabile, & graue, quia communiter adeſt veritas; nihilominus integritas mentis Prouincialis, eiuſque ſanctitas fortior eſt præſumptio alia præſumptione, quòd ducatur intereſſe, & propenſione ſe conſeruandi in Prouincialatu; vndè illa perimit iſtam; nam præſumptio altera validior, inquit Menoch. de præſumpt. lib. 1. quæſt. 30. n. 1. debiliorem perimit; & ideò in terminis idem Menoch. vbi ſupr. quæſt. 15. id decidit inquiens præſumptionem honeſtatis vitæ tollere contrarias ſuſpiciones: non leue, quia, eſto huiuſmodi promotio leuiter mouere poſſit animum, ſtante corruptela, ex quodam vſu cognita in tali Prouincia; attamen quia non adeſt aliquid aliud adminiculum, ideò non eſt de illo curandum, ac ſi non eſſet, vt dixi ſuperiùs; pręterquamquod ſi admitteretur, non eſſet ſufficiens motiuum ad malè iudicandum de Prouinciali: electores igitur ſufficientia non habent motiua ad firmiter aſſerendum promotionem amicorum fuiſſe factam à Prouinciali pro ſui confirmatione.

Limita, modò non excedatur in amicorum numero, quia ſi exceſſus eſt conſiderabilis, & notabilis, ita vt prudentes poſſint iudicare moraliter certè fore cõfirmandum in Prælatura votis amicorum, tunc electores poterunt ferre iudicium abſque periculo ruendi in temerarium de Prouinciali, quod ducatur ambitione, & intereſſe regatur; nam eo ipſo, quòd videtur in Prouincia vigere aliquis vſus, quòd amici inter ſe præſtant vota, & inſurgit notabilis numerus amicorum, qui ferè certè ſunt confirmaturi Prouincialem in Prælatura iam aſſumpta, quis prudenter non iudicabit eum ardenti cupiditate imperandi moueri, & notabili propenſione regnandi duci? imò fortè audeo dicere poſſe electores ferre iudicium ob indicium violentum: nonne dicitur indicium violentum, & certa præſumptio, vt dicatur plenè probata copula, quandò quis viſus fuerit cum muliere iacens in lecto ſolus cũ ſola, & nudus cum nuda? Ita docent quàplurimi DD. præter allegatos apud Barboſ. in collect. DD. tom. 1. tit. de præſumpt. c. Literis, & apud Sanch. vbi ſupr. nam data viciſſitudine votorum inter amicos, & dato numero notabili, qui moraliter præſtat certitudinem confirmationis Prouincialis quis violenter non mouebitur ad iudicandũ de ambitione Prælati? quis eius intereſſe nõ acquieſcet, & plus inueſtigare nõ curabit, ſicut animus quieſcit de commiſſa copula carnali, quandò quis viſus fuerit cum muliere iacens in lecto ſolus cum ſola, & nudus cum nuda? in his ſanè præſũptionibus quoad violẽtiam nulla eſt differentia; in vtraque enim eſt proximitas ad actum, ex qua oritur præſumptio violenta, & certa moraliter de malis actionibus. Nec obſtat præſumptionem Prouincialis infirmari ab eius ſanctitate, quia vbi inſurgit tam vehemens pręſumptio, ibi deſtruitur omnis ſanctitas, maximè in materia ambitionis, quæ flectere poteſt quãlibet voluntatem in ſanctitate radicatam: *Non Euam*, inquit S. Ambroſ. de tert. tentat. Chriſti in Luc. 4. *cibus flexerat, non mandatorum deſtituerat obliuio, ſed proximi honoris illecebra decepit.*

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Sicut electores non ſunt arguendi de peccato, ſi ſecundum concluſionis tenorem ferrent vota in fauorẽ Prouincialis pro eius confirmatione, ita de peccato lethali ſunt damnandi, præſtando ei ſuffragia ſecundum doctrinam limitationis. Prim. pars habetur, quia illa prima promotio non arguit demeritum in Prouinciali, ita vt ob hoc denegari ei debeantur ſuffragia, vt ſuperiùs probatum eſt. Secund. ſuadetur, quia promotio illa prout in limitatione demeritum arguit, vt non obſcurè demonſtratum eſt: igitur non vacare lethali culpa ſemper cẽſendi erunt electores, ſi ſuffragia pro eo ferrent.

## DVBIVM CLXXXVI.

*Quædam Prouincia Regularium conſtatur ex quatuor quaſi nationibus ſic conſtitutis ex ſitu, ſeù Oppidis, ac Ciuitatibus, in quibus ſunt Religioſi geniti, & quælibet Religioſorum multitudinem numerat: quæritur, an elector, cuius munus eſt ſeligere, ex. gr. quatuor Definitores, qui vnà cum Prouinciali creant Priores, ſeù Guardianos, cæteraque negotia adminiſtrant, poſſit tuta conſcientia vnum Religioſum ex ſingulis partibus eligere in Definitorem.*

### SVMMARIVM.

1. *E Lector ferendo ſuffragium pro Religioſis in Definitores ſub ratione, quia ſunt ex tali natione culpa lethali non eximitur: & cuidam obiectioni ſatisfit.*

2. *Itidem elector peccat mortaliter diſtribuendo ſua quatuor vota per ſingulas nationes prædictas, dum merita clariora exiſtunt apud vnam tantùm nationem.*

3. *Si hominum merita ſunt æqualia, non eſt damnandus elector lethali culpa, ſi eligit vnum Religioſum in Definitorem ex qualibet natione; eſt tamen id faciendum tantò.*

4. *Si Religioſorum merita ſunt æqualia, & Religioſi incipiunt factioſè ſe habere, nequit ſub mortali elector præſtare ſuffragia, ita vt extendatur talis diſtributio, vt quælibet natio recognoſcat vnum Religioſum in Definitorem: & quatuor diluuntur obiectiones.*

Fateor, quæſitum eſſe ſcitu dignum, nec non & ſumma vtilitate ornatum, & licèt id iam alibi pertractauerim; nihilominùs ad maiorem claritatẽ illius, & ad maiorem Religioſorum profectum non erit ſuperuacaneum illud iterum diſcutere; quamuis vtar doctrinis alibi etiam ventilatis.

### PRIMA CONCLVSIO.

1. NEquit elector ferre ſuffragium pro Religioſis in Definitores ſub iſta formalitate, ac ratione, eò quòd ſint ex tali natione; aliàs cenſendus ſemper erit lethali culpæ obnoxius. Suadetur ex eo, quia incidit in vitium acceptionis perſonarum, quod ex genere ſuo eſt peccatum mortale, non attendens veram cauſam meritorum, ſed futilem; acceptio enim perſonarum tunc inſurgit, cum, omiſſis motiuis proprijs, quæ attendi debent ad iuſtam diſtributionem, quæ ſunt merita, reſpiciantur circunſtantiæ perſonales futiles, vt ſunt cõiunctio ſanguinis, patria, amicitia, beneuolẽtia, diuitiæ, & alia huiuſmodi, quæ attendi nõ debẽt; & ideò accipi dicuntur non merita, ſed perſonæ. Ita S. Th. 2.2. qu. 63. art. 1. vbi Aragon. & Salon. Sanch. in conſ. lib. 2. c. 1. dub. 1. n. 1. Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 34. ſect. 1. n. 3. Leſſius de iuſtit. c. 22. dub. 1. n. 4. & alij communiter: ideò dicebat Aragon. vbi ſupr. Eſt ergo acceptio perſonarum vitium, quo id, quod eſt debitum iuſtitiæ, eſt vni conferendum, exhibetur alteri, non propter meritum eius ad ipſam rem, quæ confertur, ſed propter conditionem non congruentem, vt ſi quis conferret Epiſcopatum alicui, quia eſt Petrus, aut Ioannes, vel affinis, quæ nihil faciunt ad eſſe dignum Epiſcopatu.

Dices, licèt in præſtando ſuffragio attendatur ſitus, ſeù Ciuitas, in quo ſunt nati Religioſi, qui eleuantur ad munus Definitoratus; nihilominùs non carent meritis, ac aptitudine pro rectè gerendo huiuſmodi munere; & ideò Aragon. vbi ſupr. ſequendo ſuam doctrinam inquit: Nam ſi conferret, quia ad id eſt aptus, non diceretur acceptator perſonarum, hæc conditio ſit ſufficiens, vt ei Epiſcopatus ex iuſtitia diſtributiua debeatur. Reſp. quòd illa merita, & aptitudo in hominibus eleuandis ſe habent, ac ſi non eſſent; eò quòd motiuum eis ſuffragandi eſt ratio illa futilis nempè natio, ideò nequeunt excuſari electores à peccato. Nec doctrina Doctoris eſt ad rem, quia motiuum conferendi Epiſcopatum

ſcopatum eſt aptitudo, & merita, vt patet. Adde, quòd, etiam ſi motiuum eos eleuandi in Definitores eſſet meritum, & aptitudo ad officium, dum primariò mouentur ratione illa nationali, nequeunt electores carere culpa lethali, quia inſurgit aliquod notabile non rationi conſentaneum; non enim mouentur principaliter à fine recto, nempè à meritis, & ideò quis, licèt dignus, appetiens Prælaturas ratione bonorum temporalium, vel celſitudine gradus in illis ſiſtendo, tanquam in fine primario, & principali peccat omninò mortaliter, vt docent Sot. de iuſt. qu. 2. lib. 10. art. 1. Valent. tom. 3. diſp. 10. qu. 3. part. 2. Caietan. 2.2. qu. 185. art. 1. S. Antonin. 2. part. tit. 3. c. 5. §. 4. verſ. Quæritur ergo. Peirin. de Prælato qu. 1. c. 6. n. 5.

## SECVNDA CONCLVSIO.

2. NEquit elector, niſi lethaliter peccando ſua quatuor vota diſtribuere per ſingulas nationes prædictas, dũ Religioſorum merita, & aptitudo ſunt omnibus clariora ex vna tantùm natione. Concluſio ab omnibus DD. eſt admittenda, dum in hanc propoſitionẽ conſpirant electorẽ ſub mortali teneri eligere digniores ad munera Eccleſiaſtica nõ parui ponderis. Rationes verò ſunt, tum quia violat iuſtitiam commutatiuam; nam eo ipſo, quòd electori eſt traditum ius eligendi, inquit Salon. 2.2. qu. 63. art. 2. contr. 3. verſ. Hæc tria. ex iuſtitia commutatiua tenetur eligere miniſtrum vtiliorem; aliàs non conſulit vtilitati Eccleſiæ, tum quia offendit iuſtitiam diſtributiuam, non fauendo meritis illorum Religioſorum, tum quia eſſet Dominus ſuffragij, & non diſpenſator fidelis, dum præponeret dignos dignioribus: quandò verò dignus, his prætermiſſis dignioribus ex alijs nationibus, poſſit eligi, & quibus motiuis, ſcilicet ne Prælaturæ præſcribantur apud paucos, & alij apti fiant, conſulendum eſt dub. 6.

## TERTIA CONCLVSIO.

3. SI Religioſorum merita ſunt æqualia, vel quaſi ęqualia quòd in moralibus, inquit Aragon. vbi ſupr. verſ. Hoc cõſtituto. parum pro nihilo reputatur, abſque labe peccati poteſt elector eleuare vnum Religioſum in Definitorem ex qualibet natione, ſed cautè id eſt faciendum, & maxima circumſpectione. Suadetur, quia nulla iuſtitia violatur, non commutatiua, quia bonum commune eſt ſufficienter propagatum, eò quòd habet Religioſos digniores, & aptiores, qui eum promouent: non diſtributiua, quia maiora merita alicuius, ſeù aliquorum non ſunt neglecta; neque charitas læditur, quia huiuſmodi diſtributio nullũ damnum affert communitati, neque proprium munus contemnitur, quia non eſt electoribus interdicta ex munere proprio huiuſmodi diſtributio: ergo, &c. Dixi, eſſe cautè facienda, &c. quia periculum eſt, quòd Religioſi ex hac diſtributione eliciant occaſionem diſſidendi, & factiosè ſe habendi, idque erit, cum ſub iſta ratione nationis in Definitorem prætenderetur Religioſus; huiuſmodi enim ratio, & ſimilia ſunt ſufficientia ad formandas paulatim, ac ſenſim ſine ſenſu ſectas, factiones, &c. veritas rei eſt percipienda à D. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdot. c. 15. tom. 5. vbi multa dicit ſcitu digna, quæ nos inſtruunt in hac pernicioſa materia factionum: *Vis & aliud*, ait Sanctus, *tibi pugnæ huius genus aperiã periculis mille plenum? ito hinc iam iam, ac publica feſta ſpectato; ea dico in quibus dignitatum Eccleſiaſticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Epiſcopum, quanta eſt tota illa ſubditorum multitudo, quibus eligendi poteſtas conceſſa eſt; hos omnes tum in multas factiones ſcindi, neque inter ſe conſentire neque cum eo, cui forte Epiſcopatus delatus ſit, Presbiterorum congregationem conuenire videas, ſed unuſquiſque à ſuis unus partibus ſtat, alius hunc, alius illum eligens; cuius rei cauſa hæc eſt, quòd id unum non ſpectant, quod ſolùm ſpectandum fuerat, nempè animi uirtutem, ſed alia ſunt cauſa; qui-*

*bus honores conciliantur: verb. gr. hic, quòd claro genere natus ſit; in Epiſcopatus, inquit, ordinem cooptetur; ille, quòd opibus abundet, neque indigeat alimentis ex Eccleſia prouentibus acquiſitis; alius, quòd ab aduerſarijs ad nos transfugerit; alius ſibi notum, ac familiarem; alius ſibi genere propinquum; alius adulatorem cæteris anteponere mauult: nemo eſt, qui eum, qui idoneus ſit, ſpectare velit, aut animi partes explorare curet: ego verò tantum abuſum, vt cauſas huiuſmodi ad probandos Sacerdotes idoneas eſſe putem; vt ſi quis etiam magnam perpetuâ vita Religionem, pietatemque præſtiterit; quæ ipſa tamen non paruum ad id affert præſidium, ne hunc quidem huius nomine adlegere ſtatim audeam, niſi magnam, etiam animi prudentiam cum Religione huiuſmodi contunctam habeat*: Hæc Chryſoſt.

## *QVARTA CONCLVSIO.*

4. SI Religioſorum merita ſunt æqualia, vel quaſi æqualia, &c. prout ſupr. & Religioſi incipiunt factioſè ſe habere murmurationibus, querelis, & etiam votis, prætendendo, quòd eleuetur Definitor ex qualibet natione, elector ſub mortali nequit præſtare ſuffragia, ita vt, quantùm in ſe eſt, extendatur huiuſmodi diſtributio. Hac præſuppoſita veritate, quòd huiuſmodi Religioſi dant operam rei illicitæ; intendunt enim ſub meritorum colore diuidere Religioſos in partes, & excitare factiones, ac ſeditiones; vndè non ſolum factionarij ſunt in malo ſtatu, ſed etiam qui procurant huiuſmodi factiones excitare, vt plurimis in locis dixi. Suadetur concluſio hoc modo: eos fouere, qui illicitis actionibus, alijſque medijs ab ambitione ſubminiſtratis incipiunt ſeditiosè viuere, & in Republica diſcordias diſſeminare, eſt peccatum mortale, eò quòd ſic agens cooperatur eorum malitiæ grauiter peccaminoſæ; ſed ſi elector diſtribuat ſua quatuor vota per nationes, ita vt vnus Religioſus de qualibet parte eleuetur in Definitorem, certè cooperatur eorum malitiæ, quia eius ſuffragia ad ſuſcitandas factiones inſeruiunt: ergo ſub mortali tenetur abſtinere ab huiuſmodi cooperatione. Præterea, omnibus incumbit onus ſub mortali bonum commune tuendi, eiuſque damnis etiam morali probabilitate excitandis obuiandi. Ita omnes DD. ideò aiebat Caietan. 2.2. qu. 90. art. 8. quemlibet teneri Reipublicæ bonum commune tutari, nec in diſcrimene ponere; & Em. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 5. n. 55. munus electoris eſt bonum commune promouere, eiuſque damna impedire: ſed ſi ab electore darentur ſuffragia, ita vt quælibet natio vnum Religioſum in Definitorem cognoſceret; non ſatisfaceret muneri tuendi bonum commune, quia deſtrueretur vnitas Religioſorum, quæ eſt finis regiminis, omniſque Imperij, nec eius malis obuiandi, quia breui tempore formarentur quatuor formales diuiſiones, quæ ſemper intenderēt per diuerſa ſtudia proprios homines agnoſcere in Definitores, prout ſupr. & tractu temporis ſub iſtis quatuor excitarentur aliæ diuiſiones, quia non deeſſent aliæ rationes, nempè nobilitatis, lectoratus, doctoratus, magiſterij, &c. eas formandi ſub tanta multitudine Religioſorum etiam in conferendis Prioratibus, & Guardianatibus; imò prætenderetur, quòd Prouincialis eligeretur modò ex vna, & modò ex altera natione: & quod peius eſt, ſæpe ſublimarentur Religioſi abſque meritis, quia ſucceſſio temporis non dat ſemper æqualia merita, vndè pro merito in medium adduceretur conſuetudo Prouinciæ: ex hac tandem confuſione alia infinita mala ſuboriruntur, inuidiæ ſcilicet, murmurationes, detractiones, colluſiones, diſcordiæ, æmulationes, & alia huiuſmodi, quæ vnico verbo deſcribuntur ab Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 4. *Nulli autem magis communitatem diſcordijs, quàm ſeditioſi, & partiales*: quarè nullum rectum iudicium ex his Religioſis procedere valet: ideò dicebat S. Ambr. r. ad Cor. c. 1. ſuper verba: *Primum enim conuenientibus*, &c. *Vbi diſſenſio eſt nihil rectum*; & S. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 4. *Paſſiones, quibus ſunt pleni diſcordes, & partiales, vt timor, & amor ad compartialem, odium ad aliam partem, ita peruertunt iudicium interiùs, vt re-*

*vt reputent malum aduerſæ partis bonum hominem, & bonum ſuum malum ſectatorem, illum puniant innocentem, iſtum ſocium abſoluant malè facientem: his malè iudicantibus dicitur Amos 6. Conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſinthyum: dicitur autem 11. qu. 3. Quicunque conſanguinitate, aut amicitia, aut hoſtili odio, aut inimicitijs iudicando ducitur, peruertis iudicium Chriſti, qui eſt iuſtitia, & fructum eius in amaritudinem vertit: Remota autem iuſtitia, ait Auguſt. de Ciuit. Dei. quid ſunt Regna niſi magna latrocinia*: ergo nulli eſt hæſitandum, quin elector peccet lethaliter.

Dices, pro tuenda pace multa ſunt facienda; ideò tutè poteſt extendi huiuſmodi diſtributio; animi enim inter ſe vniuntur. Reſp. quod non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; malum quidem ſunt, imò ſummum malum ſectæ, & factiones in quacunque communitate, & propter mala, quæ oriuntur ex tali morbo; vndè dicebat S. Thom. ſup. verb. ad Corinth. vbi ſupr. *Primum malum eſt diſſenſio, vndè cætera oriuntur; vbi enim eſt diſſenſio, nihil rectum eſt*: & propter infectionem; nam natura, huiuſmodi mali eſt, alios inficere; proindè dicebat S. Antonin. vbi ſupr. *Eſt autem hic morbus valdè infectiuus, & vnus inficit alium*: & Decian. de crim. læſ. maieſt. lib. 7. cap. 19. n. 3. inquit: *Serpunt enim ſenſim ſeditiones, & quod ſanum eſt in Republica vitiant*. præterquamquod nullum bonum excitaretur, niſi apparens, & fundatum ſuper diuiſionibus; & factionibus, quod ad quālibet nouam electionē, ſeu quamcunque aliam motionem alterius rei ſe diſſolueret, ſicut cera ad ignem, vt experientia docet; proindè illa vota, quæ ſub nomine pacis ad æqualitatem nationum poſſunt conferri, ſub nomine belli præſtabuntur; vndè damna paulatim, ac ſenſim ſine ſenſu ſuſcitabuntur, teſte experientia, de qua loquuti ſumus in dub. 28.

Dices, ex his Religioſis ſeditioſis, & ambitioſis ſunt celebrandę electiones Definitorum: ergo conſulendo paci huiuſmodi æqualitas eſt ſeruanda. Reſp. quòd ſi inueniantur indifferentes hi ſunt eligendi vſque ad concordiam Religioſorū ſeditioſorum; quarè ſi electiones nequeunt celebrari, niſi ex Religioſis, qui incipiunt ſeditioſè ſe habere, nullo modo ad æqualitatem, & hoc ad reſecandam, ac extirpandam factionem, ac ſeditionem, nec non & diuiſionem, quæ incipit ſenſim ſine ſenſu venena per Prouinciam diffundere; & hoc eſt remedium omnium politicorum pro extirpatione tanti mali, eius obſtare ortui. *Ita æſtimauit Mæcenas*, inquit Caſſius lib. 12 relatus in theatro vitæ humanę tit. factioneſ. pag. 8. lit. D. *optimum pro conſeruatione Reipublicæ; & ita ſuaſit Cæſari Auguſto inimicitias omnes, & ambitioſa certamina prorſus ſcindere, adeò vt nec nomina noua, aut quidpiam aliud, ex quo diſſidia oriri poſſunt, permittantur, & ſi oriantur, ſtatim in initio comprimi*: idē ſentit Decian. vbi ſupr. n. 22. *Principijs*, inquit, *debent obſtare Principes; nam ſæpe vſu compertum eſt, modicam ſcintillam magnum excitaſſe incendium*: adhæret Gregor. Toloſan. de Repub. lib. 23. c. 9. n. 10. *Statim, ait, vbi apparuerint, & extulerint ſeditiones caput, comprimenda, ſi fieri poteſt, ſunt initia; nam ſæpè modicis remedijs primi motus conſedere, & omne malum naſcens, vt docet Tacit. 14 annal. facilè opprimitur: inueteratum fit plerumque robuſtius, & mora damnoſa eſt*, & paulò inferiùs: *Principes, & Rerumpublicarum Rectores ex minimo diſſidio poſſe magnum in Republica tumultum, niſi caueatur exitioſū oriri prauidentes celeriter, vt illud extinguatur, debent diligenter intendere*: quamobrem huiuſmodi electiones ſunt celebrandæ tali modo, ac arte, vt omnes aliquo modo participent ſaltem diuerſis tēporibus de commodis, abſque eo, quòd generetur ſeditio, reſpiciendo ſemper monitum S. Antonin. vbi ſupr. dicentis: *Multos cumulare honoribus, ac dignitatibus; alijs verò parùm; aut nihil diſpēſare generat diſcordiam*.

Dices, valida eſt conſtitutio, ſeù ſtatutum, quod in vna Prouincia tantùm tres in Prælatos, ſeù Priores ſeligantur de vna natione. Ita docent Silu. tit. Electio qu. 26. Barboſ. de iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. n. 233. Rodriq. tom. 2. quæſt. 51. art. 11. Nauarr. lib. 1. conſ. de conſtit. conſ. 7.

Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 22. ergo ſignum eſt, quòd vota poſſunt vagari per nationes; ergo inhærendo paci abſque læſione conſcientiæ de qualibet natione vnus eſt eligendus in Deſinitorem. Reſp. quòd huiuſmodi ſtatutum videtur optimum, quandò regimen in ſua vnitate ſeruatur; quandò verò ex eius obſeruantia, ſtante hominum malitia, & ambitione, periclitaretur bonum commune, vt eſt in caſu, & eſſet nutrimentum ſeditionum, & factionum, nullo modo eſt validum, & obſeruandum; nam lex ceſſat, ceſſante ratione boni communis, vt docent S. Th. 1.2. quæſt. 90. art. 2. Medin. ibid. & paſſim DD. ideò DD. relati ſuperiùs aſſerunt, quòd, quandò, ſtante ſtatuto, eſſet Prælatura conferenda indigno, nunquam eſt illud ſuſtinendum, & obſeruãdum, quia indignus non eſt ſeligendus, vt docet S. Thom. 2.2. quæſt. 63. art. 2. Sot. de iuſt. lib. 3. quæſt. 6 art. 2. col. 3. Nauarr. & Rodriq. vbi ſupr. tantò magis id dicerent in noſtro caſu ad impediendum damnum quàm maximum ſequuturum deſtruens totaliter Religionem.

Dices ſuperiùs dictum eſt, quòd indifferentes ſunt deligendi poteſt dari caſus, quòd quælibet natio vno tantùm Religioſo indifferente fruatur: ergo ſaltem in tali caſu quęlibet natio poteſt habere ſuum Definitorem. Reſpond. quòd etiam in tali euentu adhuc doctrina concluſionis eſt ſuſtinenda, quia, cum veriſſimum ſit illud axioma Theologorum, quòd de duobus malis minus ſit ſemper eligendum; minus malum erit eligere duos, vel tres indifferentes, & vnum non indifferentem, quã quatuor illos omnes indifferentes; nam ex hac electione ſequitur maximum incommodum deſtruens Religionem, nutrimentum ſcilicet factionum; ex illa verò reſecatur; & quamuis eligatur indignus, attamen non ſeligitur, vt talis, ſed quatenus nequit haberi dignus, quod poteſt fieri, vt docent Leſſ. de iuſt. lib. 2. c. 34. dub. 12. n. 55. & Emin. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 2. n. 5. & quamuis dignus poteſt haberi, quia adeſt indifferens; nihilominus quia ex eius electione maximum factionum ſcandalum augmentaretur; ideò reputandum eſt, ac ſi non adeſſet.

Pro fine quæſiti addendum eſt, quòd doctrina quæſiti paucis mutatis poteſt inſeruire multis alijs electionibus celebrandis ab electoribus, vt legenti ſemper videbitur.

## DVBIVM CLXXXVII.

*An homini factioſo ſub mortali exiſtat obligatio electoribus negandi ſuffragium pro Prælatura: Et an deſignari poſsint cauſæ, ſi Deus permitteret, vt ab electoribus ille aſſumeretur in Prælatum.*

### SVMMARIVM.

1. *DEfinitur factio, & ſatisfit cuidam obiectioni.*

2. *Multipliciter indignus eſt cenſendus factioſus pro regenda Prælatura, ſeu dignitate regulari, quia non vocatur à Deo, quia non recipit diuinas illuminationes pro rectè obeundo officio, quia non ornatur iuſtitia neceſſaria Præſidentis, quia non fruitur prudentia neceſſaria in Regente, quia caret recta intentione finis regiminis, quia neſcit vti iuſtitia, & pace in ſubditorum commodum; quia eſt author diſcordiarum, ac ſeditionum, quia nomen Tyranni ſibi vendicat, quia non intendit promouere homines ad augmentum virtutum, quia tandem omnem diſciplinam regularem euertit.*

3. *Electores conferendo vota pro tali Religioſo factioſo lethali culpa vinciuntur.*

1. Quamuis de hoc ſatis dictum fuerit in prima parte prim. centur. nihilominus quia factiones ſunt in deſtructionem cuiuslibet Imperij, vt communiter dicunt DD. tantò magis regiminis, diſciplinæque regularis Religioſorum, vt experientia docet, & inſinuat S. Bernardinus Domin. 3. Quadrag. ſerm. 25. a. 1. c. 3. tom. 1. hiſce verbis: *Deficit in Religioſis obſeruantia regularis ob partialitates*; ideò nunquam adeo ſatis erit dictum, quin reſtet aliquid dicendum. Pro intelligentia huc eſt reuocanda definitio factionis adnotata

ex men-

ex mente Decian. de crim. læſ. maieſt. lib. 7. cap. 7. num. 10. dub. 1. *Factio eſt diuiſio ciuium in diuerſa ſtudia, cum aliqui ſe Principes Ciuitatis conſtituere conantur, alijs repugnantibus*: ex qua definitione ſatis colligitur, quod, quandò nonnulli Religioſi, ſeù multi, ſeù pauci inter ſe vniuntur, vel vnius, vel aliquorũ opera ad eleuandum vnũ ipſorum, vel alium in Prælatũ Religionis, nuncupari debent factionarij; nam ſe diuidunt ab vnitate communitatis, alijs reluctantibus, qui amaro animo tolerant hanc diuiſionem in totius regiminis, diſciplinæque regularis detrimentum: vndè huiuſmodi vnio propriè eſt dicenda factio: quæ factio eſt vnum, & idem cum ſeditione modo deſcripto in dub. citato: & ſicut ſeditioſi dicuntur illi iuxta doctrinam S. Thom. 2. 2. qu. 42. art. 2. S. Antonin. 2. part. tit. 4. c. 8. Tabien. tit. ſeditio, qui ſeditionem procurant principaliter; ita factioſi ſunt præcipuè habendi, qui procurant vniones, ſeù factiones in vnum colligere, vt eleuetur quis in Prælatum. Nec obſtat, dicet fortè quis, quòd non habent vim huiuſmodi procurationes formandi factiones, ſed tantùm induunt vim bonarum ſubornationum, quibus oſtenditur electoribus via dignoſcendi merita, quæ ſubornationes non prohibentur à ſummis Pontificibus, quia falſum eſt: ſubornatio enim bona explicat quidem Religioſorum merita, vt dignior eleuetur, poſthabitis dignis, & multò magis indignis, ſed non diuidit, ſed relinquit in ſua libertate electores, & in vnitate corporis colligatos, quod non contingit in caſu; nam qui procurat vota, & ad hoc colligit Religioſos, iam illos ſeparat, & diuidit ab vnitate totius corporis; qua ex re formatur factio; factio enim eſt diuiſio hominũ, qui ſtudent aliquem eleuare in Prælatum ſeù in aliquam aliam dignitatem: his ſuppoſitis ſit.

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. Religioſus, qui ambitione ductus nomen factioſi ſibi vendicauit, multis etiam modis ſibi vendicauit nomen indigni. Suadetur prim. quia talis homo inter diſcordias, ſeditioneſque nutritus nequit vocari à Deo ad animarum regimen, cum ſit ipſi Deo contrarius dicenti per Lucam c. 11. ſecundum expoſitionem S. Antonin. part. 2. tit. 4. c. 8. §. 4. *Qui non eſt mecum in fraterna ſcilicet charitate, contra me eſt, & qui non colligit mecum, trahendo nempe homines ad concordiam, vnitatem, & pacem, vt ego, diſpergit*: vndè ſemper in animarum curam introducitur arte, induſtria, & potentia factionis. Inter conditiones, quæ reddunt Religioſum dignum Prælatura, prima ſemper cenſenda erit vocatio diuina ad tale munus obeundum, inquit D. Paulus ad Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* vndenam dignoſcenda eſt hæc ſuperna vocatio? legantur attentè verba S. Anſelm. ad Hebr. 5. explicantia illa Pauli: *Percutiuntur*, inquit, *hac ſententia, qui honores Eccleſiaſticos, ad quos diuinitus non vocantur, arripere cupiunt: qui enim ſe ingerit, & propriam gloriam quærit, non ſumit honorem, ſi Pontifex, aut Prælatus in Eccleſia factus fuerit, ſed gratiæ Dei rapinam faciens ius alienum vſurpat: & ideò non accipit benedictionem, ſed maledictionem; nemo per ſemetipſum ſumat illum honorem, ſed ille, qui vocatur à Deo; qui enim rectè & canonicè eligitur, à Deo vocatur*: dignoſcitur ergo a rectitudine electionis: cum ergo vota Religioſorum factioſorum non ſint recta, ſed obliqua, non fundata in rectitudine ſpiritus, & in vnitate concordiæ, ſed radicata in obliquitate malitiæ proprij commodi, & in diſcordia factioſorum; ideò vocatio factioſi hominis diuinitus nequit eſſe: quamobrem ſemper exiſtimandum erit ipſum fruſtra laborare in vinea Domini; & infructuoſos eius eſſe labores, vigilias, cæteraque operà pro ouibus, licèt putet honorem Dei ſe zelare: talia verba non proferre auderem, niſi priùs eſſent prolata à D. Laurent. Iuſtin. de regim. Prælatorum cap. 2. *Infructuosè quippe miniſterium hoc, non vocante Deo, exercere conatur quiſquis in Eccleſia præſidere videtur, atque honorem Dei arbitrio ſuo zelare ſe putat: quonam, quæſo, modo Deum honorare valet, qui ex obliquo, & nequa-*

*quaquam, ſe Deo vocante, rationabilibus ouibus praeeſſe deſiderat? Ipſum Dominum audi dicentem: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè; hic fur eſt; & latro: quarè fur, & latro dicitur? profectò, quia non per ianuam, ſed per maceriã ad oues feſtinat accedere: quis verò intrat per ianuam? vtique, qui intrat per Chriſtum, vocatur à Chriſto; quamobrem quicunque vocatur à Chriſto, & per Chriſtum ad oues ingreditur, ipſum oues audiunt, ipſique benè viuendo obtemperant, nec immeritò: nam in illo Paſtorem verum inhabitantem ſentiunt, atque eundem in miniſterio prædeſtinato, & vocato audiunt loquentem, docentem, hortantem, allicientem, complectentem*: & paulò inferiùs: *O quantæ redargutionis, quantorumue ſuppliciorum eſſe cenſendi ſunt rei, qui nullo eos quærente, nemineque vocante, primatum Pontificalis officij ambiũt, & Præſulatus honores adipiſci peroptant, nequaquam attendentes, quod ſupra modum ab itineribus veræ humilitatis deuiant, & ab exemplo per ſummum Pontificem Dominum Ieſum exhibito vniuerſis exorbitant*, &c.

Secund. quia, cum huiuſmodi homo non vocetur à Deo tanquam Aaron ad regendas oues, ſequitur, quòd ab ipſo Deo miniſterij gratiam, diuinaſque illuminationes pro regimine rectè gerendo non recipiet; nam ad Sanctè, ac prudenter gubernandum opus eſt, vt homo ſe cõuertat ad Deum per orationem pro diuinarum illuminationum impetratione, vt docet S. Thom. 2. de regim. Princip. c. 15. alibi relatus vndè Plato lib. 4. de Rep. aiebat. *Reſpublica nequaquam probè gubernari poteſt, niſi gubernator Deo iungatur, & ab eo cognitionem hauriat, qua & ipſe viuat, & alios gubernet*: audiamus intentùm à D. Auguſtin. in pſ. 75. loquente tantùm de illo, qui prima principia diſcordiæ nutrire intendit: *Quiſquis ergo*, ait, *ita ſe cõmendare voluerit populis, vt ſi fortè contigerit ei aliquis tumultus, frangat poſt ſe populos, & diuidat Eccleſiam catholicam propter ſe, non eſt de illis montibus, quos illuminat Altiſſimus, ſed quis eſt iſte? contenebratus à ſe, non illuminatus à Domino*; quid diceret de Religioſo factioſo iam per annorum ſeriem in factionibus nutrito?

Tertiò, quia eius perſona non ornatur iuſtitia Præſidentis, per quam fit homo dignus Principatu, ſeù Prælatura, cuius totum eſſe eſt ad aliud, vt docet Ariſtot. 5. ethic. S. Thom. 2.2. qu. 58. art. 2. Ægid. Roman. de reg. Princip. part. 2. lib. 2. c. 10. & Dionyſ. Carth. in opuſc. de regim. Princip. lib. 1. art. 15. ideò dicebat S. Ambroſ. 1. de offic. cap. 24. *Iuſtitia eſt; quæ nil alienum vendicat, quæ cuilibet dat, quod ſuum eſt, negligit propriam vtilitatem, vt ſeruet communem æquitatem*: Ex quibus verbis deducitur, æquitatem communem inter ſubditos conſiſtentem etiam ex ſenſu S. Auguſt. lib. de quantit. anim. tom. 1. in reddendo cuilibet, quod ſuum eſt, ſeruari non poſſe, niſi retento in Præſidente proprij commodi contemptu, quæſo vbinam eſt iuſtitia ad aliud in factioſo? vbinam eſt contemptus proprij commodi, dum ob cõmodum Prælaturæ, aliorumque bonorum ſe nutrit in diſcordijs, ac factionibus? quomodò poterit communem ſubditorum æquitatem ſeruare?

Quart. quia non fruitur prudentia in Principe, ac Regente neceſſaria pro recta adminiſtratione cuiuslibet Imperij, vt omnes fatentur. *Ad prudentiam*, inquit Dionyſ. Carthuſ. vbi ſupr. art. 13. *pertinet benè iudicare de agendis, & de rebus, & cauſis, actibuſque humanis; rectè quoquè conſulere, & apta media inuenire ad obtinendum, & obſeruandum bonum intentum, ac debitum finem, qui eſt bonum commune, pax, atque proſperitas Reipublicæ, & perſonæ*; ideò dicebat S. Thom. lib. 6. ethic. lect. 10. *Prudentia eſt benè conſiliatiua, & iudicatiua, & præceptiua eorum, quæ ſunt ad finem*: factioſus poteritne habere intellectum tali lumine illuſtratum, vt iuſtè iudicet ſubditorum cauſas, & clarè conſulat de medijs ad bonum commune conſequendum, idque conſeruandum, proſperitatemque tam Reipublicæ, quàm perſonæ obtinendam? iudicent electores ex verbis Carthuſ. eod. artic. paulò inferiùs recitatis: *Impedimenta prudentiæ ſunt peccata mortalia, & immoderata occupatio circa exteriora vehemens ſolicitudo, & occupatio (nota) circa propria commoda, quæ*

*omnia*

*omnia mentem impediunt à conſideratione eorum, quæ pertinent ab bonum commune.*

Quint. quia eo ipſo, quòd eſt factionarius, deficit à recta intentione finis regiminis, qui ſubditorum vnitate eſt propagandus, vt vult D. Laur. Iuſtin. de triũph. Chriſt. agon. c. 66. *Ad vtilitatem, & decorem, vnitatemque cuſtodiendam in Eccleſia conſtituti ſunt gradus*: quarè de regim. Prælat. c. 5. in fin. loquendo de Apoſtolatus gradu ait: *Ipſi denique Apoſtoli Spiritus ſancti magiſterio confirmati Vrbibus Epiſcopos, atque Dominicarum ouium inſtituere Præpoſitos, quatenus illas ab incurſibus intellectualium protegerent beſtiarum, inſtruerentque eaſdem ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, quam profectò vnitatem quicunque dirimere præſumit, duplici ſciat ſe morte plectendum*: ad hoc ergo, vt regimen debito fine propagetur, intentio euſdem finis in regente adeſſe opus eſt, dicente S. Thom. 6. Ethic. lect. 10. *Duo enim ſunt neceſſaria in opere virtutis, quorum vnum eſt, vt homo habeat rectam intentionem de fine, aliud autem eſt, quòd homo benè ſe habeat circa ea, quæ ſunt ad finem*: quænam recta intentio de vnitate propaganda ad bonum commune regiminis conſeruandum inueniri poteſt in Religioſo factioſo? nulla quidem, ſed obliqua, mala, & factioſa ad nutriendos ſubditos in diſcordijs, & factionibus, vt ſuſtentetur in Prælatura, neque priuetur eius commodis: & quid erit ſi in principio diuerſitas, ſi in radice diſſenſio? proh dolor! legant electores ſequentia verba S. Thom. ex Ariſtot. 5. polit. lect. 3. *Peccatum in principio proportionabiliter ſe habet ad ea peccata, quæ ſunt in partibus principalibus animalium: videmus autem, quod modica facta diuerſitate in parte principali in animali, ſcilicet in corde, magna ſit diuerſitas in alijs partibus: ſimiliter modica exiſtente diuerſitate in ſemine, ſit magna diuerſitas in eo, quòd ſit ex ſemine, quia ex modica differentia calidi, & frigidi, cauſatur differentia maris, & fœminæ: ſimiliter facta modica tranſpoſitione in gubernaculo nauis, tota nauis tranſmutatur: quarè ſic erit in Republica, quando paruum peccatum in principio, & parua diſſenſio multùm inualeſcit*: & quid erit ſi in corpore tandem vnius Prouinciæ, ſeù Religionis præualet magna diſſenſio? non dedignentur etiam electores legere verba Iacob. Aluar. tom. 1. lib. 3. part. 3. cap. 32. de vit. ſpirit. innixi lamentis, & mæroribus Ricard. lib. de grad. charit. c. 4. *Væ cœtibus religioſis, qui hoc à ſe medicamẽtum charitatis abiecerunt, & habenas diſcordiæ, ac diſſidijs laxarunt, quia ad horum ingreſſum egreditur ſanctitas, fugit mentis puritas, & ſtudium virtutum procul abigitur: hos cœtus meritò Ricardus de S. Victore non ſine lamentis, & mærore deplorat. Heù in quos fines, inquit, imò fæces ſæculorum homines deuenerunt; cum, vt de ſæculi hominibus taceamus, quos excæcat ambitio; ipſa Religionis electio noſtro miſerabili tempore tanta diuiſione ſpargatur, vt vix vnus alteri conueniat in vnum, niſi fortè aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius: vbique apparent ſciſſuræ Ciuitatis Dauid, & intantum iam hiant, vt vicinam ruinam omninò minentur: ſeruatur ſub tunica vna, & veſte ſimili cor varium, & omninò diſſimile, ita vt de Religione antiqua vix ſigna ſeruentur, & venientibus ad ſepulchrum Domini, quod clauſum eſt, & Chriſtum quærentibus, ſola linteamina pateant, ideſt habitus forma.*

Sext. quia iuſtitia caret ſeruanda inter ſubditos, nec non & pace, quæ duo tanquam fundamenta regiminis à DD. deputantur: de prim. enim loquitur Rodriq. qu. 34. art. 5. tom. 3. de ſecund. S. Antonin. p. 4. tit. 5. c. 4. §. 2. vtramque verò amplectitur Caſſiodor. lib. epiſt. 11. *In hoc enim*, inquit, *gratia Regis extollitur, & ſeruatur; ſi in æquitate pacis populum dirigat, & in iuſtitiæ vigore conſeruet*: munus primæ exercendum à Rectore delineatur à Dionyſ. Chartuſ. vbi ſupr. art. 15. *Ad Principem pertinet*, inquit, *facta, cauſas, atque negotia ſubditorum ſuorum examinare, ponderare, rectèque iudicare, ad quod faciendum indiget magna iuſtitia, ne in iudicãdo ratio eius ſubuertatur amore alicuius, vel odio, aut aliqua paſſione, aut culpa, nec ſit perſonarum acceptor, ſed Deum præ oculis habens ſingulorum cauſas diligenter aduertat, ſicque paruum, & pauperem, vt magnum, & diuitem audiat, atque in*

*cunctis*

*cunctis ſecundùm ueritatem, & æquitatem procedat in iudicando, niſi quòd rigor iuſtitiæ interdum temperandus eſt dulcore clementiæ, quandò recta ratio id dictat: inſuper ad Principem pertinet, unicuique dare, & conſeruare quod ſuum eſt, & quemlibet honorare tempore opportuno, prout meretur, & dignus eſt; indignos quoquè officijs, & honore priuare, & unicuique debitam mercedem, & uicem rependere, quæ omnia implere non ualet, niſi fuerit excellenter iuſtus*: & paulò inferiùs ſubdit: *Sicut anima continet corpus, quoniam, anima recedente, corpus diſſoluitur, & marceſſit; ita iuſtitia continet Vrbes, & Regna; quoniam abſque ea diſſoluitur Ciuitas, nec poſſunt ſubſiſtere Regna; ideò Princeps maximè debet curare, ut ipſe in ſe uerè iuſtus conſiſtat, & per eum alij in iuſtitia conſeruentur*: munus, ſeù munera ſecundæ non negligenda ab eodē Rectore deſignantur à D. Dionyſ. lib. de diu. nom. c. 11. *Pax enim*, inquit, *quæ cuncta connectit, concordiamque omnium, atque conſenſum gignit, & efficit, cuius rei gratia ipſam quoquè deſiderant omnia, & quæ diuiſibilem ipſorum multitudinem ad totam conuertit unitatem, inteſtinumque mundanæ machinæ bellum, quo fœdere mirabili congruat, efficit*: nec illa ſecunda, ideſt pax cum ſuis muneribus valet inter homines connecti, niſi illa, ideſt iuſtitia, mediante cura Rectoris, priùs per plateas, & domos ſerpet, & in vicos, imò in angulos ſe intrudat, teſte D. Thom. 2. polit. lect. 9. *Per iuſtitiam enim conſeruatur pax Ciuitatis*: quæ iuſtitia, quæ pax excellere valent in Religioſo factioſo? non prima, quia pro ſui conſeruatione iudicium peruertet, negotia deſtruet, multorum merita negliget, & ne ſectatores reddat aduerſarios, omnia bona meliora eis conferet: Et quid erit ſine iuſtitia? audiamus Albert. Magn. lib. 1. polit. c. 1. l. 1. *Separatum à lege, & iuſtitia ciuili acceptum animal homo peſſimum eſt omnium animalium; cuius ratio eſt, quia iniuſtitia ſæuiſſima eſt, quandò habet arma, & eſt armata ad iniquitatem; in homine autem armata eſt; habet enim in homine talens ingenium ad nocendum, & aſtutiam ad machinandum omne malum: homo naſcitur habens arma ingenij, & aſtutiæ; undè naſcitur animal prudentia, ideſt caliditate, & uirtute, ideſt robore nocendi, & ui præditum, quibus ad contraria iuſtitiæ communicationis ciuilis utens, ſiue abutens ſeparatur à lege, & iuſtitia.* non ſecunda, quia ſemper regnabit, multorum reſciſſo conſenſu, ac voluntatibus reluctantibus.

Septimo, quia eſt author diſcordiarum, ſeditionum, ac iurgiorum inter ſubditos; nam ipſe, ne Imperium amittat, factiones nutriet, à quibus præeſſe habuit, diſcordias fouebit, per quas præ alijs tot bonis fruitur; ideò dicebat S. Antonin. part. 2. tit. 4. c. 8. §. 4. *Nulli autem magis commaculant communitatem diſcordijs, quàm ſeditioſi, & partiales*: & tamen Regentis munus præcipuum eſt iurgia, ac diſcordias reſecare; factioneſque deſtruere, vt decernunt S. Th. & S. Auguſt. Prim. id elicit à natura ipſa: *conſonū videtur naturæ*, inquit 3. de regim. Princ. c. 5. *ut dominium ſit conceſſum pro pace tuenda, & iurgijs, & diſcordijs reſecandis*. Secund. id extrahit ex munere Prælaturæ Eccleſiaſticæ: *Excellentes*, ideſt Prælati, ait in pſ. 71. *in Eccleſia paci debent vigilanti intentione conſulere, ne propter ſuos honores ſuperbè agendo ſchiſmata faciant unitatis cōpage diſrupta*.

Octauò, quia eo ipſo, quòd ob dominium conſequendum, atque conſeruandū ſe alere conatur inter factiones, ac diſcordias, Tyranni nomen ſibi vendicat, vt habetur ex S. Thom. 2. 2. qu. 42. art. 2. quem ſequitur Silu. tit. ſeditio. *Magis ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias, & ſeditiones nutrit, ut tutiùs dominari poſſit; hoc enim tyrannicū eſt, cum ſit ordinatum ad bonum Præſidentis cum multitudinis nocumento*: vndè B. Laurēt. Iuſtinian. de regim. Prælat. c. 2. dicebat: *Cæteri autem, qui præſunt eius*, ideſt Chriſti, *miniſtri ſunt: quamobrem qui nō miniſtrare, ſed dominari volunt in Clero*, vt eſt in caſu, *nō propriè Domini, ſed raptores, & Tyrāni ſunt, dum non ſubditorum, ſed propria quærunt commoda, diuitiarum videlicet, voluptatis, honoris, & famæ*.

Nonò quia præcipuè non incumbit ad munus alliciendi homines ad profectum virtutum, ad meritorum augmentum, vt

poſtulat

poſtulat animarum cura : audiamus verba D. Laur. Iuſtin. de regim. Prælat. c. 4. *Cura quippè animarum bona eſt in ſe ab ipſo ſūmo inſtituta, & præordinata Bono ad laudem vtique ſuam, ad mutuam exercendam dilectionem, ad profectum virtutum, ad meritorum additamentum, ad decorem fidei, ad perfectionem corporis ſui, ad ſingulorum mēbrorum vnitatem ſeruandam, quam profectò curam quicunque prout decet, adminiſtrare neglexerit, malus eſt, & penè innumerabilium criminum eſſe cenſendus eſt reus; quoniam pretioſum Domini theſaurum nedum multiplicare deſpexit, verùm etiam illum diſperſit, atq; furibus homicidis, & ipſius Domini inimicis, quantùm in ipſo fuit, diripiēdum expoſuit: accepit, inquam, vineam, vt vepres ex eadem euelleret, infructuoſas arbores eradicaret, illam coleret, ſepibus propter ſpiritualium incurſus ferarum circundaret, in illa plantaret vineas, fructuoſas inſereret arbores, & ſemen verbi Dei ſpargeret, vt produceret ſpirituale germen delectabile Domino; ſed, proh dolor! ex ipſius incuria delictorum ſentes profert, inculta manens, & latronibus diripientibus patet; vndè de ipſa meritò Dominus per prophetam dicit: Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruſcas: an non malus, & nequam, qui paſtorale officium indignus præſumpſit accipere, illudq; negligenter exercuit, non Dei gloriam, nec animarum profectum, neque vel ſaltem propriam ſalutem quærens, ſed tantum priuata commoda; & de Prælatione honorem temporalem?*

Vltimò, quia ſua partialitate, ac factione euertit, & deſtruit totam diſciplinam regularem à ſacris Fundatoribus erectam, tot iuſtis legibus munitam, ac exēplo ſanctorum Religioſorum illuſtratam, nec non per multorum, multorumque annorum ſeriem conſeruatam: *Ex ſeditione*, inquiunt S. Antonin. vbi ſupr. §. 4. *tota vita regularis deficit*: ſed quod paucis verbis dicit Antonin. plurimis deplorat Iacob. Aluarez vbi ſupr. *Nihil tam horrendum, & horribile*, inquit, *ſicut murmur, & diſſenſio in congregatione; ſi verò ſe auerſione mutua, & diſſenſionibus ſeparent, iam non erunt vna Religio, ſed tot deteſtanda conuenticula, quot fuerunt in domo factiones: ſi verò* (quod Deus auertat) *ſe mordeant detractionibus; & contumelijs lacerent* (vt faciunt factionarij, ſicut dixi in dub. 6. cum eorum mores deſcripſi) *& mala voluntate conſumant, tantùm abeſt, vt ſint vnum corpus, quòd potiùs ſunt innumeri hoſtes, qui in vno loco ſe infeſtiſſimo bello conficiunt; hinc Religionum pernicies, hinc ſanctitatis exitium, & calamitas prouenire poteſt, & aliquandò fortaſſis orta eſt, quo vnuſquiſque ſibi ipſi non benè, ſed malè conſulens, & propriam commoditatem inquirens; aliorum verò aut honorem, aut ſolatium, aut commodum contemnendum ſuum bonum quærit, commune totius Religionis peſſundat, & proterit; eſt enim veriſſima ſententia Saluatoris: Omne Regnum in ſe ipſo diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet*: & pauló inferiùs: *Religioſa communitas dilectionis vinculo copulata, facilè ſuum vigorem, & ſplendorem conſeruat, imò vt veriùs dicam, in dies magis illuſtratur, & naturalibus donis, ſupernaturalibuſque virtutum ornamentis augetur, at ſenſuum diuerſitate diſiuncta, & voluntatum diſcordia, quaſi in varias partes ſeparata, paulatim minuitur, & tandem funditùs peribit; nam ſicut cum aqua effunditur, & tota illa perit, & ſingulæ quoque guttulæ pereunt, ſic prorſus ijs accidit, qui ſuis diſcordijs, atque diſſidijs vinculum Religionis abrumpunt; nam & totam Religionem deſtruunt, & ſe ipſos, proprium honorem, & propria commoda quærentes diſperdunt: id, quod apertiſſimè Patriarcha Loth cum S. Abrahæ ſocietatem deſeruit, nos docet hiſtoria: Eccè enim, inquit Chryſoſtom. vt diuiſus eſt à iuſto, & putabat ſe in maiori eſſe vbertate, & copia, & potiora ſe aſſequuturū, & abundare, repentè factus eſt ſeruus carens domo, carens, & foco, vt diſcas, quantum malum ſit diuiſio, & quantum bonum concordia, & quòd conuenit non maiora temerè capeſſere, ſed potiùs humilitas deligenda eſt: ita ſanè accidit Loth, & ita omnibus illis eueniet, qui, vt apud homines creſcant, & ſplendeant, alios fratres in opinione minuunt, & verbis, tanquam nube quadam obnubilant: quid miſeri, vt ſe honore veſtiant, honore fratres*

 ſpo-

*ſpoliant? quid inſani, vt ſe ipſos promoueant, aliorum bonam opinionem conuellunt? quid amentes, vt ſoli luceant, alios obſcurant, ſoli lucere volunt, at non ſoli lucebunt, ſed ſoli ſine luce permanebunt: væ autem ſoli; quia, ſi ceciderit, non habet ſubleuantem ſe; ſeuerum eſt, ſed iuſtum Domini decretum, cuius iudicia abyſſus multa, vt qui ſe non habitatione, non veſte, ſed corde, & amore à fratribus ſeparant, tempore neceſſitatis ſoli relinquantur, & tentationibus abſorbeantur; permittit enim Dominus, vt neque exemplis, neque conſilijs, neque doctrina eorum proficiant, quos à ſe per odium, & malam voluntatem abiecerant*: hæc Aluarez.

## *SECVNDA CONCLVSIO.*

3. ELectores conferendo vota, ac ſuffragia pro Prælatura Religioſo factioſo culpa lethali damnandi ſunt: Suppoſita veritate concluſionis, non alia probatione corroboratur quàm ex eo, quòd ſi quilibet defectus ex prædictis inueniretur in quocunque Religioſo eligendo; tanquam indignus quahbet Prælatura exiſtimaretur: quò fit vt elector ſuum ſuffragium conferens ei, non eximeretur à lethali labe, quantò magis non liberaretur ab eadem culpa, ſi ferret vota pro factionario, tot defectibus grauibus implicato. Heù, heù! quàm graue, quàm graue, quàm graue peccatum eſt conferre ſuffragium pro homine, qui inſignia factionis in ore, corde, & opere portat; vndè ſecundum D.Chryſoſt. hom. 34. ad Hebr. cap. 13. meliùs eſt non habere hominem regentem, & gubernantem, quàm regi, ac gubernari à malo Rectore, & Gubernatore: *Magiſtrum*, inquit, *Ducemq. Rectorem non habere malum eſt, & eſt argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis; & perturbationis, ac confuſionis; nam ſicut ſi coryphæum, & Ducem ſuſtuleris, non erit amplius chorus modo congruus, & ordinatus; & ſi à phalange exercitus amoueris Imperatorem, non erit ampliùs numeroſa, & ordinata acies, & ſi nauigio ademeris Gubernatorem, nauem demerges; ita etiam ſi à grege Paſtorem abſtuleris, omnia euertiſti, & deleuiſti, atque malum quidem eſt magiſtratus, & Rectoris defectus, & occaſio euerſionis; non minùs autem malum eſt etiam inobedientia eorum, qui eis ſunt ſubiecti; nam idem rurſus accidit, populus enim non parens Rectori, ac magiſtratui eſt ſimilis ei, qui non habet, & fortè etiam deterior: nam illi quidem etiam eis datur venia, ſi ordo, & moderatio non obſeruetur, his autem non ita; ſed etiam puniuntur, at dicet fortaſſè, quiſpiam, quod eſt etiam tertiũ malum quandò eſt malus Rector, & magiſtratus: id quoq; ſcio, & non paruum malum, ſed etiam longè peius defectu Rectoris, ac magiſtratus: melius eſt etiam à nullo duci, quàm duci à malo: nam ille quidem ſæpè euaſit ſaluus, ſæpè autem venit in periculum, hic autem omninò veniet in periculum, ut abducatur in barathrum.*

## *TERTIA CONCLVSIO.*

NEmini eſt dubitandum, quin dentur cauſæ ſi aliquandò Deus permitteret, vt electores ſuis vocis huiuſmodi Religioſum indignum ad dignitates Præfecturarum aſſumerent. Priuſquam ad illas deſignandas accedam, præſupponẽdum eſt, quòd quamuis omnis poteſtas ſit à Deo, vt illam dante, nihilominus aſſumptio ad illam interdum eſt ſolum à Deo, vt illam permittente, quod rectè notauit Toletus ad Roman. c. 13. annot. 3. ponẽs differentiam inter hæc tria, ſcilicet poteſtatem, vſum poteſtatis, & aſſumptionem hominis in poteſtatem, ad quorum explicationem mitto lectorem.

Prima ratio erit ex S. Th. 2. ſentent. diſtinct. 27. q. 1. ar. 4. citante pro hac ſentẽtia D. Gregor. lib. 5. moral. c. 1. dicit ergo: *Frequenter Deum in hoc Mundo remunerare eũ, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, vt ſic nullum bonum irremuneratũ inueniatur*; idem 3. p. qu. 89. ar. 6. ad 3. *Deus*, inquit, *recordatur bonorum, quæ quis fecit in ſtatu peccati, non vt remuneret ea vita æterna, quæ debetur ſolis operibus viuis, id eſt ex charitate factis, ſed remunerat ea tẽporali remuneratione: ſicut Grego. dicit hom. 40. de diuite, & Lazaro, quod niſi diues ille aliquod bonum egiſſet, & in præſenti ſæculo remunerationem accepiſſet, nequaquam Abraam ei di-*

*ei diceret : Recepiſti bona in vita tua*. Ex hac doctrina clarè deducitur aliquandò Deum dare Prælaturã alicui in proemiũ; vt remuneret quædam benè facta ab eo; qui tandem, priuandus eſt proemio illo cœleſti, quod ſolis electis dandus eſt: & ita vult Auguſt. 5. de Ciuit. Dei cap. 15. quòd Imperium Orbis conceſſum fuerit Romanis propter amorem in Patriam, propter ius, & æquitatem, cuius obſeruantiſſimi fuerunt, & propter ciuilem beneuolentiam: videatur S. Thom. lib. 3. de regim. Princip. cap. 4. 5. & 6.

Secunda ratio eſt propter peccata ſubditorum, ideò dicitur in Iob. 34. quòd Deus facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi, vndè Origenes in lib. Iudicum tom.1: *Non ſemper*, inquit, *Princeps populi, & Eccleſia Iudex per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt; ſi mali ſunt actus noſtri, & operamur malignum in conſpectu Domini, dantur nobis Principes ſecundum cor noſtrum; audi, quod Dominus dixit: Fecerunt ſibi Regem, & non per me, & Principem, & non per conſilium meum: & hoc dictum videtur de Saul illo, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri iuſſerat; ſed quia non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſecundum peccatoris populi meritum, fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate, vel conſilio conſtitutum: tale ergo aliquid intelligamus etiam in Eccleſijs fieri, quia pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens, à Deo tribuitur Rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſia Iudex datur.*

Tertia ratio eſt, vt ſit prædeſtinatis Religioſis tentationum materia ſuis malis exemplis, quibus electi ad eius mala veſtigia ſequenda alliciuntur, quibus eſt viriliter reſiſtendum, & relaxationibus, ex quibus boni Religioſi intimè cruciantur, dum vident Religionem corruere; certũ eſt enim, quòd electi priuſquam in æternis manſionibus ſe videant glorioſos, in camino variarum tentationum ſunt probandi, vt vno ore docent SS. PP. & ſic ait S. Auguſt. pſalm. 55. tom. 8. Iudam ad ſupremum Apoſtolatus gradum fuiſſe electum, vt eſſet materia tentationum alijs Apoſtolis: *Electi*, inquit, *vndecim ad opus probationis, electus vnus ad opus tentationis; vndè poſſet tibi exemplum dare neſcituro, quos deuites malos, quos caueas falſos, & fictos incolentens, & abſcondentes; ni ſi vt dicat tibi, ecce ego mecum habui vnum ipſorum: præceſſit exemplum, tolerans, perferre volui, quod ſciebam, vt tibi neſcienti præberem ſolatium.*

## DVBIVM CLXXXVIII.

*Electorum vota ſe diuidunt in duas partes ſuffragando duobus viris, quos Titius clarè cognoſcit eſſe indignos, & ex his vnus eſt eligendus: quæritur; an Titius, prætermiſſo digniori, cui præſtat ſuffragium poſſit accedere ad minùs indignum, vt euitentur maiora mala; ſequutura ex electione magis indigni.*

### SVMMARIVM.

1. *Indignus ad Prælaturas non eſt eligendus; &c.*

2. *Nequit quis ferre votum pro minùs indigno, prætermiſſo digno, quandò magis indignus eſt ſeligendus ab electoribus: & duæ diluuntur obiectiones.*

1. Vera propoſitio eſt, quam docent S. Thom. quodlib. 6. art. 9. Salon. 2.2. qu.63. art. 2. contr. 6. Ledeſm p. 2. ſumm. tract. 7. c. 2. concl. 5. pag. mihi 336. Reginald. in prax. lib. 20. tr. 3. n. 195. Peirin. tom. 1. de ſubdito qu. 3. cap. 31. §. 2. indignum non poſſe ab electoribus eligi, tum quia huiuſmodi electio eſt in damnum aliorum, ideò intrinſecè mala, & prohibita, tum quia ageret contra charitatem, & iuſtitiam commutatiuam; contra illam, quia ex charitate tenentur diligere bonum commune: contra iſtam, quia ex iuſtitia tenentur conſulere bono communi prouidendo de perſona publica apta ad illud munus, ad quod eligitur, ritè pertractandum: quamobrem electores

multum debent in hoc inſiſtere, ne ſuffragium ferant in fauorem indigni, quia, licèt multa incommoda ſiniſtri regiminis ſuboriantur, & multa peccata committantur ab indigno electo, nihilominus vnum tantum peccatum committent electores eum eligendo, non tamen eximuntur à pœnis, quæ debentur peccatis committendis ab indigno, quia de ills participant, vt notant Peirin. vbi ſupr. Sorbus in compend. priuileg. tit. electio verſ. ſe debet: Naldus in ſumm. tit. eligere n. 14. Rodriq. tom. 2. qu. 52. art. 5. verſ. aduertant etiam electores. Nauarr. in ſumm. c. 11. n. 4. in fin. Graffius in append. ad libr. 4. deciſ. aur. c. 2. n. 21. Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſp. 5. contr. 17.

*CONCLVSIO.*

1: TItius, qui ſuffragium fert pro digno, nequit eum prætermittere conferendo votum minùs indigno ad euitanda mala ex magis indigno, qui ab electoribus eſt eligendus. Concluſio eſt aduerſus Em. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 3. n. 29. qui contra communem opinionem habet hæc verba: Hæc tamen doctrina, ni fallor, eſt difficilis, quia poteſt contingere, quòd electio minus indigni ſit neceſſaria ad euitandam electionem magis indigni, & ponit caſum, de quo infra, eam tamen ſequuntur communiter DD. vt ipſe fatetur, vt Sot. Caiet. & alij, quos citat, & ſequitur Sanch. 1. opuſc. lib. 2. cap. 1. dub. 4. num. 1. Turrian. diſp. 22. dub. 2. n. 8. Trullench in decal. lib. 7. c. 11. dub. 8. & alij, tum quia, inquit Salon. vbi ſupr. controu. 4. cum ſuffragari indigno ſit contra bonum commune, & omni iure prohibitum, nullo titulo poteſt honeſtari, tum quia indignus ille non eſt, niſi malitia ſua, vel eligentium introductus; malitioſè autem introductus non meretur votum, quia quicunque illi ſuffragabitur, etiam ſi ſit ex vltimis, concurret ad illud malum.

Dices, commune axioma eſt omnium Theologorum, de duobus malis ſemper minus fore eligendum; minus autem malū eſt, quòd minùs indignus eligatur, quàm magis indignus. Reſp. doctrinam eſſe veram, quandò vnum de duobus eſt neceſſariò eligendum, quod non contingit in caſu, quia poteſt Titius ferre ſuffragium pro digno, & ita axioma explicatur à D. Thom. 1. de regim. Princ. c. 5. *Cum autem inter duo, ex quorum vtroque periculum imminet eligere oportet, illud potiſſimum eligendum eſt, ex quo ſequitur minus malum.*

Dices, eſto elector poſſit præſtare ſuffragium in caſu pro digno, dū tamen nequit haberi, perindè eſt, ac ſi non eſſet; ideò minùs indignus eſt eligendus, & hæc eſt doctrina Em. Lugo vbi ſupr. ſic expoſita: Pone enim, inquit, eſſe tres concurrentes, quorum vnus ſolus eſt dignus, ſed ab omnibus alijs electoribus reijcitur, ſecundus non eſt dignus, tertius eſt indigniſſimus, & qui ſuis ſceleribus turbabit Eccleſiam Dei, & fortaſſe hœreſis venenum diffundet in Prouinciam; in eo caſu vtiliter gero negotium Eccleſiæ, ſi eligam minùs indignum, & non dignum, vt impediam electionem indigniſſimi, & nequiſſimi alioquin certò ſecuturā cum grauiſſimo dāno; nam licèt indignus non poſſit iure eligi, quandò digni inueniuntur, omnes tamen fatentur poſſe eligi, quandò dignus non poteſt haberi, vt ſupra vidimus ſect. 1. n. 5. & docet Leſſius n. 55. in noſtro autem caſu non inuenitur dignus, qui eligi poſſit; nam licèt adſit vnus dignus, ſuppoſito tamen, quod alij eum nolunt, preindè eſt, ac ſi non eſſet, cum ſaltem ex aliorū malitia non recipiatur, & per conſequens ad vitanda maiora mala ex electione indigniſſimi, potero concurrere ad electionē indigni, neque hoc erit facere mala, vt inde ſequantur bona, quia non eſt malum, ſed bonum, & vtile Eccleſiæ habere miniſtrum indignum, quandò non poteſt habere dignum, ſed potiùs haberet certò alium multò magis pernicioſum: Hæc Lugo. Reſp. quòd, licèt quoad electionem dignus ille perindè eſt, ac ſi non eſſet, quoad Titium tamen, qui vult ferre ſuffragium pro eo licitè, adeſt; vndè, quandò licitè pro digno poteſt ferre ſuffragium nequit facere aliquod, quod eſt intrinſecè malum, neque cooperari aliorum malitiæ, etiam ſi euitentur maiora mala; vndè iſta

forma-

formalitas,vt euitentur maiora mala, dum poteſt ferre ſuffragium pro digno, non eximit, quin poſitiuè dicatur concurrere ad malum eligendo indignum: quamobrē doctrin. Emin.Lugo eſt admittēda in caſu propoſito in ſect.2.n.5.dum quærit:an aliquandò liceat eligere ad beneficium indignū.Reſp.nunquam licere,niſi quandò non inuenitur vllus dignus; tunc enim ad euitandum maius malum poteſt dari beneficium non digno, vt fit in regionibus ſeptētrionalibus hœreſis tabe infectis, vbi ad euitandum maius malum, ne beneficia deueniant ad hæreticos, aliquandò eliguntur catholici parum digni; in hoc quidem caſu valet regula illa, de duobus malis minus eſt ſemper eligendum, quia non adeſt dignus, cui ſuffragium præſtari poſſit. Verùm doctrina dicti Cardinalis non eſt improbabilis.

## DVBIVM CLXXXIX.

*In quodam Religioſorum monaſterio fuit celebrata Prioris electio hoc modo: ibi tantùm morabantur duo ex familia, apud quos tota poteſtas eligendi remăſit, alter elegit alterum in Priorem; hic verò ceſſit iuri ſuo: quæritur, an hæc electio cenſenda ſit valida, & canonica.*

### SVMMARIVM.

1. *Sub Collegij nomine veniunt etiam monaſteria, & duo poſſunt conſtituere Collegium; imo ius eligendi ad vnum poteſt reduci, & quadam obiectio ſoluitur.*

2. *Collegium, quod tantùm duos aggregat, validam poteſt celebrare electionem: & duæ diluuntur obiectiones.*

3. *Præſcribitur alius modus celebrandi electionem, quandò Collegium, reducitur ad duos.*

1. Not. prim. quòd Collegij appellatione veniunt etiam monaſteria, & conuentus Religioſorum c. Cum terra. de elect. vbi Abbas n. 1. c. Nobis fuit de iur. patronat. iuncta Gloſſ. verb. conuentual. Hoſtienſ. c. Ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælatis. Felin. in c. Capitulum n. 2. de reſcript. Gonzal. ad reg. 8.Cancell.gl. 8. n. 5.& cum Collegium ex pluralitate conſtituatur, & cum ipſamet pluralitas ſaltem duos requirat, nec contineatur vno l. Vbi numerus ff. de teſtibus. Maſcard. de probat. concl. 838. n. 13. Menoch. conſ. 50. n. 1. & 19. & conſ. 686. n. 11. ideò duo poſſunt conſtituere Collegium, & penes ipſos poteſt eſſe eligēdi poteſtas; vndè in c. 1. de elect. habetur: *Vbi duo, vel tres fuerint in congregatione*: ad inſinuandum inquit Barboſ.in collect.DD. eod.tit.& cap. quòd duo faciunt Collegiū,& ad eos,ſi alij non extent, ſpectabit electio, vt per Maſcard. de probat. concl. 584. n. 9. Rodriq. tom. 2. qu. 53. art. 11. in princip. Anton. Raguc. de voce Canonicor. in Capitulo qu. 1. n. 3. Tamburin. de iur.Abbat. tom. 1. diſp. 5. qu. 8. n. 2. Nauarr. lib. 1. conſ. 6. de elect. in 2. edit. Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſput. 3. contr. 8. & alios penes ipſos. Aduertendum tamē eſt,quòd, licèt nullum Collegium Eccleſiaſticum poſſit conſtitui in vno, quia ſaltem duo requiruntur, conſtitutum ſemel in multis poteſt totum ipſius ius ad vnum reduci, & in eo conſeruari, alijs mortuis, priuatis, excommunicatis, &c. l. ſicut. §. final. ff. quod cuiuſque vniuerſ. Gloſ.in c. Gratum. verbo panciores, de poſtulat. Prælat. Nauarr.vbi ſupr.Mirand.tom.2.qu. 23. art.5. concl.2.Seraphin.deciſ. 860.n.7. & deciſ. 1050.n.5.Tāburin.vbi ſupr.Rota in Ceremonen. Præp. 25. Februarij 1622. coram bō. mem. Vbaldi.Samuell.vbi ſupr.Pāorm. c.Nullus de elect.Innocent.c.Quia propter eod.tit.Biax.director.de elect.p.1. c.2.n. 3. Lambert.de iur.patronat.part.1. lib.1. qu. 9.art.3.n.27.Cuch.inſtit.maior.lib.4.tit.de elect.n.39.Sigiſmund.de elect. dub. 12. in 2.edit.

2. Not.ſec. quòd electio hoc modo definitur: Alicuius perſonę canonicè facta vocatio. Ita Silu.tit.de elect.1.§.1.referēs Hoſtienſ.Ioann.Andr. Paul. de Elazar n. 1. in repet.Cuch.inſtit.maior.lib.4. tit.de elect. n. 4. Alter. de cenſ. 1. l. 2. cap. 2. in princip.

PRIMA

*PRIMA CONCLVSIO.*

TOtius Collegij poteſtas penes duos remanere poteſt, imò apud vnum modo ſuperiùs deſcripto. Concluſio ſatis intelligitur probata in prim. not.

Dices, habetur in l. Heratius ff. de verb. ſignific. quòd tres conſtituunt Collegium, conſequenter eius poteſtas reſidere nequit apud duos, ſed apud tres. Reſpond. id verum eſſe de iure ciuili, non verò de iure canonico; ius enim canonicum præualet ciuili.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. COllegium, quòd tantùm aggregar duos expeditos ab omni vinculo, quod poteſt impedire electionem, poteſt electionē celebrare obſeruato modo præſcripto in titulo, & erit valida, & pro rata habenda erit. Concluſio habet duas partes, quarum primã docent Anchar. in c. Nullus de elect. Paul. de Eleazar. n. 12. de repetit. Ioann. Andr. in regul. in toto de reg. iuriſ. n. 6. Panorm. part. 2. conſ. 25. n. 2. Biax. in direct. elect. p. 3. c. 23. n. 3. Tuſch. lit. E. concl. 72. & 78. Sigiſm. de elect. dub. 23. n. 5. in 2. edit. Ratio eſt, quia inter duos ſaluatur propriè definitio electionis; vnus enim poteſt canonicè vocare alterum ad id, quod eligitur, præmiſſa prudenti conſideratione de eligibilitate perſonæ: modus autem celebrandi huiuſmodi electionem erit ille præſcriptus in titulo, ſcilicet vt vnus vtatur poteſtate eligendi alterum, hoc cedēte iuri ſuo eligendi: tunc enim ille hunc eligit; vt docent Anchar. & Eleazar. n. 13. vbi ſupr. & hic conſentit ſuæ electioni, & cenſebitur electus à maiori parte: & ecce probata vtraque pars concluſionis, & conſequenter valida electio Prioris, prout in titulo.

Dices, in caſu non ſunt duo, qui eligũt, ſed vnus. Reſp. quòd ius eligendi ſaluatur in vno, vt dixi in primo notand.

Dices, nequit, in huiuſmodi electione obſeruari forma præſcripta in c. Quia propter de elect. vbi præſcribitur, quòd maior pars conſentiat in aliquem, idem præcipitur in c. Cumana. eod. tit. vndè neuter poteſt habere maiorem partem, & ita Nauarr. & Mirand. vbi ſupr. ſuſtinent electionem in caſu non poſſe celebrari. Reſpond. quòd ſicut ius eligendi apud vnum modo præſcripto remanere poteſt; ita quandò eligit, ſemper Collegium eligit, & ſic cenſenda eſt maior pars, vt iam dixi. Adde, quòd inſurgit obligatio obſeruandi legem, cum obſeruari poteſt, in caſu ob paucitatem electorum forma nequit obſeruari; ideò nulla exiſtit neceſſitas eam obſeruandi; lex enim non obligat, vbi nequit obſeruari, c. Erit autem lex diſt. 4. & l. final. ff. quæ ſent. & l. Ita autem ff. de admit. tut. Sigiſm. Samuell. vbi ſupr. Paſqualig. in deciſ. moral. deciſ. 253.

Dices, ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 6. de regul. habetur vota ferēda eſſe ſecreta, id nequit obſeruari; ideò nulla electio valida poteſt ſequi. Reſp. ſicut ſupr. quòd lex non inducit obligationem, vbi nequit obſeruari.

3. Pro fine quæſiti vnum eſt obſeruandum, quòd à DD. traditur alius modus celebrandi electionem, quandò Collegium reducitur ad duos, ſcilicet, quòd vnus alteri ſuffragetur clara voce, & hic conſentiat ſuæ electioni, & ſic auget numerum, vndè totum Collegium eligit: & licèt verum ſit, quòd nemo poſſit ſuffragari ſibi ipſi; vt ipſe incipiat ſuam electionem, vt tradunt Panorm. in c. Gratum n. 8. de elect. Silu. tit. electio 1. Nauarr. & Mirand. & Sigiſm. vbi ſupr. per c. Per noſtras. de iur. patronat. quia notaretur ambitioſus: vndè, inquit Gloſſ. ibid. verb. ingerere, tanquam talis deberet repelli per c. In ſcripturis 8. qu. 1. & c. Si is, qui. 1. qu. 6. & per l. Si quemquam. C. de Epiſc. & cler. & l. Quæ omnia. ff. de procurat. nihilominus, quandò ipſe ſuo voto complet ſuam electionem, poteſt augere numerũ, nec cenſendus eſt ambitioſus. Ita Bald. c. Cum in iure, n. 1. & 2. de elect. Gloſſ. ibid. verb. conſentiat. Panorm. ibid. n. 1. & 2. & c. licèt n. 13. c. Cumana, & c. Per noſtras n. 5. de iur. patronat. & part. 2. concl. 25. num. 3. Lambert. de iur. patronat. lib. 2. part. 1. qu. 8. art. 8. n. 2. Ioann. Andr. in regul. in toto de regul. iur. in merc. lib. 6.

Butrius c. Cumana de elect. num. 35. Paſqualig. vbi ſupr.

## DVBIVM CLXXXX.

*Intra familiam ex nouem electoribus conſtitutam, & pro eligendo Superiore locali congregatam legitimè in loco cõſueto ab habente poteſtatem congregãdi orta fuit quædam contentio; minor pars, nempè quatuor aſſerebat vnum ex quinque non poſſe eligere, quia ligatus erat maiori excommunicatione; alij vero negabant, minor pars reliquit locum, & in alio loco honeſto, & decenti ſelegit Superiorem: celebrata hac electione, ſubſequitur alio electio; nam illi, qui remanſerunt in loco, aſſumpto illo, de quo erat controuerſia, an poſſet eligere, crearunt alium Superiorem in eodem loco, in quo fuerunt congregati, imò priuſquam exirent è loco: quæritur, quænam cenſenda erit canonica electio.*

### SVMMARIVM.

*1. ELectionis locus, dummodò non ſit clandeſtinus, non eſt putandus de electionis ſubſtantia.*

*2. De electionis ſubſtantia eſt, vt electores in vnum congregentur.*

*3. Electio Prioris celebrata ab eis, qui à loco receſſerant, cenſenda eſt nulla: & ſatisfit cuidam obiectioni.*

*4. Suſtinenda eſt tanquam valida electio celebrata in loco, in quo omnes erant congregati pro facienda communi electione: & diluuntur tres obiectiones.*

Videtur, vtraque pati defectum nullitatis; prior, quia violenter excludebatur vnus, qui non debebat excludi: poſterior, quia electio ſecunda, prima non caſſata, non ſubſiſtit.

1. Pro intelligentia ſit prim. notand. quòd electionis locus, dummodò non ſit clandeſtinus, non eſt cenſendus de ſubſtantia electionis, vt omnes fatentur DD: vt videre eſt apud Sigiſmund. de elect. dub. 15. Barboſ. de iur. Eccl. lib. 1. cap. 19. n. 176. & Caſtellin. de elect. cap. 6. debet tamen fieri in loco conſueto; ſi non fiat, non debet excludi à confirmatione, dummodò omnia fuerint ſeruata, quæ de iure ſeruanda ſunt: vt habetur ex c. Cum terra. de elect. vbi Abbas. Panorm. ibid. num. 3. Lauorius tit. 4. c. 18. n. 7. Barboſ. & Caſtell. vbi ſupr. quidquid Hoſtienſ. quem refert, & ſequitur Anchar. in c. Cum terra. vbi ſupr. dicat aſſerẽdo electionẽ celebratã nõ in loco conſueto carere validitate. Adde, quòd etiam eſt ſuſtinenda tanquã valida, etiam ſi celebretur in loco interdicto, vt communiter docent DD. Decian. in c. Ad hæc in beato. de poſtulat. Biax. in ſuo direct. elect. p. 1. c. 19. Perez. l. 2. verſ. quæri etiam poſſet. tit. 6. lib. 1. ordin. Azor part. 2. lib. 6. c. 14. qu. 17. Lauor. & Barboſ. vnà cum Sigiſmund. vbi ſupr.

2. Not. ſecund. quòd ſicut locus nõ eſt de ſubſtantia electionis; ita eſt de eius ſubſtantia, vt electores in vnum collegialiter congregentur; quarè non ſufficeret conſenſus eligentium ſingulariter præſtitus, veluti ſi quis in ſua camera conſentiat, ſed oportet, vt collegialiter conſentiat, vt docet Coſm. in pragmat. ſanct. tit. de elect. verb. conueniant. pag. 86. Bertachin. de Epiſcop. lib. 1. p. 3. quæſt. 31. Petr. Gregor. ad decretal. tit. de elect. c. 5. à n. 1. & c. 16. per tot. Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 29. in princ. Gloſſ. in c. 1. de rebus Eccleſ. non alienan. lib. 6. Panorm. in cap. Auditis de elect. num. 8. Barboſ. in collect. DD. in cit. c. In Geneſ. & de iur. Eccleſ. lib. 1. c. 19. n. 172. Ratio huius eſt, quia ea, quæ fiunt ab aliqua vniuerſitate nomine vniuerſitatis debent fieri per congregatos in vnum; ad hoc enim, vt actus dicetur geſtus ab vniuerſitate, oportet, vt more ſolito congregetur Collegium, & ibi fiat concluſio de actus explicatione, vt ait Panorm. in c. Cum omnes. n. 7. circa fin. de conſtit. ex Gloſſ. quam dicit notabilem in l. ſicut. ff. quod cuiuſque vniuerſitatis. idem Panorm. Cum Innoc. & Butr. in dict. c. in Geneſ.

Bartol.

Bartol. in l.omnes populi. collect. 7. verſ. Tert.quæritur.ff.de iuſtit.& iur.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. PRior electio celebrata ab illis, qui receſſerunt è loco, vbi omnes erant congregati pro electione celebranda, nulla eſt cenſenda. Suadetur, quia actus ſemper corruit,dum omittitur forma legis. l. Cum hi §. Si Prætor. de tranſact. c.Cum dilecta.de reſcript.c.Quia propter. de elect. Rebuff. in tract.de pacif. poſſeſſ. num.155. Tiraq. de retract. conuent.§. 4. Gloſſ.6.n.31. nam forma ſubſtantialis dat eſſe rei.l.Diuus.ff.de integr.reſtit.Clemēt. 1. de rebus Eccleſiaſt. non alienan. Dec. conſ.429.n.5.& conſ.434.n.2.Tuſch.tom. 3.lit.E.concl.413.ſed in actu prędictæ electionis fuit omiſſa forma legis; in vnum enim electores non erant congregati,nam hoc ſpectat ad formam eſſentialem electionis, vt dixi ſuperiùs: igitur eorum electio tanquam nulla habenda eſt.

Dices, huiuſmodi electio fuit celebrata collegialiter; nam conſenſus non fuit datus in cameris, ſed in loco publico, in quo illi quatuor electores ſe cōgregarunt.Reſp: quòd Collegium ſemper cenſendum eſt illa congregatio congregata in ordine ad electionem; & ideò illi, qui ſe ſeparant ab illa, intelliguntur veluti ſchiſmatici; vndè nequeunt conſtituere Collegium; aliàs eſſet in manu omnium electorum cōſtituere Collegium, & ita qui exierunt, computantur inter illos, qui renunciarūt, vt colligitur ex c. Cum nobis. de elect. Gloſſ. ibid. verb.reuocare. Abb. ibid.n. 3. Rota in Cæſaraguſtā.elect.20.Matt.1623. coram Dom. Coccino Decano. Panorm. in c.Cum nobis.n.10. & Gloſſ.in Clemēt. Quod certa. de elect. verb. Quæ facto. Caſtellin.de elect.c.5.n. 11. Tamburin. de iur. Abb. tom: 1.diſp.5.qu.3.n.25.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. POſterior electio ab illis celebrata in loco, in quo omnes erant congregati pro facienda communi electione, eſt ſuſtinenda tanquam valida. Suadetur, quia, cum poteſtas eligendi reduci poſſit ad duo, vt adnotaui in præc.quæſit.vt etiā probat Panorm. in c. licèt de euitand. tit. de elect.& cum poteſtas, ac ius electionis capitularis apud eos remaneat, qui permanent capitulariter in congregatione facta in ordine ad electionem, & cum hæc omnia habeantur in electoribus prædictis, qui non ſolùm erant duo,ſed quinque,imò erant maior pars electorum; nam ſeparati erant quatuor,& adhuc morabantur in loco, vbi omnes fuerant congregati pro cōmuni electione: igitur nulla aſſignari poteſt ratio, quin cenſenda ſit valida.

Dices, admiſerunt huiuſmodi electores hominem excommunicatum, quem admittere non poterant; ius enim eligendi non habebat. Reſp: quòd id non erat certum, ſed ſub dubio; ideò non erat ſpoliandus ſuo iure, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis. c. Pro poſſeſſorę. de reg.iur.lib.6.Tiraq.de iur.primogenit. qu. 17.opin.11.num.20.Surd.conſ.73.n.76.& fuit admiſſus facta proteſtatione, vt conueniens erat.

Dices, licèt prior electio ſit nulla, nequit ad aliam deueniri, niſi prior declaretur nulla; aliter non tenet ſequens electio, c. Inter dilectus.de exceſſibus Prælat: c. Conſiderauimus. de elect. Lauor.tit. 4. c.19.n.123. Nald.tit. elect. n.21. Bordon. in conſ.regul.reſol.26.n.6.Sigiſm.de elect. in 2. edit. dub. 96. Reſp. doctrinam eſſe veram, niſi prima notoriè nulla eſſet; nam tunc ſecunda fieri poteſt,nō caſſata prima, vt habetur ex Gloſſ. & DD.in c. Auditiſ. de elect.& in c. Conſtitutus. de appellat. Panorm.in c.Cōſiderauimus.n.4.de elect: Cuch.inſtit.moral.lib.4.tit.de elect.n.141. Sigiſm. vbi ſupr. cum ergo in caſu prior electio fuerit notoriè nulla ob rationem ſuperiùs allatam; proindè poſterior cenſenda eſt valida.

Dices, ea, quæ fiunt ab vniuerſitate, quantumcunquè vniuerſitas vocetur per magiſtratum, oportet ad hoc, vt valeant, quòd accedant ſaltē duæ partes. Ita Bald. relatus à Panorm. in c. In cauſiſ. de elect. n. 9. & cum in poſteriori electione duæ partes ex omnibus, qui ius habebant eligendi, non dederint votum, vt de ſe patet,

ideò

ideò nequit ſuſtineri tanquã valida. Reſp. cum Panorm. vbi ſupr. loquente ex ſenſu Canoniſtarum, nõ eſſe ita neceſſarium, vt congregentur duæ; quandò vocati nolunt intereſſe, quia poſſẽt aliqui facientes duas partes nolle intereſſe, & ideò, ne electio impediatur à præſentibus celebrari debet, quia abſurdum foret per particularium cõtumaciam vniuerſitatis negotia impediri: videatur Tamburin. de iur. Abbat. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 3. num. 23. & ſeq.

## DVBIVM CLXXXXI.

*An elector, qui ſuo Prælato exponit hæc verba, ad nutum tuum eſt meum votum, lethali culpa obnoxius ſit: & an, quandò maior pars electorum inclinat in dignum, poſſit, ac debeat Caius elector, neglecto digniori, digno illo ſuffragari.*

### SVMMARIVM.

1. *QVæſiti intentio habetur ex quinque modis deſcriptis.*
2. *Secundum primum non eſt lethali culpa damnandus elector.*
3. *Secundum alios non eximitur à lethali culpa: & multa obiectiones ſoluuntur.*
4. *Poteſt, ac debet elector digno ſuffragari, quandò maior pars inclinat in illum.*

1. Quinque modis ſenſus primi quæſiti aperitur. Prim. fit, cum tantùm intelligit hac expreſſione ſenſum Prælati audire, vt tanquam ex conſilio ſuũ rectè dirigat votum in materia tã graui, quatenus in Prælato præſupponitur maior notitia meritorum, ac demeritorũ eligendorum. Secund. cum ductus aliquo intereſſe, & commodo intendit aſſequi bona temporalia ab ipſo Prælato. Tert. cùm agnoſcit Prælatum eſſe addictum factioni, vt ipſa ſuſtentetur; intendit ſuo voto ipſi adhærere. Quart. cũ ductus aliquo timore, eò quòd Prælatus vtitur authoritate, ſeù potentia ad opprimẽdos ſubditos, qui ad nutũ ſuũ in ferẽdis votis non mouẽtur, vt ſe eximat ab aliqua moleſtia, huiuſmodi exhibitionem facit. Quint. cũ ratione amicitiæ intendit Prælatum cõſeruare in dominio, ſaltẽ in amico.

#### PRIMA CONCLVSIO.

2. ELector, qui intendit ſuum conferre votũ ad Superioris nutum iuxta primã acceptionem, non eſt lethali culpa damnandus. Ratio eſt manifeſta, quia, cũ electores poſitiuè teneantur ſcire digniotatem eligendorum, nec ſufficiat, non ſcire eos non eſſe indignos, vt docet Panormit. in c. Bonæ mem. de poſtul. Prçlat. n. 15. Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. contr. 1. Em. Lugo de iuſtit. diſp. 34. ſect. 2. num. 12. ſed opus ſit habere certitudinẽ moralẽ, & humanã, qua iudicet elector talem eſſe virum probum, vt ex multis docet Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 31. §. 1. verſ. Not. ſecund. ideò inter media congrua ad huiuſmodi notitiam acquirendam ſemper erit cenſendum conſiliũ Prælati, qui ſemper meliùs exiſtimabitur informatus meritis eligendorum. Et confirmatur, quia, cũ tractatus cõſultorij in electionibus nõ prohibeãtur, ſicut prohibẽtur ãbitioſi, factionarij, cõditionales, vt habetur ex Abbat. Petr. Boiſio. Guliem. Mandagot. Dian. Cucho. Petr. Gregor. Molfeſio, quos citatos ſequitur Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſp. 4. cõtrou. 11. n. 6. proindè audire ſenſum Prælati etiam petitũ non erit prohibitum, quia ſe habet tanquã tractatũ licitum. Animaduertendum eſt hìc illud, quòd rectè notat Lauor. de elect. canon. tit. 4. cap. 6. n. 50. Tractatus igitur eſt veluti præparatio ad electionem, non autem electio, ſicque in eo diſcuſſio eorum, quæ facienda ſunt, nominantur vtrinque plures, qui iudicãtur digni electione, & fit collatio nominatorum perſonæ ad perſonam, & meritorum, zeli ad zelum c. In Geneſ. c. Cumeua. de elect. & quiſq; dicit, quòd ſibi videtur, abſque eo tamen, quòd ſequatur aliqua cõcluſio, vel electio: Hæc Lauor. Timeo, ne multi tractatus apud aliquos vertantur in electiones, ſeù, vt meliùs dicam, multæ electiones extra locum electionis fiant ſub nomine tractatus.

#### SECVNDA CONCLVSIO.

3. SI, poſtea electoris intentio exprimentis notata verba, fertur ad conferendum votum iuxta alias acceptiones,

nes, ſemper eſt damnanda lethaliter mala. Suadenda eſt concluſio ſecundum ſingulas partes, & acceptiones, & prim. tunc committitur ſimonia mentalis, & conſequenter peccatum mortale, quandò affecta animi ſpirituale donatur, vt acquiratur temporale, vel è contra, ver. gr. ſi conferas alicui beneficium, & intendas eum obligare ad reddendum temporale; in hoc enim intercedit ratio pretij. Ita Sot. lib. 9. de iuſtit. qu. 2. art. 2. verſ. Poſtremò dub. Victor. in relect. de ſimonia n. 1. & ſeq. Suar. 1. de Relig. lib 4 c. 44. n. 8. Fillıuc. tract. 45. c. 10. qu. 4. Valent. tom. 3. diſp. 6. qu. 16. punct. 3. qu. 2. Bonacin. de ſimonia diſp. 1. qu. 2. n. 9. & alij apud præcitatos DD. ſed elector conferendo votum ad nutum Superioris dat aliquod ſpirituale, ſeù pertinens ad ſpirituale intendens eum obligare ad conferenda commoda temporalia: igitur eximi nequit à labe ſimoniæ mentalis.

Dices, licèt veriſſima ſit doctrina allegatorum DD. nihilominus pro noſtro caſu non eſt ad rem, quia eſto intendam dare meum ſuffragium ad nutum Superioris pro acquirenda re temporali; nihilominus nullam intendo ſtatuere obligationem, neque vllam rationē pretij. Reſp. quidquid ſit de tua intentione, tu ipſe videris; dico tamen te non poſſe effugere peccatum, licèt fortè non ſimoniæ, ſaltē erit peccatū contra decretum ſacri Concil. Trid. præcipientis ſecretum votorum in Regularium electionibus: vide meum tractatum in dub. 198. & intelliges rei veritatem.

Secunda, quia, cum elector proprio ſuffragio teneatur tueri vtramque iuſtitiam, commutatiuam ſcilicet, & diſtributiuā in fauorem boni cōmunis Religionis, conferēdo votū præſcripta intētione læditur cōmutatiua cuius finis eſt propagare vnitatē, ac pacē, dū factiones, & ſeditiones nutriūtur offenditur diſtributiua, quia factionarij nequeūt eſſe digni, & multò minùs digniores: igitur, &c. vide etiam ea, quæ dico in dub. 187. Adde, quòd cōmittitur peccatū contra fidelitatem electori commiſſam à Religione, quandò ius eligendi ei dedit, atque conceſſit; conceſſit enim, inquam, ius eligendi electori, vt magnum electionis negotium fideliter bonum commune tuendo, pertractetur; proindè dicebat Aragon. 2. 2. qu. 63. art. 2. pag. 215. verſ. ad 1. argumentum: Fidelitas enim Eccleſiæ debita, eiuſque ſtatuta in re tam graui obligare ſufficiunt ſub mortali ad eligendum miniſtrum digniorem. Tertia pars ſuadetur: cōſeruare aliquem in dignitate, qui tyrannicè ſe habet non intendendo bonum commune, ſed propriam vtilitatem, & commodum, ſubditoſque potentia opprimendo, neglecta iuſtitia, nequit imputari niſi ad peccatū mortale. Ita omnes DD. debēt fateri, quia eſt actio de ſe mala, & intrinſecè mala: ſed huiuſmodi Prælatus ſe habet præſcripto modo: ergo, &c. maior certa: minor habetur ex S. Th. 1 de regim. Princip. ca. 1. Ægid. Roman. de regim. Princip. 2. part lib. 3. c. 2. Primò ait. *Si igitur regimen iniuſtum per vnū, aut per plures tantū fiat, qui ſua commoda ex regimene quarāt, nō autem bonum multitudinis ſibi ſubiecta, tales Rectores tyranni vocantur, nomine à fortitudine deriuato; qui ſcilicet per potentiam opprimūt, non per iuſtitiam regūt*; Secud. ait. *Regis autem eſt intendere bonū commune, ſi verò. ille vnus dominans non intendit bonū commune, ſed per potentiam ciuilem opprimens alios regimen ordinat ad bonum proprium, & priuatum, nō eſt Rex, ſed Tyrannus*: eximi igitur nequit à lethali culpa.

Dicet elector, eligendi munus non me obligat ad ferendam non paruam moleſtiā Superiori, nec cū tanto onere huiuſmodi munus ſuſcepi. Reſp quòd, quandò Religio tibi dat ius eligendi, non te obligat ad illud acceptandum, niſi in aliquibus caſibus, de quibus DD. ſed, eo acceptato, voluntariè te ſubmittis obligationi tuēdi bonū cōmune. ideò dicebat Caietan. 2. 2. qu. 90. art. 8. quemlibet teneri Reipublicæ bonū cōmune tueri nec in diſcrimine ponere, & patiendi aliquod incōmodū, vt omnes fatētur DD. vt id incolume ſaluetur ab omni aduerſitate; ideò moleſtia ferēda à Superiore nequit te excuſare in caſu: Audi quæſo nōnulla verba Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 31. ſ. 2. Dico inquit, multos puſillanimes his, & ſimilibus friuolis rationibus allucinari, hiſque ſe blandimentis demulcere ſibi perſuadentes licere concurrere ad electionem indigni propter timorem alicuius inhibitæ perſecutionis certum malum perpetrantes pro incerto labore trepidantes, vbi non

eſt

eſt timor? & quis, quæſo, timor poteſt eſſe in electionibus, quæ fiunt in Religionibus, vbi ad hunc timorem expellendum tot remedia adinuenta ſunt: ſecretū enim illud, quod requirit Concilium ad nihil aliud fuit inductum, niſi ad puſillanimitatem fouendam: denique quis timor poteſt eſſe in Religionibus, vbi tot Superiores reperiuntur, quorum ſi vnus aggrauat, alter ſubleuat; ſi vnus percutit, ſanat alter; vbi tot recurſus, vbi aliorum Superiorum viſitationi ſubiacent, & cenſuræ: æſtimant quidam Religioſi quamplurimis commodis aſſueti illorū vno priuari maximā eſſe perſecutionem; & ideò cuicunque propoſito ad Prælaturam ſuffragantur, ne talibus commodis priuentur, parùm, ſeù potiùs nihil conſiderantes, ſit ne dignus, nec ne; ſit, aiunt, vt vt ſit, ſit amicus meus, mea curet, me meis ſinat commodis perfrui, & decurrant res, quomodò currunt, ſe ipſos decipientes, ſuam Religionem defraudantes, & bonum commune, ad quod reſpicere tenentur, euertentes, & deſtruentes: deindè dico, quòd, quamuis aliquid iniuſtè paſſuri eſſent, non deberent tamen indigno ſuffragari; nam bonum particulare communi eſt poſtponendum: neque valet, quòd bono communi proſpicere non poſſunt, quia pauci; tenentur enim proſpicere, quantùm in ipſis eſt, vnuſquiſque pro parte, & ſi alij non proſpiciant, ipſi viderint: dicant mihi, quæſo iſti, ſi deſtruant aliqui Religionem, vel monaſterium de facto, abſque eo, quod ego poſſim id reparare, licebit ne mihi illos ad deſtruendum adiuuare? vel ſi alij occidant alium, à qua occaſione ego illū defendere non poſſum, licebit ne mihi ex hac pugione ferire? nequaquam certè, prout ex his, quæ docet Nauarr. in ſummi. c. 17. n. 20. clarè conſtat, dicamus ergo: *Quòd malè ſe habet res tum in Republica, vbi eſt, qui pro bono communi mortem ſubire paratus ſit*: vt dicit Pius II. in quadam epiſtola: hæc Peirinus. Ex hac doctrina ſequitur malè dixiſſe Bordonium de elect. reſol. 61. n. 32. tom. 2. poſſe minorem partem ſuffragari indigno, quem vult ſeligere maior pars; nam licèt valor electionis non pendat à minori, & ſine ipſa ſit eligendus indignus, nihilominus influit in rem malam ſuis votis poſitiuo concurſu, & ideò ad effectum cauſandum eſt cauſa proxima ſicut maior pars, licèt ſine ipſa effectus, nempè electio indigni, haberetur, vndè ferre ſuffragium pro indigno eſt actio intrinſecè mala, & ideò in caſu ſemper eſt mala; & ita teneor dare ſuffragium digno; & eſto actio ſit fruſtratoria, non eſt tamen fruſtratoria pro euitando peccato: concludo doctrinam Bordonij in hoc non poſſe ſuſtineri, & eſſe deleridam, quia aperiretur via ad dicendum, licère occidere ad fugiendam mortem, quam mihi vult Dominus meus inferre, ſi non occido eius inimicum; licere fornicari ad eximendum me à morte, quam mihi minatur Titius, ſi non fornicor, vel ſaltem licere occidere inimicum Patris mei, quia ſine me eſt occidendus à meis fratribus, licere furari, quia ſine me res eſt à meis ſocijs ſurripienda.

Vltima pars ſuadetur, quia intendit elector conferre votum ſub ratione impertinenti, nempè amicitiæ, quæ nequit attendi, niſi lethaliter peccando, vt communiter DD. docent.

Dices, licèt exhibitio voti fiat ex motiuo amicitiæ, nihilominus eſt dignus, idque etiam intenditur, ac proſpicitur. Reſpond. quòd incidis in Scyllam, cupiens vitare Caribdim; nam, quantùm in te eſt, non curas de iuſtitia talis regiminis, quæ viciſſitudine hominum propagatur, ideò dicebat S. Thom. 5. polit. lect. 6. quòd *Reſpublica ſaluatur per iuſtitiam, quia iuſtitia fit per communicationem*, & 3. polit. lectio. 3. *Eſt quidam Principatus ſecundum quem aliquis principatur, non ſicut dominus ſeruis, ſed ſicut liberis, & ſibi æqualibus, & hic eſt ciuilis Principatus, ſecundum quem in Ciuitatibus nunc hi, nunc alij aſſumuntur ad principandum*: quò fit, vt regimen fundetur ſuper iniuſtitia ſubditorum, qui amaro animo hoc tolerant, vndè facillimè, & data temporis opportunitate ſeditione, ac factione corrumpunt communitatem: audi D. Thom. 7. polit. lect. 10. *Reſpublica fundata ſuper iniuſtum ſubditorum, non eſt benè manſiua, quia ſubditi grauati per iniuſtitiam ſunt amaro animo, & de facili poſſunt corrumpere Rempublicam*: O quot caſus, ac tumultus poſſunt deſignari in

Religionibus tali tempore orti, qui multò priùs erant in animo ob iniuſtitiam regiminis; proindè optimè dicebat S. Thom. 5. polit. lect. 7. *Latet ſæpè* (ideſt corruptio Reipublicæ.) *quia non fit ſimul, & ſecundum magna, ſed fit paulatim, & ſecundum modica.*

*TERTIA CONCLVSIO.*

QVandò maior pars electorum vult digno ſuffragari, poteſt Caius ſuum votum dirigere ad illum eligendum poſthabito digniori, imò cogente conſcientia debet, quandò abſque eius voto non eſt celebranda electio, ſed deuoluenda ad Superiores, ad quos de iure ſpectare poteſt. Duas habet partes concluſio, quarum prima habetur ex eo, quia nullus tenetur ad inutile, & vanum, & ad actum fruſtratorium c. 4. §. ex his omnibus 23. qu. 6. elicitur etiam ex Emin. Lugo diſp. 38. ſect. 2. n. 28. ex Sanch. de Matrim. lib. 2. diſp. 38. n. 6. §. 3. quem citatum ſequitur Bordonius in conſil. Regul. reſol. 61. n. 32. dicens, quod ad actum vanum nulla lex obligare poteſt: ſed ſi Caius non poſſet ſuffragari digno illo, fruſtratorium, & inutile eſſet eius votum, quia dignior non eſt aſſumendus ad dignitatem: ergo. Adde, quòd quis poteſt conferre ſuffragium digno, quandò omnibus electoribus dignior non placet, vt inquiunt Caietan. in ſumm. tit. electio in fin. & Peirin. inferiùs citādus: ergo Caius abſq; conſcientiæ ſtimulo accedere poteſt ſuo voto ad dignū illum, digniori neglecto. In hāc cōcluſionis partē cōſpirant Silu. Salon. Io. Valerius, Bann. Vega. Diana, quos citatos ſequitur Peirinus in formulario lit. E. c. 2. n. 10. Sanch. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 4. n. 6. Samuellius de elect. canon. tract. 1. diſp. 6. controu. 5. Lauor. de elect. canon. tit. 4. c. 19. n. 66. referens Reginaldum, & ita eſt firma concluſio, etiamſi Caius iuraſſet de eligendo digniori, quia iuramentum intelligitur ſemper de poſſibilibus, inquit Sanch. vbi ſupr. cum Soto, & Aragonio ab ipſo relatis. Secunda pars ſuadetur, quia in caſu, quòd nullatenus ſit celebranda electio, ſed deuoluenda ad Superiorem, dignus ille fit dignior; ergo conſcientia vult pro eo eſſe ferendum ſuffragium: antecedens probatur ex ſententia ferè omnium DD. dicentium, quòd dignioritas non deſumitur ex perſonarum qualitatibus preciſè, ſed ijs præſupoſitis, deſumi à maiori vtilitate Eccleſiæ, vt videre eſt in dub. 26. & 44. ſed dignus ille affert magnam vtilitatem congregationi, quia non priuatur eadem congregatio à Superiore electo proprijs voluntatibus eligentium, nec ad tempus ſuſpenditur communitas, vt ſine capite exiſtat, quòd non parua incommoda ſolet afferre, nec ſuauitas gubernationis alienatur, nec prompta obedientia tollitur, quia electus, communi conſenſu, & deſiderio ſubditorum multò ſuauiùs, & meliùs gubernat, & meliùs, & promptiùs illi obeditur, inquit Sanch. & Caietan. vbi ſupr. nec ſubditi inuiti ferent Superiorem creandum ab illo, ad quem deuoluitur, nec ſemen diſcordiæ in communitate diſpergetur; ergo dignus ille fit dignior ob vtilitatem, quam conſequitur communitas, ergo Caius conſcientia ductus tenetur ferre votum pro digno illo, tanquā digniori.

Limita modò vota illa, ſeù ſuffragia nō ſint factionaria, ſeù artificijs, amicitijs, donis, ſubornatione, &c. mendicata, ſi enim probabili cognitione talia cognoſcuntur, ceſſat omnis obligatio, imò eſt abſtinendum ab eius electione, tanquam indigna, bonoque communi noxia.

Dices, dignior, qui negligitur, aliqualē damnum ob eius merita clariora patitur; Reſpond. quòd pro bono communi, & pacifico ſtatu tenetur illud pati. Ita Sanch. vbi ſupr. referens Salon. & doctos recentiores.

# TRACTATVS VNDECIMVS.

# DE SVBORNATIONE IN ELECTIONIBVS.

*Hic diſcuti poßunt multa ſpectantia ad præſentem materiam, ſed quia exactè fuerunt tractata à Paſqualigo deciſ.230. & ſeq. & à Samuell. de elect. canonic. tract. 2. diſp. 1. contr. 10. & ſeq. ideò prætermittuntur; ſed tantùm tria tangam; quorum duo prima diſcutiuntur in ordine ad tertium.*

## DVBIVM CLXXXXII.

*Quænam ſubornatio, ſeù votorum procuratio in canonicis electionibus interdicatur.*

### SVMMARIVM.

1. *Subornatio quid: alia eſt bona, alia verò mala:*

2. *Legiſlatoris mens habetur ex proemio.*

3. *In electionibus canonicis tantùm prohibetur ſubornatio mala; non verò bona: & aliquibus ſatisfit obiectionibus.*

Pro intelligentia ſit prim. not. tam iura, quàm ſpeciales conſtitutiones ſummorum Pontificum, & in ſpecie Clement. VIII. cuius conſtitutio incipit. *Nullus omninò* &c. 1601. 20. Martij emanata pro Regul. reformat. & à Paulo V. confirmata, ac nouiſſimè ab Vrban. VIII. prohibere ſuffragiorum procurationem pro ſe, vel pro alijs, quocunque modo fiat, videlicet precibus, promiſſis, &c.

Not. ſec. ſubornationem definiri iuxta mentem Card. in Clem. 2. not. 14. de reſtib. quem poſtea ſequuti ſunt Silu. tit. ſubornatio ibi Tabien. Rodriq. tom. 2. qu. 56. ar. 5. Baſlæus in ſumm tit. electio n. 14. in 3. edit. Portell. tit. ſubornatio n. 1. Samuell. de elect. canon. tract. 2. diſp. 1. contr. 12. quòd ſit ſuaſio, qua ſuadetur verum, vel falſum in bonum, vel malum finem. Ex hac ergo doctrina, ſeù definitione quædam diſtinctio colligitur, aliam eſſe bonam, aliam verò malam: bona quidem illa erit, qua in alicuius animum inducitur verum in bonum finem, vt quandò ſuadentur electoribus veræ virtutes alterius, & vera vitia, quibus notatur indignus, ne eligatur, & dignior digno præferatur: mala, qua

falſum

falſum conſulitur in malum finem, vt quandò ſuadetur virtutes falſæ, & diſuadentur vitia vera. Ita habetur ex Aloyſ. Ricc. in praxi for. Eccleſ. part. 4. reſol. 50. referente Nauarr. & Rodriq. quæ mala, inquit Portell. vbi ſupr. fieri poteſt voce, donis, minis, precibus, & ſimilibus.

Not. tert. quòd animus, ſeù intentio Legiſlatorũ ſatis nobis innoteſcit ex proœmio, ac legis initio; ſæpè enim apponitur finis, & cauſa, ob quam lex imponitur. Ita, alijs relatis, habetur ex Tiraq. tract. ceſſant. cauſ. lim. 1. n. 65. Burgo de Paz conſ. 32. n. 6. Molin. lib. de primogen. c. 5. n. 3. 4. 5. Salas diſp. 21. ſect. 3. verſ. tert. reg. Gutier. 1. pract. qu. 17. n. 90. & 91. Suar. de legib. lib. 6. cap. 1. n. 11. Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 37. num. 4. Rodrig. tom. 1. qu. 11. art. 6. Caſtr. Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 5. punct. 3. §. 3. & conſtat ex regula circa fin. ff. de iur. & fact. ignorant. & l. final. ff. de teſtam. tutel. & ibi Bartol. & alij: his ſuppoſitis

*CONCLVSIO.*

IN canonicis electionibus ſolùm interdicitur illa ſubornatio, ſeù votorum procuratio, quæ per ſe tendit ad malum finem, ex qua grauia incommoda ſequuntur in Republica; non verò quæ eſt iuſta, & quæ per ſe dirigitur in bonum finem, vt Religio poſſideat in pacis, ac perfectionis augumentum optimos Prælatos. Ita tradunt Nauarr. lib. 5. conſil. tit. de conſtit. conſ. 7. fol. 139. n. 7. Aloyſ. Ricc. vbi ſup. n. 3. Bordon in conſ. regul. reſol. 26. n. 24. Paſqualig. deciſ. 25. Leandrus de Murcia in 8. cap. Reg. S. Franc. c. 14. §. 1. n. 3. Nald. in ſumm. tit. Religio n. 42. & DD. in ſec. not. citati, præter Baſilæum, qui in 3. edit. adhæret opinioni tanquam probabiliori Cyprian. Crouſers ad c. 8. Reg. S. Franc. lect. 2. fol. 820. aſſerentis tam bonam quàm malam eſſe prohibitam, idque probat varijs rationibus; Suadetur prima pars ex eo, quòd finis legum deſumitur ex verbis proœmialibus, vt patet ex text. not. ſed finis tam iurium, quàm conſtitutionum Pontificum non eſt alius, quàm impedire, & prouidere, ne indigni eligantur, & digni non præferantur dignioribus, & cùm lex non obliget vltra finem intentum, nam obligationis menſura eſt, quia vltra ipſum non ſe extendit intentio Legiſlatoris, atque adeò nec vltra ipſum aliquid operatur c. fin. de præb. & l. in qua ff. de acquiſit. rer. domin. aſſerendum igitur eſt præfatas conſtitutiones tantùm interdicere illos tractatus, qui aduerſantur fini intento, id eſt qui ſunt mali, & non illos qui tendunt ad eleuandam perſonam tali munere inter dignas digniſſimam. Et confirmatur ex doctrina Ariſt. 10. Rethor. c. 9. dicentis leges magis interpretari debere ex Reipublicæ vtilitate, quam ex legis impoſitione; ergo ſecundum mentem Philoſophi etiam eſt dicendum ſolùm malam prohiberi, quia hæc obſtat vtilitati communitatis.

Limita, modò ſit ſufficienter prouiſũ à Superioribus, vt impoſturæ, ac malignitates deferantur Iudici, vt præcipiunt conſtitutiones Apoſtolicæ, & petit bonum publicum, vt dixi in dub. 9. neceſſariò enim ſunt audiendæ, & à multis viris maxima integritate prædictis ſunt ferendæ, quia, cùm in qualibet congregatione inueniantur Religioſi ficti, ac mali tam ſecreti, quàm manifeſti, vt plurimis in locis dixi, & cum eorum ſcopus ſit effrenatè viuere, ſemper eorum intellectus aſtutias machinat, vndè tempore opportuno etiam ſub ſpecie zeli, ne malignitas cognoſcatur, non parcunt linguis, vt eligatur indignus, neglecto digno, ſeù digniori, ab electoribus, ſi non indignus, ſaltem ille, apud quem exiſtimant ſibi indulgentem pro ſuis malis moribus, & concupiſcentijs perpetrandis. Dixi, à multis viris maxima integritate, &c. quia eorum diabolicæ aſtutiæ, nota, ſemper erunt aduerſus huiuſmodi viros, qui reguntur, vt eorum integritas demonſtrat, à Deo, ne tandem ab his penetretur propria malitia, & reprimatur; vndè imminet maxima iactura bono publico, quia, his neglectis ab electoribus, quod apud ſimplices non attingentes malitiã aſtutorũ erit facile, deuoluitur regimen ad relaxationis occaſum, & eſt illud, quod intendunt huiuſmodi mali, ac aſtuti, vndè hic congruit illud dictum S. Thom. 5. polit. lect. 6. ex Ariſtot. *Contingit autem maximè*

*ximè fieri ſeditiones, quandò ſunt multi aſtuti, & quaſi ſimiles*, nota, *virtuoſis, qui enim aſtuti ſunt, poſſunt inuenire diuerſas vias ad malum finem, propter quod ſciunt, & poſſunt mouere ſeditiones*: Vndè mihi videtur ſatis congrua ſequens prouiſio, quòd præcipiatur in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus electoribus, quòd, quandò apud ipſos ſunt expoſiti aliqui defectus ſecreti eligendorum, quibus fit animus anceps eis ſuffragandi, teneantur morali diligentia veritatem indagare, eaque non inuenta, obligatione adſtringantur deferendi authores horum ſupradictorum defectuũ, tanquam malos ſubornatores, Iudici, vt poſſit occurrere bono communi læſo: nec huiuſmodi præceptum videtur durum, quia fauet obligationi electorum; nam eo ipſo, quòd ipſi tenentur, vt ſuo muneri ſatisfaciant, poſitiuè inquirere idoneitates eligendorum, vt dicam inferiùs, & in vltimo dub. ex pluribus DD. dum oritur difficultas circa idoneitates, tenentur moralem diligentiam apponere ad rei veritatem indagandam; nam qui tenentur ad finem, tenentur etiam ad medium pro eius aſſecutione, & licet vitæ probitas illius, qui expoſuit huiuſmodi defectus poſſit expellere omnem dubitationem de falſitate, nihilominus ratò hoc eſt admittendum, quia multi Angeli lucis in hac materia electionis ſæpè mutantur in Angelos tenebrarum, quia inquit S. Hieron. epiſt. 51. *Ambitio difficiliter, & rarò vincitur, & ab ipſa homines inculpatiſſimi poſſunt vinci*. Cum ergò iſta limitatione debet ſuſtineri doctrina tradita, aliàs firmiter eſt inhærendum doctrinæ Crouſers, quia rationabilis euellens è Religionum cãpo infinita mala in totale exitium boni publici, quæ committuntur ſub velo ſubornationis bonæ; & licèt tollatur bonum, quod elicitur ex ſubornatione bona, attamen maius malum abſcinditur, maximè quandò Religiones ſunt in tertio ſtatu declinantes ad occaſum, quàm bonum, quod elicitur, vt intelligenti ſemper videbitur. Iuxta ergo hanc limitationem explicanda eſt doctrina alibi tradita de ſubornatione.

Secunda pars ſuadetur ex eo, quia præcluderetur via ad canonicam electionem, in qua electores tenentur iuxta mentem Azor. tom. 2. lib. 2. c. 21. qu. 4. Nald. in ſumm. tit. eligere n. 2. Sigiſm. de elect. dub. 33. n. 3. in 2. edit. referentis Panorm. Abulenſ. & Armill. per ſufficientem inueſtigationem habere notitiam qualitatum eligendorum, moralem intellige: Adde, quòd vnicuique incumbit onus ex iure naturæ conſulere bono communi, conſequẽter ex eodem iure nauandi operam medijs pro eius conſequutione; & cum valdè interſit communitati, vt perſonæ dignæ eligantur c. Nihil, & c. Fin. de elect. ideò nequit interdici electoribus, ne procurent bonum commune: ergo prædictæ conſtitutiones nequeunt ſe eſtendere ad prohibitionem iuſtorum tractatuum.

## DVBIVM CLXXXXIII.

*Circa quod verſari debeat præſertim ſubornatio bona.*

### SVMMARIVM.

1. *Adnotantur conditiones, quæ conſtituunt hominem dignum Prælatura.*

2. *Itidem adnotantur, quæ reddunt hominem indignum.*

3. *Subornatio bona verſari debet circa omnes qualitates, & conditiones, ſed præſertim circa iuſtitiam, quæ eſt virtus propria Præſidentis.*

4. *Subornator lethali culpæ obnoxius ſemper cenſendus eſt, ſi perſuadeat hominis virtutes, vt eligatur, ſi in eo huiuſmodi iuſtitia non eniteat.*

Pro intelligentia quæſiti ſit prim. not. quòd quatuor conditiones conſtituunt hominem dignum Prælatura, de quibus iam dixi plurimis in locis. Prim. eſt habilitas, ſeù capacitas iuridica ſecundum ætatem legitimam, quam poſtulat ius, quod ſit ex legitimo matrimonio, &c. Secund. honeſtas morum, ideſt quòd non ſit improbus, & vitioſus. Tert. ſcientia competens, ideſt quòd habeat ſcientiam, quæ ſpectat ad ſuum officium, vt illud dignè adminiſtrare

re

re poſſit, de qua loquutus ſum in dub. 30. præſertim illam; quæ pertinet ad regimen pro multitudine regenda in vnitate, ac pace; de qua inquit S. Thom. ex Ariſt. 3. polit. lect. 7. *Scientia autem eſt communis omnibus; oportet enim, quòd habeat ſcientiam Princeps in ducatu exercitus, & in regimine Ciuitatis; aliter enim non poteſt dirigere in finem intentum ea, quæ ſunt ad finem*: vndè ſcientia illa regiminis inter omnes ſcientias practicas, elicit ex Ariſt. S. Th. 3. polit. lect. 1. & 3. polit. lect. 10. in princip. cenſenda eſt principaliſſima, quæ docet non eſſe de pace, ac vnitate conſulendum; ſed, his præſuppoſitis, inſtruit eſſe quærenda media pro earum conſequutione, vt habetur ex S. Th. 3. ethic. in princip. lect. 8. *Medicus*, inquit, *non conſiliatur, an habeat ſanare infirmum, ſed hoc ſupponit quaſi finē; nec Rethoricus conſiliatur, ſi debeat perſuadere, ſed hoc intendit quaſi finem; nec etiam politicus, ideſt Rector Ciuitatis conſiliatur, an debeat facere pacem, quæ ſe habet ad Ciuitatem, ſicut ſanitas ad corpus hominis, quæ conſiſtit in conuenientia humorum, vt pax in conuenientia voluntatum, ſed de medijs, quæ ſunt ad finem*: Quart. prudentia, & induſtria rerum agendarum; ideò Ariſt. lib. 3. polit. c. 3. ait: *Prudentia verò propria virtus eſt Præſidentis*: & S. Th. 3. polit. lect. 3. *Oportet*, inquit, *Rectorem politiæ eſſe prudentem*: verùm duæ aliæ neceſſariò ſunt addendæ in Rectore regulari. Prim. eſt iuſtitia, quæ deſideratur in Regente; vt poſſit propagare finem, nempè pacem regiminis politici, de qua ſic loquitur S. Thom. 3. polit. lect. 3. ex Ariſt. *Non eſt eadem virtus Principis, & ciuis*: & paulò inferiùs: *Altera eſt ſpecies iuſtitiæ Principis, & iuſtitiæ ſubditorum*; Principi enim conuenit talis iuſtitia, cuius totum eſt ad alium: *Sola iuſtitia*, dicebat idem S. Thom. 5. ethic. lect. 2. *videtur eſſe alienum bonum, quod eſt ad alterum, inquantum operari intendit ea, quæ ſunt vtilia alteri, ſcilicet vt ipſi communitati*: & lect. 11. *Ad hoc enim Princeps inſtitutus eſt, vt cuſtodiat iuſtitiam, & per conſequens æqualitatem, quam præterit, dum ſibi vſurpat plus de bonis, & minùs de malis*. Secund. debitus zelus promouendi bonū perfectionis, ſine quo euaneſcere opus eſt proprium inſtitutum; ideò dicebat Em. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 1. n. 6. Munus Prælati eſt, ſubditos in diſciplina regulari continere, eoſque promouere ad perfectionem religioſā, ad quam Ordo ille eſt inſtitutus.

Nor. ſec quòd ex his, quæ dicta ſunt, ſequitur hominem indignum cenſeri illum, qui, inquit Sanch. 1. opuſc. lib. 2. c. 1. dub. 2. non habet qualitates requiſitas ad miniſterium, cui præficitur; quarè indignus miniſter erit, prætermiſſa qualitate primæ conditionis, qualis deſcribitur ab Em. Lugo de iuſt. diſp. 35. ſect. 2. n. 2. ſequentibus verbis: An peccatum quodlibet mortale reddat hominem indignum beneficio Eccleſiaſtico; aliqui enim, quos refert Sanch. id videntur affirmare; ſed ſi intelligatur de peccato mortali præterito, quod eſt pœnitentia deletum, non eſt probabile, nec ille videtur ſenſus eorum authorum; alioquin nec S. Petrus poſt trinam negationem dignus fuiſſet Summo Pontificatu, ſed debet intelligi de eo, qui eſt actu in peccato mortali, & non deſumitur motum improbitas ab vno, vel altero actu ex fragilitate commiſſo, ſed à ſtatu, & ordinario modo operandi: Indignus quoque ſemper cenſendus erit, qui caret ſcientia competenti tam ad iudicandum, quàm ad inſtruendos ſubditos pro conſequutione æternæ ſalutis, ſed præſertim qui caret ſcientia regiminis, quæ docet ſubditos in vnitate pacis, & concordiæ, reſecata ſeditione, ac factione, eſſe cōſeruandos; quarè ſi ſecundum proportionem geometricam non diſtribuit dignitates, onera, cæteraque alia commoda, quæ ſunt media pro finis conſequutione; tanquam ſcientiæ regiminis expers eſt iudicandus: Item qui caret prudentia; nam Laurent. Iuſtinian. lib. 2. de prud. c. 3. aiebat: *Vani ſunt homines, in quibus non eſt prudentia, hæc virtus magiſterium habet cæterarum virtutum; qui non habet prudentiam, licèt ſit magnæ ſanctitatis, ſimilis eſt homini in altum reſpicienti, & vbi ponat pedes ſuos non videnti, qui facilè ruere poteſt*: Item qui non vtitur iuſtitia Præſidentis, quæ docet, neglectis proprijs emolumentis, aliorum commodis adhærere, vt ſeruetur communis æquitas. Item qui non eſt affectus zelo propagandi perfectionem religioſam, ad

quam

quam Ordo inſtitutus eſt :

### PRIMA CONCLVSIO.

AD hoc, vt ſubornatio cenſenda ſit bona, verſari debet circa omnes qualitates requiſitas pro digniòritate hominis eleuandi ad munus, de quo fieri debet electio. Suadetur ex eo, quòd, quandò diſpoſitio eſt facta ſub pluribus conditionibus, & qualitatibus non ſufficit vnam, vel plures adimplere, niſi omnes verificentur l. ſi hæredi plures. ibi Bartol. ff. de condit. iuſtit. Roman. conſ. 131. Dec. conſ. 594. n. 2. Honded. conſ. 60. n. 16. vol. 1. Galganet. de cōdit. & dem. part. 1. c. 6. nu. 28.

### SECVNDA CONCLVSIO.

SVbornatio bona præſertim verſari debet ad oſtendendum ex. gr. Titium eſſe aptum pro Prouincialatus, ſeù Definitoratus munere gerendo, quia in eminenti gradu fruitur iuſtitia, quæ conuenit Præſidenti, de qua loquuti ſumus in prim. not. & in dub. 90. de qua S. Ambroſ. in pſalm. 118. in octon. 16. 1. verſ. *Sola iuſtitia eſt*, inquit, *quæ omnibus temporibus alijs potiùs nata, quàm ſibi, quotidiano vſu, & fructu publico ſuo damno alienas cuſtodit vtilitates, quæ nihil habeat vtilitatis, & plurimum laudis*. Suadetur, quia intantum homo eſt aptus ad gerendum Principatum, inquantum eſt ſpecialiter perfectus in ordine Regentium: ſed per huiuſmodi virtutem fit talis, inquit S. Thom. ex Ariſt. 5. ethic. lect. 2. *Iuſtitia legalis eſt perfecta virtus, quia ille, qui habet hanc virtutem poteſt vti virtute ad alterum, & non ſolum ad ſe ipſum, Bias enim, qui fuit vnus ex ſeptem Sapientibus dixit, quòd Principatus oſtēdit virum, vtrum ſit perfectus, vel inſufficiens; ille enim, qui eſt Princeps iam ſe habet in communicatione ad alterum, quia ad eum pertinet diſponere ea, quæ ordinantur ad bonum commune, & ita ex hoc habetur, quòd perfectio virtutis oſtenditur ad hoc, quòd vnus ſe habet ad alterum*: & paulò inferiùs: *Sic igitur patet, quod iuſtus legalis eſt optimus, & iuſtitia legalis eſt perfectiſſima virtus*: & Ægid. Rom. de reg. Princip. part. 2. lib. 1. c. 12. *Ex iuſtitia*, ait, *quiá eſt ad alterum, innoteſcit perfecta bonitas*: ſubornatio ergo principaliter debet verſari circa talem virtutem; per hanc enim fit optimus Prælatus, atque perfectus Princeps. Secund. illud præcipuè ſuaderi debet, quòd difficillimè inuenitur in multis, ſed tantùm in paucis, ſed in his, & non in illis tantùm emicat huiuſmodi iuſtitia; nam inquit S. Thom. vbi ſupr. *Quòd multi poſſunt vti virtute in proprijs, qui non poſſunt ea uti in his, quæ ſunt ad alterum*: & paulò inferiùs: *Hoc enim eſt maximè difficile, quia* inquit 2. polit. lect. 2. *de communibus minùs curant homines, quàm de proprijs, quia magis propria diligunt*: igitur ſuaſio præſertim verſari debet in hoc tanquam in re difficili, quæ in paucis inueoītur. Tert. ſi ſuadetur hominem eſſe prudentiſſimum, ſi caret iuſtitia, caret etiam debito prudentiæ vſu; *nam ad prudentiam*, ait S. Thom. ex Ariſtotel. 6. Ethic. lect. 4. *requiritur rectitudo appetitus*: quæ rectitudo præſertim fit per iuſtitiam; ideò S. Ambroſ. lib. 2. de Abram c. 10. tom. 4. *Prudentia*, ait, *ſine iuſtitia nocet*: ſi oſtenditur, virum eſſe ſanctitate præditum, ſi iuſtitiam non habet, nec ſanctitatem poſſidet, dicente S. Benard. de conſid. ad Eugen. lib. 3. cap. 4. *Si iuſtitiæ eſt ius cuique ſeruare ſuum, auferre cuique ſua, iuſto quomodò poterit conuenire?* ſi demonſtratur, ſcientia non mediocri pollere pro procuranda vnione, ac pace multitudinis, ſi iuſtitia in eo non fulget, ab ipſa multitudine omnem pacem fugabit, teſte S. Thom. 2. polit. lect. 9. *Per iuſtitiam enim conſeruatur pax Ciuitatis*: ſi tandem ſignificatur eſſe virum aptiſſimum pro religioſa perfectione conſeruanda, ſi iuſtitia non ornatur, omnem perfectionem à religioſa familia euertet, quia aperitur aditus diſcordijs, ac ſeditionibus, vt dicit S. Thom. vbi ſupr. *Tranſgreſſio verò iuſtitiæ eſt ſeditionis cauſa*; vndè totum ædificium perfectionis corruere neceſſe eſt, aſſerente S. Antonin. part. 2. c. 8. tit. 4. §. 4. *Ex ſeditione tota vita regularis deficit*: ergo tractatus principaliter debent inſiſtere circa hanc virtutem, ſine qua omnia corruere opus eſt, & in qua omnia ſubſiſtere debent. Tandem ſuadetur ex eo: ſi

ille caret iuſtitia, pro quo fit ſubornatio, erit peſſimus Prælatus, quia eius malitia neceſſariò debet extendi in multos, cū ſit Præſes, cui commiſſa eſt cura ſubditorum: *Peſſimus eſt ille*, ait S. Thom. 5. Ethic. lect. 2. *qui vtitur malitia non ſolum ad ſe ipſum, ſed etiam ad amicos*; idem dicit Ægid. Roman. de regimin. Princip. part. 2. lib. 1. c. 12. ſubdens; *Et quantùm ad plures ſe extendit malitia eius, tantò peior exiſtit*; igitur ad præcauendum hoc maximum damnum præcipuè ſubornatio habeatur de hac virtute.

*TERTIA CONCLVSIO.*

QVi electoribus Religioſi virtutes perſuadet, vt ei præſtent ſuffragia pro munere ex. gr. Prouincialatus adminiſtrando abſque eo, quòd huiuſmodi iuſtitiæ virtute polleat, cenſendus eſt lethalis culpæ reus. Suadetur, quia indignus eſt; indignus enim, inquit Sanch. vbi ſupr. dicitur, qui non habet qualitates requiſitas ad miniſterium, cui præficitur; nam peccat contra iuſtitiam commutatiuam poſtulantem, vt communitas habeat pro Rectore Religioſum, qui habilitate non careat ad fœliciter procurandam pacem, ac vnitatem, & has per iuſtitiam, vt dixi ſuperius ex mente S. Thom. & alibi: peccat contra iuſtitiam diſtributiuam præponendo indignum dignioribus neglectis: peccat etiam contra fidelitatem, quia non obſeruat fidem Eccleſiæ, à qua ius eligendi accepit, quæ docet præcauenda eſſe dāna ventura ex Prælato virtute iuſtitiæ orbato, quæ damna deſcribuntur in dub. 10. An in electore maius periculum, &c. in 2. concl. & notantur à D. Thom. 5. ethic. lect. 11. *Quia*, inquit, *iniuſtum eſt quòd aliquis ſibi plus attribuat de bonis, & minùs de malis; inde eſt, quòd in rectâ gubernatione multitudinis non permittimus, quòd homines principentur, ſcilicet ſecundum voluntatem, & paſſiones humanas, ſed quòd principetur homini lex, quæ eſt dictamen rationis; vel homo, qui ſecundum rationem agat, quia, ſi Princeps ſequitur ſuas paſſiones humanas, faciet hoc ſibi, ſcilicet quòd plus accipiet de bonis, & minùs de malis, & fiet Tyrannus, cum hoc ſit contra naturā Principis ad hoc enim Princeps inſtitutus eſt, vt cuſtodiat iuſtitiam, & per cōſequens æqualitatem, quam præterit, dum ſibi vſurpat plus de bonis, & minùs de malis.*

Ex hac doctrina oboritur, eccè tertium, de quo ſupra, quòd electores, quibus expoſitæ fuerunt ſubornationes pro vt in cōcluſione, tenentur iuxta decretum Clement. VIII. eas deferre Superioribus; ſunt enim contra bonum publicum, & à DD. inter peccata excepta connumerantur: videantur ea, quæ dicuntur in dub. 9.

# TRACTATVS DVODECIMVS DE ELECTORVM SVFFRAGIIS,

## ſeù votis nunquam in canonica electione nec publicè, nec priuatè propalandis iuxta præceptum ſacr. Con. Trid.

In ſacr. Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 6. habentur hæc verba: *In electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, ac aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum Præpoſitarum, quo omnia rectè, & ſine vlla fraude fiant: in primis Sancta Synodus diſtrictè præcipit, omnes ſupradictas eligi debere per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in poſterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcunq; titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere: ſiverò contra huius decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit.*

### DVBIVM CLXXXXIV.

*Quænam ſit mens, & intentio ſacr. Concil. Trid. in allegatis verbis.*

### SVMMARIVM.

*1. IN lege Legiſlatoris mens magis attenditur, quàm verba, & illa habetur à Legiſlatoris fine.*

*2. Finis ſacr. Concil. eſt, vt celebrentur electiones cum omni iuſtitia, & æquitate, omni reſecata fraude.*

Sicut ſunt varij DD. tractantes de ſecreto ſeruando in Regularium electionibus iuxta ſacr. Concil. ita ſunt ſatis varij in deſignanda eius mente, ac intentione, & quaſi pro libito, vt ita dicam, illam aſſignant, vt videre eſt apud ipſos.

*PRIMA CONCLVSIO.*

IN lege ſancita magis eſt attendenda mens, ac intentio Legislatoris, quàm eius verba, cuius mens tandem habetur à fine eiuſdem Legislatoris. Prima pars habetur ex l. ſcire leges ff. de legib. l. non aliter ff. de legat. 3. l. nominis, & rei §. verbum ex legibus ff. de re. ſignific. Surd. deciſ. 35. n. 14. Marc. Anton. Genuenſ. in pract. Eccleſ. qu. 144. n. 3. Ferrer. in conſtit. Cathaloniæ Gloſſ. 4. n. 66. quæ doctrina eſt ita vera, vt ratio generalis reſtringatur ex mente legis, vt reſoluunt Surd. deciſ. 9. n. 13. Armendar. in proem. ad recopilat. legum Nauarr. n. 131. Ratio eſt, quia ſicut corpus humanum nequit ſubſiſtere, niſi anima ſubſiſtente in eodem corpore; ita corpus, idest verba legis ſubſiſtere nequeunt, niſi ſubſiſtente eorum anima, quæ eſt intentio Legislatoris. Secund. pars ſuadetur, quia cum non poſſit voluntas Legislatoris quidquam velle, niſi quatenus mouetur à fine: quidquid enim in lege eſt volitum, propter finem eſt volitū, & ideò intentio Legislatoris, atque adeò legis obligatio elicitur ex ratione finali, ita vt non plus extendatur, quàm extendatur ratio ipſa finalis. l. cum pater §. dulciſſimus ff. de legat. 2. & l. Milit. agrum ff. de re milit. Quæ ratio finalis ex proemio colligitur. c. Ex multa §. ſecundo quæſiuiſti de voto. Tiraq. in tract. ceſſant. cauſ. limit. 1. n. 65. Maſcard. de probat. concl. 1284 n. 6. Guttier. pract. lib. 1. qu. 89. à n. 3. Rota deciſ. 619. n. 5. apud Farinac. part. 2. recent.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

2. MEns, & finis ſacr. Concil. in hoc decreto eſt, vt Regularium electiones celebrentur cum omni iuſtitia, & æquitate, amandata omni fraude, ac deceptione. Ita habetur ex proemio eiuſdem decreti. *In electione Superiorum quorumcunque &c. quo omnia rectè, & ſine vlla fraude, &c.* Dictio illa, *rectè*, importat iuſtitiam, & æquitatem, vt dicunt Bartol. in l. Non putaui §. non quæuis ff. de bonorū poſſeſſ. contr. tabulas Gloſſ. in l. 2. de inoffic. teſtam. text. in l. generaliter §. ſit autem C. de rebus credit. Alex. in l. 3. & ibi Iuſtin. n. 3. ff. de liber. & poſthu. Panorm. in c. 1. §. vna verò n. 1. de ſumm. Trinit. tunc electio habebit iuſtitiæ pondus, & æquitatem, cum celebrabitur cum plena libertate, quæ eſt de eſſentia electionis, & cum ſancta intentione, & cum omni ordine, ac iuris ſolemnitate, vndè dictio, *rectè*, importat etiam iuxta Decium in l. lecta n. 21. 22. ff. ſi cert. pet. Tiraq. in præfat. l. ſi vnquam n. 35. Cened. poſt libr. practic. & canonic. qu. ſing. 98. n. 2. ordinem, & ſolemnitatem iuris: per hoc enim excluditur omnis votorum manifeſtatio, ex qua oboriri poſſunt rixæ, contentiones, moleſtiæ, ac paſſiones; nam hæc aduerſantur libertati eligentium, & ex qua ſiniſtræ intentiones propalantium poſſunt elicere ſuum intentum: dictio illa, *ſine vlla fraude*, importat electionem debere fieri ſine vlla deceptione; fraus enim ſecundum S. Thom. 2. 2. qu. 55. art. 5. Decian. in ſuis tractatib. crim. part. 1. lib. 1. rubr. de fraud. n. 4. c. 5. Farin. qu. 88. n. 35. dicit deceptionem, per hoc excluditur illa votorum propalatio facta ad trahendos amicos, ſeù alios in fauorem alicuius eligendi, ac monopolium, ideſt aliquorum electorum vnio ad aliquem eligendum, ſeù amicum, ſeù conciuem, &c. per quam malitioſam vnionem multùm remanet defraudata æquitas, & rectitudo electionis; vnde fraus definitur à Farin. vbi ſupr. quòd ſit actus malitioſus tendens de permiſſo ad prohibitionem: ideò præcipit pro obtinendo fine votorum ſecretum, tanquam medium influens immediatè in finē, & remouens prohibentia iuxta regulam cuiuslibet boni Legislatoris, qui, quandò profert ſtatutum pro finis conſecutione, vt inſinuat S. Thom. ex Ariſt. 7. polit. lect. 2. *quædam determinat de hijs, quæ immediatè ordinantur ad finem; quædam ad remouendum prohibentia*. Iſtud ergo ſecretum vtrumque exercet munus; influit enim immediatè in omnimodam libertatem electionis, ita vt vnuſquiſque ſuam ſententiā (in hoc conſiſtit libertas inquit Abb. in c. Quia propter n. 5. de electione, & Garcias de benef. part. 1. c. 4. n. 184.) dicere poſſit, ſuamque exonerare conſcientiam, & ſi-

mul

mul remouet ea, quę poſsũt labefactare illã omnimodam libertatem, ac rectitudinem, nempè rixas, contentiones, æmulationes, fraudes, ac peſſimas confœderationes, quæ poſſunt oboriri ex votorum manifeſtatione in præiudicium electionis.

Inter DD. quos perlegi, nullus meliùs explicauit mentem ſacr. Concil. quàm Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. dum dixit cauſam adequatam ſacr. Conc. præcipientis votorum ſecretum fuiſſe ad euitandas fraudes, ac illicitas contentiones, & vt cum maiori libertate electio fiat: idem dicunt, ſed obſcutè Sigiſm. à Bonon. de elect. dub. 3. n. 8. & Bordon. in conſ Regul. reſol. 26. n. 3. Primus ait: Diſtrictè præcipit, ideſt Concil. vt omnes Superiores Regularium eligi debeāt per vota ſecreta, itaut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Secund. ait: Prohibitio hæc ideſt ſacr. Concil. habet locum, quandò publicatio eſt doloſa: adhęret Rodriq. in ſum. p. 5. c. 102. n. 1. Deueſe notat, que el Concil. Trid. para euitat todas la fraudes, y ſubornos, quæ puedon hauer en las electiones de qualquiera Abades temporales, y otros officiales Generales, y Abadeſſa, y qualquiera Prioreſſas, manda, que ſe hayan per votos ſecretos, de maniera que ſus nombres nunca ſe publiquen. Ex hac doctrina claré colligitur, quòd non omne ſecretum imponitur à ſacr. Concil. ſed illud duntaxat, quod opponitur manifeſtationi illorum votorũ, quæ cauſant incõmoda pręſcripta in pręiudicium omnimodæ libertatis electionis, ac rectitudinis.

## DVBIVM CLXXXXV.

*An ſecretum impoſitum à forma ſacr. Concil. tollat ſecretum traditum in c. Quia propter de elect.*

### SVMMARIVM.

1. *Subſtantiale eſt electionis per ſcrutinium celebrandæ, vt obſeruetur votorum ſecretum.*

2. *Forma obſeruanda in Regularium electionibus iuxta ſacr. Concil. Trid. non aufert formam c. Quia propter.*

3. *Secretum impoſitum in Regularium electionibus à Sacr. Concil. non tollit ſecretum præceptum in c. Quia propter, ſed illud confirmat, & amplificat.*

1. In c. Quia propter citato hæc verba leguntur: *Statuimus, cum electio fuerit celebranda præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio, qui ſecretè, & ſingillatim vota cunctorum diligenter exquirant &c. Qui ſecretè*, ſubſtantiale, inquit Barboſ. in collect. DD. in cod. cap. eſt electionis per ſcrutinium faciendæ, vt electorum vota exquirantur ſecretò, ideſt ſecundum Innoc. & Panorm. ſeorſum ab alijs de Collegio Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 29. concl. vnic. verſic. Quint. Tamburin. tom. 1. diſp. 5. qu. 6. n. 8. Suar. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 10. Sigiſm. de elect. dub. 27. n. 10. licèt autem Nauarr. conſ. 9. ſub hoc tit. poſt Innoc. & alios, aſſerat electionem valere, ſi adſit conſenſus, etiam non ſeruata forma ſecreti, eius tamen dictum intelligendum eſt in foro conſcientiæ; nam in foro fori pro indubitato tenuit electionem eſſe nullam Rota in Treuitens. Abbat. 1. in fin. hæc Barboſ.

### PRIMA CONCLVSIO.

2. Forma obſeruanda in electionibus Regularium impoſita à ſacr. Concil. prout ſupr. non aufert formam traditam ab Innoc. in c. Quia propter de elect. Concluſio eſt aduerſus Mirand. vbi ſupr. art. 15. concl. 2. circ. med. aſſerentem diſpoſitionem text. in c. Quia propter, modò ſublatam eſſe per Concil. eam tamen admittunt Rodriq. in ſumm. p. 1. c. 102. n. 2. Zerol. in prax. epiſc. 1. verb. Abbatiſſa 96. Sigiſm. vbi ſupr. Barboſ. ad Cõcil. ſeſſ. 25. c. 6. n. 19. Tamburin. vbi ſupr. Rota in Meren. monaſterij 5. Iulij 1621. in fine verſic. Denique coram R. D. Coccino Decano, & iterum in Treueren. Abbatiæ S. Maximini 20. Nouemb. 1624. coram eod. impreſſ. per Maſſabr. in praxi habendi concurſum prælud. 8. in princip. n. 68.

68. ſecundum Rom. impt. hi ergò DD. obſeruant quòd, quandò diſponitur, quòd omnes Regulariũ electiones debeãt fieri per vota ſecreta, nõ tamẽ cẽſetur ſublata forma d. c. Quia propter, ſed adhuc in ſuo robore perſeueret.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3. SEcretum; quod imponit ſacr. Concil. Trid. eſt ſeruandum in Regularium electionibus, non tollit ſecretum præceptum in c. Quia propter, ſed illud confirmat, & amplificat. Prima pars ſatis clara habetur ex concluſione tradita, quia in ipſa forma includitur ſecretum votorum, ſi enim non tollit formam, nec ipſum ſecretum: verùm ſecretum incluſum in c. Quia propter eſt tantùm impoſitum in actu ſcrutinij, vt ſatis apparet ex illis verbis (aſſumantur tres de Collegio, qui ſecretè, & ſingillatim vota cunctorum exquirant) in ſacr. Concil. non ſolùm illud præcipiatur in ipſo actu ſcrutinij, ſed etiam extra, dummodò obſtet incommodis ſuperiùs deſcriptis, quæ faciliùs ante ſcrutiniũ poſſunt oboriri, quàm in actu; maximè quia ſecretũ in actu ſcrutinij iam erat impoſitum à c. Quia propter, quæ obſtabat malis orituris in ipſo actu: & ecce ſecunda pars ſatis clara.

Aperta ergo mente, ac intentione ſacr. Concil. ex his duobus quæſitis, apertè etiã colligitur multos DD. non attigiſſe finem eiuſdem Concil. dum dixerunt ex vi talis conſtitutionis tantùm ſecretum fore ſeruandum in actu electionis. A vobis quæro, non ne doli, fraudes, rixæ, contentiones, multaq; alia incommoda aduerſus electionem ſanctè, rectè, ac ſine fraude celebrandam valent fieri ante electionem? quis audebit id negare, imò ſemper fiunt ante electionem, cum in actu electionis difficillimè poſſit dari locus propter multorum præſentiam, & propter ſecretum ſeruandum in ferendis votis ex præcepto Innoc. in c. Quia propter, quomodò ergo dicitis eſſe impoſitum tantùm illud ſecretum, quod obſtat malis orituris in actu ſcrutinij?

## DVBIVM. CLXXXXVI.

*An elector, qui ante ſcrutinium amico, ſeù amicis dicit, cui ſit ſuffragaturus, vel poſt electionem, cui eſt ſuffragatus, infringat ſecretum à Sacr. Concil. impoſitum, & conſequenter nullam reddat electionem.*

### SVMMARIVM.

1. *CLauſula in fine poſita ad omnia præcedentia refertur, imò in quacunque parte diſpoſitionis, dummodò ſit eadem ratio.*

2. *Adnotantur duo effectus clauſulæ irritantis, nempè irritare omnia, quæ fiunt in contrarium, & inducere formam.*

3. *Elector non intendens cauſare incommoda deſcripta, licèt manifeſtet ante, vel poſt electionem ſuum votum, non infringit præceptum ſacr. Concil. & ſoluitur quædam obiectio.*

4. *Elector, dum aperit ſuum votum ante electionem, cauſat incommoda adnotata, irritat electionem: & duobus ſatisfit obiectionibus.*

5. *Secus eſt dicendum, ſi intendit inutilem reddere electionem.*

Dubium mouetur, quia in ſacr. Concil. habetur decretum, ſeù clauſula irritans, & eſt poſita in fine decreti: *Si verò contra huius decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit.*

1. Not. prim. quòd clauſula in fine poſita ad omnia præcedentia referenda eſt c. Inquiſitioni in fin. de appellat. Alex. cõſ. 101. n. 10. lib. 3. Socin. ſen. conſ. 188. n. 5. lib. 2. Dec. conſ. 139. n. 4. Garcias de beneſ. p. 5. c. 4. n. 178. Sigiſm. de elect. dub. 3. n. 4. Sanch. de matrim. lib. 6. diſp. 22. n. 19. qui addit ex mente Dec. Nauarr. ac aliorum clauſulam poſitam in vna parte diſpoſitionis cenſeri referri, ſiue ponatur in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, ad omnia contenta in illa, quando omniũ præcedentium eſt eadem ratio.

2. Not.

2. Not. ſec. quòd plures effectus habet clauſula irritans, ſeù quòd idem eſt, decretum irritans inter quos duo deſignantur. Prim. eſt, vt irritet, ſeù annullet omnia, quæ in contrarium fiunt. c. Si eo tempore de elect. lib. 6. c. 1. verſ. adjiciebatur de conceſ. præben. eod. libr. Coual. pract. c. 9. n. 7. Anton. Gabriel. lib. 6. tit. de clauſul. concl. 3. n. 57. & 58. Gonzal. ad reg. 8. cancel. Gloſſ. 67 à n. 52. Salas de legib. qu. 96. tract. 4. dub. 16. ſect. 8. ſub n. 27. Menoch. conſ. 53. n. 3. & conſ. 322. n. 4. Mareſcot. variar. reſol. lib. 2. c. 38. Garciaſ. de benef. p. 5. c. 1. n. 27. Secund. eſt, vt inducat formã, vt docent Felin. in c. Cum acceſſiſſent ſub n. 8. verſ. Et vbi apponitur clauſula, & ibi Dec. verſ. Et ad hoc etiam fuit de conſt. Priuſ. conſ. 19. n. 183. lib. 2. Marg. de iurild. p. 4. cent. 1. caſu. 49. n. 19. Sigiſm. vbi ſupr. Guttier. pract. lib. 3. qu. 15. à n. 40. adeò vt illa non ſeruata, actus ipſo iure corruat. Bald. conſ. 351. n. 9. lib. 5. Dec. conſ. 132. n. 4. & fuit dictum in Romana ſocietatis officij 14. Ianuar. 1615. coram D. Pamphilio Rebuff. in tract. de pacif. poſſeſſ. n. 15. Quæ forma cum ſit de genere indiuiſibilium, vt habetur ex l. ſi veritas C. de fiedicommiſ. Tiraq. de iure marit. Gloſſ. 6. n. 4. Mollin. de primog. lib. 1. c. 9. n. 17. Flamm. Pariſ. de reſignat. benef. lib. 8. n. 94. Gonzal. de reg. 8. Cancel. Gloſſ. 18. n. 76. Rota deciſ. 30. n. 3. apud Farinac. p. 1. recent. Surd. conſ. 282. n. 29. ideò debet etiam in minimo obſeruari, vndè ea non obſeruata etiam in minimo, corruit actus. Ita ſentiunt Surd. deciſ. 268. n. 8. Thom. de Thomaſ. in floribus legum reg. 213. Valaſc. conſ. 113. n. 3. & conſil. 133. n. 4. Farinac. in praxi crimin. part. 4. conſ. 85. in addit. & alij quamplurimi.

*PRIMA CONCLVSIO.*

3. Elector manifeſtans ſuum votum amico, ſeù amicis, cui eſt ſuffragaturus, vel poſt electionem, cui eſt ſuffragatus, nõ intendens incommoda deſcripta cauſare, ſed tantùm vt videant, & cognoſcant, quem elegit, non infringit præceptum ſacr. Concil. de ſecreto votorum habendo in Regularium electionibus. Concluſio eſt Nauarr. Rodriq. quos citatos ſequitur Caſtellin. de elect. c. 4. n. 3. Paſqualig. deciſ. 163. & in qu. canon. cent. 2. qu. 105. n. 6. contra Samuell. de elect. canon. tract. 1. diſp. 5. cõtr. 2. referens Garciam p. 5. c. 4. n. 196. Sigiſm. dub. 31. de elect. n. 2. Suadetur hoc modo: non lædit legem, ſeù ſtatutum ſacr. Concil. ergo, &c. antecedens probatur: ad hoc, vt lædatur decretum ab eo electoribus impoſitum, opus eſt. vt manifeſtentur amico, ſeù amicis ſuffragia cauſando incommoda in ſuperioribus dubijs deſcripta; nam hæc eſt mens Legiſlatoris, vt probatum eſt clarè, vndè lex nequit ampliari, neque reſtringi niſi iuxta mentem, & finem Legiſlatoris: ſed quandò elector aperit amico, ſeù ſchedulam prout in concluſione non excitat aliquod incommodum ex prædictis: igitur omninò eſt dicendum eum non infringere decretum de ſecreto ſeruando. Prætereà, ſi hæc pura, & ſimplex oſtenſio ſchedulę obſtaret ſecreto ſuffragiorum, vt contendunt DD. ſuperiùs citati, tolleretur de medio benignior pars, & æquior, quæ eſt concedenda legi, vt ait Pariſ. conſ. 6. lib. 1. n. 24. & eſt axioma vniuerſale, quòd in ſe aliquod dubium continet (hoc admiſſo in caſu, quia ſacra mens Concil. eſt ſatis aperta, vti vidimus) ſed hoc non videtur rationabiliter dictum: ergo rationabiliter concluditur non eſſe talẽ propalationem contra ſecretum impoſitũ. Adde, quòd intentio legis Eccleſiaſticæ nõ eſt inijcere laqueos animabus, vt docet Caiet. in ſumm. tit. pręcepti transgreſſio: ſi autem elector manifeſtandò ſuum votum, abſque incommodis præſcriptis læderet ſecretum impoſitũ, Eccleſia inijceret laqueos animabus (violare enim huiuſmodi ſecretũ, vt dictum infertis eſt peccatum mortale) cum nulla vrgeat neceſſitas imponendi tale præceptum, dum nullum bonum promouetur, & neque vllum malum præcauetur ergo, ne offendamus ſanctam mentem Eccleſiæ, dicamus etiam per ſimplicem propalationem voti non violari eius ſecretum impoſitum.

Dices contra primam partem, eſto mens Legiſlatoris ſatis innoteſcat ex ſuperioribus, nihilominus imponendo legem ſecreti vtitur verbo, *nunquam*, quæ eſt dictio vniuerſalis

nerſalis negatiua comprehendens omnem caſum, ac omne tempus, vt habetur in l. Prouidendum ſ. 1. vbi Gloſſ. C. de poſtulando, Octauian. Vulpel. de præpoſit. & ad verb. ſignif. ſub hac dictione pag. 67. & cũ ſit indefinita, nullam recipit reſtrictionem: Crauet. conſ. 194. Cephal. conſ. 172. n. 15. Socin. iun. conſ. 116. n. 52. vol. 1. Et magis confirmatur ex declarat. ſacr. Concil. circ. c. 6. de regul. ſeſſ. 25. relat. à Garc. vbi ſupr. n. 196. quæ interrogata: an electio facta cum tali publicatione teneret. Reſp. quòd nec ante, nec poſt electionem vllo modo licet electoribus publicare cui ſuum votum dederint, vt electio ſic facta teneret: ideò quocunque modo electores publicent ſuũ votum, ſiue excitanda damna præſcripta, ſiue non, ſemper violant legem ſecreti à Concilio impoſitam. Reſp. quòd ſicut dixi in prim. dub. huius tractatus, mens Legiſlatoris magis debet attendi, quàm verba, quia mens eſt potentior verbis; ideò omnia verba, quæ à lege dicuntur ad mentem Legiſlatoris trahuntur, & non è contra. Oldrad. conſ. 9. verſ. Item cum iura dicant n. 3. & 4. Federic. de Senis conſ. 14. n. 5. Iaſon. conſ. 140. col. 5. lib. 2. proindè dictio, *nunquam*, ſecundum intentionem Concil. eſt explicanda, quæ eſt, quod nunquam manifeſtentur ſuffragia, ita vt excitentur incommoda deſcripta; idem eſt dicendum de declaratione ſacr. Concil. prætcrquamquod huiuſmodi declaratio non eſt authentica, inquit Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 262.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

4. Electoр aperiendo votum amico, ſeù amicis intendens nocere electioni celebrandæ cauſando incommoda præſcripta ſuperiùs etiam ante electionem, cenſenda eſt nulla, & irrita, dixi ante electionem, quia cum manifeſtatio votorum poſt electionem quantuncunque malitioſa, nequeat infringere electionem celebratam cum omni libertate, ac rectitudine; ideò de hac non loquitur, nec mens ſacr. Concil. eſt infirmare quod rectè, & ſine fraude eſt celebratum: videatur Bordon. vbi ſupr. n. 50. ſtatuitur præſertim hæc concluſio aduerſus Samuell. inferiùs citandus. Suadetur, ſiue electio ex vi Concil. infirmatur tanquam irrita, & nulla, cum non obſeruatur ſecretum aperiendo vota, quæ cauſat incõmoda labefactando electionem, quæ non ſit rectè celebrata, & ſine fraude: ſed in caſu propoſito in concluſione oboriuntur mala in electionis detrimentum: nemini ergo eſt hæſitandum, quin ſit irrita, & nullius valoris.

Dicet Samuell. vbi ſupr. contr. 4. referens pro ſe Caſtellin. & Garciam, doctrinã eſſe veram, dum id fit in actu electionis, nõ verò antè; nam Concil. tantùm præcepit ſecretum votorum in actu electionis. Sed contra, & ſunt eius propria verba. Sacr. Concil. prohibet, vt nullus electorum in actu eligendi ſuam oſtendat ſchedulam plicatam ad eum effectum, ne indè rixæ, inimicitiæ, iniuriæ, paſſiones malæ, ac mala verba oriantur ex ſchedulæ reuelatione, quibus incommodis tollendis pœnam appoſuit, aliàs ſcilicet ſi contrarium factum fuerit, electio ſit ipſo iure nulla: ſed huiuſmodi mali effectus commodiùs haberi poſſunt ante electionem, quia maior mora, & aptior locus adeſt contendendi, rixandi, & labefactandi rectitudinem, ac libertatem electionis: igitur electio non ſolùm redditur nulla ex vi ſacr. Concil. quandò mala enarrata oboriuntur in actu electionis, ſed etiam, quandò ante electionem; videantur ea, quæ dicuntur in fine præcedentis dubij.

Dicet quis, vnius reuelatio etiam in damnum electionis, non videtur eſſe tanti momenti, vt poſſit dici electionem ſecuturam non fore eſſe ſecretam, ita vt ſit ipſo iure nulla. Reſp. quòd ſacr. Cõc. in decreto impoſito intendit præcauere incommoda, quæ impediunt electiones Regularium celebrari rectè, & ſinè fraude, & dum ex voto vnius, nempè ex eius manifeſtatione, poſſunt oboriri illa; ideò etiam huiuſmodi manifeſtatio interdicitur ſub pœna nullitaris electionis; prætcrquamquod forma eſt indiuiſibilis, cuius minima læſio deſtruit formam, & non ſeruata forma permiſſiua, immediatè ſuccedit forma deſtructiua, & conſequenter actus eſt ipſo iure nullus, vt poſt Bald. notat Iaſon in illum textum in l. Prætor ait ſ. ſiue autem n. 2. in fin. de nou.

opor.

opor. nunc. Ita diſcurrit Rota deciſ. 286. n. 1. & ſeq. coram Card. Mantic.

*TERTIA CONCLVSIO.*

5. ELector manifeſtans ſuum votum amico, ſeù amicis, ſeù quibuſcunque alijs in fraudem ad reddendam electionem inutilem, vanam, & irritam, non lædit ſecretum electionis impoſitum à Concil. & conſequenter eam nõ inualidat. Probatio eſt clara, quia hæc non eſt intentio Legiſlatoris imponentis ſecretum in electionibus Regularium, ex cuius læſione oboritur nullitas electionis, vt patet ex præcedentibus; aliàs eſſet in manu omnium irritare quamlibet electionem, quod eſt alienum à mente ſacr. Concil. præterquamquod malitia huiuſmodi electoris in canonica electione, aliàs bona cum omnibus requiſitis, non debet patrocinari, quin electio ſortiatur effectum iuxta regulam illam, nemini fraus patrocinari debet, & penes aliam diſt. 37. vtile per inutile non debet vitiari: quæ regula eſt deſumpta ex l. 1. §. Item quæritur ff. de aqua quotid. & æſtiu. ex l. Pedius ff. de recepr. arbitr. Ita Garcias n. 193. & Samueil. vbi ſup. cõtr. 4. n. 8. Dicet Paſqualig. vbi ſupr. n. 5. vel huiuſmodi manifeſtatio tollit formã electionis præſcriptam à Concil. vel non tollit; ſi tollit nunquam valebit, etiamſi fiat in fraudem annullandi, quia nunquam ſtat electio ſine ſua forma; ſi verò non tollit, ſemper valebit, quia, ſalua forma, manet firma ſubſtantia electionis, atque adeò ipſius validitas. Reſp. quòd diſcurſus non eſt ad rem, quia ſacr. Concil. non præcepit ſecretum in genere, ſed illud dũtaxat, quod obſtat incommodis prædictis ad hoc, vt inualidetur electio.

## DVBIVM CXCVII.

*An, ſi vnus ex electoribus alteri in actu electionis ſuum votum propalat, id permittente Capitulo, electio ſecuta ſit irrita.*

### SVMMARIVM.

1. *DVobus modis poteſt conſiderari Capitulum, quatenus permiſiuè ſe habet ad voti manifeſtationem in actu electionis. Prim. ſine dolo, & fraude. Sec. cum dolo, & fraude.*

2. *Capituli permiſſio propalandi votum vnius, etiam in electione, non irritat electionem ſecundum primam acceptionem; & cuidam obiectioni ſatisfit.*

3. *Votorum manifeſtatio in communi, permittente Capitulo, electionem irritat.*

1. Eſſe nullam tenent ij DD. Garcias de benef. p. 5. c. 4. n. 184. Rodriq. qq. regul. qu. 51. n. 9. Samuell. vbi ſupr. contr. 5. Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 31. §. 8. verſ. Dico terr. rom. 3. priuileg. in addit. ad conſt. Clem. VIII. c. 9. verſ. Nono, referens pro ſe Nauarr. lib. 1. conſ. de elect. conſ. 9. n. 3. Caſtellin. de elect. tit. 9. c. 19. num. 55. Lauor. de elect. tit. 4. c. 19. n. 55. Nos ergo ſequendo noſtra principia clara de mẽte, & intentione ſacr. Concil. enucleata ex eius verbis in principio conſtitutionis poſitis adducemus quandam diſtinctionem vel Capitulum in actu electionis permittit manifeſtationem ſchedulæ abſque malitia, & dolo, quod videtur difficile, nihilominus non repugnat, & erit quandò rectè celebratur electio, ac ſummo ſilentio, ac reuerentia, ita vt permiſſio talis magis oboriatur ex quadam reuerentia, ac timiditate loquendi in tali loco, quàm ex dolo, & malitia: vel id permittit ad hoc, vt ſequatur electio in alicuius fauorem, vndè talis permiſſio videtur eſſe doloſa, & cum fraude ſecreti: his præmiſſis:

*PRIMA CONCLVSIO.*

2. SI Capitulum permittit, vt vnus ex electoribus votum, ſeù ſchedulam propalet iuxta primum membrum diſtinctionis, electio ſubſecuta nullo modo eſt cenſenda irrita, atque nullius roboris: ſecus ſi iuxta ſecundum membrum. Prima pars approbatur à Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 19. circ. fin. à Bordon. in conſ. regul. reſol. 26. n. 50. à Paſqualig. inferiùs citando, & ſuadetur ex eo, quia talis manifeſtatio etiam à Capitulo permiſſa non frangit ſecretum electionis impoſitũ à ſacr. Concil. quia Concilium non prohibet quamlibet

manifeſtationem, ſed illam tantùm, quæ cauſat incommoda ſuperiùs deſcripta: & cum ex huiuſmodi propalatione nullũ ſequatur incõmodũ: igitur nulla violatio, & conſequenter electio valida. Secunda pars habetur certa, quia talis manifeſtatio eſt præſumenda cùm fraude, ac dolo, in cuius pœnam ſacr. Concil. adiecit pœnam nullitatis electionis. Ita Mirand. vbi ſupr.

Dicet Paſqualig. vbi ſupr. deciſ. 267. n. 3. quòd tantùm ſacr. Concil. interdicit eam manifeſtationem votorum, qua eligentes publici fiunt; & probat ex verbis eiuſdem Concil. non dicentis, vt nullius vnquam nomen publicetur, ſed vt ſingulorum nomina nunquam publicentur, ſingulorum enim nomina dicit collectionem omnium. Reſp. eum non attingere mentẽ ſacr. Concil. eius enim mens colligitur ex proemio, vt dixi ſuperiùs, & cum in proemio habeantur hæc verba, *rectè, & ſine fraude*, & cum rectitudo electionis manifeſtatione vnius voti labefactari poſſit, & non parua fraus in ea etiam eſſe poſſit; vt de ſe patet, & id maximè permittente Capitulo; ideò mens Concil. iuxta Paſqualig. potiùs eſt cenſenda arbitraria, quàm fundata, & nomen ſingulorum non ſolùm dicit collectionem omnium, ſed etiam diſtributionem; nam verbum ſingulare eſt idẽ, quod vnicum, & peculiare.

*SECVNDA CONCLVSIO.*

3 CVm in actu electionis manifeſtãtur vota in communi, idque permittente Capitulo, ſemper erit illa electio iudicanda irrita; ac nulla. Ita colligitur ex Mirand. Paſqualig. Bordon. n. 50. vbi ſupr. & omnes alij, qui aſſerunt ad vnius manifeſtationem eſſe nullam electionem, permittẽte Capitulo, quia ſemper erit doloſa, & in fraudem libertatis, & cauſa rixarum, contentionum, ac paſſionum.

# DVBIVM CXCVIII.

*An elector, qui amico, ſeu cuicunque alio propalat ſuum votum, ſchedulam, qua eſt ſuffragaturus, mortaliter peccet?*

## SVMMARIVM.

*1. ELector, qui in ſui voti propalatione non lædit finem ſacr. Concil. non eſt cenſendus reus lethalis culpæ: ſecus ſi lædit.*

*2. Reprehenditur quidam Doctor, qui nimis rigidè loquitur.*

*CONCLVSIO.*

1. ELector, qui propalando ſuum votum lædit finem, & intentionem ſacr. Concil. ſatis expenſã in ſuperioribus, cenſendus eſt incidiſſe in culpam mortalem: ſecus ſi non fecit contra finem Concil. Ita Samuell. contr. 8. & Paſqualig. deciſ. 265. vbi ſupr. Prima pars habetur, quoniam facere in re graui cõtra ſacr. Cõcil. eſt mortale: ſed manifeſtare vota amico, ſeù alio prout in concluſione eſt facere aduerſus ſacr. Concil. in re graui; nam præcipit ſecretum, quod opponitur incommodis prædictis: ergo ſemper talis manifeſtatio tanquã lethaliter peccaminoſa eſt habenda. Secũda pars eſt clara, quia nulla intercedit legis præcepti violatio.

2. Placet Samuell. vbi ſupr. non ſolùm admittere noſtram concluſionem, ſed etiã extendere eam ad quamcũque manifeſtationem, ſiue cauſet incommoda, ſiue non, imò reprehendit Paſqualigum, qui adhæret noſtræ ſententiæ tanquam probabiliori ſed malè facit, quia lex præcepta nequit, extendere limites intentionis præcipientis, quæ intentio fuit fuſiùs in præcedenti explicata. Hæc ſufficiant pro explicatione mentis, ac finis ſacr. Concil. vt ex doctrina tradita alia poſſunt reſolui dubia, quæ in hac materia pertractari valent.

# TRACTATVS TERTIVSDECIMVS DE IVRAMENTO PRAESTANDO ANTEQVAM ELECTIONES CELEBRENTVR.

## DVBIVM CLXXXXIX.

*An electores, priuſquam ferant ſuffragia in electionibus, iuramentum teneãtur præſtare: & an eius omiſſio reddat nullam, & initam electionem.*

### SVMMARIVM.

1. *NVlla videtur neceſſitas iuramentum præſtandi ex ui c. Quia propter, neque ex ui ſac. Concil. ex præſcripto ordine tamen sũmorum Pontificum oboritur quadam obligatio.*

2. *Leges tam ciuiles, quàm Eccleſiaſtica uim habent obligandi in conſcientia.*

3. *Vbi ex conſuetudine eſt receptum decretum de præſtando iuramento ante electionem, obligat ſub mortali, non tamen eius omiſſio nullam redderet electionem.*

In hoc tractatu duo tantùm habentur dubia, & conſulto pro fine huius centuriæ, quia præſertim in ſecundo, & vltimo in gratiam amici ſunt ea collecta, quæ in multis dubijs leguntur diſperſa, vt elector non valdè literatus paucis verbis ſuã percipiat obligationem.

1. Prim. not. quòd nulla videtur impoſitio præſtandi iuramentum ante electionẽ ex vi c. Quia propter, neque ex vi c. 6. ſeſſ. 25. Concil. Trident. quia ibi nulla fit mentio de iuramento præſtando; & quamuis Rodriq. tom. 2. qu. 51. ar. 3. aſſerat imponi ex c. Quia propter, nihilominus re vera id nequit colligi, vt optimè dicunt, ipſum Rodriq. reprehendentes, Mirand. tom. 2. qu. 23. ar. 29. §. 7. Sigiſm. de elect. dub. 26. n. 3. Bordon. in conſ. Regul. reſol. 26. n. 28. neque huiuſmodi impoſitio colligitur ex Concil. Baſilien. ſeſſ. 23. & ſeſſ. 38. in decret. de elect. vt vult Barboſ. de iure Eccleſ. lib. 1. c. 19. n. 282. quia aſſerit Bordon. vbi ſup. quòd illud Concil. non fuerit generale, ſed ſpeciale; imò addit citans Sigiſm. vbi ſup. fuiſſe reuocatum in Concil. Lateran. ſub Leon. X. ſect. 11. habetur tamen in decreto Clem. VIII. pro

Regular. reformatione §. 23, quod incipit. *In Superiorum*, & c. & eſt inſertum in tom. 3. Bullarij in ordine eius conſtit. 60. fuit poſtea à Paul. V. confirmatum, ac nouiſſimè ab Vrban. VIII. ſtrictiùs innouatum, & roboratum, vt videre eſt in eius Bulla 26. ſub. tit. de Regul. apoſt. & eiect. quæ repetitur in tom. 4. Bullar. verba ſumm. Pontif. ſunt hæc. *In Superiorum, ac officialium omnium electione forma præſcripta à ſacr. Concil. & Ordinis conſtitutionibus inuiolabiliter obſeruetur; iurentque electores ſecundum ueritatem cuiuſque conſcientiæ probiores, ac magis idoneos ſe electuros, ac propterea priuſquam ad electionem deueniatur. In primis, & ante omnia prælegantur conſtitutiones de qualitate, & requiſitis eligendorum: ad officium gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui poſſunt, & conſueuerint regulas Ordinis, & conſtitutiones obſeruare, præſertim, quæ pertinent ad ſeruitium chori, & ueſtitum & uictum communẽ.* hæc ibi.

2. Not. ſec. colligi ex nonnullis ſac. Scripturæ locis legem humanam tam ciuilem, quàm Eccleſiaſticam obligare poſſe in conſcientia, ita vt tranſgreſſores inuoluantur lethali culpa. Ita Sanch. lib. 5. moral. c. 9. n. 34. D. Thom. 1. 2. qu. 96. ar. 4. Suar. de legib. lib. 3. c. 21. & lib. 4. c. 17. Clau. Reg. lib. 3. c. 7. n. 1. Valent. 1. 2. diſp. 2. qu. 1. p. 7. Caſpenſ. de legib. diſp. 3. ſect. 1. Caſt. Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 1. p. 14. n. 2. tum quia Legislator, licèt eligatur à Republica, nihilominus eſt miniſter Dei ſecundum illud Prou. 8. *Per me Reges regnant, & conditores legum decernunt iuſta*: tum quia id videtur neceſſarium pro Reipublicæ regimine, nam, ſi tantùm ſubditi timore pœnæ ducti cogerentur ad legum obſeruantiam, pauci eas obſeruarent, & tantùm palam: præterquamquod mille fraudes fierent in damnũ ſtatus Reipublicæ. Variæ quidem regulæ deſignantur à DD. pro dignoſcenda obligatione ſub mortali, alijs prætermiſſis, vnam tantùm hic referam, quæ ad rem noſtram videtur eſſe, & eſt; quandò per legem Legislator imponit materiam grauem obſeruandam: vt videre eſt apud Suar. vbi ſup. c. 24. n. 24. Vaſq. 1. 2. diſp. 158. Salas de legib. diſp. 10. ſect. 9. n. 46. & ſect. 10. n. 72. Bonacin. de legib. qu. 1. p. 2. §. 4. n. 13. Baſſæus in ſumm. tit. lex. 4. n. 5.

*CONCLVSIO.*

3. Cogor dicere ſub mortali teneri electores, poſtquam ex conſuetudine, ac vſu eſt receptum decretum de iuramento præſtando ante electionum celebrationem, id præſtare; non tamen eius omiſſio inualidat, atque irritat electiones. Prima pars ſuadetur, quia, quandò materia eſt grauis, lex eam imponens, ac præcipiẽs ſub mortali obligat, vti dixi ſuperiùs: ſed eligere meliorem, ac aptiorem inter Regulares ad Prælaturas eſt rei maximi momenti; quarè dicebat Emin. Lugo de iuſt. diſp. 31. ſect. 2. Non eſt ergò facilè, vt aliquibus apparet, dignos inuenire ad hæc munera (loquitur præſertim de illis muneribus, quæ habent annexam animarũ curã) & egò putò ab aliquibus frequenter peccari in hoc puncto, quòd eligantur indigni, quàm quòd non eligantur digniores, nec credo nimius peccandi periculum eſſe in ijs, ad quos eiuſmodi electiones pertinẽt, quã ex eo, quòd facilè dignos reputent, quos experiẽtia poſtea comprobat indignos: ergo electoribus ſub mortali incumbit onus præſtandi iuramentũ ante electiones celebrandas. Secunda pars ſuadetur, quia iuramentum non ſpectat ad obſeruandam formam, cuius læſio etiam in minimo reddit actum nullum, cum forma obſeruanda pro validitate actus ſit de genere indiuiſibiliũ, vt pluries dixi; vndè ſeruatis illis, quæ præcipiũtur in c. Quia propter de elect. & in Cõc. Trid. c. 6. ſeſſ. 25. ſemper erit electio valida, etiam ſi omittatur iuramentum. Et poteſt magis confirmari, quia in Bullis Clem. VIII. Paul. V. & Vrban. VIII. licèt hæ præcipiant iuramentum, non adeſt tamen clauſula irritans actum in omiſſionis defectu. Superiùs dixi, poſtquam ex conſuetudine, & vſu eſt receptum, ad oſtendendum, quòd vbi nec eſt in vſu huiuſmodi iuramentũ, nec de conſuetudine eſt introductũ, eius omiſſio non eſt lethaliter mala: totam doctrinam concluſionis admittit Samuellſdo de elect. can. tract. 1. diſput. 4. contr. 1.

DV-

## DUBIUM CC.

*Quid importet iuramentum de eligendo meliori, ac aptiori.*

### SUMMARIUM.

1. *Elector certitudinem moralem habere debet de meliori, & aptiori.*

2. *Vt dignus ſecernatur ab indigno, quatuor conditiones requiruntur.*

3. *Regiminis ſcientiam debet habere Prælatus, quæ non quærit eius finem, ſed eo præſuppoſito, quærit medium pro finis conſecutione, quod eſt iuſtitia diſtributiua.*

4. *Prælatus debet eſſe iuſtitia, quæ ei conuenit, præditus, & quæ docet, neglecto proprio emolumento, aliorum vtilitati adhærere.*

5. *In Præſidente neceſſaria eſt prudentia.*

6. *Inter dignos digniſſimus eſt cenſendus, qui eminentiori gradu fruitur conditionibus, quæ ſecernũt hominem dignum ab indigno.*

1. Vt immunis à graui læſione exiſtat promiſſio facta ab electoribus ſe ſuffragaturos inter dignos dignioribus ad dignitates, ac officia Regularium iuxta ſummorum Pontificum mandatum, non ſat eſt, inquit Emin. Lugo de iuſt. diſp. 34. ſect. 2. n. 12. quòd eligens non ſciat poſitiuè eſſe indignum, ſed debet poſitiuè inquirere, & ſcire eſſe dignum, & aptum, in quo poteſt eſſe in praxi maius periculum peccandi, dum quilibet obuius eligitur, non præmiſſa ſufficienti inquiſitione: ſed priùs illo dixerunt Panorm. in c. Bon. memor. de poſtul. Prælat. n. 15. & Salon. 2. 2. quæ 63. ar. 2. contr. 1. Ille ait: Eligentes non ſaluant conſcientiam ſuam eligendo illum, cuius plenã notitiã nõ habent. Hic inquit: Debent verò hæc vitæ probitas; & aliæ conditiones, quæ exiguntur in eligendo; electori eſſe conſpicuæ; nec ſufficit, vt non appareat malus, ſed debet ab electore cognoſci bonus, cum electio ſit actus voluntatis, qui ſequitur iudicium intellectus: hinc optimè Ariſt. lib. 7. polit. c. 4. loquitur: *Ad indicandum verò ſecundum iuſtitiam, & ad magiſtratus demandandos ſecundum dignitatem, neceſſarium eſt, vt ſe inuicem cognoſcant ciues, quales ſint; quare, vbi hoc fieri non contingit, neceſſe eſt, vt malè res procedant circa magiſtratus demandandos, & circa iudicia*: quæ tamen doctrina ſemper erit intelligenda de certitudine morali, & humana, qua iudicet elector talem eſſe virum probum, vt ex Caiet. Aragon. Ledeſm. rectè colligit Peirin. de ſubdito qu. 1. c. 35. §. 1. verſ. not. ſecund. Ratio eſt, quia maior certitudo haberi nequit.

2. Quatuor conditiones inquirere debet eligens in homine eligendo, vt ſecernatur ab indigno, & vt iuramentum fideliter obſeruetur, vt aiunt communiter DD. vt videre eſt apud D. Thom. 2. 2. qu. 63. ar. 2. vbi Caiet. Aragon. Salon. Sanch. lib. 2. opuſc. c. 1. dub. 2. & Emin. Lugo vbi ſup. diſp. 35. ſect. 1. n. 1. Prima eſt habilitas, ſeu capacitas iuridica, id eſt conditiones, quas poſtulat ius, vt ætas legitima, quòd ſit ex legitimo matrimonio &c. Secund. ſcientia competens ad miniſterium, ad quod eligitur. Tert. honeſtas morũ, id eſt quod ſit adornatus moribus. Quart. prudẽtia, ac induſtria rerũ agẽdarum: prætermiſſa prima, de qua videndus eſt Samuell. author modernus de elect. canon. tract. 2. diſp. 4. contr. 2.

3. Prima in hoc ordine examinanda ſit, quòd eligendus non careat ſcientia competenti, id eſt, quòd habeat, inquit Aragon. vbi ſup. earum rerum, quæ ad ſuum officium ſpectant, ſufficientem cognitionem, vt debitè illud exerceri poſſit: Ex quo fit, vt ratione officiorum maior, vel minor ſit ſcientia neceſſaria; vndè maior competit Generali, minor Prouinciali, ac Definitoribus prouincialibus; infima verò Guardianis; quare tres gradus ſcientiæ communiter enumerant DD. Primus eſt, quo quis ſcit definire, & explicare difficillimas quæſtiones ad ſuum munus ſpectantes, & hæc appellatur ſcientia eminens. Secund. quo quis ſcit enodare eas, quæ communiter occurrunt, quamuis non obſcuriſſimas, ac difficillimas, & nuncupatur

patur mediocris. Tert. quo quis poteſt ſatisfacere ſuo muneri, authores legendo, Doctores conſulendo, & de his, quæ neſcit, vel de dubijs interrogando, & appellatur ſcientia idonea, & ſufficiens. Innoc. cap. Cum in cunctis de elect. n. 2. Abb. ibi. n. 4. Azor. to. 2. lib. 7. c. 6. q. 3. & alij, quos citatos ſequitur Peirin. de Prælat. qu. 2. c. 2. n. 6. eminēs conuenit Generali, mediocris Prouinciali, ſufficiens Prioribus: videatur Samuell. vbi ſup. contr. 3. vbi multa dicit, ſed non tangit ſcientiam regiminis, in eis neceſſaria pro multitudine deducenda in finem rectū. In omnibus ergo Præſidētibus pro directione multitudinis in ſuū finem rectum requiritur huiuſmodi ſcientia, vt habetur ex Ariſt. 5. polit. c. 6. vbi S. Thom. lect. 7. ait. *Scientia autem eſt cōmunis omnibus: oportet enim, quòd habeant ſcientiā Principes in regimine Ciuitatis, aliter non poſſunt dirigere in finem intentum ea, quæ ſunt ad finem*: ex quibus verbis elicitur huiuſmodi ſcientiam non inueſtigare finem Rectoris, ac Principis intendendum in multitudinis directione, ſed, eo præſuppoſito, exquirere media pro eo aſſequendo, vt docet Ariſt. 3. Ethic. c. 3. vbi S. Thom. lect. 8. & 1. de regim. Princip. c. 2. Ægid. Roman. de regim. Princip. lib. 3. part. 1. c. 13. & ita operando miniſtrant Voluntati diuinæ, vt egregiè ait Theophyl. ad Roman. c. 13. ſuper illa verba: *Miniſtri Dei ſunt, in hoc ipſo ſedulo incumbentes*: *Nam*, inquit, *Deo ſedet in animo pacem Reipublicæ inſerere, nec non uirtutem, uitium autem abigere; atque in hoc Principes miniſtrant uoluntati Dei pro communi conſtitutione, & ſalute laborantes, ſuque id ipſum perſeueranter incumbentes, ut nos in pace, & in tranquillitate ætatem quiſque ſuam tranſigamus.* Finis autem præſupponendus à Prælato in multitudinis directione eſt eius pax, ac vnitas, vt aſſerunt S. Ioann. Chryſoſt. 1. ad Corinth. c. 13. hom. 34. B. Laurent. Iuſtin. de regim. Prælat. c. 3. S. Thom. 1. de regim. Princip. c. 2. S. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. de amore §. 5. Ægidius Roman. de regim. Princip. 2. part. lib. 3. c. 3. & Theophyl. vbi ſup. de qua ſic Trithem. in prolog. Reg. S. Bened. c. 2. *Maximum decus cænobiorum eſt uinculum ueræ pacis, ſine quo nulla Deo Religio placet, quæ citò autem pax in congregatione monachorum extincta fuerit, totus monaſtica diſciplinæ uigor peribit: indè ſuſpiciones oriuntur, & detractiones, diſſenſiones quoquè, & partialitates, &c.*

4. Media quænam erunt pro finis aſſecutione, vt perfectè miniſtrare diuinæ Voluntati poſſit? non niſi vti debita, ac proportionata iuſtitia tam in honoribus, cæteriſque bonis, nempè victu, veſtitu, &c. diſtribuendis, quàm in oneribus diſpenſandis; ideò dicebat S. Thom. lib. 2. polit. lect. 2. *Per iuſtitiam enim conſeruatur pax Ciuitatis*: ſed clariùs Ægid. Roman. vbi ſup. 2. part lib. 1. c. 11. *Sicut ergo corpus naturale non ſubſiſteret, niſi in eo reſeruaretur quædam diſtributiua iuſtitia, ut quod cor in membra debitè influeret; ſic Regnum vel Ciuitas non poſſunt ſubſiſtere, niſi in ea reſeruaretur diſtributiua iuſtitia, ut quòd Rex, ſiue Princeps debitè honores, ac bona diſtribuant.*

Caret ergo in praxi hac ſcientia factioſus, ideſt qui habet, ac nutrit multos ſectatores pro ſui exaltatione, ſcindit enim multitudinis corpus in partes, ac ſectas, vt dominari poſſit, in perfectionis religioſę deſtructionem, teſte D. Antonin. p. 2. tit. 4. c. 8 §. 4. *Ex ſeditione tota uita regularis deficit*: imò nomen Tyranni ſibi vendicat, dicente S. Thom. 2. 2. qu. 42. ar. 2. ad 3. quem ſequuntur S. Antonin. vbi ſup. §. 1. & Silueſt. tit. ſeditio n. 1. *Magis autem*, inquit, *ſeditioſus eſt, qui in populo ſibi ſubiecto diſcordias nutrit, ut dominari poſſit: hoc enim tyrannicum eſt, cum ſit ordinatum ad bonum proprium Præſidentis cum multitudinis nocumento.*

Caret ergo in praxi hac ſcientia Prælatus ille partialis, qui iuſtè, & proportionabiliter non diſpenſat honores, cæteraque officia, ac bona communitatis, ſed amicos præponit, alijs neglectis: Ex hoc enim ſuboriuntur diſcordiæ, ac ſeditiones, vt teſtatur Ariſt. 5. polit. c. 3. *Clarum eſt, quòd valeat, & quomodò cauſa ſit contendendi: ipſi enim inhonorati, & alios honoratos cernentes ſeditiones aggrediuntur*: & cap.

8. *Propter lucrum irritantur inuicem* : vndè ei conuenit nomen ſeditioſi, dicente S. Th. 2.2.qu.42 ar.2. *Peccatũ ſeditionis primò quidem, & principaliter pertinet ad eos, qui ſeditionem procurant, qui grauiſſimè peccant.*

Caret ergo in praxi hac ſcientia Prælatus ille, qui aliquo commodo ductus onera imponit minoribus, & non ſibi gratis, ſubleuando maiores, & amicos, id enim parturit multa mala, diſcordias ſcilicet, ac ſeditiones. Ita S. Antonin. p. 1. tit. 6. c. 2. §. 5. *Nam ſi maioribus, vel amicis onera leuia iniunguntur, minoribuſque grauia, & importabilia, oportet ſequi diſcordiam, inuidiam, ſeditionem, aliaque mala deſtruentia Ciuitatem*; ideò dicebat Abb. Trithemius de ruin. monaſt. Ordin. c. 10. *Nihil enim ſic vnitatem confundit; nihil ſic pacem perturbat, nihil enim ſic lædit charitatem, nihil ſic cauſat diſſenſiones, ſicut ignorantia Prælatorum, quibus de Imperio totum de ſcientia, & veritate nihil conſtat.*

4. Secunda cōditio eſt quòd eligendus virtutibus fulgeat, quæ reddunt hominem aptum ad regendam multitudinis machinã, ea præſertim, quæ eſt propria Regentis, ac Prælati, ſine qua omnis cœtus multitudinis confunditur, ac diſpergitur, iuſtitiã dico, cuius totũ eſſe ad alterũ eſt, vt inquit Ariſt. 5. Ethic. c. 2. vbi S. Thom. lect. 2. & 2.2. qu. 58. ar. 2. vbi Caiet. Valen. diſp. 5. qu. 1. punct. 1. S. Antonin. part. 4. tit. 5. c. 1. Sotus lib. 3. de iuſtit. qu. 1. ar. 1. hinc S. Thom. 5. Ethic. lect. 10. inquit: *Quòd Princeps non laborat ad vtilitatem ſuã, ſed alterũ, & propter hoc ſupradictum eſt, quòd iuſtitia legalis, ſecundum quã Princeps gubernat multitudinem, eſt alienum bonum*. & Abul. in Exod. c. 20. quæſt. 10. ait, quòd Princeps, & Prælati non debent curare de bonis ſuis, ſed de bonis communitatis conſeruando ſtatum politicum; nã tota iſtorum ſolicitudo eſt in diſtribuendo iuſtitiam omnibus de politia, iuſtitia autem non eſt bonum proprium, ſed alienum: qui ergo iuſtitię ſtudet, non ſtudet ſibi, ſed alteri, ſic declarat Ariſt. 5. Ethic. & ideò dicit quòd difficiliùs eſt, eſſe iuſtum, quã habere alias virtutes, quia præ quodlibet aliarum virtutum ornamentum, quilibet eſt bonus ſibi, per iuſtitiam alteri bonus: magis enim inclinantur homines ad ſe ipſos, quàm ad alios: hæc Abulenſ. hinc S. Ambroſ. lib. 1. offic. c. 28. inquit: *Iuſtitiam alijs potius natam eſſe, quàm ſibi*: & c. 24. *Iuſtitia eſt, quæ nil alienum vendicat, quæ cuilibet dat, quod ſuum eſt, negligit propriam vtilitatem, vt ſeruet communem æquitatem*; & pſ. 118. verſ. *Feci iudicium, & iuſtitiam*: *Sola iuſtitia eſt, quæ omnibus temporibus alijs potiùs nata, quàm ſibi, quotidiano vſu, & fructu publico ſuo damno alienas cuſtodit vtilitates, quæ nihil habent vtilitatis, & plurimum laudis*: audiamus Cicer. lib. 2. de Republic. & Senec. epiſt. 77. Ille ait: *Iuſtitia præter cæteras totam ſe ad alienas vtilitates porrigit, atque explicat*. Hic inquit: *Sacra res eſt iuſtitia; alienum bonum ſpectat; nihil ex ſe petens, niſi vſum rei*. Ratio cur deſideretur hæc virtus in Præſidente, ea eſt, cum finis ſolicitè intendendus ab eo ſit vnitas, & pax multitudinis, quæ conglutinatur reddendo vnicuique, quod ſuum eſt in omnibus bonis communitatis, & cum valdè difficile, ne dicam impoſſibile, ſimul adhærere propriæ vtilitati, & aliorum commodis, quia magis homo inclinat ad ſe ipſum, quàm ad alios; ideò natura ipſa, vt communis æquitas ſeruetur, ordinauit in Regente huiuſmodi iuſtitiam, quæ tanquam ſpeciale munus propria negligit emolumenta. *Ob id*, inquit S. Chryſoſt. ad Roman. c. 13. hom. 23. poſt medium, *quòd ſua ipſorum negligentes Principes communes res curant, vniuerſumque ſuum impedunt otium.*

Priuatur hac iuſtitia Prælatus ille, qui promouet ad dignitates, ſeu Prioratus eos, qui ſunt ſibi grati, & amici, vt ſuis votis ipſum in regendi arte conſeruent, & ſi nõ poſſunt in ſe ipſo ſaltem in amico, vndè ſatis probatum habetur illud dictum S. Thom. 4. de regim. Princip. c. 16. *Cum enim timent amoueri ab officio, iugiter ſibi amicos copulant*: ex hoc enim ſolùm tota concordia fratrum confunditur, & infeſtatur: ſic ait D. Bernard. de prim. grad. humil. loquendo de Lucif. *Cæteris aſtantibus cœlicolis, dum tu ſolus ſedere affectas, fratrum concordiam, totius cæleſtis patriæ*

pacem

*pacem ipſius, quantùm in ſe eſt, quietem Trinitatis infeſtat:* qua ex ſe tandem excitantur infinita mala, inquit Rodriq. tom. 3. qu. 34. at. 5. Ex prætenſionibus officiorum regularium æmulationes, inuidiæ, diſcordiæ, ſectationes, & id genus, alia genimina viperarum emergunt, quæ, cùm in proprio intereſſe radices emittant, exinaniunt Religionem vſque ad fundamentum in ea; & Prælatus nomen Tyranni ſibi vendicat iuxta doctrinam Ægid. Roman. vbi ſupr. 2. part. lib. 3. c. 2. *Regis autem eſt, intendere bonum commune, ſi verò ille vnus dominans non intendit bonum commune, ſed per ciuilē potentiam opprimens alios, regimen ordinat in bonum proprium, & priuatum, non eſt Rex., ſed Tyrannus.*

Priuatur huiuſmodi iuſtitia Prælatus, qui ſtudet ita diſponere cœnobiorum familias, vt tandem in Diſcretos, ac Socios illi promoueantur, qui ſibi, ſeù amicis conferant vota pro dignitatibus, quæ ex re poteſtatis abuſio oboritur, quia, cum tota poteſtas gubernatiua tendat per ſe ad bonū commune, & non ad ſui vtilitatem, inquit Emin. Lugo de iuſt. diſp. 1. ſect. 1. num. 6. diſponendo familias pro fine explicato vtitur ſubditorum perſonis, ac functionibus in ſui commodum, ad quod non ſe extendit poteſtas in ſubditos; ideò dicebat Suar. 3. de Relig. lib. 6. c. 2. n. 15. Nam qui ſe tradit alicui in ſeruum, & ſe tradit ei in ſeruitutem, ac vtilitatem eius: Religioſus autem licèt ſe tradat Prælato, non tamen in eius vtilitatem, ſed in cultum Dei: quò fit, vt Prælatus fiat reus peccati contra iuſtitiam, vt docet S. Thom. 3. polit. lect. 5. *Qui principantur dominatiuè Ciuitati vtentes ciuibus ſicut ſeruis ſcilicet ad ſui vtilitatem, faciunt contra iuſtitiam.*

Priuatur huiuſmodi iuſtitia Prælatus, qui communem vitæ rationem non ſequitur, ſed vitæ commoda proſequitur, & eo nomine delectatur gubernatione, eò quòd, cum cæteris præſit poteſtate, ea quaſi claue vtitur ad aperiendum vitæ commodis, corporiſque appetitionibus aditum; ob id enim duo mala ſanguineis lacrymis deploranda ſuboriūtur. Prim. quod ab huiuſmodi commodis illaqueatus arte, ac induſtria curat, vt in regendi munere ab electoribus conſeruetur. Secund. quòd ſubditi coguntur, velint, nolint vitam ducere ſub Imperio tyrannico: de illo videndus eſt S. Thom. ex Ariſt. 3. polit. lect. 5. *Homines propter vtilitates, quæ veniunt ex bonis communibus, quæ ſibi principantes vſurpant, & quæ veniunt etiam ex ipſo iure principatus, volunt ſemper principari*: de hoc audiendus eſt B. Laurent. Iuſtin. de reg. Prælat. c. 2. *Quamobrem qui non miniſtrare, ſed dominari volunt in Clero, non propriè Domini, ſed raptores, & Tyranni ſunt; dum non ſubditorum, ſed propria commoda quærunt, diuitiarum videlicet, voluptatis, honoris, & famæ.*

Deſtructa ergo huiuſmodi iuſtitia in eligēdo, ſeù denuo eligendo ab electoribus, & ortis, ſeù orituris incommodis prædictis, quomodò, quæſo, propagabitur perfectio religioſa, quæ Prælati exemplo à ſummo Deo commendatur? nam Regularium regimen duplex bonum iniungit propagandum; vnitatis ſcilicet, ac perfectionis: de hac ſic loquitur Emin. Lugo de iuſtit. diſp. 35. ſect. 5. Præcipuum munus Prælati eſt ſuo exemplo, ac prudentia continere ſubditos in diſciplina ragulari, & hæc ſi (vt plurimum accidit) relaxata ſit ad priſtinum, ac debitum rigorem reducere, ſubditoſque ad perfectionem religioſam promouere, quod eſt finis gubernationis religioſæ: deſtruetur, deſtruetur inquam; ideò dicebat B. Laurent. Iuſtin. de Prælat. regim. c. 3. *Vbi deeſt, qui regat, vnuierſa confuſa ſunt, deeſt reuerentia mutua, procul eſt pax, morū diſciplina deſeritur, abycitur norma virtutum.*

5. Quoniam in quacunque regimini machina vltrò, citròque inſurgunt infinita negotia, quæ ſunt ad bonum promouendum, malumque præcauendum ordināda; ideò DD. pro tertia conditione in eligendo requirunt prudentiam; quarè S. Thom. 3. polit. lect. 3. in fin. aiebat. *Nam propriè virtus Principis eſt prudentia, quæ eſt regitiua, & gubernatiua*: ad cuius rectum exercitiū in Præſidente requiritur appetitus rectitudo per virtutem moralem, vt docet S. Thom. 3. polit: lect. 7. *Prudentia præſupponit appetitum rectum per virtutem moralem*

*ralem*, nempè per iuſtitiam, vt ex eodem S.Thom. 5. polit. lect. 7. elicitur, quæ, vti dixi ſuperiùs, duo præcipit, aliorum vtilitati conſulere, & propriam vtilitatem negligere, vt inſinuat etiam B.Laur. Iuſtin. de iuſt. c. 5. *Iuſtitia dicit æquitatem, quæ cuilibet dat, quòd ſuum eſt, quæ negligit propriam vtilitatem, vt ſeruet communem æquitatem*: vnde, qui in principatu vtilitatem propriæ conſeruationis, aliorumque commodorum quærit, difficilimè eligere valet media apta pro ritè gerendis negotijs in finem rectum, quia id peruertit appetitum, & conſequenter, inquit S. Thomas vbi ſupr. lect. 7. *Iudicium rationis; homo autem habet, vt plurimum, peruerſum appetitum reſpectu ſui ipſius, quia vnuſquiſque nimis afficitur ad ſe ipſum: & ideò propter nimiam dilectionem, & affectionem, quam habet ad ſe ipſum, voluntas peruertitur à fine recto*: quomodò, quæſo, negotia pertractabuntur? confundentur quidem; imò deſtruetur tota machina regiminis; quæ per prudentiam adminiſtrari debet, vt tradit D. Thom. 7. polit. lect. 3. *Operatio autem Principantis eſt iudicare, & præcipere rectè, & diſtribuere rectè principatus, quia iſta competunt ſibi per virtutem, quæ eſt prudentia, quæ eſt propria ſibi.*

Deſtruetur etiam, inquam, quia Deus ob deformitatem prædictam non aſſiſtet eius prudentiæ; licèt enim talis virtus inter quatuor cardinales connumeretur; nihilominus eius exercitium, ne in operationibus careat debita rectitudine, Dei influxu pro regula indiget, teſte B. Laurent. Iuſtin. de inſtit. & reg. Prælat. cap. 19. *Dei igitur*, inquit, *ornamentis componant ſe Præſules, cardinalibuſque præcipuè fulgeant virtutibus, vt valeant, cui famulantur, placere altiſſimo: porrò in eligendis vtantur prudentia, temperantia verò in vtendis, in tolerandis fortitudine, atque in diſtribuendis iuſtitia ſplendeat: eſt quidem prudentia in Eccleſiaſticis Paſtoribus prorſus neceſſaria, non minùs in proprijs, quàm in ſubditorum negotijs; nam prudentia bonarum rerum, ac malarum deſcribitur eſſe vtrarumque ſcientia: hæc quippè ex ſingulari Dei dono principaliter acquiritur, dicente Scriptura Iob. 32. Dominus dat intelligentiam, atque prudentiam; per temetipſum illam non ſufficit apprehendere, homo valet quidem multa ex naturali ſcrutari ingenio, poteſt plura nefanda, & Deo odibilia meditari, bona verò minimè: Apoſtolum audi 2. ad Corinth. 3. Non poſſumus*, inquit, *cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: hæc B. Laur. aſſiſtet ne Deus ſuo diuino influxu Prælato, qui huiuſmodi iuſtitia caret? minimè quidem: deſtruetur, deſtruetur inquam tota regiminis machina.

6. Verùm prædictæ conditiones requiruntur in homine, vt inter dignos, ac aptos connumerari valeat; ſed ad hoc, vt cenſeatur inter omnes digniſſimus, eius dignioritas deſumitur à maiori vtilitate, quam Eccleſiæ, cui eſt præficiendus, eſt allaturus. Ita omnes DD. & ideò S. Thom. ex Ariſt. 5. polit. lect. 7. ait: *Principatus rationem ſumit ex fine, & ideò ille aſſumendus eſt in Principem, qui habet illud, ſecundum quod poteſt magis pertingere ad finem Reipublicæ?* Concludunt tandem Aragon. & Sanch. num. 4. vbi ſupr. nec ad colligendum, quis ſit dignior, ſat erit vnam conditionem aduertere, ſed opus erit omnes attendere, & ponderare omnes illas in ordine ad principalem finem beneficij, vel dignitatis, quæ confertur: proindè qui ſcit maiori vnitate, ac perfectione religioſa multitudinem propagare; qui maiori pollet iuſtitia pro illa propagatione; & qui maiori prudentia in pertractandis negotijs, vt ſemper magis promoueatur bonum commune, mala præcauendo, ornatur, hic ſemper erit cenſendus inter omnes digniſſimus, & conſequenter ab electoribus eligendus, ſi ſatisfacere iuramento prædicto cupiunt:

Pro fine quæſiti addenda ſunt nonnulla, ac legenda attentè ab electoribus D. Ioan. Damaſc. lib. 2. parallelorum cap. 26. *Vndè, quæſo, tumultus in Eccleſia naſci cenſes? equidem ipſe non aliundè exiſtimo, quàm quod Antiſtitum ele-*

*electiones*, *temerè*, *atque inconſideratè fiunt*; & ſemper memoriæ commendent illud præclarum dictum electores Abb. Trithemij lib. de ruina monaſt. Ordin. cap. 8. *Ad vos Patres electores hæc culpa referenda eſt, ſi Abbates deformatos, & vitioſos ad præſidentiam elegeritis.*

## *LAVS DEO.*

# INDEX RERVM NOTABILIVM.

*Primus numerus paginam notat, ſecundus dubium, tertius columnam.*

## A

### *Abbas, vide, Prælatus.*

AB Abbatibus eſt incipienda reformatio. pag.100.dub.31.c.1.
Ad Abbatem ſpectat poteſtas gubernandi, qui ſe habet tanquam diſpenſatorem, & non Dominũ. pag.205.d.57.c.2.
Debet diſpenſare honores, cæteraque bona iuxta merita ſubditorum. ibid.
Abbas æquè primò tenetur ad alendam communitatem, & poteſt cedere iuri ſuo, & non aliorum. pag.206.d.57.c.1.
Deſcribuntur mores nouelli Abbatis, qui ſemetipſum paſcit in Prælatura. pag.473.d.137.c.1.
Quandò Abbas in imponendis præceptis vti debeat aliorum conſilijs. pag.549.d.165.c.1.& ſeq.

### *Acceptio perſonarum.*

Acceptio perſonarum quid; de genere ſuo eſt peccatum mortale, fit veniale ratione paruitatis materiæ. pag.20.d.5.c.1.
Vndenam inſurgat paruitas materiæ. ibid.c.2.
Acceptio perſonarum quid. pag.596.d.186.c.2.

### *Accuſatio.*

Accuſatio quid, eiuſque finis. pag.405.d.113.c.1.
Accuſationes ſunt in triplici differentia, quarum primæ poſſunt repelli à quocunque Superiore. pag.405.d.113.c.1.2.
Vide multa circa hanc materiam. pag.406.d.113.c.1.2.

### *Actus humani.*

Triplex genus humanorum actuum. pag. 31. d.7.c.2.
Duplex finis poteſt eſſe in actione, ſeù in actu humano. pag.32.d.7.c.2; & explicatur tota materia finis extrinſeci, & intrinſeci. ibid.
Actio humana lethaliter mala deſtruit totam bonitatem, quæ inuenitur in actione humana. pag. 36.d.7.c.2.
Actus humanus bonus, ſeù indifferens fit malus ob finem malum. pag.51.d.12.c.1.
Nemo tenetur ad actum fruſtratorium. pag. 254. d.72.c.2.pag.84.d.26.c.1.pag.434.d.124.c.2.
In actibus humanis duplex libertas poteſt eſſe, & quoad exercitium, & quoad ſpecificationem. pag.522.d.155.c.2.
Actus faciendus cum aliquorum conſenſu, ſi conſenſus nõ petatur, eſt nullus. pag.480.d.140.c.1.
Actus faciendus cum conſenſu Definitorum debet haberi collegialiter; aliter nullus. pag. 480. d. 140.c.2. habentur tres limitationes.
Actus alter nullus, alter iuſtus. pag.486.d.141.c.2.
Actus eſt nullus, ſi forma legis non obſeruatur. pag. 612.d.180.c.1.pag.483.d.141.c.2.
Ad actum fruſtratorium nulla lex poteſt obligare. pag.616.d.191.c.1.
An actus geſtus teneat, ſi poteſt peti conſilium, & non petatur. pag.483.d.141.c.2.

### *Ambitio.*

Ambitio quid. pag.467.d.135.c.1.& duo eius effectus adnotantur. ibid.
Ambitio diuidit Eccleſiam in factiones. pag. 23.d. 5.c.1.pag.29.d.6.c.2.pag.57.d.15.c.2.
Ambitio inſurgens ex ritè adminiſtrata iuſtitia di-

[Ambitio di]ſtributiua non inficit Religionem.pag.14.d.3.c.1.2.pag.202.d.56.c.1.2.& ibid.adnotatur, quæ ambitio inficiat Religionem.
Ambitio ex genere ſuo eſt veniale peccatum, fit mortale ob finem lethaliter malum.pag.34.d.7.c.1. pag.88.d.27.c.2.
Ambitio etiam Sanctos vincit. pag.37.d.7.c.1. eſt cæcatrix cordium. ibid. & impellit ad malum. ibid. c.2.
Permittentes Superiores, vt ambitio in Religionibus præualeat, peccant.pag.57.d.15.c.2.
Ambitio non fouetur ob Prælatorum multiplicationem. pag.202.d.56.c.1.
Quàm malum ſit ambitio.pag.272.d. 76.c.1. pag. 273.d.76.c.2.pag.275.d.76.c.1.
In materia ambitionis committere frequenter venialia inuoluit periculum proximũ labendi in mortale. pag.273.d.75.c.2.
Ambitio obliuioni mandat iuſtitiam ſeruandam in Religionibus.pag.385.d.105.c.1.
Ex iuſtitia diſtributiua obſeruata in Religionibus deletur vitium ambitionis.pag.467.d.135.c.1.
Debet præſertim enitere in Prælatis maioribus ad hoc, vt ambitio extirpetur. pag.468.d.135.c.2.
Proprium ambitionis eſt diuidere homines in partes, & conferre indignis officia. pag. 473. d. 137.c.2.
Ambitio decipit etiam homines ſanctitate præditos. pag.595.d.185.c.2.
Prælatorum ambitio ſubditorum pacem conturbat, & in eis ſpiritum ambitionis generat. pag. 316. d.89.c.1.

*Amici.*

Prælati in diſtributione bonorum communium reſpiciendo amicos fiunt acceptatores perſonarum. pag.20.d.5.c.1.
Amicorum vnio ad ſubleuandum aliquem ſuffragijs in Prælatum, cæteraſque dignitates eſt lethaliter peccaminoſa.pag.90.d.28.c.1.
Amicus eſt alter ego.pag.395.d.107.c.1.
Deſcribuntur laudes amicitiæ, quæ præponitur iuſtitiæ ſeruandæ, & æquiparatur concordiæ.pag. 396.d.108.c.1.2.
Nimiæ amicitiæ in Religionibus damnantur à SS. PP.pag.408.d.114.c.2.

*Amor.*

Amor eſt nexus gubernationis inter ſubditum, & Prælatum.pag.88.d.27.c.1.pag.223.d.63.c.1. pag.355.d.99.c.1.
Tantus eſt amor ſui, vt vnuſquiſque etiam Sanctiſſimus cæcutiat in proprijs. pag.37. d.7.c.1.pag. 355.d.99.c.1.

*Apoſtata.*

Non ligantur excommunicatione Religioſi, neque ſeculares in auxilium vocati, capientes Apoſtatas. pag.300.d 83.c.2. vide multa.
Prælati tenentur quærere Apoſtatas, & fugitiuos, eſto ſint nociui Religioni, modò non oriatur ſcandalum. pag.302.d.84.c.1.2.
Apoſtatæ videntur neceſſarij in Religionibus, vt electorum perſeuerantia probetur: pag.438.d. 127.c.2.

*Apoſtoli.*

Apoſtoli Mundum conuerterunt non ob miracula, ſed ob contemptũ Mundi. pag.139.d.41.c.1.2. vide multa.
Apoſtoli fuerunt inſtitutores perfectionis, quam profitentur Religioſi pag. 444.d.128.c. 2. & ſeq.
Inter Apoſtolos connumeratur Iudas malus ad exemplũ patientiæ noſtrę, vt malos feramus. pag. 445.d.128.c.1.
Inter Apoſtolos fuit conturbatio ambitione ducta. ibid.c.2.

*Appetere.*

Quandò Prælaturas appetere ob bona temporalia ſit veniale. pag.37.d.7.c.2.
Prælaturæ poſſunt appeti ſine peccato. pag. 17.d. 3.c.1.
Vide totam materiam ſatis agitatam in pag. 55.d. 15.c.1.2.

*Auocatio cauſarum.*

Quid ſit. pag.417.d.116.c.2.
Epiſcopus poteſt auocare cauſam pendentem corã ſuo Vicario; ſicus eſt dicendum de Metropolitano erga Epiſcopos ſuffraganeos, pag. 418. d. 116.c.1.
Generalis poteſt auocare cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis, iuſta tamen interueniente cauſa.ibid.
Generalis auocans cauſas ſine cauſa peccat. pag. 420.d.116.c.1.
Non eſt tamen inualida.pag.421.d.117.c.1.
Acta Iudicis inferioris facta poſt auocationem cauſæ abſque decreto irritante cenſenda ſunt nullius roboris, habetur tamẽ limitatio.pag.422.d.118. c.1; & habentur omnia adnotata, quandò adeſt, & non adeſt irritans decretum: non eſt audiendus inferior Prælatus, dum ab eo auocatio fit; nec eſt ei exprimenda cauſa.pag.423.d.119.c.2.
Ad hoc, vt ceſſet iuriſdictio inferioris Prælati per auocationem factam, non requiritur ſolemnis exhibitio auocationis cauſæ, ſed ſufficit quæuis notitia. pag. 424.d.119.c.1.
Vt ceſſet iuriſdictio inferioris Prælati poſt auocationem expreſſam factam ad inſtantiam partis ea vti volentis, ipſa ſolemniter debet exhiberi Iudici, alias ei non aufertur iuriſdictio. ibid.

Bene-

## B

### *Beneficia Eccleſiaſtica.*

Petunt, vt inter membra Eccleſiæ diuidantur, non vt plura cumulentur in vno, ſed vt vnum vni detur. pag.239. d.65.c,2. maximè quandò habent annexam curam animarum, ac reſidentiam perpetuam. ibid. & multa alia adnotantur.
Inter beneficia Eccleſiaſtica enumerantur dignitates regulares. pag.230.d.65.c.1.
Regulares nequeunt eodem tempore poſſidere plura beneficia, vt ſunt Prioratus, Prouincialatus, &c. ibid.
Per nullam conſuetudinem poteſt introduci, quòd plura beneficia vni conferantur. pag. 231.d.65. c. 2.

### *Bona Religionis:*

Sunt tam ſubditorum, quàm Prælatorum, ideò debent iuſtè diſtribui. pag. 21.d.5.c.2.
Tam ſunt diſtribuenda amicis, quàm inimicis. pag. 22.d.5.c,2.
Sunt in duplici differentia, alia immobilia, alia verò mobilia. pag.205.d.57.c.2.
Debent diſtribui iuxta menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ inter ſubditum, & Superiorē. pag. 206.d.57. c. 2. habetur quædam limitatio de Lectoratu, Doctoratu, &c. ibid.
Quandò habetur ſtatutum omnia diſtribui adæqualitatem aritmethicam, nequit obſeruari iuſtitia diſtributiua inter ſubditum, & Superiorem. pag. 209.d.57.c.1.
Prælatus circa bona Religionis eſt adminiſtrator, & fidelis diſpenſator: ibid.

### *Bonum.*

Bonū ſine malo intelligi nequit. pag.142.d.45.c.1.
Bonum in bonitate eſt virtuoſius, quàm malum in malitia. ibid.

### *Bonum commune.*

Bonum commune Religionis petit, vt Prælaturæ nō præſcribantur apud paucos. pag.25.d.6.c.2.
Bonum commune Religionis propagatur pace. pag. 21.d.5.c.2.
Itidem petit, vt Prælaturæ ſint inſtitutæ, vt præmia meritorum. pag.14.d.3.c.1.2.
Itidem petit, vt commoda, & incommoda, honores, & lucra ab inuicem præſtentur inter Religioſos. pag.25.d.7.c.1.
Itidem petit, vt ſit quis, qui illud promoueat. pag. 42.d.9.c.1. & ex multis propagatur, & illa deſcribuntur. ibid.
Bonum commune diſſoluitur, dum non obſeruatur iuſtitia. pag.61.d.16.c.1. pag.94.d.29.c.1.
Quilibet tenetur illud tueri, nec in diſcrimine ponere, & deſignatur modus. pag.131.d.40.c.2. pag.185.d.51.c.2.
Bonum totius præeminet bono partis, & ob illud poteſt negligi aliquis defectus in parte, vt bonū totius augumentetur. pag.148.d.42. c.2.
Bonum commune Religionis petit, vt in plectendis vitijs malorum Religioſorum ſpecialis modus ſeruetur. pag.158.d.46.c.1.2.
Bonum commune dupliciter accipitur pro æterna felicitate, & pro pacifico ſtatu Reipublicæ. pag. 160.d.46.c.1.
Quandò bonum commune non quæritur, ad nihilum redigimur. pag.385.d.105.c.1. quia præſertim ciues inter ſe diuiduntur. ibid.c.2.
Bonum commune Religionis dupliciter eſt, ſcilicet eſſentiale, & accidentale, ad illud ſe obligarunt Religioſi ſub mortali tuendum, ad hoc minimè potuerunt. pag.263.d.74.c.2.
Quandò Præſidentes non quærunt bonum commune, ſequitur diſſenſio inter ſubditos. pag.385.d. 105.c.2. pag.468.d.135.c.1.
Bonum particulare eſt ob bonum commune. pag. 431.d.133.c.1.
Tunc regimen eſt rectum, quandò intenditur bonum commune. pag.443.d.128.c.1.
Bonum commune preponendum eſt bono priuato, imò naturale eſt partem ſe exponere periculo pro toto. pag.448.d.129.c.1.
Dupliciter accipitur commune bonum. Primò pro illa felicitate æterna. Secundò pro felicitate humana, quæ non expellit omne malum, imò multa permittit. pag.551.d.166.c.1.

## C

### *Canones.*

Canones ſunt á Spiritu ſancto. pag. 513. d. 150. c. 2.
Subiacent mutationibus, ibid.c.1.

### *Capitulum.*

Proclamationes, quæ fiunt in Capitulis de leuibus culpis, non derogant famæ Religioſorū. pag.50. d.12 c.2.
Quandò geſta per Prouincialem, & Priores ſint valida, dum Capitulum eſt nullum. pag.81.d.25. c.1. & habes multa ſcitu digna.
Quandò peccatur in forma, an geſta ſint valida, pag 83.d.25.c.1.
Capitulum generale nequit permittere factiones in Religionibus. pag.111.d.35.c.2.
Capitulum generale poteſt deponere Generalem, eum punire, ac authoritatem minuere, & augere. pag.360.d.99.c.1. pag.405.d.113.c.1.
Capitulum prouinciale poteſt negotium reformationis committere Prouinciali, ac Definitoribus, ſed non eſt conueniens. pag.363.d.100.c.1.2.
Quæ poſſunt facere Capitula generalia, ac prouincialia. ibid. nil tamen poſſunt facere ſine capite.

capite: ibid. & habetur quædam limitatio:
Si in Capitulo aliquod tractatur illicitum, cique vniuſquiſque tenetur obſtare. pag. 363. d. 100. c.2.
Capitulum generale tenetur ſtatuere leges pro obſeruantia iuſtitiæ diſtributiuæ, idque ex obligatione ſtrictiſſima. pag. 466.d.134.c.1.2.

*Charitas.*

Violatur charitas per diuiſionem vnitatis. pag. 60. d.16.c.1.
Per multiplicationem Prælatorum augumentatur charitas inter Religioſos. pag.199.d.56.c.1. vide multa circa hoc. pag.379.d.104.c.1.2.& ſeq.
Charitas obligat ad ſuccurrendum proximo particulari in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto, etiam cum periculo vitæ: ſecus ſi non laborat extrema neceſſitate, ſed tantùm graui. pag. 256.d.73.c.1.2.
In graui neceſſitate eſt ſuccurrendum Reipublicæ cum periculo vitæ. pag.257.d.73.c.1.
Proximo exiſtenti in graui neceſſitate ſpirituali tenetur quis cũ leui ſuo detrimento auxilium ferre: ſecus ſi graue patiatur. ibid.c.2.

*Citatio.*

In omni iudicio eſt neceſſaria citatio, aliàs nulla eſt ſententia. pag.217.d.60.c.1.

*Ciuitas.*

Ciues ad defendendam Ciuitatem tenẽtur exponere vitam propriam. pag.74.d.21.col.2.
Nil perniciofius Ciuitati, quàm diuiſio: pag.347.d. 98.c.1:

*Clauſula.*

Clauſula in fine poſita ad omnia præcedentia refertur, imò in quacumque parte diſpoſitionis, dummodò ſit eadem ratio. pag.626.d.196.c.2.

*Clauſula irritans.*

Vbi inuenitur clauſula irritans, nequit adduci conſuetudo in contrarium. pag.528.d.156.c.2.
Clauſula irritans inducit formam eſſentialem, ex cuius omiſſione irritatur actus. pag.486.d.141. c.1. Explicantur duo effectus clauſulæ irritantis. pag.625.d.196.c.1.

*Clauſula ex certa ſcientia.*

Huiuſmodi clauſula nil operatur circa ea, quæ in facto conſiſtunt pag.537.d.160.c.1.
Clauſula ex certa ſcientia cauſat præſumptionem informationis. pag.538.d.161.c.2.
Aliquandò huiuſmodi clauſula adijcitur ex conſuetudine. pag.539.d.161.c.2.

*Clauſula ex motu proprio.*

Huiuſmodi clauſula eſt minoris efficaciæ, quàm clauſula ex certa ſcientia, & excludit inſtantiam partis. pag.540.d.161.c.2.

*Clauſura.*

Quid, & quo iure ſit introducta. pag.297. d. 82. c.1.
Quid intelligatur nomine monaſterij, in quo clauſura eſt ſeruanda. ibid.
Qui hortus, quæ prædia, quæ ſacreſtiæ, qui chorus, & quæ domus ſubijciantur clauſuræ. ibid. c.2.
Quæ mulieres arceantur à clauſura. pag.288.d.82. c.1.
Mulieres de ſtirpe regia, aliæque ex priuilegio ingredientes monaſteria deferre ſecum poſſunt eũ comitatum fæminarum, cum quo frequenter incedunt. ibid.
Vera clauſura non indiget declaratione, ſed ex proprijs terminis inſurgit. ibid.c.2.
Monaſteria aliàs clauſuræ ſubiecta, in quibus modò in forma conuentus non viuitur, non ſunt amplius ſub clauſura. pag.299.d.82.c.1.
Conſuetudine aboleri poteſt clauſura. ibid.c.2.
Poteſt inſtitui proceſſio extraordinaria abſque violatione clauſuræ ad hoc, vt mulieres ingredi poſſint in monaſteria. ibid.

*Collegium.*

Priuati homines nequeunt formare Collegia. pag. 41.d.8.c.1.
Sine authoritate Principis Collegia formata nequeunt facere actus validos. ibid.
Sub nomine Collegij appellatione veniunt etiam monaſteria Religioſorum. pag. 609. d.189.c.1.
Duo poſſunt conſtituere Collegium, imò ius eligendi poteſt reduci ad vnum. ibid.
Collegium, quod tantùm duos agregat, validam poteſt celebrare electionem. pag.610.d. 189. c.1.
Quandò Collegium eligit, ſemper maior pars eligit. ibid.c.2.
Deſignatur quidam modus celebrandi electionem, quandò Collegium reducitur ad duos. pag.610. d.189.c.2.
Collegium cenſendum eſt illa Congregatio congregata in ordine ad electionem. pag. 612. d.190. c.1.

*Commoda Religionis, vide Bona Religionis.*

*Concordia.*

*Concordia, vide Pax, & Vnio.*

Concordia eſt omnibus præferẽda. pag.86.d.2.c.1.

Con-

Concordia eſt omnibus præferenda. pag. 86. d. 2. c. 1.
Concordia oboritur, quandò diuerſis diuerſa diſpenſantur officia. pag. 357. d. 99. c. 2.
In concordia paruæ res creſcunt, in diſcordia maximè dilabuntur. ibid.
Voluntas Dei eſt, vt ſit inter fratres cōcordia. pag. 440. d. 107. c. 2. pag. 11. d. 2. c. 2.
Non eſt vera concordia ſine iuſtitia. pag. 451. d. 129. c. 2.
Prelatus qui ſolus vult regnare, perturbat concordiam Fratrum. pag. 635. d. 200. c. 2.

*Confeſſarius, vide Reſeruata peccata.*

Confeſſarius tenetur ſcite prima principia, & primas regulas, quibus adminiſtratur miniſterium. pag. 60. d. 16. c. 2.
Confeſſarius ſub ſigillo non ſolùm peccata, ſed ea quæ poſſunt reddere odioſam, & formidabilem confeſſionem, celare tenetur. pag. 341. d. 97. c. 1.

*Confirmatio electionis.*

In omni electione requiritur confirmatio. pag. 78. d. 23. c. 1.
Ad confirmationem ſufficit, quòd electus ſit dignus. ibid.
An requiratur indagatio morum electi, priuſquam concedatur confirmatio. ibid. c. 2.
An ſit denegenda confirmatio Prælato factionario electo. pag. 79. d. 23. c. 1.
Titulus confertur per confirmationem. pag. 83. d. 25. c. 1.
Quæ forma confirmationis deſignetur a DD. ibid.

*Confirmatio ſtatutorum.*

Quid confirmatio, & duplex eſt; alia in genere, & alia ſpecifica, & quælibet explicatur. pag. 535. d. 160. c. 1.
Quandò intelligatur adeſſe forma ſpecifica, & quandò adeſt dubium, quid eſt dicendum. ibid. c. 2.
Munus vtriuſque confirmationis adnotatur, ibid. c. 2.
Quandò ſunt duo diſparata, & habent connexionem inter ſe, confirmatio ſtatuti poteſt vni derogare, altero retento in ſuo robore, & hoc tripliciter poteſt conſiderari. pag. 535. d. 160. c. 2.
Confirmatio ſtatuti, ſcilicet quòd Guardiani creentur aliter quàm per electionem, explicatur, quid operetur circa iuriſdictionem ipſorummet Guardianorum. pag. 536. d. 160. c. 1.
Explicantur opiniones, an, quandò in confirmatione aliqua explicantur ſecundum ſubſtantiā nulla facta mentione aliorum, ſed tantùm in communi dicendo reliqua confirmantur omnia, & ſingula ſecundum omnes partes, & articulos, &c. & clauſulæ motu proprio, & ex certa ſciētia cadunt ſupra illa ſingillatim explicata, quàm ſuper reliqua in communi, cenſeatur confirmatio in forma ſpecifica, an verò in communi. pag. 537. d. 161. c. 2.

*Concordia, vide Pax, & Vnio.*

*Conſcientia.*

Conſcientia quid. pag. 72. d. 20. c. 2.
Erronea quid, & oboriri poteſt ex ignorantia inuincibili, & vincibili. ibid.
Facere contra erroneam eſt peccatum. ibid.

*Conſenſus.*

Conſenſus quid, & quotuplex. pag. 46. d. 11. c. 2.
An detur conſenſus interpetatiuus, & quandò. pag. 47. d. 11. c. 2.
Quæ differentia ſit inter conſenſum, & conſilium. pag. 480. d. 140. c. 2.

*Conſilium.*

Nequit dari conſilium ad peccatum. pag. 62. d. 17. c. 2.
Conſilium non facilè inuenitur. pag. 221. d. 62. c. 2.
Conſiliari res diuiniſſima. pag. 413. d. 115. c. 1.
Salus Religionis ex conſilio. ibid.
Vbi plura conſilia, ibi maior ſecuritas in rebus. ibid. c. 2.
Diuina Sapientia rei veritatem per conſilium alterius reuelat. ibid. c. 2.
Conſilium debet peti a viris aptis. pag. 413. d. 115. c. 2. pag. 547. d. 164. c. 2.
Habito conſilio celeriter eſt agendum. ibid.
Politicus debet conſiliari de conferentibus ad finē Ciuitatis. pag. 459. d. 132. c. 1.
Salus vbi plura conſilia. pag. 459. d. 132. c. 1. vide multa. pag. 507. d. 148. c. 2.
Conſilium bonū magis inuenitur à pluribus, quàm à paucis. pag. 461. d. 133. c. 1.
Conſilium non eſt de fine, ſed de medijs. pag. 426. d. 139. c. 2. pag. 621. d. 193. c. 2. pag. 476. d. 139. c. 2. pag. 634. d. 200. c. 1.
Nemo tenetur ſequi conſilium ſibi datum, licèt obligetur ad illud petendum. pag. 480. d. 140. c. 1. pag. 487. d. 141. c. 1.
Quæ differentia ſit inter conſenſum, & conſilium. ibid.
Iuſſus facere aliquid cum conſilio, ſi Conſultor eſt particeps officij, tenetur eius conſilium ſequi. pag. 483. d. 141. c. 1.
Quandò conſilium eſt in dubium: an ſit forma eſſentialis, ſeu accidentalis, ſemper intelligitur eſſentialis. pag. 485. d. 141. c. 2.
Qui tenetur ſequi conſilium, iuſtum tamen, & non iniuſtum. pag. 489. d. 141. c. 1.
Conſultor electus ad dandum conſilium ad id poteſt compelli. ibid.
Optimum conſilium elicitur ex contrarietate ſententia-

tentiarum.pag.549.d.164.c.1.
Quandò neceſſarium ſit conſilium Abbatis pro imponendo præcepto tam leui, quàm graui.pag. 149.d.165.c.1.& ſeq.
Conſilium Definitorum eſt de ſubſtantia actus decidendi. pag.485.d.141.c.1.

*Conſpirationes.*

Damnantur tam in ſubditos, quàm in Superiores à multis Ordinibus, & plectuntur ſeueris pœnis. pag.410.d.114.c.1.2.

*Conſuetudo.*

Ex inſenſibili relaxatione bonarum cõſuetudinum relaxantur Religiones. pag.173.d.49.c.1.
Confutantur rationes probantes Religioſum habentem conſuetudinem tranſgrediendi regulas, ſeu conſtitutiones eſſe in ſtatu æternæ damnationis.pag.245. d.70.c.1.

*Contemptus.*

Quid requiratur ad verum contemptum.pag. 248. d.70.c.1.

*Contractus.*

Cõditio appoſita in contractu etiam matrimonij, & profeſſionis eſt obſeruanda. pag. 326. d. 93. c.1.

*Contumelia.*

Illata contumelia probat in animo virtutem, & qualis quis ſit. pag.145.d.42.c.2.

*Corpora.*

Corpora inferiora reguntur per corpora cœleſtia. pag.4.d.1.c.1.pag.138.d.41.c.1.

*Correctio fraterna.*

Explicatur illud Matth. 18. de correctione præmittenda, ſicut illud cap. Nouit, de iudicijs.pag. 171.d.48.c.1.
Correctio fraterna non obligat,quandò non eſt periculum relabendi. pag.211.d.58.c.2.
Delicta occulta contra bonum publicum, & tertiũ ſunt denuntianda Superiori ſine correctione fraterna.pag.212.d.57.c.1.
Recitantur opiniones an quis ſub veniali teneatur corrigere peccata venialia. pag.252.d.72.c.1.
Præceptum correctionis fraternæ innititur legi naturali. pag.290.d.85.c.1
Diſcreta correctio multùm valet. pag. 353.d. 99. c.3.

*Crimen, vide, Peccatum, & Delictum.*

*Culpæ publicæ.*

Publicæ culpæ ſunt tenendæ à Superioribus de defectibus leuibus, ac extraordinatijs in Capitulis. pag.285.d.79.c.2. & ſeq.vide aliquid obſeruabile.

D.

*Deceptio:*

Deceptio quoad ingreſsũ Religionis facta Nouitijs poteſt eſſe circa ſubſtãtialia,& circa accidentalia, & quæ iſta ſint,& quæ irritent profeſſionem.pag.66.d.18.c.2.

*Decreta.*

Definitionis decreta expirant extinctis Patribus Definitionis, vel amotis ab officio. pag. 488. d. 141.c.2.
Decretum irritans non amittit conſuetudinem in contrarium.pag.528.d.156.c.2.

*Definitores.*

Definitores eligentes in Priores ſuos ſectatores peccant mortaliter. pag. 21.d.5.c.2.& operando hoc modo fiunt Domini votorum, & non diſpenſatores. ibid. & amittunt nomen Definitorum. pag.22.d.5.c.1.
Definitores factioſi tenẽtur deponere officium. habetur quædam limitatio.pag.14.d.14.c.1.
Vtilitas Prouinciarum petit, vt multiplicentur Definitores ab electoribus. pag.198.d.56.c.1. vide multa ſcitu digna.
Definitores promouendi debent habere iuſtitiam, quæ tota eſt ad alterum, aliàs non ſunt apti ad obeunda munera Definitorum. pag.204.d.56. c.2.
Definitores à quibus ſunt eligendi, eorumque munus definitur.pag.479.d. 140.c.1.2.
Actus expediendus à Definitoribus eſt collegialiter habendus, aliter actus nullus. pag. 480.d.140. c.2. habentur tres limitationes.
An iuriſdictio, quæ competit omnibus Definitoribus,poſſit penes duos, vel tres, alijs legitimè impeditis, ſeu mortuis, remanere. pag.481.d. 140. c.2.
Iuriſdictio definitionis eſt ordinaria. pag. 482. d. 140.c.1.
Prouincialis nequit proferre ſententiam contra Reum abſque conſilio Definitorum, aliàs eſt nulla: habetur quædam limitatio.pag.483.d.141.c. 2. & ſeq.
Sententia prolata à Definitoribus debet executioni mandari ab alijs Definitoribus ſubſequentibus. pag.488.d.141.c.2.

Decre-

Decreta, ac ordinationes, quæ fiunt ab vna Definitione, expirant, ea amota ab officio, ſeu per mortem extincta, etiam re non integra. pag. 488. d. 141. c. 2.

Definitores nequeunt ſibi inferre præiudicium, dũ tacent, quandò Prouincialis operatur aliquid, quod ſine illis nequit facere. pag. 488. d. 142. c. 1. & ſeq.

Quas ſententias debeant ſubſcribere Definitores, qui in eas non conſenſerunt. pag. 491. d. 143. c. 1. & ſeq.

Definitores tenentur ſuum ſenſum liberè aperire in Definitorio; habetur quædam limitatio. pag. 493. d. 144. c. 2. & ſeq.

Nequit Superior cogere Definitorem ad præſtandum ſuum conſenſum, quandò prò diſſenſu adeſt iuſta cauſa. pag. 495. d. 144. c. 2.

Definitor poteſt adhærere opinioni alterus Definitoris, quia peritior: ſecus retinendo proprium ſenſum, & exiſtimando poſſe deponere conſcientiam abſque eo, quod ſit peritior. ibid.

Sub mortali Definitores tenentur celare ea, quæ tractantur in Definitione. pag. 502. d. 146. c. 2. habet aliqua ſcitu digna.

Munus Definitorum quid. pag. 506. d. 148. c. 1.

Ad hoc munus exequendum tenetur ex virtute fidelitatis, ac iuſtitiæ commutatiuæ ibid. c. 2.

Vnio, ſeù confederatio facta à maiori parte Patrum ex Definitione, vt regimen reguletur ſecundum proprium ſenſum, & intellectum, eſt lethaliter mala. pag. 506. d. 148. c. 2. & ſeq.

Actus huiuſmodi à Definitione ita confederata ſunt iure nulli. pag. 509. d. 149. c. 1. 2.

Definitores ad hoc, vt ſint apti pro creandis Prioribus, debent habere virtutem iuſtitiæ, quæ negligit propriam vtilitatem: aliàs mille incommoda ſunt ſequutura. pag. 513. d. 150. c. 2.

Corruptis Definitoribus, & corruptis ſubditis, maiora ſequntur incommoda, ſi Priores creantur à Definitoribus, quàm à familiji. pag. 514. d. 150. c. 2.

Vniones, quæ fiunt in Definitione pro creandis amicis in Priores, ſunt malæ lethaliter. pag. 515. d. 551. c. 2.

Definitor, qui confert vota in creatione Guardianorum amicis in ordine ad ſui conſeruationem, lethaliter peccat. pag. 518. d. 153. c. 2.

Huiuſmodi vota ſunt præter naturam, cõſequenter violenta, & conturbant pacem, & quietem Religionis. ibid.

Et ſũt cauſa mutationũ regiminis. p. 519. d. 153. c. 2.

Definitor nequit augere numerum ſuffragiorũ pro ſui electione in Priorem. pag. 521. d. 154. c. 2.

*Delicta vide Peccatum.*

Quæ dicantur difficillimæ probationis. pag. 164. d. 47. c. 1.

Delicta occulta Religioſi peſſimi abſque infamia poſſunt deferri Prælato, vt Iudici. p. 169. d. 48. c. 2.

Etiam ſine correctione fraterna. pag. 170. d. 48. c. 1. vide multa ſcitu digna.

Delicta contra bonum publicum, & tertium abſque correctione fraterna poſſunt aperiri Prælato. pag. 212. d. 58. c. 1.

Denuntiatus de aliquo delicto nequit promoueri ad dignitates. pag. 217. d. 60. c. 1. habes limitationem.

*Denuntiatio.*

Secundum quandam opinionem delicta occulta peſſimorum Religioſorum poteſt ſubditus denuntiare Iudici, licèt non ſit infamia diſperſa. pag. 169. d. 48. c. 2. etiam ſine correctione fraterna. pag. 170. d. 48. c. 1.

Quandò defertur Iudici denuntiatio ob bonum publicum reparandum, multa prætermittuntur, quę aliter non eſſent prætermittenda. ibid. c. 2.

Quandò ſit denuntiatio abſque præcedẽti infamia, & correctione, debet eſſe quaſi certa probatio delicti, id tamen explicatur. pag. 161. d. 48. c. 1.

Religioſus addictus ſollicitationibus eſt denuntiandus Prælato, vt Iudici. pag. 184. d. 51. c. 2.

Quandò poſſunt delicta denuntiari Prælato, vt Iudici. pag. 185. d. 51. c. 1.

Prælato tanquam Patri poſſunt denuntiari delicta. pag. 211. d. 58. c. 1. ſecus pro præcauendo recidiuo. pag. 212. d. 158. c. 1.

Agitatur quæſtio in fauorem illorum, qui dicunt non eſſe licitum denuntiare delictum fratris Prę lato tanquam Patri, prætermiſſa correctione fraterna. pag. 289. d. 80. c. 1. & ſeq.

Qui vult vti opinione in contrarium, an debeat inquirere qualitates Superiorum, an potiùs eas præſupponere. pag. 295. d. 81. c. 1. & ſeq.

Denuntiatio quid, eiuſque finis. pag. 405. d. 113. c. 1.

Quomodò ſunt denuntianda peccata contra bonũ publicum, quandò nequeunt probari. pag. 431. d. 123. c. 2.

Poteſt ſubditus crimen fratris abſque præmiſſa correctione reuelare Prælato tanquã Patri, qui ſemper meliùs corriget delinquentem, quàm ſubditus. pag. 497. d. 145. c. 1.

Qui bona fide errat in denuntiando delictum ſubditi Superiori tanquam Patri pro remedio adhibend, tarò imputatur ei ad peccatũ. pag. 501. d. 145. c. 1.

Quæ poteſt facere Prælatus, quandò ei eſt reuelatum delictum, tanquam Patri. pag. 556. d. 168. c. 2.

*Detractio.*

Detractio eſt peccatum mortale, ſit veniale ob materiæ leuitatem, & nonnulli recitantur caſus. pag. 283. d. 79. c. 2.

Per leues detractiones nunquam auſertur fama cũ onere eam reſtituendi. pag. 287. d. 79. c. 2.

*Deus.*

Dei iudicia ſunt incōprehenſibilia. pag.7.d. 1. c. 2.
Nen debent quæri.ibid.pag.149.d.42.c.1.
Deus poſitiuè nequit eſſe cauſa peccati.pag.7. d.2. c.2.
Eius permiſſio à Deo.pag.8.d.2.c.1.& conuenit ei, vt peccata permittat.ibid.
Ex peccato crucifixionis Chriſti redemptionem generis humani elicuit. ibid.c.2.
Permittit Deus Prēlatos labi in peccatum, vt faciliùs ingnoſcant ſubditis.ibid.c.2.
Itidem permittit peccatores diù viuere in hoc Mundo, vt iuſti exerçeantur.ibid.
Ad pulchitudinem Vniuerſi permittit peccata. pag. 8.d.2.c.2.
A Deo factiones permittuntur inter Chriſtianos, & Religioſos:primò ad oſtendendos viros virtute præditos, qui non declinant in factiones: ſecundò ob malorum demerita.pag.9.d.2.c.1.
Deus ita adminiſtrat ſuum regimen, vt non ſit virtus, quæ non probetur, eſto multi ſint ſcandalizandi, ac peruertendi.pag.9.d.2.c 2.
Deus in ſuo regimine intendit pacem tanquam finē hominum.pag.11.d.2.c.2.
Conueniens fuit,vt Deus varias inſtitueret Religiones.pag.14.d.3.c.1.
Deus præcipit pacem in domibus Religioſorum. pag.21.d.5.c.2.
Deus non habitat in mentium ſciſſura. pag. 52. d. 14.c.2.
Deus derelinquit, qui ſunt diſtracti in factiones, pag.63.d.17.c.1.
Deus eſt cauſa pacis.ibid.
Voluntas Dei eſt,vt cōcordia inter fratres habeatur. pag.440.d.127 c 2.
Deus multos ſuſcitat ad reformationem Eccleſiæ, & Religionum quotidie labentium. pag. 65. d. 17.c.2.
Deus omnibus concedit aliquod talentum ad concordiam excitandam.pag.97.d.30.c.1.
Quandò poſſit iudicari dignitates dari a Deo. pag. 98.d.31.c.1.
Deus ita adminiſtrat vniuerſa,vt conſeruet ſimul rerum naturam pag.141.d.41.c,1. & in hoc conſiſtit iuſtitia regiminis.ibid.
Deus adminiſtrat res humanas per contraria, vt earum bonitas magis eluceſcat.ibid.c.2.
Deus iuxta Eccleſiæ neceſſitatem erigit Religiones, & Ordines ſemper binos pag.142.d.41.c.2.
Deus ordinatiſſimè permittit peccata in Mundo. pag.143.d.41.c.2.
Deus ita adminiſtrat res humanas, vt ſinat proprios motus agere. pag.144.d.42.c.1.
Deus ea permiſſione peccatorum elicit multa bona. pag.144.d.42.c.2.pag.152.d.44.c.2.
Deus vtitur malis ad probandos iuſtos. pag.150.d. 43.c.2.
Deus non ita deſerit peccatorem,vt ſemper aliquod non habeat auxilium .pag.152.d.42.c.2.
Deus permittit, vt multi cadāt in Religionibus in peccatum ad comprimendam ſuperbiam multorum,ac timorem eorum augendum.pag. 157. d. 45.c.1.
Deus non intendit obligare ad vix poſſibile. pag. 243. d.69.c.2.pag.247.d.70.c.2.
Deus eligit ad Prælaturas eos, qui fuerunt peccatores, vt ſciant alijs compati. pag. 320. d. 91. c.2.

*Diabolus.*

Diabolus non timet auſteritates hominum,ſed vnitatem, & concordiam eorum.pag.29.d.6. c. 1. & adducuntur rationes.ibid.factionarij ſunt ex parte Diaboli.ibid.
Diabolus ſtudet tollere vinculum pacis, nam, eo habito, euaneſcunt tentationes.pag.331.d.123. c.1.

*Dignitates Regularium, vide Beneficia Eccleſiaſtica.*

Æqualiter diſpenſare dignitates ſaluat Reſpublicas, ac Religiones.pag.92.d.28.c.2.
Dignitates tribus modis poſſunt adiſpiſci, & quandò earum conſecutio putanda ſit à Deo.pag.98. d.31.c.1.
Quæ differentia ſit inter dignitatem, perſonatum, & officium pag.229 d.65.c.1.
Hæc omnia debent metiri iuſtitia diſtributiua. ibid. vide rationes. ibid.c.2.
Diſtribuere dignitates diuerſis perſonis facit ad ſtatum pacificum Reipublicæ.pag.347.d.98.c.2.
Dignitates præter proportionem illatæ corrumpunt regimen.pag.388.d.106.c.2.
Dignitates debentur melioribus. pag. 477. d. 139 c.1.

*Dignus, & Dignior.*

An poſſit eligi dignus ad dignitates,poſthabito digniori; multa habes. pag. 24. d.6.c.2.præſertim ne Prælaturæ præſcribantur apud paucos.
Nequit conferri dignitas digno, neglecto digniori per viam oppoſitionis.pag.25.d.6.c.1.
Dignior eſt eligendus ad dignitates,etiam inter Regulares.ibid.c.1.2. pag.577.d.180.c.1. & ſeq.
A natura eſt, vt dignior regat minùs dignum. pag. 25.d. 6. c. 2. & poteſt aliquandò dignus eligi. ibid.
Dignior quiſnam cenſetur. pag.26. d.6. c.1. habes multas authoritates,pag.131.d.40.c.1.pag.579. d.180.c.2.
Exceſſus qualis debeat eſſe in digniore præ alijs. pag.26.d.6.c.2
Deus non cogit nos ad tam anxiè quærēdum digniorem. ibid.
Dignior non debet ſemper perpetuare in dignitate aſſumpta. pag.28.d.6.c.1.
A natura eſt, vt dignior minùs dignum gubernet. pag.578.d.180.c.1.

Dignior debet aliquandò ob pacem, & concordiã cedere iuri meritorum. pag.30.d.6.c.1.
Quandò poſſit eligi dignus.pag.84.d.26.c.1.
Quandò hæc obligatio exiſtat.ibid.c.2.& illuſtratur tribus exemplis.pag.85.d.26.c.1.
Merita digniorum pro infimis Prælaturis conferẽdis adnotantur ſatis diffusé. pag. 128. d.39.c.1. & ſeq.
Non eſt cenſendus dignior, qui iam rexit Eccleſiã. pag.203.d.56.c 1.
Dignus, ſeù dignior talis cenſetur, quandò eſt iuſtus à iuſtitia, quæ conuenit Regenti. pag. 318. d.90.c.2.pag.584 d.182.c.1.& ſeq.
Digniores debent æqualiter participare de bonis communitatis. pag.388.d.106.c.1.
Dignioribus naturaliter debetur Imperium. pag. 451.d.129.c.1.
Dignior eſt eligendus ab electoribus, ſi eſt in promptu. pag.578.d.180.c.2.
Quandò exceſſus in meritis eſt exiguus, non committitur lethalis culpa, dum eligitur dignus, neglecto digniori.pag.579.d.180.c.1.
Adnotantur conditiones, quæ reddunt hominem dignum Prælatura.pag.619.d.193.c.1. vide totam materiam in dub.200.

*Diſciplina regularis:*

Diſciplina regularis ex ſeditione, ſeù factione eneruatur.pag.22.d.5.c.1.pag.109.d.34.c.2.
Diſciplina regularis violenta non eſt durabilis.pag. 215.d.59.c.1.pag.268.d.75.c.1.
A Prælatis quomodò eſt ſeruanda huiuſmodi diſciplina.pag.252.d.72.c.2.pag.270.d.75.c.1. pag. 269.d.75.c.2.

*Diſcordia, vide Seditio, & Factio:*

Conſiſtit diſcordia in animorum diſſenſione. pag.4. d.1.c.1.
Diſcordia contrariatur bono pacis. pag. 4.d.1. c.2. pag.42.d.9.c.2.
Diſcordia excitatur ex multis neglectis. pag.4.d.3. c.2. pag.92. d.28.c.1. pag.329. d.94. c.2. pag. 330.d.94.c.2.
Vbi eſt diſcordia, nil rectum inuenitur. pag.24.d. 5.c.1.
Quàm mali ſint homines, qui volunt viuere in diſcordia.pag.27.d.6.c.2.
Diſcordia non permittit, vt bonum ſubſequatur. pag.40.d.8.c.2.
In diſcordia hominum Deus non habitat.pag.52. d.13.c.2.
Diſcordia non videtur peccatum, quia publica.pag. 54.d.14.c.2.
Diſcordia ex duplici capite oboriri poteſt.pag.89. d.28.c.2.
Diſcordia inter homines ſequitur, ſi inter ipſos non eſt tolerantia defectuum, nam quilibet habet ſuũ defectum.pag.201.d.56.c.2.
Diſcordia maximæ res dilabũtur.pa.358.d.99.c.2.
Diſcordia impedit omne bonum in Religionibus. pag.377.d.103.c.1.
Diſcordia oboritur ex oneribus malè diſtributis. pag.470.d.136.c.1.
Parua diſcordia in regimine multùm inualeſcit, ſi non reprimatur.pag.603.d.127.c.1.

*Diſcreti, ſeù Socij.*

Quandonam diſpoſitiones familiarum pro eligendis Diſcretis licitè poſſunt fieri, & quandò illicitè.pag.39.d.8.c.1.
Prouincialis nequit diſponere familias, vt ſint Diſcreti, qui ſibi, & amicis præſtabunt vota pro dignitatibus.ibid.col.2.
Diſcreti ab huiuſmodi familijs electi ſunt nulli.pag. 41.d.8.c.1.
Pro reformanda Prouincia diſtracta in factiones ſunt auferendi Diſcreti à familijs locorum.pag. 113.d.36.c.1.
Munus diſcretorum eſt, vt ſint vocales in Capitulo, & fruantur vtraque voce.pag.312.d.88.c.1.
Quandò electores teneantur ferre ſuffragium pro digno in Diſcretum.pag.312.d.88.c.2.
Diſcretum quid ſit, eiuſque munus.pag.562.d.171. c.2.
Lex de aſſumendis Diſcretis ex locorum familijs propagat, & bonum commune, & præcauet malum: hæc duo in qualibet lege ſunt neceſſaria.pag.563.d.71.c.2. vide multa ſcitu digna.
Deſcribuntur incommoda, quę ſuboriuntur ex electionibus Diſcretorum, & adhibetur reſponſio. pag.565.d.161.c.2.
Cogente conſcientia, modus eligendi Diſcretos eſt immutãdus.pag.566.d.172.c.2.& diluitur quædam obiectio.
Tres deſignantur modi eligendi Diſcretos.pag.567. 568.570.d.173.174 175.
Secluſo iuramento, adhuc exiſtit obligatio eligendi aptiores in Diſcretos. pag.572.d.176.c.2.
Quomodò electiones Diſcretorum confirmentur. pag.573.d.176.c.1.
An illegitimi poſſint eſſe Diſcreti tam reſpectu vocis actiuæ, quàm paſſiuè. ibid.c.2.
Diſcreti nequeunt renuntiare voci tam actiuæ, quã paſſiuæ.pag.574.d.178.c.1.2.
An repudiata, ac renuntiata voce à Diſcretis poſſint eam reaſumere.pag.575.d.179.c.1 & ſeq.
Quandò ſunt deneganda vota Religioſis pro Diſcretorum munere, cum habetur ſuſpicio familias eſſe diſpoſitas à Prouinciali in fauorem amicorũ, ſeù in fauorem ſui ipſius.pag.591.d.83.c.2.
Prælatus abutitur poteſtate, quandò ita diſponit familias, vt eligantur amici in Diſcretos. pag.636. d.200.c.1.

*Diuiſio.*

Ex duobus capitibus poteſt oboriri diuiſio inter Regulares. pag. 89.d.28.c.2.
Diuiſiones Religioſorum, quæ fiunt ratione ſitus, ami-

amicitiarũ &c. vndè ſequitur ſuffragiorũ fauor in electionibus ad vnum ipſorum eleuandum in Prouincialem, ſeù Definitorem, &c. ſunt lethaliter malæ. pag. 90. d. 28. c. 2.
Nil pernicioſius Ciuitati, quàm diuiſio. pag. 106. d. 34. c. 2. pag. 107. d. 34. c. 2. & illuſtratur exemplis. pag. 347. d. 98. c. 1.
Res humanæ per diuiſionem deficiunt. pag. 107. d. 34. c. 1.
Diuiſio eſt à Dæmone. ibid. c. 2.
Expellit à communitate omne bonum. ibid. vbi diuiſio, nil rectum. ibid.
Diuiſiones oboriuntur, quandò quis nimis intendit propria commoda. pag. 352. d. 98. c. 1.
Diuiſio contrariatur paci. pag. 4. d. 1. c. 2. pag. 409. d. 114. c. 1.
Multitudo totaliter diuiditur in partes, dum Prælati inter ſe diuiduntur. pag. 17. d. 4. c. 2. & ſeq. pag. 468. d. 135. c. 1.

*Dolus.*

Quæ differentia ſit inter dolum, & metum. pag. 66. d. 18. c. 2.
Dolus tollit conſenſum. ibid.

*Dubium.*

Explicatur illud, in dubijs tutior pars eſt ſequenda. pag. 216. d. 59. c. 1. habes multa.
Dubium quid, & quæ differentia ſit inter dubium, opinionem, & iudicinm. pag. 491. d. 143. c. 1.
In dubio melior eſt conditio poſſidentis. pag. 612. d. 190. c. 2.

E.

*Eccleſia.*

Eccleſiæ Principatus, & gradus inſtituũtur ad vnitatem fidelium conſeruandam. pag. 4. d. 1. c. 2. pag. 18. d. 4. c. 1.
Eccleſia ab ambitione diuiditur in partes. pag. 23. d. 5. c. 1.
Diuidere Eccleſiam eſt maximum malum. pag. 61. d. 16. c. 1.
Eccleſia poteſt imponere clauſuram Monialibus. pag. 75. d. 21. c. 1.
In Eccleſia boni cum malis mixti ſunt. pag. 137. d. 41. c. 1. pag. 155. d. 44. c. 1. imò multò plures ſunt mali, quàm boni. ibid.
Conueniens eſt, imò vtiliſſimum Eccleſiam Dei varijs ornari Religionibus. ibid. c. 2.
In Eccleſia nil vtilius Religionib⁹. pag. 142. d. 41. c. 1.
Inter ſcandala debet gemere Eccleſia pag. 143. d. 41. c. 1.
Mali in Eccleſia ſunt ad eius decorem, dum exercent bonos. pag. 156. d. 45. c. 1.
Eccleſia non intendit obligare ad vix poſſibile. pag. 244. d. 69. c. 1. pag. 247. d. 70. c. 1.
Eccleſiæ intentio nõ intendit inijcere laqueos. pag. 627. d. 196. c. 2. pag. 260. d. 74. c. 1. pag. 267. d. 75. c. 1. 2.
Immunitate Eccleſiæ gaudet Reus in manibus familiæ, qui ſe traxit vi, & arte in loca ſacra. pag. 321. d. 92. c. 2. &c. habes multa de immunitatę.
Eccleſia nequit obligare ſubditos ad bis confitenda peccata. pag. 337. d. 96. c. 2. neque mutare materiam Sacramenti. pag. 338. d. 96. c. 2.
In Eccleſia ſunt neceſſaria ſcandala ad vtilitatem proficentuum. pag. 438. d. 127. c. 2.

*Edicta Superioris.*

Peccata, quæ vergunt in damnum communitatis ſunt aperienda ad Superioris edictum, licèt ſint commiſſa alicui ſub ſigillo ſecreti, & etiam iuramenti: habes limitationes. pag. 425. d. 120. c. 2. ſecus eſt dicendũ de delictis commiſſis in damnũ ſolius delinquentis, quando ſunt commiſſa alicui pro conſilio petendo. pag. 426. d. 120. c. 1. 2. imò peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ſi ea manifeſtat. ibid. idque etiam intelligendum eſt de paterna manifeſtatione. pag. 427. eodẽ dubio.
Malus bonum eſt, quòd miſeris nõ præcludatur via ad cõſulendos viros doctos, quam quòd huiuſmodi delicta puniantur in iudicio. ibid. c. 1.
Poteſt quis vti iuramento ſe neſcire huiuſmodi delicta, intelligendo ſcilicèt ad reuelandum. ibid. c. 2.
Ad Superioris edictum non tenetur ſubditus parere Superiori, quando præcipit manifeſtare peccatũ iam emendatum, & eſt occultum: ſecus ſi eſt publicum, ſiue habeat effectum pendentem in futurum, ſiue non. pag. 428. d. 121. c. 2. & ſeq.
Si Prælatus præcipit, vt manifeſtetur delictum ad conſulendum, dum adeſt periculum, eſt ei obediendum: ſecus ſi non adeſt periculum; habes limitationem. pag. 429 d. 121. c. 1.
Quandò delictum eſt notum tantùm tribus, ſeù quatuor, non eſt apetiẽdum, etiamſi vrgeat pręceptum, habetur limitatio. pag. 429. d. 122. c. 1. & ſeq.
Quandò delictum eſt tantùm notum vni, non eſt aperiendum, dum timetur aliquod damnum ſibi imminens: habetur limitatio, & quædam aduertentia. pag. 431. d. 123. c. 1.
Qui defectus leues ſunt propalandi à ſubditis, quandò in viſitationibus imponitur præceptum, &c. tota materia explicatur. pag. 432. d. 124. c. 1. & ſeq.
Crimina audita quandò ſunt aperienda: habetur, diſtinctio de perſonis fide, & non fide dignis, & de ignotis. pag. 435. d. 125. c. 1. & ſeq.
Delicta propria nemo tenetur aperire ad edictum Superioris. pag. 436. d. 126. c. 2. nec aliorum contra ſe commiſſa. ibid.
Iuramentum tacendi non obligat, quandò extat obligatio reuelandi. ibid. nec obligat, quandò deſunt probationes. ibid. quandò indiget quis conſilio pro cauta manifeſtatione. pag. 437. ibid. quantùm durat obligatio edictorum.

*Electiones.*

Multa ſunt capita, quibus prohibetur de iure quis eligi in Prælatum.pag.76.d.22.c.1.
Electiones Prouincialis, ac Definitorũ factioſorũ nõ ſunt nullæ. ibid.c.2. neque annullandæ. pa.79. d.23.c.1.
Electiones publici peccatoris ſunt annullandæ.ibid.
Duobus modis poteſt præſtare conſenſum ſuæ electioni.pag.79.d.24.c.2. & quandò eius electio erit nulla, ſeù annullanda.pag.80.d.24.c.2.
Duplex forma electionis altera naturalis, altera verò canonica.pag.80.d.24 c.1.naturalis eſt tantæ virtutis, vt licèt prætermitantur ea, quæ de iure humano introducta ſunt, nullo modo in foro cõſcientiæ cenſ nda ſit electio nulla.ibid.
Electiones celebratæ abſque forma canonica ſunt nullæ.ibid.
Forma electionis eſt indiuiſibilis, itaut ſi vnum tantùm non fuerit ſeruatum ſpectans ad prædictã formam canonicam ſufficiat, vt omnis electio dicatur nulla.ibid.c.2.
Electiones ambitioſi ſunt annullandæ. ibid.c.2.
Summus Pontifex poteſt annullare conſenſum eligentium tanquã nõ ſolemniter datum.ibid.c.1.
In electionibus debet eſſe plena libertas.pag 87. d. 27.c.2. non ideò tollitur per ſtatutum præcipiens, quòd quis aligatur de certo Collegio, vel de certo genere perſonarum, coarctatur tamen, ſi reſtringatur tantùm ad tres perſonas.ibid.pag. 393.d.106.c.1.
Quandò electiones poſſunt fieri per ſortes. pag. 116.d.37.c.1.
Electiones Epiſcoporum, Guardianorum, & Summorum Pontificum fuerunt ablatæ ab electoribus, à quibus ſolebãt fieri, ad euitanda multa incõmoda.pag.117.d.38.c.1.pag.132.d.40. c.1.
Electiones non poſſunt coarctari ad tres, ſeù quatuor perſonas.pag.134.d.40.c.2.
Extenditur quædam exclamatio Riccardi de Sancto Victore de electionibus diuiſis ſuorum temporũ, & redditur ratio ex D.Chryſoſtomo.pag. 409.d.114.c.1.2.
Quid ſit electio clandeſtina. pag.517.d.152.c.1. annullat electionem.ibid.
Electiones, quæ inſurgunt ex vnionibus malis electorum, ſunt nullæ.pag.516.d.152.c.2.
Forma electionis, alia naturalis, alia de iure canonico conſiſtens in aliquibus præſcriptis. pag.517. d.152.c.1.
Electio formalis conſiſtit in eligentiũ cõſenſu.ibid.
Forma naturalis electionis vitiatur ex defectu fraudum, pacti, conuentionũ, & intendimenti.ibid.
In electionibus ſunt liciti tractatus, in quibus nulla poteſt eſſe cõcluſio de eligẽda perſona. ibid. c.2.
Defectus clandeſtinus alicuius in electione nequit nocere toti corpori.pag.518.d.152.c.1.
In aliquibus electionibus non exiſtit obligatio ſeruandi caput, Quia propter.pag.520.d.154.c.1.
In electionibus requiritur plena libertas. pag.522. d.155.c.1.& ſine ipſa corruit electio, & nequit coarctari ad tres, ſeù quatuor. ibid.
In electionibus ad hoc, vt ſint liberæ, requiritur libertas & quoad exercitium, & quoad ſpecificationem.pag.523.d.55.c.2.
Priuſquam celebrentur electiones requiritur abſentium vocatio, & explicantur verba textus. pag.526.d.156.c.1.
Ad celebrandam electionem non requiruntur duæ partes; quæ debent ex officio celebrare electiones. pag.527.d.156.c.1.
Electio quid.pag.609.d.189.c.1.2.
Quomodò ſit celebranda electio, quandò Collegiũ reducitur ad duos: vide verbum.Collegium.
Electionis locus dummodò non ſit clandeſtinus nõ eſt cẽlendus de electionis ſubſtantia, pag.611.d. 180.c.2.
Electio celebrata in loco interdicto eſt ſuſtinenda. ibid.
De ſubſtantia electionis eſt, vt in vnum collegialiter electores congregentur.pag.611.d.190.c.2.
Electio celebrata ab aliquibus, qui à loco, vbi erant omnes congregati pro electione celebranda, receſſerunt, non eſt valida, pag.612.d.190.c.1.
Electio celebrata, non ſeruata forma legis, non eſt valida.ibid.
Electio ſecunda nequit celebrari, niſi prima declaratur nulla: habetur quædam limitatio, ſcilicet quandò prima eſt notoriè nulla, tunc hæc non eſt declaranda nulla.pag.612.d.190.c.2.
Non eſt neceſſarium, quòd duæ partes congregentur ad celebrandam electionem, quandò vocati nollunt intereſſe.pag.613.d.190.c 1.
In electionis materia non prohibentur tractatus cõſultorij de eligẽda perſona.ibid.c.2. vide aliquid ſcitu dignum.
Secreta vota debent eſſe in electionibus, aliàs corruit electio.pag.625.d.195.c.1.
De votis ſecretis iuxta præceptum Concil. Trid. habẽdis in electionibus vide tractatũ in pag.613.

*Electores, vide Dignus.*

Electores à Religione habent ius eligendi, vt conſulant bono communi.pag.19.d.5.c.2.
Tenentur eligere digniorem pag.26 d.6.c.1.2.excipiuntur tamen multi caſus.pag.84.d.26.c.1.
Ad beneficia ſimplicia poteſt eligi dignus, modò nõ conferantur per viã oppoſitionis.pag.25.d.6.c.1.
Ad hoc, vt electores le haliter peccẽt eligẽdo dignũ, neglecto digniori exceſſus in digniori debet eſſe clarus, & valdè magnus.pag.27.d.c.6.2.
Electores eligẽtes homines in Prouincialẽ, ac Definitores ex propria factione peccant mortaliter. pag.28.d.6.c.2.
Nequeunt eligere electores virum boni communis perturbatiuum. pag.28.d 6.c.2.
Quandò poſſunt præſtare vota amico.pag.29.d.6. c.2.pag.41.d.8.c.1.
Electores non ſunt Domini votorum, ſed adminiſtratores.pag.58.d.16.c.1.
Tenentur indagare mores eligendorum in ordine ad vtilitatẽ Eccleſiæ pag.58.d.16.c.1.& peccãt in

in contrarium facientes contra fidelitatem Eccleſiæ. ibid.c.2.

Nequit quis eligere indignũ.pa.77.d.23.c.1.quãuis infinitę malę gubernationes oriantur ex electione indigni, attamen committitur vnum tantum peccatum, fit tamen reus omnium pœnarum peccatorum, quæ committuntur ab indigno. ibid.c.2. pag.608.d.188.c.1.

Non peccant electores aliquandò eligendo peccatorem, qui quamprimum eſt ſurrecturus: ſecus ſi eſt perſeueraturus.pag.77.d.23.c.2.

Tenentur electores conſiderare merita eligendorũ in ordine ad vtilitatẽ Eccleſiæ. pag.60.d.16.c.1.

Poſſunt aliquandò eligere dignũ. pag.84.d.26.c.1.

Cardinales poſſunt eligere dignũ in Summũ Pontificem, quandò nequeunt eligere digniorẽ: ibid.

Indignus quandò poſſit eligi ab electoribus, pag. 84.d.26.c 2.

Electores nequeunt tuta conſcientia ſuis votis fouere eos, qui ſeditioſè ſe habent in electionibus, pa. 91.d.28.c.2.

Poſſunt dare ſuffragium Religioſis, qui non ſunt de corpore Capituli pro Definitoratu, quandò totum Capitulum eſt diſtractum in factiones: habetur limitatio.pag.104.d.33.c.1.

E manibus electorum eſt eximenda electio, quandò habent vota deprauata.pag 120.d.38.c.2.

Electores tenentur conſulere communi bono, eiuſque damna impedire.pag. 132.d.40.c.2.

Quandò electores conferunt dignitates hominibus corruptis, rectè è manibus tollitur poteſtas eligendi.pag.124.d.39.c.2.

Electores tenẽtur diſtribuere vota ad bonum commune promouendum.pag.197.d.57.c.2.

Ob idem bonum commune debent multiplicari Definitores in Prouincijs.pag.198.d.56.c.1. vide multa ſcitu digna.

Nequeunt ferre electores vota pro Religioſis, qui carent iuſtitia, quæ tota eſt ad alterum.pag 204. d.56.c.2.

Neq; pro Prælatis, qui nõ obſeruãt in bonis diſtribuẽdis iuſtitiã diſtributiuam.pag.210.d.57.c.1.

Elector non tenetur obedire mãdatis Prælati prohibentis, ne feratur votũ ex.gr.in fauorẽ Titij, ipſo inaudito: pag.210.d.60.c.1. & conſuetudo in hoc cenſenda eſt corruptela. ibid. c.2.

Electores debent promouere Religioſos ad dignitates, qui ſint mãſueti à natura.pag.224.d.63.c.1.

Poſſunt electores vota denegare Religioſo digniori pro Definitoratu, qui non eſt dignior pro Prouincialatu ad hoc, ne ſit primus Definitor; nam, tali dignitate aſſumpta, turba eligentium eum eliget in Prouincialem.pag.311.d.27.c.1.

In electione maius periculum eſt incidendi in mortale in diſcernendo dignum ab indigno, quàm digniorem à dignis.pag.317.d.90.c.1.2.

Ad præcauenda damna indigni eligendi ab electoribus poteſt ferre quis votum digno. pag.311.d. 27.c.1.

Poſſunt aliquandò electores ad Prælaturas eligere Religioſum, qui relaxate vixit in iuuentute, ſi factus ſenex reſcipiſcat. pag.320.d.91.c.2.& ſeq.

Quæ debeat conſiderare elector, vt rectè ferat ſuũ ſuffragium.pag.349.d.98.c.1.

Electores, qui ſuum munus fideliter non exercent, relaxant Religionem. pag.352.d.99.c.2.

Electores debent ſuffragijs propagare regimina viciſſitudinibus Prælatorum. pag.390.d.106.c.2.

Electorum aliquorum vniones, & amicitiæ ad eleuandos Religioſos ad Prælaturas ſunt grauiter malæ.pag.408.d.114.c.2. vide etiam dub.28.

Malitia maioris partis electorum tribuitur toti corpori, ſecus malitia minoris partis pag.517.d.152. c.2.

Electores nequeunt eligere Religioſũ aliqua irregularitate &c. implicatũ, alias electio eſt nulla. pag.520.d.153.c.1.

Summus Pontifex poteſt inualidare conſenſum electorũ non ſolemniter datũ.pag.520.d.154.c.2.

Quandò electores ſuis vocis poſſunt augere vota ſibi data.pag.520.d.154.c.2.& ſeq.

Deſcribitur modus augendi vota.pag.521. d.154. c.1.pag.610.d.189.c.2.

Electores in Capitulis debent potiùs eſſe multi, quã pauci quia hi de facili corrumpuntur. pag. 564. d.171.c.2.

Electores, ſeù alij quandò poſſunt iuri vocis renuntiare.pag.574.d.178.c.1.2.& an voce renuntiata poſſint eam reaſſumere. pag. 575.d.179.c.2. & ſeq.

Quandò eſt renuntiatio conditionata, quid eſt faciendum, cum denuò vult elector concurere ad electionem,pag.576.d.178.c.1.2.

Electores pro Religioſo, qui quærit propria commoda in Prælatura, nequeunt ferre vota. pag. 585.d.182.c.1.2.

Electores tenentur eligere digniores. pag. 577.d. 180.c.2.& ſeq. habes multas limitationes. vide dub.200.vbi tractatur materia abundè.

Elector debet conſiderare dignioritatẽ in eligẽdo, quæ principaliter oboritur ex aptitudine ad propagandam vnitatẽ, & pacẽ. pag.580.d.181.c.1.

Quandò electores debent denegare vota eligendo, dum habetur dubiũ de eius idoneitate.pag.589. d.183.c.2.

Quandò electores debent denegare vota Religioſis pro Diſcretorum munere, dum habetur ſuſpicio familias eſſe diſpoſitas à Prouinciali in fauorẽ ſuipſius, ſeù amicorũ.pag.591. d.183.c.2.

Quandò ab electoribus ſunt deneganda vota Prouinciali, qui in Guardianos, ſeù Priores multos promouet amicos: vide totã materiã in dub.183.

Quandò pluries promouet Prouincialis amicos in Guardianos, &c. pag.502.d.124.c.1.2.

Quãdò vnica vice id facit Prouincialis, & eſt vſus in Prouincia, quòd amici ſibi præſtant vota. pag. 593. d.186.c.1.2.

An elector, cuius munus eſt eligere, ex. gr. quatuor Definitores, poſſit tuta cõſciẽtia vnũ Religioſũ ex ſingulis nationibus (nã Prouincia cõſtat ex quatuor nationibus) eligere in Definitorẽ. pag.596. d.186.c.1.& ſeq.

Elector ferendo ſuffragium pro Religioſis ſub motiuo inutili, ex. gr. quia ſunt nationales, quia amici, peccant mortaliter. pag. 596.d.186.c. 2.
Oriuntur ex hoc multa incommoda, quia præſertim non attenditur virtus animi.pag.597.d.186. c.2.
Electores conferendo vota pro Religioſo factioſo peccāt mortaliter.pag.604. d. 187.c.1.pag.614. d.191.c.1.
An elector poſſit dare votum minùs indigno, quandò magis indignus eſt ab electoribus eligendus. pag.607.d 188.c.1.& ſeq.
Electores eligendo indignum committunt tantùm vnum peccatum, non tamen eximuntur à pœnis, quæ debentur peccatis committēdis. ab indigno. pag.608.d.188.c.1.
Elector dubius an poſſit eligere quia cenſetur excommunicatus, non eſt ſpoliandus ſuo iure eligendi.pag.612.d.190.c.2.
Tractatur dubium, an elector, qui ſuo Prælato exponit hæc verba, ad nutum tuum eſt meum votū, lethali culpæ: obnoxius ſit, habes multas diſtinctiones ſcitu dignas.pag.613.d.191.c.1.& ſeq.
Electores tenētur habere moralem certitudinem de perſonæ idoneitate. pag. 613.d.191.c.2.
Elector, qui intendit dare votum ſuum ad nutum Superioris pro acquirenda re temporali, lethaliter peccat. pag.614.d.191.c.1.
Itidem peccat, quandò ſuum votum dat Prælato, qui per iuſtitiam non regit ſubditos. pag.614.d. 191.c.2.
Elector, etiamſi debeat ſubire aliquod incommodum, debet ferre ſuffragium pro digno. pag.614 d.191.c.2.
Elector ferens votum ſub titulo amicitiæ peccat. pag 615.d.191.c.2.
Elector poteſt, ac debet ſuffragari digno, neglecto digniori, quandò abſque eius voto non eſt celebranda electio, ſed deuoluenda ad Superiores. pag.615.d.191.c.1.2.
Elector debet habere certitudinem moralem de eligendorum idoneitate.pag.633.d.200.c.1.2.
Electores, qui inconſideratè eligunt, ſunt cauſa mille incommodorum pag.637.d.200.c.2.
Ad electores referenda eſt culpa, quandò eligunt deformatos Prælatos. pag.678.d.200.c.1.

*Emendatus.*

Quandò dicatur Religioſus emendatus, & quandò non. pag 454.d.130.c.1.

*Epiſcopus.*

Epiſcopus, qui ob bona temporalia, vel ambitionē alium pinguiorem Epiſcopatum procurat, ſecundum aliquos peccat venialiter. pag.34.d.7. c.2.
Epiſcopus habens animum conferendi ſemper beneficia cæteris paribus ſuis conſanguineis, eſt in periculo peccandi mortaliter. pag.37.d.7.c.1.
Authoritas Epiſcoporum pro reſeruatione caſuum eſt in ædificationem.pag.401.d.111.c.2.
Epiſcopus poteſt auocare cauſam pendentem corā ſuo Vicario.pag.418.d.116.c.1.
Poteſt Epiſcopus poſt latam ſententiam minuere pœnam impoſitam Reo: habentur limitationes. pag.504.d.147.c.1.
Epiſcopus non poteſt à Parochis per reſeruationem caſuum eorum totalem iuriſdictionem ſuſpēdere. pag.532.d.158.c.1.2.

*Error in profeſſione.*

Huiuſmodi error poteſt verſari circa ſubſtantialia Religionis, & circa accidētalia: quæ ſint iſta, & quæ irritent profeſſionem. pag. 66.d. 18.c.2.
Communis error populi dat iuriſdictionem. pag. 81.d.25.c.1. habes multa ſcitu digna. ibid. c.2. pag.82.d.25.c.1.2.
An titulus coloratus præter errorem communem requiratur.pag.82.d.25.c.2.

*Euchariſtia.*

Peccatori publico nequit Euchareſtiam adminiſtrari: ſecus ſecretò, ſi publicè petit. pag.557.d. 169. c.2.

*Excommunicatio.*

Excommunicatio eſt ſobriè exercenda.pag. 264.d. 74.c.2.
Excommunicatio alia iniuſta, alia iniqua.pag.486. d.141.c.2.

*Eximere, ſeu Exemptio.*

Exemptio quid: alia localis, alia verò perſonalis, & hæc etiam eſt duplex. pag. 401. d.111.c. 1.& ſeq.
Solus Papa poteſt eximere Religioſum, ne ſit ſubditus ſui immediati Superioris: pag.401.d. 111. c.1.
In aliquo caſu iuſta interueniente cauſa etiam Generalis, & Prouincialis: ibid.c.2.& nulla interueniēte cauſa, eſt nulla huiuſmodi exemptio.ibid. c.2.

*Expreſſio, & Expreſſum.*

Expreſſio quæ tacitè ineſt, nihil prorſus operatur. pag.487.d.141.c.1.
Expreſſum dicitur, quod in genere dicitur. pag. 487.d.141.c.1.
Taciti, & expreſſi eadem virtus.pag.53.d.13. c. 2.

F.

*Facilitas ad credendum.*

Facilitas ad credendum in Prælatis cauſat multa incommoda.pag.114.d.115.c.1.

*Factio, vide Seditio.*

Factio quid. pag.3.d.1.c.1.pag.4.d.1.c.1.pag. 122.d.39.c.2.pag.601.d.187.c.1.
Poteſt eſſe crimen leſæ Maieſtatis. pag.3.d.1.c.2.
Tendunt factiones in Regni deſtrutionem. ibid.
Deſcribuntur mala factionum.pag.3.d.1.c.1.pag. 4.d.1.c.2.
Factio eſt idem quod ſeditio, non è contra.pag.3.d. 1.c.2.
Factio duo importat, diſcordiam ſcilicet, & vnitatem diſruptam. pag.3.d.1.c.2.
Factiones permittuntur à Deo ad oſtendendam virtutem non declinantium in eas: permittuntur etiam ob malorum demerita.pag.9.d.2.c.1. 2.
Factiones ſunt malorum.ibid.c.1.
Factiones ſunt cauſæ clamorum vſque ad ſuprema tribunalia. pag.40.d.8.c.1.pag.9.d.2.c.2. multoſque ſubuertunt.ibid.
Factiones in multitudine excitantur ex ſupremis Patribus diuiſis.pag.17.d.4.c.2.pag.18.d.4 c.2. pag.468.d.135.c.1.
Factio deſtruit perfectionem Religionis.pag.22.d. 5.c.1.pag.40.d.8.c.2.
Primum malum cuiuslibet communitatis, ex quo omnia mala oboriuntur, eſt factio, ſeù diſſenſio.pag.23.d.5.c.1.pag.27.d.6.c.2. pag. 96. d. 30.c.1.
Factionum deſtructionem debent intẽdere Prælati. pag.23.d.5.c.2.
Religioſus adhærens factioni ſimoniam committit. pag.49.d.11.c.2.
Factionis peccatum punitur à Deo. pag.51.d.12. c.2.
Factio ita obnubilat intellectum, vt nequeat percipi etiam apud timentes Deum eam eſſe peccatum. pag.54.d. 14.c.2. nec putatur peccatum, quia publicum, & vniuerſale.ibid.
Factiones formantur in Religionibus, & Eccleſiaſticis perſonis ſub ſpecie boni.pag.59.d.16.c.2.
Factiones deformant Religiones, vndè Deus ei non adſiſtit.pag.63.d.17.c.1.
Peccatum factionis videtur in foro fori ex vna parte difficilis probationis. pag.78.d.23.c.1. ex altera poteſt tolli difficultas:pag.79.d.23.c.2.
Factionum capita ſunt euellenda.pag.97.d.31.c.2. pag.98.d.31.c.2.& ſeq.
Media pro extirpatione factionum ſunt difficilia, quia eſt vitium ſub ſpecie boni:pag.105.
Quod vna factio præualeat alteram oritur ex demeritis factioſorum, & Diaboli inſtigatione. pag.108.c.2.
Factiones nutrire ad imperandum eſt tyrannicum. pag.94 d.29.c.1.pag.396.d.108.c.2.
Factio impedit, ne iuſtitia obſeruetur. pag. 109. d. 34.c.1.
Deſtruit diſciplinam regularem.ibid.c.2.
Generalis ſub quacumque ratione nequit permittere factiones in Religionibus.pag.112.d.45.c.2.
Factio propriè conſiſtit in animorum diuiſione.pag. 131.d.40.c.1.
Ad reſecandas factiones, aliaque incommoda electiones Epiſcoporum, Priorum, ac Summorum Pontificum fuerunt ablatæ ab electoribus, à quibus fieri ſolebãt.pag.132.d.40.c.1. pag. 117. d.30.c.1.
Factio e directo opponitur regimini temporali, & non ſpirituali.pag.123.d.39.c.1.
Eſt malum tam graue, vt appelletur malum omnium malorum, quia vbi diſſenſio nihil rectum inuenitur, & ex illa omnia mala oboriuntur: ibid.
Qui nutrit factiones in populis pro conſeruatione dominij, eſt Tyrannus. pag.124.d.39.c.2.
Factionum capita ſunt auferenda à multitudine: pag.125.d.39.c.2.
Expenduntur rationes, ob quas factiones ſunt deſtruendæ.pag.396.d.108.c.1.2.& ſeq.
Mala, quæ oboriuntur ex factione, & diuiſione. pag.107.d.34.c.2.
Primum malum communitatis eſt diſſenſio: pag. 599.d.186.c.1.
Deſcribuntur mala factionis, quandò dominatur in Religionibus:pag.603.d.187.c.2.pag. 605.d. 187.c.1.2.

*Factioſi.*

Factioſi qui: pag.3.d.1.c.2.
Væ factioſis Prælatis, qui diuidunt Religiones:pag. 29.d.6.c.1.
Factioſi ſunt in malo ſtatu.ibid.c.2.
Contra factioſos inuehitur Beatus Laurentius Iuſtinianus pag.30.d.6.c.2.
Factioſorum clamores non ſunt æſtimandi. pag.40. d.8.c.1.
Eorum pax non eſt vera pax, ſed tyrannica ex aduerſarijs debellatis:pag.40.d.8.c.1.
Demonſtrantur eorum artes. pag. 42. d. 9. c. 2. & ſeq.
Factioſus, qui artibus intendit ad ſe vota attrahere, peccat mortaliter: pag. 45.d.10.c.1.
Factioſorum regimen non eſt à Deo.pag.12. d. 2. c.1.
Factioſi dicentes regimen non ordinari ad vnitatem multitudinis ſunt cæci:pag.23.d.5.c.1.
Deſcribuntur mores factioſorum: pag. 27. d. 6. c.1.
Quàm mali ſint homines, qui volunt eſſe diuiſi: ibid.c.2.
Factioſus, qui artificijs trahit ad ſe animos Religioſorum, ex quibus ſequitur ſuffragiorum fauor, peccat mortaliter.pag.45.d.10.c.1.
Factioſi, qui inter ſe conueniunt de conferendis ſuffragijs incidũt, in ſimoniam.pag.49.d.11.c.2.
Factioſi ſunt in malo ſtatu.pag.52.d.13.c.1.
Quidam Monachus deditus factionibus damnantur.pag.52.d.13.c.1.
Iudicium factioſorum in iudicandis meritis non eſt admittendum, quia eſt perturbatum. pag. 27.

27.d.6.c.2.pag.30.d.6.c.1.
Factioſi eligentes Religioſos ex propria factione in Prouincialem, ac Definitores, peccant mortaliter.pag.28.d.6.c.2.
Factionarij ſunt aduerſæ partis, ſcilicet authoris diſcordiæ. pag.29.d.6.c.1.
Leuesq́ proclamationes, quæ fiunt à factionario ad impediendum hominem ex propria factione, ne aſſequatur Prælaturam ob idoneitatis carentiam, non ſunt putādæ malæ: ſecus ſi id faciat ex odio, & vindicta, ſeù ad conſeruandas factiones. pag. 51.d.12.c.1.
Factioſus appetens, & procurans dignitates peccat: pag.57.d.15.c.2.
Factioſi inter ſe trucidantur non gladio, ſed amore Imperij pag.59.d.16.c.1.
Factioſi electores dicentes noſtros eligimus, quia ex noſtra factione ſunt digniores, non ſunt tuti in conſcientia.pag.59.d.16.c.1.
Labuntur in præcitata verba ex mentis cæcitate. ibid.
Dicunt bonum malum ſuum conſectatorem, & malum bonum contrariæ partis.ibid.
Eorum zelus eſt ad tegendam proprij commodi vtilitatem.pag.59.d 16.c.2.
Factioſi non ducuntur à ſpiritu Dei. pag.60.d.16. c.1.
Factioſi, qui gloriantur de meritis, habent ſapientiā terrenam, & diabolicam, & quod peios eſt exiſtimant ſe præſtare obſequium Deo. pag. 60. d. 16.c.1.
Difficilè poſſunt excuſari à peccato per ignorantiā inuincibilem, quia tenentur ſcire regulas, quibus adminiſtratur regimen.pag.60.d.16 c.2.
In die electionis non deſcendit Spiritus ſanctus ſuper factioſos, licèt inuocetur. pag.61.d.16.c.1.
Impoſſibile eſt conuerſari cum factioſis, quin homo aliquo modo inficiatur. pag.64. d.17.c.1. pag. 76.d.21.c.1.
Nulli magis cumulant communitatem diſcordijs, quàm factioſi.pag.91.d.28.c.2.
Factioſorum regimen, quia tyrannicum, diù durare nequit.pag.94.d.29.c.2.
Factioſi ita ſunt cæci, vt non faciunt ſibi conſcientiā de partialitatibus, imò in vitio ſedent, ac ſi eſſent in ſede ſanctitatis. pag.109.d.34. c.2.pag.131. d.40.c.2.
Proprium factioſorum eſt eligere tam dignos, quàm indignos. pag.125.d 39.c.2.
Factiones, & partialitates cumulant diſcordijs communitatem.pag.598.d.186.c.2.
Factioſi habent iudicium obtenebratum, vt reputēt malum aduerſæ partis bonum hominem, & bonum ſuum malum ſectatorē. pag.599.d.186.c.1
Factioſi ob nouem rationes ſunt indigni quacunq; Prælatura, & gradu.pag.601.d.187.c.1.& ſeq.
Deſignantur tres cauſæ, quarè Deus permittat, vt Prælatus factioſus aſſumatur in Prælatum. pag. 606.d.187.c.1.& ſeq.

*Fama.*

Famà quid, & poteſt ex duplici capite ingeri aliorū mentibus.pag.286.d.79.c.1.
Fama multum iuuat ad augumentum ſpiritus. pag. 291.d.80.c.2.pag.427.d.120.c.1.
Fama eſt multùm æſtimanda apud Prælatum. pag. 292.d.80.c.1.2.
Iuri famæ ſubditus poteſt renuntiare. pag. 294. d. 80. c. 2.
Vnicuique incumbit onus conſeruandi famam proximi, maximè Prælato, & quandò in hoc excuſantur à culpa.pag.557.d.169.c.1.
Fama non eſt auferenda delinquenti ob fructum ſpiritualem, quem poteſt conſequi delinquens. pag. 211.d.57.c.1.
Bona fama habetur loco diuitiarum in Religionibus. pag.212.d. 58.c.1.

*Familiæ locorum.*

In diſtributione familiarum quandò poſſit Prælatus lethaliter peccare.pag.469.d.136.c.1.& ſeq.
Tres ſpecies ſeditioſorum deſignantur, quæ poſſunt lædere familias cœnobiorum, quæ damnantur tanquam malæ, & tenetur Prior ab eis abijcere.pag.544.d.163.c.1.& ſeq. & datur remedium opportunum ad eas auferendas.pag.546. d.163.c.2.

*Felicitas.*

Feliciter viuere eſt finis principatus.pag.160.d.46. c.1.& eſt finis humanæ ſpeciei.ibid.
Lex, quæ ſancitur, eſt ad conſequendum huiuſmodi finem. ibid. felicitas Reipublicæ oboritur ex Rectoris virtute.pag.469.d.135.c.1.

*Fides.*

Fides eſt probanda, eſto multi ſint peruertendi. pag.10.d.2.c.1.

*Finis.*

Finis directus ſpecificat intentionem, non verò indirectus.pag.45.d.10.c.2.
Cui incūbit onus finis procurandi, incumbunt etiā media pro eius conſecutione.pag.185.d.51.c.2.
Si finis eſt naturalis, etiam ea, quæ ſunt ad finem. pag.444.d.128.c.1.
Stultum eſt velle finem, & prætermittere ea, quæ ſunt ad finem. pag.448.d.129.c.2. quia ordo eſt ſeruandus, aliàs receditur à fine.ibid.
Finis Imperij eſt conſeruare vnumquemque in ſuo iure.pag.463.d.133.c.1.
Ad opus virtutis exigitur, vt homo habeat rectam intentionem, & benè ſe habeat circa ea, quæ ſunt ad finem.pag.603.d.187.c.1.

*Forma,*


Forma eſt de genere indiuiſibilium, pag.488.d. 141.c.1.pag.627.d.196.c.1.

Clauſula irritans inducit formam eſſentialem, ex cuius omiſſione irritatur actus.pag.486.d,141. c.1,

Forma dat eſſe rei, & ſine ipſa corruit actus,pag. 509.d.149.c.1.2,

Forma debet obſeruari, etiam in minimo, aliàs corruit actus,ibid,

Si non obſeruatur forma legis, actus corruit.pag. 612.d.180.c.1.pag. 483.d.141.c, 2.pag.627.d. 196.c.1,

Forma obſeruanda in electionibus Regularium impoſita à Sacr.Concil.Trid.non tollit formam impoſitam in cap. Quia propter.pag.625,d, 195.c.1.

Minima læſio deſtruit formam præſcriptam, & ea non ſeruata immediatè ſuccedit forma deſtructiua.pag.128.d.197.c.2.

Quandò ſupponitur poteſtas, & præcipitur forma, ſeù ſpecialis modus procedendi, ſi non addatur clauſula irritans, forma cenſetur accidentalis, eiuſque omiſſio non inualidat actum. pag.486, d.141.c.1.

Quando lex præcipiens formam dat ſimul poteſtatem ad faciendum actum ſeruata tali ſforma, ſi non ſeruatur, actus cenſetur nullus. ibid. c.2,


*Fraus.*


Fraus quid. pag.624. d.193.c.2. & dicit deceptionem. ibid.

Fraus nemini debet patrocinari. pa.629.d.195.c.2,


*Furtum,*


Recitantur opiniones, quandò furtum in rebus minimis e ſi peccatum mortale.pag.284.d.59.c.1.2


G

*Generalis.*


GEneralis tenetur mittere Viſitatores ad viſitandas Prouincias.pag.93.d.29.c.1.

Viſitator debet eſſe ſegregatus ab omni affectione humana, & qui poſſit diuiſos in vnum congregare.pag.94.d.29.c.2.

In Generali debet eſſe ſcientia eminens.pag.95.d. 30.c.1.

Generalis tenetur à Religione diuiſiones, ac factiones abdicare.pag.108 d.34.c.1 .ob varias rationes.ibid.pag.396.d.108.c.1.& ſeq.

Sub quacunque ratione nequit eas permittere. pag. 111.d.35.c.2.

Tenetur congregare Capitula, vt de reformatione agatur.pag 111.d.35.c.1.

Generalis nequit permittere, vt Prouincialis neget ſtudia, aliaque commoda ſubditis, ne promoueantur ad ſupremas dignitates.pag.201.d. d.56.c.2.

Generalis debet magis obſtare malo ſeditionis, quàm alijs malis.pag.356.d,99.c.2.

Debet expellere quaſdá vniones à Religione, quæ fiunt ratione votorum pag.357.d.99.c.1.

Generalis debet arcere à regiminibus tres ſpecies tyrannidis,pag. 357 d.99.c.1.& ſeq.

Generalis eſt ſubditus ,Capituli generalis,pag.360, d.99.c.1.

Tenetur obſeruare leges Capituli generalis, quoad vim coactiuam. pag. 360.d.99.c.1. pag. 405.d, 113.c.1.

Generalis tenetur non eſſe negligens circa reformationem Religionis.pag.360.d.99.c,1.

Generalis debet curare, vt Electores propagent regimen viciſſitudinibus Prælatorum, & hoc eſt de iuſtitia regiminis,pag.390,d.106.c.1.2.

Debet inſtruere electores de qualitate iuſtitiæ, qua Præſidentes Prouinciarum debent ornari, pag. 393.d,107.c.1.

Tam temporalis, quàm perpetuus Generalis in primo, & ſecundo ſtatu Religionis ex tribus deſignatis videtur eſſe ei æqualiter vtilis, pag.372. d.102.c.1,

Conſiderando Religionem ſub illo triplici ſtatu deſignato ſtatus quæſiti eſt problematicus, pag. 372.d.102.c.1,

Adhibito remedio ad remouenda incommoda in vtroque regimine,vtilior eſt Religioni Generalis temporalis, quàm perpetuus ibid,

Sedes Apoſtolica inclinat, vt Generales ſint perpetui. pag.374.d.102.c,1.

Lèx de Generali temporali non aduerſatur perfectioni Religioſorum,pag.375.d.102.c.2.

Tenetur Generalis corruptelas, quæ in Prouincijs introducuntur reformare. pag. 383. d.105.c.1. præſertim ea,quæ ſerpunt inter Superiores maiores.pag 384 d.105.c.1.quia qualis eſt Rector in Ciuitate, talis eſt populus, & de hoc redduntur variæ rationes ſcitu dignæ ibid.c.2.

Pro vera reformatione intenderè debet Generalis, vt vnuſquiſque quærat bonum commune, neglecto proprio commodo. pag.383.d.105.c.2. & eſt eius munus,pag.395.c.2.

Deſcribitur munus Generalis. pag.392.d.107.c.2.

Nequit coarctare electiones ad tres, ſeù quatuor. pag.393.d.107.c.1.

Quandò peccet immiſcendo ſe in electionibus, quę fiunt à Capitularibus. pag. 493.d. 107.c.1.2. & ſeq.

Generalis habet plenam authoritatem ſupra ſubditos omnes.pag.398.d.109.c.2.

Poteſt Generalis pœnam impoſitam ſubdito à Priori locali tollere.pag.398.d.109.c.2.

Tractatur materia: an Generalis poſſit de nouo Prouinciam erigere, atque erectam, ac fundatam diuidere, & an de poteſtate abſoluta poſſit Religioſum vnius Prouinciæ in alia eiuſdem Ordinis incorporare.pag.399.d.110.c.2.& ſeq.

In aliquo caſu poteſt Generalis, & iuſta interueniente cauſa, eximere ſubditum ab obedientia immediati Pręlati.pag.401.d.111.c,1.2.

# Index rerum notabilium.

Gratiæ factæ à Generali durant etiam terminato officio. pag. 402. d. 111. c. 1. & numerantur gratiæ.

Generalis in ſuos ſubditos habet quaſi authoritatẽ Epiſcopalem.pag.403.d.112.c.1.

Nequit Generalis transferre Prouincialem ex vna Prouincia in aliam ſine authoritate Summi Pontificis.pag.403.d.112.c.1. habetur quædam limitatio. ibid.

Habetur tota materia : an Generalis poſſit interpretari leges Capitoli generalis tam ex iure cõmuni, quàm ex priuilegio.pag.402. d.112.c.1. & ſeq.

Tractatur materia: an Generalis poſſit accuſationẽ non acceptare,& ea acceptata reſcindere, atque repellere.pag.404.d.113.c.2.& ſeq.

Generalis tenetur ſub pœna excommunicationis vniones aliquorum electorum pro eleuandis Religioſis ad Prælaturas, & ad Diſcretos, prohibere.pag.408.d.114.c.2.

Tenetur exemplo doctrinam,& prædicationem informare.pag 412.d.115.c.1.

Debet eſſe prudens : ibid. in ſe ipſum ſeuerus, in alios benignus: ibid.c.2.

In negotijs peragendis petere debet conſilium.pag. 413.d.115.c.1.

Non ſit facilis ad credendum. pag 414. d.115.c.1.

Curare debet, vt viri apti, qui poſſint regiminis vnitatem propagare, & qui benè ſe geſſerint in obedientia,eleuentur ad Prælaturas. pag.114.d.115.c.2.

Non ſit facilis ad aliquid terminandum in negotijs arduis.pag.415.d.115.c.1.

Non debet corripere omnia vitia eadem menſura. ibid. ſit patiens in calumnijs ſubditorum, nam hæ fugere nequit.ibid.c.2.

Generalis eſt ſupremus Prælatus in Religionibus,& vtitur iuriſdictione ordinaria.pa.417.d.116.c.1.

*Gloria electorum.*

Electorum gloria ſit maior ex malorum ſocietate. pag.144.d.42.c.1.

*Gratiæ.*

Gratiæ, ac fauores facti à Generali durant etiam terminato officio.pag.402.d.111.c.1.& narrantur gratiæ, & quomodò ſe gerere debeat in gratijs concedendis ad petitionem ſæcularium.pag. 124.d.63.c.1.2.

*Guardiani.*

Priores electi à Prouinciali, ac Definitoribus factionarijs non ſunt digniores,vt ipſi contendunt. pag.22.d.5.c.2.

Quæ ſcientia conuenit Guardianis, & quomodò tuta cõſcientia ſuppleri poteſt.pag.96.d.30.c.1.

Poteſt eligi in Priorem iuuenis non probatus, probato poſtpoſito,ibid.

Deſignatur modus pro creandis Prioribus, pro reformatione Prouinciæ diuiſæ. pag.114. d. 37. c.2.

Priorum, ſeù Guardianorum electio poteſt celebrari tribus modis, & in quolibet modo inſurgunt incommoda.pag.118.d.38.c.1.2.

Guardianus non debet excitare diffidentiam inter ſubditos, aliquandò tamen non eſt damnanda. pag.286.d.79.c.1.

Guardianorum electio ſpectare videtur de iure cõmuni ad conuentus,ſi eliguntur à Definitoribus, vnà cum Prouinciali, habetur ex indulto Pontificis. pag. 485.d.141.c.2.pag 511. d. 150.c. 1. & ibid. adnotatur cauſa pag.527.d.156.c.2.

In augumentationis perfectionis ſtatu Religionum magis expediens eſt locorum Prælatos creari ab eorum familijs, quàm à Definitoribus pag.512. d.150.c.2.ſecus eſt dicendum in tertio ſtatu declinationis.pag.513.d.150.c.1.

Corruptis familijs, & corruptis Patribus ex Definitoribus maiora incommoda ſequuntur,ſi Guardiani creentur à Patribus Definitoribus,vnà cum Prouinciali, quàm á locorum familijs.pag. 114. d.150.c.2.

Vniones, quæ fiunt ex aliquibus Definitoribus pro creandis amicis in Priores, ſunt lethaliter malæ. pag.515.d.151.c.2. imò nullæ ſunt electiones. pag.516.d.152.c.2.

Nominatio Guardianorum, quæ ſit à Prouinciali in illis Religionibus, in quibus electiones fiunt per fabas, & lupinos, eſt tantùm directiua, & non coactiua.pag.523.d.55.c.2.ideò non eſt interdicta Definitoribus alia nominatio, & aliquãdò eam tenẽtur facere.pag. 525. d.155.c.2. renuente Prouinciali nominatos à Definitoribus exponere votis,poſſunt Definitores eos ſubijcere votis,& tandem eligere in Guardianos.pag.527. d.156.c.2.

Adnotantur aliquæ doctrinæ, quibus oſtenditur, quæ ſunt obſeruãda in prouiſione Guardianorũ iuxta ſacros canones.pag.527.d.156.c.2.

Guardiani ſunt veri Prælati, qui habent iuriſdictionem in foro contentioſo, & poſſunt excommunicare.pag.530.d.157.c.1.etiamſi non eligantur à cœnobijs, ſed aliter. ibid.c.2.

Referuntur opiniones : an iuriſdictio in Guardianis ſit de iure diuino, an humano, & concluditur, quòd ſit de iure humano.pag.531.d.158.c.1. 2. & ſeq.

Guardiani accipiunt iuriſdictionem à Summo Pontifice, dependenter tamen à ſuis Prouincialibus, & Generalibus. pag.532.d.158.c.1. ſecundum opinionem cuiuſdam Doctoris: habentur quædam notatu digna.

Guardiani, qui eliguntur à familijs, habent iuriſdictionem ordinariam in ſubditos, eadem iuriſdictio competit illis Guardianis, qui eliguntur, aliter quàm per electionem. pag. 533. d. 159. c.2.

Religione, ſuis ſtatutis nequeunt limitare iuriſdictionem, quæ competit Guardianis à iure.pag.

534.d.159.c.2. ſecus eſt dicendum, quandò accedit confirmatio Pontificis in forma ſpecifica. ibid.

Circa ſtatutum derogans iuri communi in ordine ad creationem Guardianorum apud Definitores, & in ordine ad iuriſdictionem ipſorum Guardianorum vide pag.536.d.160.c.1.2.

Priores debent habere pacem cum Deo, & curare, vt ſubditi ea pariter fruantur. pag. 541.d.162. c.2.

Debent etiam habere pacem cum ſubditis, & deſignantur media pro eius conſequutione.pag.142. d.162.c.2.& ſeq.

Tenetur Guardianus euellere à familijs fœderationes nonnullorum Religioſorum ad celebrandas electiones in fauorem ſui iſporum, ſeù amicorum. pag.146.d.163.c.1. & deſignatur modus.

Guardianus, qui ſe immiſcet prædictis vnionibus, eas fouendo, duplici peccato fit reus.pag. 547. d.163.c.2.

Quandò teneatur adhibere conſilium in ſuis negotijs arduis.pag.548.d.163.c.1.2.

Quandò in præceptis imponendis, &c.pag.549.d. 165.c.2.& ſeq.

Non poteſt deputare vigiles in cœnobio pro maiori cuſtodia diſciplinæ regularis. pag. 551.d. 166. c.2.habetur quædam limitatio.

Non poteſt Guardianus tuta conſcientia tolerare ſubditum omnia referentem, quæ de eo ſubditi obmurmurant.pag.553.d.167.c.1.&.ſeq.

Examinatur: an liceat Prælato locali ſocium adhibere ſubdito ſuſpecto de minùs honeſta conuerſatione, vt ſibi tanquam Patri ad fraternè corrigendum illum denuntiet. pag.555.d.168.c.1. & an aliquid poſſit ſignificare ſocio illo.ibid.

Prælatus localis tuta conſcientia nequit ſubditum de aliquo delicto inditiatum à loco remouere, eius fama periclitante; ſecus ſi non periclitatur. pag.558.d.169.c.2.

An debeat monere Prouincialem de ſubdito illo ſuſpecto pag.559.d.169.c.2.

Quænam potiſſimùm conferre poſſint ad rectam gubernationem cœnobiorum. pag. 560.d.170. c.2.

*Gubernare.*

Ad rectè gubernandum tria requiruntur, amare nempè ſtatum Reipublicæ, habere potentiam. quam magiſtratus requirit, & habere virtutem, & iuſtitiam ad Rempublica m regendá.pag.234. d.67.c.1.

Populum gubernare, iudicare, & vnicuique ſecundum merita prouidere tranſcendit virtutem naturæ.pag.542.d.162.c.1.pag.359.d.99.c.1.

Ad gubernationem rectam requiritur vti aliorum conſilijs.pag.547.d.164.c.2.

## H.

*Homines.*

Eſt homini naturale, vt viuat in ſocietate.pag. 4.d.1.c.1.pag.97.d.31.c.2.pag.167.d. 56. c.1.

Itidem eſt homini naturale ob mentes diuerſas, vt diuerſa appetat, ac diſcordet. pag.4.d. 1. c.1. pag.197.d.56.c.1.

Habet homo naturaliter lumen, quo in ſuis actionibus dirigatur in finem.pag.4.d.1.c.1.

Homines ſubiacent mutationibus.pag.5.d.1.c.1.

Quandò homo non ſubiacet peccato, eſt beneficium Dei.pag.8.d.2.c.1.

Homo in proprijs cæcutit, pag.37.d 7.c.1.reſpectu ſui ipſius habet peruerſum appetitum.pag.38.d. 7. c. 1. & ideò iudicans de ſe ipſo male iudicat, quia nimis afficitur ad ſe ipſum.ibid.pag. 637.d. 200.c.1.

Homo habet inclinationem ad vnitatem.pag. 107. d.34.c.1.

Homo inclinans ad pacificandum eligitur à Deo libentiùs ad populos regendos.pag.107.d.34.c.1.

Iudicium hominum peruertitur timore, cupiditate, odio, & amore.pag.109.d 34.c.1.

Maior pars hominum in quacunque communitate eſt infirma, & imperfecta.pag.120.d.38.c.1.

Reparatio hominum fuit conuenientiſſima fieri per Verbum incarnatum ob exemplum.pag. 138.d. 41.c.2.

Homo eſt animal ciuile, vt ſibi, & alijs poſſit prouidere.pag.197.d.55.c.2.

Homo non eſt ſemper aptus ad peraganda officia. pag.199.d.57.c.2.

Quilibet homo habet ſuum defectum, ideò inter ſe debet eſſe tolerantia, aliàs diſcordia dominabitur.pag.211.d.56.c.2.

Homo, qui modica ſpernit, paulatim decidit. pag. 250.d.71.c.1.

Ingenita hominis prauitas nequit cuſtodiri, niſi habeat ſupra ſe Dominum pag.215.d.74 c.1.

Hominis eſt timere illum, cuius iudicio nunc erigitur, nunc deprimitur. pag.367.d.102.c.2.

Homo etiam ſanctiſſimus, dum eſt carne indutus, habet ſuas paſſiones.pag.373.d.102.c.1.

Homines non ſunt ſemper apti ad regenda officia. pag.374.d.102.c.1.

Magis inclinant ad ſe ipſum, quàm ad alios. pag. 364.d.99.c.1.

Decipitur homo nimis in proprio commodo, & ſemper videtur ſe plus debere recipere, quàm accipiat.ibid.

Homo deſiderat ſcire cauſas effectuū cognitorum. pag.441.d.128 c.1.

Homo caret aptitudine ad regendas proprias actiones.pag.258.d.132.c.2.

Plures homines boni difficiliùs peruertuntur, quàm pauci.pag.461.d.133.c.1.

Homo

Homo etiam ſanctiſſimus in proprijs cæcutit. pag. 477. d. 139. c. 2. pag. 593. d. 184. c. 1.
Homo reſpectu ſui ipſius habet peruerſum appetitum. ibid. pag. 585. d. 182. c. 1.
Per inditia obſcura mens hominis dignoſcitur, pag. 594. d. 185. c. 1.

*Honor.*

Durum eſt in Religionibus omni honore priuari, pag. 14. d. 3. c. 2.
Honor quid: & quatenus eſt proemium virtutis, nō renunciant Religioſi. pag. 15. d. 3. c. 1. pag. 17. d. 3. c. 1.
Quibus rebus debetur. pag. 56. d. 3. c. 1.
Honores debent eſſe omnibus Religioſis communes. pag. 38. d. 7. c. 2.
Honores æqualiter diſpenſati ſaluant Reſpublicas, & Religiones. pag. 92. d. 28. c. 2.
Laudabilis politia, in qua vnicuique ciui diſtribuūtur honores. pag. 199. d. 56. c. 1.
Negare honores dignis Religioſis, quibus habitis, facillimè ab electoribus ſunt eleuandi ad ſupremas dignitates, non eſt tutum in conſcientia. pag. 201. d. 56. c. 1.
Pulchrius eſt, quandò honores ſunt communes. pag. 204. d. 56. c. 2. & deſcribuntur bona, quæ ex hoc ſequuntur. ibid.
Nulla eſt tanta humilitas, quæ non tangitur ab honoris appetitu. pag. 368. d. 101. c. 2.
Honor, & labor debent eſſe communes ob multa bona. pag. 573. d. 102. c. 1. pag. 378. d. 103. c. 2.

I

*Ieiunium.*

Subditus, qui bona fide frangit ieiunium, putans ſe habere iuſtam cauſam, excuſatur à peccato. pag. 244. d. 69. c. 1. & ſufficit cauſa putata. ibid.

*Ignorantia.*

Ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti quid. pag. 193. d. 55. c. 2. excuſat à peccato. ibid. c. 1. & extenditur ad ea, quæ ſunt iuris diuini, & miſteriorum fidei, & ad multa, quæ cadunt ſub præceptum naturale. ibid.
Deſignatur modus probandi ignorantiam inuincibilem. pag. 195. d. 55. c. 2.
Ignorantia vincibilis excuſat à peccato. ibid. vincibilis, & affectata quid. ibid.
Ad ignorantiam inuincibilem reducitur, quandò præceſſit cogitatio, & fuit adhibita diligentia ad indagandam rei veritatem, & non fuit inuenta ea, & tamen in operatione erratur. pag. 194. d. 55. c. 2.

*Imperia, vide Regnum.*

Imperia diū durarent, niſi ſeditione inteſtina laborarent. pag. 5. d. 1. c. 1.
Imperium eſt datum ad diſcordias ſedandas, & pacem introducendam. pag. 60. d. 16. c. 2. pag. 106. d. 34. c. 2. pag. 123. d. 39. c. 1.
Adminiſtrans Imperium duo debet attendere pro conſeruatione, quæ poſſunt iuuare conſeruationi regiminis, & quæ poſſunt nocere. pag. 125. d. 39. c. 2.
Imperij finis eſt conſulere ſubditorum vtilitatibus, neglecta propria vtilitate. pag. 348. d. 98. c. 1.
Imperia habent ſuum ſtatum, augumentum, & declinationem. pag. 356. d. 99. c. 1.

*Impoſſibilitas.*

Impoſſibilitas duplex: alia moralis, alia verò phyſica. pag. 243. d. 69.

*Incommoda.*

De incommodis, quæ rarò accidunt, non ſunt ferēdæ leges. pag. 232. d. 66. c. 2.

*Inditium.*

Inditium quid: eſt autem triplex, leue ſcilicet, graue, & violentum. pag. 594. d. 185. c. 1.

*Indignus.*

Indignus acceptando Prælaturas lethaliter peccat, pag. 157. d. 15. c. 2.
Indignus quis. pag. 77. d. 22. c. 1. dupliciter accipitur. ibid.
Indignus ab electoribus nequit eligi. ibid. aliquàndò poteſt. pag. 84. d. 26. c. 2. pag. 101. d. 32. c. 2. pag. 600. d. 186. c. 1. pag. 607. d. 188. c. 1.
Eligere indignum eſt contra ius naturale, diuinum, & pontificium: pag. 103. d. 33. c. 2.
Quis cenſendus ſit indignus pro infimis Prælaturis. pag. 128. d. 39. c. 1. & ſeq.
Non cenſetur indignus ad officia lapſus per fragilitatem. pag. 452. d. 130. c. 2.
Quandò adeſt dignus, nunquam licet eligere indignum, quandò maior pars vult eligere ipſum indignum. pag. 615. d. 191. c. 2.
Adnotantur conditiones, quæ reddunt hominem indignum. pag. 620. d. 193. c. 1.

*Infamia.*

Iuris infamia impedit non ſolùm præfici dignitatibus, ſed etiam facit remoueri ab ipſis. pag. 217. d. 60. c. 2.

*Iniuria.*

Iniuria quid, & quibus modis fit. pag. 188. d. 53. c. 1. alia materialis, alia formalis, & quandò fit peccatum mortale, & quandò veniale. ibid. c. 2.

*Iniuſtitia.*

Ex iniuſtitia multa mala oboriuntur, ſeditiones ſcilicet, & inimicitiæ, &c. pag. 19. d. 5. c. 2. pag. 199. d. 57. c. 2.
Quælibet iniuſtitia diſponit regimen ad corruptionem. pag. 35. d. 7. c. 2. pag. 107. d. 39. c. 1. pag. 319. d. 90. c. 1.
Iniuſtitia diſſoluit Reſpublicas, & Religiones. pag. 199. d. 57. c. 1.
Prælatorum iniuſtitia multos offendit. pag. 390. d. 106. c. 2.

*Inquiſitio.*

Inquiſitio generalis quid. pag. 126. d. 64. c. 2. & ad illam faciendam non requiritur, quòd præceſſerit infamia delicti. ibid.
Subditus in huiuſmodi inquiſitione nequit propalare delicta ſecreta, etiam iuſſus ſub iuramento. ibid. duo tamen excipiuntur caſus. pag. 227. d. 64. c. 1.
Prælatus in inquiſitione generali intendit punitionem delictorum. pag. 228. d. 64. c. 2.
Quandò publicum eſt delictum, & author ignoratur, non tenetur Prælatus monere ſubditos, vt cauti ſint. ibid. c. 2.

*Intentio operantis.*

Intentio operantis, dum occulta manet, non cauſat, ſed ſolùm quatenus manifeſtatur. pag. 538. d. 161. c. 2.

*Interrogatoria.*

Quæ dicantur interrogatoria ſuggeſtiua, & quæ nõ, habes multa explicata circa interrogatoria, quæ poſſunt fieri à Iudice regulari, tam circa Reos, quàm circa teſtes. pag. 178. d. 50. c. 1. 2.

*Iudex.*

Iudex imponẽs pœnam delinquenti ob vindictã ſingularem, eſto intendat vindictam publicam, peccat mortaliter. pag. 36. d. 7. c. 2.
Iudex habens propoſitum, cæteris paribus, ſemper ferendi ſententiam pro amicis eſt communiter in periculo peccandi mortaliter. pag. 37. d. 7. c. 1.
Iudex datur ad irrumpendas iniquitates. pag. 39. d. 8 c. 2.
Acta, & geſta Iudicis putatiui, quandò communiter reputatur verus Iudex, ſunt valida. pag. 75. d. 21. c. 1.
Vnuſquiſque poteſt confugere ad Iudicem, tanquã ad animatam iuſtitiam. pag. 94. d. 29. c. 1.
Officium Iudicum eſt puſillos à potentibus deffendere. pag. 96. d. 30. c. 2.
Iudex regularis ad tuendum bonum commune Religionis in aliquibus caſibus poteſt ſequi circa quæſtiones iuris opinionem probabilem, relicta probabiliori. pag. 162. d. 46. c. 1.
Obligatio Iudicis eligendi opiniones oboritur ex debito erga bonum commune. pag. 162. d. 46. c. 1.
Iudex, ſi ob opinionem probabilem electam in iudicando in aliquibus caſibus patitur aliquod damnum, debet lætari ob meritum acquiſitum apud Deum. pag. 164. d. 66. c. 1.
Iudex abſque infamia nequit inquirere delicta. pag. 169. d. 48. c. 2.
Iudex ob delictum ſemiplenum probatum poteſt imponere pœnam extraordinariam. pag. 171. d. 48. c. 2.
Quandò Iudex poteſt facere interrogatoria in genere, & in ſpecie: vide multa ad hoc propoſitum: pag. 178. d. 50 c. 2. & ſeq.
Quandò Iudex præſtare poteſt fidem vni teſti. pag. 218. d. 60. c. 2.
Quandò publicum eſt delictum, & ignoratur author: an poſſit Iudex inquirere, quis illud commiſerit. pag. 227. d. 64. c. 1.
Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas irrumpere iniquitates. pag. 236. d. 67. c. 1.
Iudices non ſupremi tenentur ius dicere omnibus. pag. 405. d. 113. c. 2.
An Iudex debeat iudicare ſecundum probabiliorẽ ſententiam. pag. 591. d. 143. c. 2.
Vtens iuriſdictione Iudex, vbi non habet, peccat mortaliter. pag. 36. d. 7. c. 1.

*Iudicium temerarium.*

Iudicium temerarium quid. pag. 588. d. 183. c. 1.
Quandò quis eximitur à iudicio temerario. ibid. c. 2. pag. 594. d. 195. c. 1.

*Iugum Chriſti.*

Iugum Chriſti eſt ſuaue; ideò non admittit opiniones rigidas. pag. 215. d. 59. c. 2.

*Iuramentum.*

Iuramentum quandò probat ignorantiam. pag. 195. d. 55. c. 1.
Conſuetudo iurandi verum, vel falſum eſt peccatũ mortale. pag. 251. d. 71. c. 1.
Iuramentum de eligendo meliori intelligitur de poſſibilibus. pag. 616. d. 191. c. 2.

*Iuriſdictio.*

Vtens iuriſdictione Iudex, vbi non habet, peccat mortaliter. pag. 36. d. 7. c. 1.
Iuriſdictio aliquandò datur Iudici per communem errorem populi. pag. 81. d. 25. c. 1. habentur multa ſcitu digna. ibid. c. 2. & pag. 72. c. 1. 2.
Vnde oboritur iuriſdictio ordinaria. pag. 417. d. 116. c. 2. & in quo conſiſtit formaliter. ibid.
Iuriſdictio quid; diuiditur in ordinariam, & delegatam:

gatam: ordinaria etiam diuiditur.pag 421,d.117.c.1.
Iuriſdictionis defectus eſt inſanabilis:vide multa.ib.
Iuriſdictio alia ordinaria,alia delegata.pag. 481.d.140.c.2.
Iuriſdictio Definitionis eſt ordinaria. pag. 482. d.140.c:1.
Quandò ſupponitur iuriſdictio, & addatur ſpecialis modus operandi,ſi non addatur clauſula irritans, forma intelligitur accidentalis. pag. 486.d.141.c.1.2.
Iuriſdictio, quæ eſt qualificata ad aliquam formam operandi,cum illa forma eſt exercenda,aliàs corruit actus.pag.509.d.145.c.1.
Iuriſdictio, quæ alicui competit ratio dignitatis, & non perſonæ, eſt ordinaria, etiamſi habeatur ex priuilegio Principis. pag. 530. d.157.c.2.& poteſt delegari.ibid.pag.532.d.59.c.2.

*Ius accreſcendi.*

Ius accreſcendi quid ſit, & an habeat locum in iuriſdictiione ordinaria, ac delegata. pag. 481.d.140.c.2.

*Ius commune.*

Ad ius commune derogandum non ſufficit petitio Generalis, ſed requiritur, vt Generalis cum ſuo Capitulo generali petat, & obtineat licentiam ſpecialem ei derogendi. pag.534.d.159.c.1.
Quandò adeſt licentia, & ſtatuitur aliquid contra ius commune, eſt correctorium iuris communis pag.534.d.159.c.1.
Huiuſmodi ſtatuta ſancita vtpote iuris communis correctoria ſunt intelligenda, quantùm loquuntur, & cum duo poſſunt operari, ſunt interpretãda, vt vnum tantùm operentur contra ius commune. pag.528.d.156.c.1.

*Ius proprium.*

Iuri proprio quilibet poteſt renuntiare. pag. 574.d.158.c.2.
Religioſus poteſt renuntiare iuri vocis actiuæ, & paſſiuæ:habẽtur limitationes,& quãdò in hoc poteſt peccari. pag. 575.d. 168.c.1.2. & an eo renuntiato poſſit id reaſumi.ibid.c.2.

*Iuſti.*

Iuſti in hoc Mundo à malis ſunt laboribus, & ærũnis vexati. pag.8.d.2.c.2.pag.150.d.43.c.2.
Iuſtus non proficit, niſi probatus. pag.9.d.2.c.2.
Iuſti cum malis admixti ſunt.pag.137.d.41.c.2.
Ex comparatione malorum fit laus bonorum. pag.142.d.41.c.1.
Sicut Martyres tribulationem hic paſſi ſunt corporalem; ita iuſti debent pati tribulationem ſpiritualem, tot ſcandala videndo. pag. 143.d.41.c.2.
Iuſti ſunt exercendi à malis in hac vitã. pag. 145.d.42.c.2. ob multas rationes. ibid.
Quantò magis iuſtus ſe exercet in virtutibus, tantò magis tentationes Diaboli ſæuiunt in ipſum.pag.150.d.43.c.1.
Iuſti à perſecutionibus malorum proteguntur. pag.150.d.43.c.2.
Christus voluit tolerare Iudam ad ſolatium iuſtorũ, quandò mali eos perſequuntur. pag. 151 d.43.c.1.

*Iuſtitia.*

Munus iuſtitiæ diſtributiuæ eſt diſtribuere commoda communitatis in partes eiuſdem cõmunitatis. pag. 13.d.3.c.1.pag. 123 d.39.c.2.pag.205.d.57.c.2.
Exigit plures inter ſe.pag.13.d.3.c.1.
Illorum opinio, quæ abdicat iuſtitiam diſtributiuã à Religionibus,nequit ſuſtineri. pag. 13. d.3.c.1.
Iuſtitia diſtributiua non aduerſatur contemptui honorum. pag. 17.d.3.c.1.
Iuſtitia eſt finis Prælatorum, & ex ea multa bona oboriuntur. pag.19.d.5.c.2.pag.471.d.137.c.1.
Iuſtitia legalis continet in ſe omnes virtutes. pag.19.d.5.c.2.
Iuſtitia ſtrictè ſumpta diuiditur in commutatiuam, & diſtributiuam.pag.19.d.5.c.2.earumque munera deſcribuntur, præſertim diſtributiuæ, quæ verſatur circa diſpenſationem bonorum communium, quæ debent diſtribui ſecundum proportionem geometricam,& arithmeticam.pag.20.d,5.c.1.pag.123.d.39.c.2.
Iuſtitia diſtributiua intendit obſtare acceptioni perſonarum.pag.20.d.5.c.1:
Prælatus violans iuſtitiam diſtributiuam, non tenetur ad reſtitutionem.pag.20.d.5.c.2.in quonam violatur.ibid.
Iuſtitia diſtributiua diſtribuit diuerſa diuerſis ſecundum eorum dignitatem, ne vnus recipiat, quod eſt alterius.pag.21.d.5.c.2. pag.458.d.132.c.1.
Quandò non obſeruantur iura iuſtitiæ diſtributiuę, ſuſcitantur mille incommoda. pag.28.d.6.c.2.
Iuſtitia diſtributiua conſeruat Religiones. pag. 35.d.7.c.2. pag.126.d.39 c.1.pag.202. d.56.c.1. pag. 448. d. 129. c.2. pag. 441. d. 128. per totum.
Iuſtitia diſtributiua debet adminiſtrare regimina. pag.60.d.16.c.2.
Violans quis iuſtitiam deturbat pacem. pag.60.d.16.c.2.
Iuſtitia quid.pag.95.d.30.c.1.pag.317.d.90.c.1.
Diſtributiua diuiditur in punitiuam, & remuneratiuam.pag.95.d.30.c.2.
Sine iuſtitia communitates nequeunt conſeruari. pag.96.d.30.c.2.pag.199.d.57.c.2.
Iuſtitia diſtributiua eſt medium ad deſtruendas factiones. pag.123.d.39.c.2. etiam inueteratas. pag.124.d.39.c.1.
Tranſgreſſio iuſtitiæ eſt cauſa malorum. pag.124.d.39.c.1.

Iuſtitiæ diſtributiuæ obſeruatio cauſat vnionem. pag.125.d.39.c.2.
Tollit confuſionem eligendi tam dignos, quam indignos. ibid.
Summum bonum eſt colere iuſtitiam, & dare vnicuique quod ſuum eſt.pag.198.d 56.c 2.
Carens iuſtitia, quæ tota eſt ad alterum, non eſt aptus ad Prælaturas,nec ab electoribus poteſt promoueri.pag.204.d.56.c.2.
Iuſtitia diſtributiua diſpēſate debet bona inter ſubditum, & Superiorem. pag.206.d.56.c.2.
Æqualitas iuſtitiæ diſtributiuę eſt inæqualibus inæqualia diſtribuere. pag. 206.d.57.c.2. pag.208. d.57.c.1.
Sine iuſtitia nec parua domus ſtare poteſt.pag.234. d.67.c.2.
Ius, quod iuſtitia tuetur, quatuor modis accipitur. pag.317.d.90.c.1.
Iuſtitia conſeruat communitatem. pag. 317.d.90. c.2.
Totum eſſe iuſtitię eſt ad alterum. pag.317.d.90. c.2.
Sine iuſtitia diſtributiua nequeunt ſubſiſtere Regna, & communiteres. pag. 320.d.90.c.1.nec regimina. pag.348.d.98.c.1. pag. 351.d.99.c.1.2. pag.441.d.127.c.1.
A iuſtitia nullus declinat, niſi cupiditate commodi tractus.pag.358.d.99.c.1.
Vnitas iuſtitiæ proprie eſt finis regiminis, & quomodò propagetur. pag.376.d.102.c.1.2.
Pauci ſunt, qui poſſunt vti iuſtitia, quæ conuenit Præſidentibus. pag 378.d.103.c.2.
Iuſtitia eſt neceſſaria Præſidentibus, quæ confert tria beneficia, ſcilicet vnitatem, concordiam, & quietem ſubditis.pag.386.d.106.c.1.
Iuſtitia eſt ſaluatiua Ciuitatis. pag. 387.d.106.c.2. quæ habet ſpecialem modum, qui modus eſt obſeruandus in Religionibus pro earum conſeruatione.pag. 388.d.106.c.1.2.
Per iuſtitiam conſeruatur pax Religionis, & per iniuſtitiam diſſoluitur.pag. 388.d.6.c.2.
Iuſtitia in Religionibus petit, vt bona eius diſpenſentur æqualiter ſecundum porportionem. pag. 390.d.106.c.1.
Iuſtitia diſtributiua eſt neceſſariò ſeruanda in Religionibus. pag.439.d.127.c.1.& ſeq. quia Prælatura eſt honor communis, quia Religioſi non renuntiant iuri meritorum, quia cauſat pacem, quia præcauet multa incommoda. ibid. vide multa.
Iuſtitia diſtributiua conſeruat Religiones: habetur integrum dubium. pag. 441.d. 128.c.2.& ſeq.
Nullus a iuſtitia declinat, niſi cupiditate alicuius commodi atractus.pag.443.d.128.c.2.
Iuſtitia diſtributiua non influit immediatè in perfectionem Religioſorum,ſed eſt cauſa motiua.pag. 443.d.128.c.2.
Iuſtitia diſtributiua conſeruat Religiones ex ſenſu Diui Auguſtini.pag.446.d.128.c.1.
Iuſtitia, quæ reddit vnicuique, quòd ſuum eſt, influit tanquam medium in pacem ſubditorum.pag. 447.d.129.c.2.
Dum iuſtitia legis non ſeruatur, corrumpitur pax. ibid.
Habetur ordinata concordia, quandò iuſtitia dat vnicuique, quod ſuum eſt pag.448.d.129.c. 1.
Adnotatur quædam lex pro obſeruatione iuſtitiæ diſtributiuæ in Religionibus. pag. 460.d.133.c. 1.& ſeq.
Prælatus ad obſeruantiam iuſtitiæ diſtributiuæ tenetur ex obligatione iuſtitiæ commutatiuæ.pag. 457.d.34.c.1.
Maior obligatio inſurgit ex iuſtitia commutatiua, quàm diſtributiua.pag.457.d.134.c.1.
Obſeruatio iuſtitię diſtributiuę eſt medium congruum ad delendum vitium ambitionis à Religionibus. pag.467.d.135.c.1.idque præſertim debet enitere in Prælatis maioribus. pag. 468. d. 135. c. 1. quæ iuſtitia multa docet,quæ ſunt obſeruanda, vt ſcilicet ad inuicem communicentur Prælaturæ, & onera, vt nullus reportetur quæſtus ex officijs adminiſtratis, vt merita Religioſi etiam infimæ conditionis non negligantur.ibid. c.2.
Lages, quæ aliquandò ſanciuntur in aliqua Religione de votis alternatiua, ſeù per nationes diſtribuendis, oboriuntur ex neglecta iuſtitia diſtributiua. pag.476.d.139.c.1.2 impoſſibile eſt obſeruare iuſtitiam diſtributiuam, & non habére vnionem regiminis.pag.477.d.139. c.1.
Religionis iuſtitia petit, vt ad inuicem Religioſi ſibi pręſtent dignitates,& officia.pag 477.d.139. c.2.
Pax habetur per iuſtitiam.pag.692.d.184 c.2.pag. 604.d.187.c.1.
Incolumis ſeruatur Religio, dum in diſtribuendis honoribus obſeruatur iuſtitia, quæ petit communitatem.ibid.
Iuſtitia conſeruat Regna, & Religiones.pag.604 d. 187.c.1
Prælatus ſine iuſtitia fit peſſimum animal.ibid.
Alia eſt iuſtitia, quæ conuenit Principi, alia, quæ conuenit ſubdito pag.620.d.193.c.1.
Iuſtitia regiminis eſt obſeruanda pro conſeruatione multitudinis.pag 615.d.192.c.2.
Rector ad hoc, vt ſit aptus ad regendum, debet habere iuſtitiam, quæ eſt ad alterum. pag.621. d.183.c.2.pag.635.d.200.c.2. quæ iuſtitia tantùm inuenitur in paucis, quia multi nequeunt ea vti.pag.621.d.183 c 2.
Sine hac iuſtitia aliæ virtutes pro regenda multitudine in Præſidente nequeunt ſubſiſtere.ibid. c.2.

## L.

### *Legiſlator.*

AD ſaluãdas Religiones,ſeù Reſpublicas debēt Legislatores aſſumere media,quæ cōgruunt Religioni, ſeù Reipublicæ. pag.460 d.133.c.1.
Legiſlatoris mens habetur ex proemio.pag.518.d. 192.c.1.

Mens

Mens Legiſlatoris magis attenditur, quàm verba, & illa deducitur à fine Legiſlatoris. pag.624. d.194.c.1.

Legiſlator intendit principaliter ſeditiones à communitate remouere.pag.23.d.5.c.2.

Legiſlator imponens per legem materiam grauem obſeruandam obligat in conſcientia. pag.632.d. 199.c.1.

Permittere debet Legiſlator aliquod malum ad maius malum præcauendum. pag. 202. d. 56. c.1.

In legibus aliquandò per epycheiam ad mentem benignã Legiſlatoris eſt recurrendum.pag.243. d.69.c.2.

Sapientis Legiſlatoris eſt minores tranſgreſſiones permittere,vt maiores caueantur. pag.202.d.56. c.1.

*Lex*.

Lex multa permittit peccata. pag.14.d.3.c.1.

Leges,quæ fiunt,vt beneficia conferantur naturalibus Eccleſiæ, ſunt licitæ,modo adſint digni. pag. 102.d.33.c.1.2.adducuntur rationes, etiam pro Regularibus.pag.103.d.33.c.1.

Lex vigens in Religionibus,vt Definitores aſſumantur tantùm de corpore Capituli, eſt ſtabilis, & firma.pag.103.d.33.c.2.

Aliud ceſſare rationem legis in aliquo caſu, aliud verò ratione legis non ſe extendere ad illum caſum.pag.115.d.37.c.2.

Leges aliquandò poſſunt mutari.pag.117.d.138.c. 2.& tota doctrina extenditur. ibid.

Humanæ leges non debent cohibere omnia vitia, ſed grauiora.pag.120.d.38.c.1.

Lex mutatur,quandò eſt plurimùm noxia.pag.120. d.38. c.2.

Lex ordinatur ad bonum commune, ideò præcipit ea, quæ ſunt ad pacem, & iuſtitiam. ibid.

Lex præſertim datur ad euitanda mala grauiora, à quibus poſſibile eſt maiorem partem multitudinis abſtinere, & præcipuè ea,quæ lædunt ſocietatem humanam.ibid.

Quandò populus confert dignitates dignis, rectè lex fertur, quòd liceat ſibi creare magiſtratus; ſecus ſi indignis.pag.124.d.39.c.2.

Lex debet dominari, & non homines, nam homines ſibi coniunctas paſſiones habent, quæ faciũt deuiare à recto.pag.127.d.39.c.1.

Lex debet omnes amplecti pro eius obſeruatione, aliàs eſt iniuſta.pag.208.d.57.c.2.

Leges debent interpretari in ordine ad vtilitatem Reipublicæ.pag.212.d.58.c.1.

Lex debet eſſe facilis, & iuxta naturæ humanæ imbecillitatem. pag.215.d.59.c.1.

Legum multitudo non eſt communitatis vtilis.ibid.

Lex eſt menſura humanarum actionum, pag. 232. d.65.c.1.

Lex non reſpicit ea,quæ rarò accidunt,ſed quæ frequenter. pag.232.d.66.c.1.

Inter legem, & ſtatutum non eſt differentia, ſicut inter legem, & præceptum. ibid.

Lex eſt perpetua. ibid. c.2.

De incommodis,quæ rarò accidunt,non ſunt ferendæ leges.pag.232.d.66.c.2.

In Republica debent leges præualere. pag. 234. d. 67.c.2.

Conueniens eſt in aliquibus caſibus tenorem legis non ſeruare.pag. 243.d.69.c.2.

Ideò eſt recurrendum ad mentem Legiſlatoris per epycheiam. ibid.

Leges Religionum debent ſeruari ad modum aliarũ legum.pag.244.d.69.c.2.

Lex generalis ad mortale obligans non ſemper extenditur ad omnes caſus particulares. pag.245.d. 79.c.2.

Confutantur rationes, quæ probant Religioſum habenté conſuetudinem tranſgrediendi regulas, ac conſtitutiones non obligantes ad mortale,eſſe in ſtatu peccati mortalis. pag.245.d.70.c.2.

Leges Eccleſiaſticæ non intendunt illaqueare animas.pag.246.d.70.c.2.

Leges Religionum ſanciuntur ad meliùs obſeruanda tria vota.pag.262.d.74.c.2.

Lex non debet eſſe multùm difficilis, pag. 266. d. 75.c.1.2.

Lex, quæ ſeipſam non poteſt mitigare,eſt à nobis mitiganda.pag.269.d.75.c.1.

Quandò ceſſat ratio legis in caſu particulari, ceſſat etiam lex.pag.299.d.82.c.1.

Explicatur illud: lex vniuerſalis,& generalis locum habet in omnibus contentis in tali genere. ibid. c.2.

Explicatur etiam: is in lege delinquit, qui verba legis amplectens cõtra legis intentionem innititur facere.pag.302.d.82.c.1.

Leges debent ferri in communi, vndè multa debent conſiderari, vt proſint pag.353.d.99.c.2.

Leges ad hoc, vt proſint, debent ſanciri, vt reſpiciãt tempus futurum, & multitudinem,& non ſolùm paucos in ſpiritu feruentes.pag.353.d.99.c.2.

Per leges meliùs gubernatur Reſpublica, quàm per homines. pag.369.d.101.c.2.

Reſpublica eſt beata, quando legibus obediunt magiſtratus. ibid.

Leges non poſſunt omnia vitia prohibere. ibid.

Lex pœnalis, & odioſa non habet extenſionem ad caſum in lege non comprehenſum, etiam ob ſimilitudinem rationis.pag.399.d.109.c.1.

Interpretatio legum duplex eſt; alia iuridica, quæ habet vim legis;alia doctrinalis. pag.403.d.112. c. 2.

Illius eſt legis interpretari, cuius eſt condere. pag. 404.d.112.c.1.

Ceſſante cauſa finali legis, ceſſat lex, ſeù præceptũ. pag.428.d.121.c.1.

Leges ſunt ſtatuendæ, quæ ſunt poſſibiles non ſolùm viris integris,& ſpiritu feruentibus,ſed etiam imperfectis.pag.488.d.130.c.1.

Per leges ſalutatur Religio, & Reſpublica. pag.460. d.133.c.1.

Lex eſt de conferentibus ad finem politiæ. pag. 460. d. 133. c. 2.
Principari ſecundum ordinem eſt quædam lex. pag. 462. d. 133. c. 2.
Leges, quæ aliquandò ſanciuntur in aliquibus Religionibus de votis alternatiuis, ſeù per nationes diſtribuendis oboriuntur ex neglecta iuſtitia diſtributiua. pag. 476. d. 139. c. 1. 2.
Lex conſiſtit in ratione, quæ eſt anima legis. pag. 524. d. 155. c. 2.
Lex Superioris tolli nequit ab inferiore. pag. 534. d. 160. c. 1.
Statutum ex licentia factum contra ius commune eſt correctorium iuris communis. pag. 534. d. 159. c. 1.
Ea, quæ lex vult, exprimit. pag. 539. d. 161. c. 1.
Præſumitur legem voluiſſe cum de facili id exprimere potuiſſet, neque expreſſit. pag. 539. d. 161. c. 2.
Vtilius eſt Reipublicæ gubernari legibus, quàm Principibus, & redditur ratio: quæ leges ſemper debent inſtitui ſecundum multitudinem regendam. pag. 563. d. 171. c. 1.
Lex debet bonum promouere, & malum præcauere. pag. 562. d. 171. c. 1. ſi debet ſaluare Rempublicam. ibid.
Lex ceſſat ceſſando rationem boni communis. pag. 600. d. 186. c. 1.
Lex non obligat, vbi nequit obſeruari. pag. 610. d. 189. c. 2.
Nulla lex poteſt obligare ad actum fruſtratorium. pag. 616. d. 191. c. 1.
Lex non obligat vltra finem intentum. pag. 618. d. 192. c. 2.
Lex debet interpretari ex vtilitate Reipublicę. ibid.
In regiminibus debet dominari lex, & non homo. pag. 622. d. 193. c. 2.
In lege magis attenditur mens Legiſlatoris, quàm verba. pag. 624. d. 194. c. 1.
Ratio formalis legis elicitur ex proemio. ibid.
Quandò in lege adeſt dubium, amplectenda eſt benignior pars. 627. d. 196. c. 2.
Leges ciuiles, quàm Eccleſiaſticæ vim habent obligandi in conſcientia. pag. 632. d. 199. c. 1.

*Libertas.*

Duplex libertas quoad exercitium, & quoad ſpecificationem. pag. 522. d. 155. c. 2.
Libertas moderamine carens vbique mala. pag. 541. d. 162. c. 1. pag. 12. d. 2. c. 1.

M

*Mali.*

Sunt dati mali homines ad exercitium bonorum. pag. 8. d. 2. c. 1. pag. 153. d. 45. c. 1.
Mali non ſunt expellendi à Religionibus ob multas rationes. pag. 144. d. 42. c. 2.
Ex comparatione malorum fit laus bonorum. pag. 141. d. 41. c. 1.
Malis vtitur Deus ad exercitium bonorum. pag. 148. d. 42. c. 2. pag. 445. d. 128. c. 1.
Mali non opprimunt iuſtos, ſed augumentant eorũ virtutes. pag. 148. d. 42. c. 1.
Deus vtitur malis ad probandos iuſtos. pag. 150. d. 43. c. 2.
Malorum exempla mala perſequuntur bonos. pag. 151. d. 43. c. 1.
Mali omninò non deſtituuntur diuinis auxilijs. pag. 152. d. 44. c. 2.
Multò plures in ſæculo mali ſunt, quàm boni, quia non auderent exercere bonos. pag. 154. d. 45. c. 1.
In Religionibus ſunt mali, vt perſeueraturi humilientur. pag. 446. d. 128. c. 1.
Neceſſe eſt, vt inter malos gemat Eccleſia. pag. 438. d. 127. c. 2.
Neceſſe eſt, vt quilibet etiam Regularis patiatur malos, ſi debet proficere. ibid. & pag. 439. d. 127. c. 1. pag. 445. d. 128. c. 2.

*Malum:*

De duobus malis ſemper minus eſt eligendum. pag. 65. d. 17. c. 1. pag. 608. d. 188. c. 2.
Malum eſt interpretatio boni, vndè, eo ſublato, aufertur bonum. pag. 141. d. 41. c. 2.
Malum quantò magis eſt diuiſum, tantò eſt tolerabilius. pag. 515. d. 150. c. 1.

*Media.*

Qui tenentur ad finem, tenentur etiam ad media pro eius aſſecutione: pag. 201. d. 56. c. 1.
Deſcribuntur media pro conſecutione finis regiminis. pag. 376. d. 102. c. 2.
Media pro obtinendo fine regiminis alia directè ſunt influentia in eum, alia corruptiua eiuſdem. pag. 442. d. 128. c. 1.
Ad ſaluandas Religiones, ſeù Reſpublicas debent Legiſlatores aſſumere media, quæ congruunt tali Reipublicæ, ſeù Religioni. pag. 460. d. 133. c. 1.
Sunt quærenda media pro finis aſſecutione. pag. 476. d. 139. c. 2. pag. 621. d. 193. c. 1.
Tunc ſcimus media pro conſecutione finis, quandò ſcimus media corrumpentia eundem finem. ibid. pag. 346. d. 98. c. 2. pag. 476. d. 139. c. 2.
Ad ſaluandas Reſpublicas, ſeù Religiones oportet conſiderare, quid eſt medium, ob quod illæ ſaluantur. pag. 476. d. 139. c. 1.
Medium pro conſequendo fine regiminis eſt vti iuſtitia diſtributiua tam in diſtribuendis bonis, quàm in oneribus diſpenſandis. pag. 634. d. 200. c. 1.

*Merita.*

Ob merita neglecta in multitudine ſequuntur conturbationes.pag.445.d.128.c.1.& ſeq.
Prælatus tenetur inueſtigare merita ſubditorum, vt dignitate decorentur, ob pacem inter ſubditos conſeruandam, & ob mala impedienda. pa.447. d.128.c.1.& ſeq.
Omnium merita non ſunt negligenda, aliàs corrũpitur regimen.pag.449.d.129.c.1.2.
Qui habent maiora merita, naturaliter alijs debent præeſſe.pag.450.d.129.c.2.
Lapſorum merita, qui ob fragilitatem in peccatum ruerunt, non ſunt negligenda: habes limitationes.pag.452.d.130.c.1.& ſeq.vide totum dubiũ, etiam infirmorum.pag.455 d. 131.c.1.2. habetur quædam limitatio.
Merita ſunt inueſtiganda, aliàs regimen nequit eſſe rectum. pag.458.d.132.c.2. pag.235.d.57.c.2. pag.461.d.103.c.2.

*Metropolitanus:*

Quam authoritatem habeat Metropolitanus ſuper ſubditos. pag.398. d.109.c.2.

*Metus.*

Quæ differentia ſit inter metum, & dolum. pag. 66.d.18.c.2.
Metus tollit perfectam libertatem. ibid.
Metus reuerentialis quid. pag.391. d.107. c.2. & quandò cenſetur adeſſe.pag.392.d.107.c.1.

*Monaſterium.*

Dum Religiones ſunt in primo ſtatu augumentationis perfectionis, licitum eſt eas ampliare monaſterijs; ſecus quandò ſunt in ſtatu declinationis.pag.174.d.49.c.1.2.
Sub nomine Collegij veniunt appellatione etiam monaſteria Religioſorum. pag.609.d.189.c.1.

*Multitudo.*

Multitudo,ne in diuerſa diſpergatur indiget capite, per quod regatur.pag.4.d.1.c.1.pag.197.d. 56. c.1.pag.447.d.128.c.1.
Finis multitudinis eſt pax,& vnitas. pag.4.d.1.c.2. eiſque remotis perit multitudo. pag.107.d.34. c.1.
In qualibet multitudine maior pars eſt imperfecta. pag.14.d.3 c.2.
Amoto Regente à multitudine,confunditur, ac perijt.pag.18.d.4.c.1.pag.636.d.200.c.2.
Multitudo ſine vnitate turba eſt. pag.28.d.6.c.2.
Multitudo inordinata facilè proſternitur.pag.110. d.34.c.1.
Tria requiruntur ad multitudinem conſeruandam. ibid.
Sine pace nihil poteſt facere multitudo.ibid. & ſine ordine nequit frui ſpiritus vnitate. pag. 110. d. 34. c.1.
Sine ordine multitudo non aſſequitur finem communem, imò incidit in diſſenſionem. pag. 126. d.39.c.2.
Quod multitudini repugnat,nequit diù conſeruari. pag.269.d.75.c.2.
Multitudo ad hoc, vt gubernetur, debet reduci ad vnum.pag.346.d.98.c.2.
In multitudine debet eſſe regitiuum pro aliquo fine, qui finis poteſt eſſe rectus, & non rectus. pag.447.d.119 c.1.
Finis rectus multitudinis eſt pax, eiuſque conſeruatio, non rectus eſt diſſenſio, &c. vide totum dubium 129.
Multitudo,quæ non eſt colligata per iuſtitiam, diſſoluitur.pag.251.d.129.c.2.
Primum malum multitudinis eſt diſſenſio.pag.599. d.186.c.2.pag.23 d 5.c.1.
Legiſlatores intendunt amouere à multitudine ſeditiones.pag.23.d.5.c.2.

*Mundus.*

Mundus fit pulchior ob peccati permiſſionem. pag. 8.d.2.c.1.2.
Mundus ita adminiſtratur à Deo,vt rectè mala permittat.pag.8.d.2.c.2.
Si Mundus deſit eſſe paccatus, ipſe Mundus deſinit eſſe.pag.108.d.34.c.1.
Mundus inferior gubernatur à Superioribus. pag. 138.d.41.c.1.

## N

*Natura.*

ORdo naturæ diſſolueretur, ſi non permitteretur peccatum.pag.8.d.2.c.1.
Natura docet, partem debere ſe exponere periculo pro toto.pag.448.d.129.c.1.
Natura in concupiſcendo eſt infinita. pag. 585. d. 182.c.1.

*Neceſſitas.*

Neceſſitas duplex alia moralis, alia verò phyſica. pag.243.d.69.c.2.

*Negligentia.*

Negligentia in obſeruatione legis diuinæ efficit, vt multi peruertantur à fide. pag.10.d.2.c.2.

*Nouitij.*

Licitum eſt inducere homines ad Religionem, & quandò in hoc inſurgit inordinatio præſertim ex inclinatione aduerſa Religioni, ad quam inducitur. pag.61.d.17.c.2.

Nouitij nequeunt recipi, vbi ſunt diuiſiones, ac factiones.pag.63.d.17.c.1.
Nouitijs perſuadere ingreſſum ad Religionem diſtractam in factiones, eſt malum.pag. 63.d.57.c.2.
Huiuſmodi nouitij ſunt decepti. pag. 64.d.17.c.1.
Peccant profeſſi, qui ſuis votis eos admittunt ad profeſſiones:habetur limitatio.ibid.c.2.
Nouitij ſunt inſtruendi à Magiſtris de tentationibus, præſertim malorum, quas debent tolerare in Religionibus.pag.151.d.43.c.1.
Nouitij recepti quotidie à perfectione decidunt. pag.174.d.49.c.2.

*Nunquam.*

Explicatur particula, nunquam. pag.628.d.196.c.1.

O.

*Obedientia.*

SVbditorum obedientia nõ ita paruipendit eos, vt ad libitum Superiorum peſſundentur. pag. 15.d.3.c.1.
Obedientia ſubditorum non eſt in ordine ad bonũ Superiorum, ſed in bonum Religionis. pag. 32. d. 7. c. 1.
Prælatus, qui ratione obedientiæ ſubditorum eis vtitur tanquam ſeruis, peccat.ibid.c.2.

*Officia regularia.*

Inter onera debent connumerari officia Regularia, ac debent diſtribui ſecundum iuſtitiam diſtributiuam.pag.629.d.65.c.1.
Religioſus nequit eodem tempore plura officia regulariter poſſidere.pag.230.d.65.c.1.pag.231.d.65.c.1.
Nimis durum eſt priuari Religioſos omni officio in Religionibus.pag.230.d.65.c.1.

*Opinio.*

Iudex regularis in plectendis aliquibus flagitijs poteſt eligere in quæſtionibus iuris opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. pag.662.d.46.c.1.ſecus circa dubium facti. pag.163.d.46.c.1.
Obligatio eligendi opiniones oboritur ex debito erga bonum Reipublicæ. pag. 161.d.46.c.2.
Quæ differentia ſit inter quæſtiones iuris, & facti circa eligendas opiniones.pag.161.d.46.c.1.
Mouetur quæſtio, an quis poſſit ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & concluditur affirmatiuè.pag.159.d.46.c.1.2.
Opiniones, quæ eliguntur, debent ſemper influere ad promouendum ſtatum pacificum Reipublicę. pag.160.d.46.c.1.
Quam opinionem debeant ſequi Medicus, Rex in indicendo bellum, & Iudex.ibid.c.2.
In rebus moralibus ſunt ortæ multæ opiniones,quæ ſunt ad ſubleuandam naturæ imbecillitatem, ac infirmitatem. pag.213.d.59.c.2.habes multa ſcitu digna.
Docere opiniones rigidas non eſt vtile Religionibus, quia eſt contra timorem Dei, & humanam imbecillitatem. pag.214.d.59.c.2.habes multa.
In Religionibus ſunt docendæ,quæ magis accedũt ad veritatem.pag.216.d.59.c.1.
Poteſt quis ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. ibid.
Opinio quid.pag.491.d.143.c.1.
Quæ differentia ſit inter dubium, & opinionem. pag.337.d.68.c.2.pag.491.d.143.c.1.
Opinio ex tribus capitibus poteſt oboriri.ibid.
Agitatur tota materia, quandò ſubditus teneatur obedire opinioni Prælati.pag.237.d.67.c.1.
Ad adhærendum opinioni Superioris nequit cogi ſubditus, & dicere in contrarium videtur eſſe impoſſibilis probationis. pag.240.d.68.c.1.
Quandò habentur duæ opiniones altera benignior, altera verò durior,ſemper interpretatio debet fieri in partem benigniorem cæteris paribus. pag. 345.d.69.c.1.

*Oratio.*

Oratio præſeruat hominem à peccato. pag. 147.d.42.c.2.
Religiones ſine oratione infirmantur. pag.268.d.75.c.2.pag.335.d.99.c.2.
Ideò Religioſus ſuccumbit tentationibus, quia non vacat orationi. ibid.
Sine oratione ſtare non poteſt Religio. pag. 355.d. 99.c.1.
Quantò quis frequentiùs orat, tantò oratio eſt ei delectabilior.pag.356.d.99.c.1.

*Ordo.*

Sine ordine non regitur multitudo in vnitate ſpiritus.pag.110.d.34.c.1.
Sine ordine confunditur omnis multitudo.pag.123.d.39.c.2. pag.126.d.39.c.2.pag.136.d.39.c.1.
Sine ordine non habetur finis communis.pag.126.d.39.c.2.pag.462.d.133.c.1.
Ordo eſt pater omnium rerum. pag.130.d.39.c.1.
Ad diuinam Prouidentiam ſpectat, vt ordo ſeruetur in rebus. ibid.
Sine ordine non poteſt eſſe pax.pag.347.d.98.c.2.pag.448.d.129.c.1.
Receſſus ab ordine pro obtinendo fine ipſum finem excludit.pag.448.d.129.c.2.
Deus eſt author pacis, & ordinis. pag.461. d.133.c.2.
Vbi ordo non eſt, ibi confuſio, & ſequuntur rixę. ibid.pag.162.d.133.c.1.
Cum ordine omnia proſperè ſuccedunt.pag.361.d.133.c.2.

Prin-

Principari ſecundum ordinem eſt quædam lex pag. 461.d.133.c.2.

P.

*Papa.*

PApa habet plenitudinem poteſtatis ſupra ius poſitiuum.pag.173.d.49.c.2.
Modo ſolus confirmat, & approbat Religiones. ibid.pag.531.d.158.c.2.
Iuſta interueniente cauſa,poteſt immutare, & ſupprimere Religiones,aliàs non.pag.173.d.49.c.2. pag. 175. d.49 c. 2. deſignatur cauſa iuſta. pag. 178.d.49.c.1.
Papa non poteſt facere ſtatutum, per puod ſtatus Eccleſiæ mutaretur, imò per quod ſuſpicari poſſet vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum perturbari, & decolorari.pag.176.d.49.c.1.
Poteſtas Pontificis eſt in ędificationem.ibid.
Papa in approbandis Religionibus errare nequit. pag.177.d.49.c.2.
Papa poteſt eximere totaliter ſubditum ab obedientia ſui Superioris.pag.401.d.111.c.1.
Solus Papa poteſt transferre Epiſcopum de vna in aliam Diœceſim pag.403.d.112.c.1.
Papa eſt mare, à quo omnia fluunt; & refluunt, & exeunt, & reuertuntur, &c.pag.419.d.116.c.1.
Papa poeſt inualidare conſenſum datum in electionibus non ſolemniter datum. pag. 520.d. 154. c.2.
Papa reſpectu omnium Religioſorum eſt illorum Generalis,Prouincialis,& Guardianus.pag.531. d.158.c.2.
Summus Pontifex poteſt omnibus ſuam authoritatẽ delegare, eamque ſuſpendere.pag. 523.d. 158. c.2.
Quandò Papa dat licentiam generalẽ condendi ſtatuta aliqua in communi, & aliqua in generali confirmat, id ſemper intelligitur, dummodo ſint licita,& honeſta,& ſacris Canonibus non aduerſentur.pag.534.d.159.c.2.

*Paupertas.*

Paupertas Religioſorum quid concedat tam ſubditis, quàm Prælatis.pag.207.d.57.c.1.
Qui vſurpat aliorum partes de bonis communibus, peccat contra votum paupertatis. pag. 208. d. 57.c.2.
Prælati,qui expendunt peccuniã monaſterij abſque honeſto titulo, peccant contra votum paupertatis.ibid.
Superflua ſunt contra votum paupertatis.pag.209. d.57.c.1.
Peccat contra paupertatem qui recipit ad Religiones plures, quàm de reddirtibus, vel eleemoſynis ſuſtentari poſſint. pag. 282.d.78.c.1.
Minorum Prælatus abdicando vſum vilem alicuius rei introductum, pretioſitiorem admittendo,etiã intra limites paupertatis Minorum peccat, multã habes circa paupertatem Minorum. pag.303.d. 75.c.1.& ſeq.
Radix exceſſuum in minorica paupertate occaſionaliter oboritur ex arbitrio Superiorum iudicandi de ſperfluitate.pag.307.d.86.c.1.
Deſcribitur ſtatus paupertatis Fratrum Minorum, & quomodò debeat diſtingui ab aliarum Religionum ſtatu, vt tutò poſſint viuere.pag.308. 309.d.86.c.1.& ſeq.

*Patientia.*

Patientia eſt multùm neceſſaria Religioſis, aliàs ſemper communitas erit in conturbatione. pag. 380.d. 104. c.1. & per patientiam Monachus fit Religioſus.ibid.

*Pax, vide Vnio.*

Pax eſt finis multitudinis.pag.4.d.1. c.1.2. pag.60. d. 16.c.2.pag.199.d.47.c.1.pag.346.d.96.c.2. pag.447.d.129.c. 2. pag. 471. d.177. c.2. pag. 527 d.155.c. 2.pag.54 .d.62.c.1.
Paci contrariatur diſſenſio.pag.4.d.1.c.2.pag.409. d.114.c.2.
Pax probatur à Deo,eſto multi ſint peruertendi.pa. 10.d.2.c.1.
Pax eſt etiam finis diuini regiminis. pag. 11.d.2. c.2.
Vbi pax,ibi Deus.pag.12.d.2.c.1.
Sine pace virtutes deperduntur. pag.18.d.4.c.1.
Pax debet tanquam finis intendi à Regente. pag. 22.d.5.c.2.pag.634.d.100.c.1.
Pax eſt fundamentum ſpiritus.pag.24.d.5.c.1.pag. 446.d.128.c.2.
Religiò perit,quandò pax non cuſtoditur. ibid.
Pax multùm timetur à Diabolo.pag.29.d.6.c.1.
Factioſorum pax eſt falſa, imò tyrannica. pag. 40. d.8.c.1.pag.314.d.89.c.2.
Sine vnione, & pace nihil boni poteſt fieri. pag.60. d.16.c.2.
Vbi non eſt pax, ibi Deus non eſt. pag. 63. d.17. c. 2.
Pax eſt donum Dei. ibid.c.1. pag. 110. d.34.c.2. pag.461.d.133.c.2. pag.544.d.163. c.1.
Pax, & concordia oboritur ex iuſtitia obſeruata. pag.96.d.30.c.1. pag.441.d.127.c.1. pag.467. d. 135.c. 2.
Per pacem cognoſcitur populus Dei. pag. 107. d. 34. c. 1.
Vt homo vacet diuinis, indiget pace. pag. 109. d. 34. c. 2.
Pax obſeruatur,quandò omnes habent aliquam partem in regimine. pag.133.d. 40.c.1.pag.377. d. 103.c.2.
Pax eſt ſummè neceſſaria clauſtralibus. pag. 122. d. 39. c. 2.
Pax conſiſtit in conuenientia voluntatum. pag.199. d.56.c.2.
Quæ pax eſt durabilis in Religionibus. pag. 203.d. 56.c.1.

Pax

Pax conſiſtit in ordinata concordia. pag.346. d.98. c.2.pag.448.d.129.c.1.
Pax expellitur, quandò vnuſquiſque quærit, quæ ſua ſunt.pag.384.d.105.c.2.
Pax habetur ex æqualiter inter Religioſos. pag. 389.d.106.c.2.
Pax cuſtoditur ex timore Superiorum. pag. 407.d. 114.c.2.
Pax in Religionibus eſt procuranda à Prælatis. pag. 447.d.129.c.2.
Sine pace Deus non colitur.pag.471. d.137.c.2.
Pax triplex inter Deum, & homines, inter Principem, & populum, & inter ipſum populum.pag. 541.d.162.c.1.
In omnibus rebus inuenitur pax. pag.541. d. 162. c.1.
Pax conſiſtit in conuenientia voluntatum. ibid. deſcribuntur laudes pacis.ibid.c.2. & pag. 546.d. 63.c.2.
Pax eſt finis regiminis, & nequit expellere omne malum à regimine, ſed aliqua permittit, & deſignantur motiua, quibus cohoneſtatur ipſa permiſſio.pag.566.d.172.c.1.
Vnitas,& pax ſunt præcipuè vtilitatis Religionibus, & quibus medijs propagetur. pag.580.d.181.c. 1.& ſeq.
Pax in multitudine eſt fundamentum ædificij ſpiritualis pag.583.d.181.c 1.
Prælatus propria commoda quærens non eſt aptus ad propagandam pacem. pag.184 d.182. c 1 & ſeq.
Pax per iuſtitiam habetur pag.674 d.187.c 1.
Pax conciuibus eſt præcipuè fundamentum regiminis.pag 223 d 63.c.1.
Pax magis conſeruatur, quandò plures ſunt, qui communicant actibus publicis pag 199.d.56.c 1.

*Peccatores, vide Mali.*

*Peccatum, vide, Delictum.*

Ex peccato originali omnia mala fluxerunt.pag.5. d.1.c.2.
Peccati permiſſio eſt à Deo.pag.8.d.2.c.1.
Paccata ſubduntur diuinæ Prouidentiæ.ibid.
Peccati permiſſio eſt à Deo per actum poſitiuum. pag. 8.d.2. c.1. & affert decorem Vniuerſi. ibid. & ſemper Deus ex peccatis elicit bonum. ibid.
Omnia peccata non puniuntur in hoc Mundo.pag. 14.d.3.c.1.
Peccata venialia non ſunt omnia punienda à Prælatis.pag. 14.d.3.c.1.
Peccatum veniale tranſit in mortale ratione finis lethaliter mali.pag.51.d.12.c.1.
Peccatum veniale tranſit in mortale ratione proximi periculi labendi in mortale.pag.62.d.17.c.1. habentur limitationes.ibid.
Nemo poteſt dare conſilium ad peccatum. ibid. c.2.
Quandò peccatum dicatur notorium: habes multa ſpectantia ad hanc materiam.pag.77.d.23.c.2.
Peccata, ac vitia commiſſa ſub ſpecie boni difficile corriguntur pag.105.
Peccata venialia, quæ perturbant pacem Reipublicæ renetur Gubernator impedire. pag.108.d.34. c.1.
Peccatorũ permiſſio reddit electos glorioſiores.pag. 144.d.42.c.1.
Malum culpæ eſt de perfectione Vniuerſi.pag.144. d.42.c.1.
Deus elicit ex peccatorum permiſſione multa bona. ibid.c.2.
Peccata alia ſunt contra communitatem, tertium, & contra ſolùm peccantem. pag.183.d.51.c.1. pag 276.d.77.c.2 pag.425.d. 120.c.2.
Explicatur, quid ſit peccatum contra bonum publicum ibid.c.2.
Alia ſunt peccata contra communitatem Eccleſiaſticam, contra ſeculare, & regularem. pag.184. d.51.c.1.
Religioſorum peccata alia ſunt leuia,alia verò grauiora. pag. 219.d.60.c.1. id meliùs explicatur pag.432.d.124.c 2.
Peccatum veniale tranſit in mortale ratione proximi periculi ruendi in mortale, & explicatur, quandò adeſt periculum.pag.249. d.71.c.1.
Decretum committendi omnia venialia non eſt lethale.ibid.c.2.eſt tamen periculoſum, vt tandem contemnatur à Deo, qui firmat hoc decretum, ibid.eſt tamen mortale in materia luxuriæ. pag. 251.d.71.c.1.
An effectus, ſeù omiſſio orta ex aliqua actione voluntaria mala imputetur ad peccatum, quandò actu vitari nequit.pag.280.d.78.c.1.2.
Omiſſio quandò ſit peccatum.pag.281.d.78.c.2.
Ad peccatum requiritur, vt actus ſemper maneat ſub Imperio voluntatis, & non ſufficit cauſa libera in principio poſita.pag 282.d.78.c.2.
Peccata emendata alia ſunt publica,alia verò ſecreta: quædam habent effectum in futurum,& quędam non.pag.428.d.121.c.1.
Ad impediendum damnum tertij licitum eſt crimen occultum manifeſtare, & multi ſoluuntur caſus. pag.496.d.145.c.2.

*Perfectio Religioſorum.*

Religioſorum perfectio non impedit quin,Prælatitiæ ſint præmia meritorum. pag.13.d.3.c.2.pag. 14.d.3.c.1.
Apud aliquos Prælatos Religioſorum perfectio eſt quoddam velamen ad celandum aliquod durum impoſitum.pag.15.d.3.c.1.
Ad quam perfectionem ſub mortali tenentur Religioſi tendere.pag.263.d.74.c.1.2.
Sine vnitate regiminis nequit propagari à Religioſis perfectio.pag.377.d.103.c.1.
Huiuſmodi perfectio petit, vt multiplicentur Prælati.pag.380.d.104.c.2.
Itidem petit, vt à ſcandalis malorum exerceatur. pag.439.d.127.c.1.

Reli-

# Index rerum notabilium.


Religioſorum perfectio habet originem ab Apoſtolis.pag.444.d.128.c.1.

*Periculum.*

Quandò adeſt periculum proximum relabendi in peccatum. pag.112. d.58.c.2. pag. 429. d.122 c.2.
Quandò dicatur veniale peccatum tranſire in mortale ratione proximi periculi labendi in mortale. pag.249.d.71.c.1.
Periculum proximum peccandi lethaliter adeſt, dũ in materia ambitionis committuntur peccata venialia.pag.273.d.76.c.2
Qui ſe exponit manifeſto periculo peccandi lethaliter, peccat lethaliter.pag.329.d.94.c.2.
Pericula, ex quibus poſſunt euenire damna proximo, ſunt ſub peccato reuelanda. pag. 64. d.17. c.1.

*Permittere.*

Permittere peccatum eſt actus legis, & deducitur à lege æterna.pag.111.d.35.c.2.
Huiuſmodi permiſſio eſt per ſe bona, & ex duplici capite fit licita, ſcilicet ad præcauendum maius malum, & ad promouendum maius bonum, & exemplis huc illuſtratur.ibid. pag. 566.d.172. c.2.
Permiſſio peccatorum reddit electos glorioſiores. pag.144.d.42.c.1.
Decet diuinam Voluntatem mala permittere propter duas rationes. pag.8.d.2.c.1.
Deus multa bona elicit ex peccatorum permiſſione.pag.144.d.42.c.2. pag.8.d.2.c.1.& ſeq.
Ad prudentem Gubernatorem conueniens eſt permittere aliquod malum, vt fiat augumentatio bonitatis in toto.pag.148.d.42.c.2.
Permittere debet Legiſlator aliquod malum ad maius malum præcauendum.pag.202.d.56.c.1.

*Pœna.*

Pœnam extraordinariam poteſt imponere Iudex ob delicta ſemiplenè probata.pag.171.d.48.c.2.
Qui ſe obligat ad aliquam pœnam voluntariam abſque culpa, poteſt eam ſubire, licet non ſine cauſa. pag.262.d.74.c.2.

*Pœnitentia Sacramentum.*

Confeſſio facta ob finem venialem, modò ſit intentio ſuſcipiendi Sacramentum, non eſt inualida. pag.34.d.7.c.2.
Ad adminiſtrandum Sacramentum ſufficit intentio virtualis.pag.281.d.79.c.1.
Omnia peccata mortalia ſunt confitenda: dantur tamen aliquæ cauſæ excuſantur.pag.342.d.97. c.2.

*Pollutio.*

Lex, quæ obligat ad vitandam pollutionem, obligat etiam ad vitandas cauſas per ſe influentes notabiliter in illam.pag.281.d.78.c.2.

*Poſſeſſio.*

Poſſeſſio acquiritur etiam per momentũ. pag. 323. d.92.c.2.
Sine cauſæ cognitione non eſt auferenda poſſeſſio. ibid.

*Præceptum.*

Quæ ſit differentia inter pręceptum, & legem.pag. 232.d.66.c.2.
Præceptum terminatur morte præcipientis. ibid. pag.488.d.141.c.2.
Præceptum debet ſingulares actus dirigere.pa.233. d.67.c.1.
Præceptis incompatibilibus ſimul concurrentibus ſemper obſeruandum eſt, quod magis obligat: habetur quædam limitatio.pag.558.d.69.c.1.

*Prædeſtinati.*

Prædeſtinati ſunt multi, pauci tamen in ordine ad reprobos pag.157.d.45.c 2. præſertim ſunt intra Religiones.

*Prælatus, vide, Generalis, ſeù Prouincialis.*

Prælati ſunt ſerui Monachorum. pag.7.d.1.c.1.
Prælati à Deo permittuntur labi in peccatum, vt faciliùs ignoſcant ſubditis.pag.8.d.2.c.2.
Ad hoc neceſſitantur ex experimento infirmitatis præteritæ.ibid.
Prælati errant in ſuis actionibus, ſi ſe non conuertant ad Deũ in ſuo regimine per orationem. pag. 11.d.2.c.1.
Eorum virtus regendi dependent à Deo.ibid.
Finis Prælati in regimine eſt pax. pag. 12.d.2.c.1. pag.22.d.5.c.2.pag.23.d.5.c.2.
Pręlatus, qui intendit pacem ſubditorum, eſt Dei imitator. pag.12.d.2.c.1.
Prælati nequeunt vti ſubditis tanquã ſeruis, & ad libitum peſſundare. pag.15.d.3.c.1.
Prælatorum ſupremorum diſcordię ſunt ſtatim cõprimendæ quia totam inficiunt communitatem. pag.18.d.4.c.2.
Prælati, qui diuidunt ſubditos, tanquam cæci cæcos ducunt, & omnes cadunt in foueam.pag.18.d. 4.c.2.
Prælati dantur in commodum ſubditorum. pag.19. d.5.c.2.pag.186 d.52.c.2.
Prælatus violando iuſtitiam diſtributiuam non tenetur ad reſtitutionem.pag.20.d.5.c.2.


Vſus

Vſus poteſtatis Prælatorum eſt in commodum ſubditorum.pag.21.d.5.c.1.

Prælati ita debent diſponere ſubditorum multitudinem, vt conſeruentur in pace, & ne inſurgant ſeditiones.pag.21.d.5.c.2.

Prælati, qui ordinant regimen ad ſui commodum, faciunt regimen iniuſtum, & peruerſum.pag.21.d.5.c.2.

Prælati, qui ſe gerunt, tanquam Dominos in diſpenſandis bonis communitatis, ſunt in malo ſtatu.ibid.

Eorum iniuſtitiæ in diſpenſandis bonis communitatis tollit ab eis nomen Prælatorum. pag.22.d.5.c.1.

Prælati debent dirigere ſubditos in vitam æternam. ibid.

Prælati factionarij deſtruunt totam perfectionem monaſticam ibid.

Prælati debent diſtribuere bona communitatis tam amicis, quàm inimicis, aliàs ſunt in malo ſtatu. pag 22.d.5.c.2.

Debent etiam remouere ſeditiones à communitate. pag.23.d.5.c.2.

Deſcribuntur virtutes, quæ debent ineſſe Prælatis. pag 23.d.5.c.2.

Prælatus, qui cum Chriſto nō trahit homines ad cōcordiam, diſpergit oues. pag.23.d.5.c.2.

Prælati dignè iudicare nequeunt de ſubditis, qui odia, vel gratiam ſubditorum ſequuntur.pag 27.d.6.c.2.

Væ Prælatis, qui diuidunt in partes homines.pag.29 d 6.c.1.

Multis modis poteſt Prælatus ordinare regimen ad ſui conſeruationem.pag.31.d.7.c.1.

Prælatus nullum ius acquiſiuit ſupra ſubditos per profeſſionem in ordine ad ſe ipſum.pag. 32. d. 7. c.1.

Poteſtas Prælati tendit per ſe ad bonum communitatis.pag.32.d.7.c.2.

Prælati vtentes ſubditis tanquam ſeruis, ſcilicet in ordine ad proprium commodum fiunt Tyranni, & peccant vſurpando iuriſdictionem. pag.32.d.7.c.2.pag.46.d.8.c.2.pag.136.d.200.c.1.

Prælatus vtens ſubditis, eorumque actionibus principaliter pro ſui conſeruatione, & minùs principaliter pro augumento boni communis, peccat lethaliter. pag.34.d. 7.c.1.ab aliquibus hæc doctrina temperatur.ibib.c.2.

Itidem eſto principaliter intendat bonum commune, & minùs principaliter ſuam conſeruationem. ibid.c.2.

Prælatus vſurpans iuriſdictionem in ſubditos peccat lethaliter. pag.33. d.7.c.1. pag. 469.d.136.c.2.

Prælatus, eſto intendat in diſtributione bonorum communium iura diſtributiuæ iuſtitiæ ſeruare, non eximitur à lethali culpa, ſi intendat exercere actum dominij, tanquam Dominus.pag.36. d.7.c.2.

Prælatus, qui habet intentionē venialiter mala in ſuo regimine intendentē propriā conſeruationē, eſt in proximo periculo ruendi in lethalem culpam.pag.37.d.7.c.1

Prælati intentio non recta eſt in periculo æternæ damnationis.ibid.c.2.

Prælati mali ob commoda prouenientia ex Prælatura volunt eſſe continuò in ea. pag.38.d.7.c.1.

Prælati debent componere partes.pag. 39.d.8.c.2. & ſunt dati ad tollendas diſcordias.ibid.

Finis Prælati eſt promouere ſubditos ad perfectionem, ad quam Ordo eſt inſtitutus. pag.40.d.8. c.2:pag.472.d.136.c.2.

Prælatus vtens ſubditis tanquam ſeruis facit contra iuſtitiam.pag.40.d.8.c.2.

Abutens poteſtate ſibi tradita in re graui peccat. ibid.& amittit nomen Prælati, & ſibi vendicat illud Tyranni. pag 41.d.8.c.1.

Prælatus adhærens priuato commodo eſt cauſa multorum malorum. pag. 42. d.9.c.2.pag. 53. d.14.c.2.

Prælati ſunt dati ad ſubditos in vnum congregandos.pag.43.d.9.c.1.

Prælatus, qui poſitiuè conſentit, vt ſuæ virtutes publicentur ad hoc, vt denuò eligatur, malè facit. pag.46.d.9.c.1.

Prælatus non vacans vtilitati ſubditorum fit Tyrānus.pag.53.d.13.c.1.

Prælatus propter obſeruantiam ſuæ Religionis tenetur vitam conſtituere in periculo, data occaſione.pag.53.d.14.c.2.

Prælati factionarij tenentur ſe abdicare officijs, quæ poſſident.pag.54.d.14.c.1.

Prælati magis quærendo vtilitatem propriam, quàm ſubditorum, peccant.ibid.

Prælatus tenetur relinquere officium, in quo eſt proximum periculum peccandi. ibid.habetur limitatio.

Sunt multi Prælati, qui videntur timere Deum, & nequeūt percipere partialitates cordis, & oris nō eſſe mortale.ibid.

Prælati ſupremi permittens, vt præualeat ambitio in Religionibus, peccant.pag.57.d.15.c.2.

Peccator occultus electus in Prælatum conſentiens ſuæ electioni, ſi ſtatim à peccato eſt ſurrecturus non peccat, ſecus ſi eſt publicus. pag.77.d.23.c.2.

Communis error populi dat iuriſdictionem Prælato, qui ob occultum vitium non poterat eligi.pag. 81.d.25.c.1.habentur multa ſcitu digna.pag.82.c.1.2.

Prælatus negans neceſſaria ſubdito, peccat, & ſubditus poteſt ſibi prouidere abſque peccato. pag. 93.d.29.c.2.

Prælatus negans ſtudium Religioſo benemerito, peccat, niſi aliter poſtulet bonum commune.pag. 93.d.29.c.2.

Itidem negans Lectoratum, &c.ibid.

Vnuſquiſque poteſt confugere ad Superiorem, tanquam ad iuſtitiam animatam. pag. 94.d.29.c.1.

Præ-

Prælatus ſupremus tenetur reddere rationem de grauamine illato ſubditis ab inferioribus Superioribus. pag.93.d.29.c.1.
Prælatus tenetur punire delicta, vt malefactor attentior fiat.pag.95.d.30.c.2.
In Prælatis debet eſſe iuriſdictio coactiua, ſine qua quælibet congregatio nequit gubernari. pag.95. d.30.c.2.
Prælatus diſſimulans caſtigare delicta ob pigritiam, vel verecundiam,vel ob metum in inimicitias incurrendi,peccat mortaliter. ibid.
Munus Prælatorum eſt protegere puſillos. pag. 95. d.30.c.2.
Prælati partiales diuidunt ſubditos, & Religionem. pag.96.d.30.c.2.
Prælati poſſunt ſubditos diuiſos compellere ad concordiam.pag.97.d.30.c.1.
Prælati intentio debet eſſe ad ſalutem procurandã. pag. 98.d.31.c.1.
Exhortatio cuiuſdam Doctoris ad Prælatos da factionum capita tollenda.pag. 100. d.31.c.
Vnitis Superioribus maioribus, vniuntur & ſubditi, eiſdem diuiſis, diuiduntur & ſubditi. pag. 100.d. 31.c.2.pag.17.d.4.c.2. & ſeq.
Prælati ſunt dati tanquam ſpeculatores. pag. 106. d.34.c.2.
Sunt Reformatores ſuarum Religionum. ibid.
Prælati debent propagare vnitatem regiminis. pag. 107.d.34.c.1.pag.110.d.34.c.1.
Prælati dantur ad diuiſiones extirpandas. pag.108. d.34.c.2.
Prælatus factionarius non eſt aptus ad ſeruandam iuſtitiam.pag.109.d. 34.c.1.
Niſi inuocetur auxilium Dei, nequit Prælatus diuiſiones ſedare, neque vnionem introducere. pag. 110.d.34.c.2.
Duplex regimen eſt propagandum à Prælatis, alterum temporale, alterum verò perfectionis. pag. 122.d.39.c.2.
Duo Prælatus debet attendere pro conſeruanda Religione,ſcilicet cauſare proficua,& repellere nociua.pag.123.d.39.c.2.
Prælatus pro corrigendo regimine corrupto debet tollere inordinationes, & nouum introducere ordinem.pag.124.d.39.c.1.
Prælatus nutriens factiones vt tutiùs dominetur eſt factioſus.pag.124.d.39.c.2.
Prælatus ad rectè diſtribuendas Prælaturas, cæteraque commoda Religionis debet cognoſcere merita ſubditorum, aliàs iudicia, & diſtributio prauè ſe habent. pag.125.d.39.c.1.
Munus Prælatorum eſt ornare Religiones optimis Religioſis.pag.174.d.49.c.2.
Prælati tenentur candorem Religionum deperditum reſtituere, & ſi non poſſunt,ſaltem impedire, quin magis deperdatur. pag. 174. d. 49. c.2.
Prælati augumentando Religiones numero Religioſorum, Religiones relaxant. pag. 175. d.49. c.2.
In Prælatis debet eſſe ſcientia, ſed diuerſimodè pag.95.d. 30.c.2.
Quod agitur à Prælatis, facilè trahitur in exemplũ à ſubditis.pag.177.d.49.c.1.
Prælatus nequit imponere delatori paterno, vt ſibi denuntiet delictum contra ſolum delinquentem, vt Iudici.pag.185.d.51.c.2.
Quandò Prælatus poſſit creare Fiſcalem, vt ſibi denuntiet delicta.pag.186.d.51.c.2.
Prælatus quandò, & quomodò debeat reprehendere ſubditos, vide verbum reprehendere.
Tria genera Prælatorum adſunt communiter in Religionibus pro regimine. pag.190.d.53.c.1.2. deſcribuntur eorum authoritates. ibid.
Prælatus nequit tutè denegare commoda Religioſo extraneo pro tractando negotio, dum habet licentiam à Superiore maiori.pag.191.d.53.c.1.2.
Neque vti poteſt verbis contumelioſis, etiam materialibus ad hoc, vt quamprimum locum deſerat. pag.192.d.53.c.1.
Prælatus errans in ſuo munere per ignorantiam inuincibilem excuſatur à peccato. pag. 194.d.55. c.1.itidem dic de ignorantia vincibili. pag. 295. d.55.c.2.
Prælatus cadens à ſua obligatione per ignorantiam non eſt pœna plectendus.pag.194.d.55.c.2.
Multiplicatio Prælatorum, dum ſunt idonei,expellit à Religionibus tyrannidem. pag.200. d.57. c.1.
Prælatus,qui negat infimas dignitates Religioſis aptis, ne ad maiores promoueantur, non eſt tutus in conſcientia.pag.201.d.56.c.1.
Prælatus,qui tenetur ad aliquem finem promouendum, tenetur etiam ad media pro eius aſſecutione. ibid.
Prælatus, qui curat, ne Religioſi fiant docti, ne priuetur ab eis iure dominij, peccat, & eſt Tyrannus. ibid.
Prælati tria ſemper debent conſiderare in regimine, ſcilicet bonum promouendum, malum præcauendum, & aliquod malum permittendum ad maius malum impediendum. pag.202.d.56.c.2.
Duplex malum eſt impediendum à Prælatis; ſcilicet ſeditio, & tyrannis.pag.202.d.56.c.2.
Prælatorum defectus inficiunt totam Religionem, & redditur ratio.ibid.
Prælati ſe debent habere in communicatione ad alterum, & ideò pauci ſunt vtentes hac communicatione, quia eſt difficillimum. pag.204.d.56.c. 2. ideò pauci ſunt apti ad Prælaturas gerendas. ibid.
Prælati nequeunt accipere de bonis communitatis, niſi iuxta menſuram iuſtitiæ diſtributiuæ. pag. 206.d.57.c.1.habes multa ſcitu digna; aliàs non ſunt tuti in conſcientia.pag.208.d.57.c.2.
Nequeunt accipere de bonis Religionis plus quàm alij, quandò habetur ſtatutum omnia eſſe diſtribuenda ad menſuram arithmeticam. pag. 209.d. 57. c. 1.
Sunt adminiſtratores bonorum,& nõ Domini. ibid.
Prælatus exemplo debet præcedere ſubditos.ib.c.2.
Poteſt cedere proprio iuri,& non iuri ſubditorũ.ib.

Quoad victum, & veſtitum debet inclinare ad liberalitatem ob Religionis obſeruantiam. pag. 210. d.57.c.1.

Errant Prælati docendo opiniones rigidas: habés multa ſcitu digna. pag.214.d.56.c.1.2.

Superior iuſtè non poteſt facere aliquid in damnum ſubditi, niſi cauſa explicata illis, qui debent in damnum concurrere, & Prælato non creditur, niſi cauſa in particulari manifeſtetur. pag.218.d. 60.c.1.

Prælatus non eſt Dominus famæ ſubditorum. pag. 219.d.61.c.1.

Prælatus non facilè condemnet actiones eſſe peccaminoſas pag.221.d.62.c.2.

Prælati debent vti erga delinquentes iuſtitia cum miſericordia. pag.223.d.63.c.1. magis tamen debent inclinare in miſericordiam exemplo petito à Petro permiſſo à Deo peccare, vt facilè ignoſceret ſubditis peccata. pag.224.d.63.c.1.

Prælatus, qui neſcit parcere, nec punire neſcit. ibid.

Prælatus debet eſſe facilis ad dandam conſolationem ſubditis tam in gratijs, quàm in abſolutione à caſibus reſeruatis tempore magnę feſtiuitatis. ibid.

Quomodò ſe gerere debeat in gratijs, quæ petuntur à ſecularibus in fauorem ſubditorum. ibid.

Prælati punitio differt à punitione Iudicum ſæcularium. pag.225.d.63.c.1.2.

In aliquibus caſibus magis debet inclinare in iuſtitiam, quàm in miſericordiam, & adnotantur caſus. ibid.

Tenetur corripere peccata venialia, quandò ſunt cauſa inobſeruātię diſciplinę regularis. pag.226. d.63.c.1.

Tenetur Prælatus in inquiſitione generali inſtruēre ſubditos ſe nolle ſcire delicta occulta: habetur limitatio. pag.227.d.64.c.2.

Adnotantur defectus Prælati, quibus deponi debet. pag.233.d.67.c.2.

Vtilius eſt Religionibus Prælatorum defectus publicè arguere, quàm diſſimulare, & varijs rationibus probatur. pag.234.d.67.c.2.

In Prælatis eſt neceſſaria fortitudo. pag.235.d.67. c.2. quæ temperanda eſt aliqua timiditate. pag. 236.d.60.c.1.

Timor mundanus dominatur in Prælatis, quia ſunt deſtituti gratia Dei. ibid.

Prælati non debent peſſundare ſubditos. ibid.c.2.

Alij ſunt Prælati, qui inclināt ad pietatem, & hi ſunt conſeruandi, ſeù eligendi, alij ad rigorem, & hi ſunt deponendi. pag.238.d.67.c.2.

Prælati debent eſſe affabiles, vt ſubditi ad eum facile acceſſum habeant pag.234.d.68.c.1.

Prælatus quomodò debeat ſeruare diſciplinam regularem. pag.252.d.72.c.2.

Prælatus negligendo corrigere malas conſuetudines Religioni contrarias peccat lethaliter, ſicut etiam permittendo regulam vnam, ſeù ordinationem abire in deſſuetudinem: vide multa. pag. 253.d.72.c.1.

Prælati, qui interſe ſe negligunt tenere ſyndicatū de proprijs defectibus, peccant. pag.253.d.72.c.2.

Libenter debent ferre ſyndicatum: habes multa: pag.254.d.72.c.1.

Radicale periculum Prælati oritur ex defectu intentionis, quia vtitur officio ad ſui commodum. pag.255.d.72.c.1.

Prȩlatus, ſi habebit intentionem ad quærendum lucrum animarum, ſi aliquandò errauerit per imprudentiam, non imputabitur ad peccatum, quia eſt homo, qui perfectè nequit omnia examinare. ibid.

Prælatus malus reddet rationem Deo de triplici culpa. ibid.c.2.

Prælati ad hoc, vt rectè gubernent debent, habere ſupra ſe alium Superiorem, à quo debeāt iudicari. pag.255.d.72.c.1.

Supremus Prælatus tenetur inquirere an communitas Religionis, ſeù alicuius Prouinciæ laborat extrema, ſeù graui neceſſitate, illamque reſtaurare, & punire inferiorem Prælatum, qui permiſit huiuſmodi damnum propria negligentiā. pag.258.d.73.c.1.2.

Prælatus materiam grauem imponere poteſt ſubditis ſub veniali, & tenetur id facere, imò benignè debet tollere omnem culpam. pag. 261. d. 74. c.2.

Prælatus abutēs poteſtate Eccleſiaſtica peccat. pag. 262.d.74.c.1.

Prælatus non tenetur ſub mortali bonum commune accidentale, quod conflatur ex penè infinitis ordinationibus conſeruare, habentur tamen tres limitationes. pag.265.d.75.c.1.2.&c.

Prælatus, qui permittit, vt vna conſtitutio, ſeù regula ſancita ad bonum Religionis abeat in deſſuetudinem ob negligentiā affectatam, non excuſatur à peccato. pag.269.d.75.c.1.

Prælati in ſtatuendis ordinationibus, præſertim ſub mortali debent conſiderare infirmitatem humanam, aliās deficiunt à ſuo munere. ibid. pag.214. d.59.c.2.

Prælati qui defendunt ſubditos à turbine peccati, patientur diuerſas aduerſitates, & per iſtas purgantur, eorumque ſuperbia reprimitur. pag.271. d.75.c.1.

A Prælatis vix aliquid tam purè fit, quin poſſit ab aliquo ſiniſtrè interpetrari, quaſi malè fiat. pag. 271.d.75.c.1.

Prælatus non eſt tutus in conſcientia, dum ſe conſeruat in Prælatura medijs illicitis, quæ ſunt in triplici genere. pag.271.76. c.1, & ſeq. vide totū dubium.

Affectus proprij commodi in Prælato eſt radix perturbationum, quæ oboriuntur in Religionibus. pag.273.d.76.c.1.

Meritò priuantur Prælati Prælatura, qui ob eam conſeruandam, in illam peccant ibid.

Periculum Prælati eſt intentio ſiniſtra in gubernando, quia vtitur regimine ad ſuipſius commodum. pag.274.d.76.c.1.

Præla-

Prælatus deſiderare debet prodeſſe, & non præeſſe. pag.274.d.76.c.1.
Res quidem erit ardua Prælato deſerere Prælaturã, quia commoda relinquit, & incommoda ſubit. pag.274.d.76.c.2.
Quæ obſeruare debeat Prælatus, quandò ſibi tanquã Patri eſt delatum crimen ſubditi. pag.275.d.77. c. 2.
Tres aſſignantur regulæ, quibus Prælato innoteſcit intentio deferentis delictum ſubditi in ordine ad licitam manifeſtationem apud alios pro conſilio. pag.276.d.77.c.1.
Prælatus nequit Definitoribus propalare peccatum occultum ſubditi ſibi delatum tanquam Patri. pag.272. d.77. c.1.2. vide totam materiam, neque Superioribus. à quibus eſt immediatè gubernandus delinquens. habetur quædam limitatio. pag.278.d.77.c.1.
Quandò agitur de promouẽdo delatum ad aliquod officium, & Prælaturam, poteſt electoribus eius delictum propalare. ibid.c.2.
Quandò duo Prælati lethaliter peccent, dum Prælaturas viciſſim ſibi preſtant, habes multa ſcitu digna. pag.314.d.89.c.1.2.
Dicuntur ſeditioſi, imò Tyranni, cum nutriunt factiones, vt tutiùs dominari poſſint. ibid. & implicantur mille peccatis. pag.315.d.89.c.1.
Prælati fiunt Tyranni, quando adminiſtrant iniuſtè regimen, & quærunt ſua commoda. ibid.c.2.
Prælatorum ambitio ſubditorum pacem conturbat, & in eis ſpiritum ambitionis generat. pag. 316. d. 89. c. 1.
Prælatus debet habere pacem cum ſubditis. ibid.
Prælatus in procurandis votis, quandò implicatur labe ſimoniæ. pag.316.d.89.c.2.
Deſcribuntur incommoda, quæ excitantur à Prælato, qui propria commoda quærit. pag. 319. d. 90.c.1.2.
Prælati ad rectè gubernandum debent conſiderare ea, quæ voluerint, ac noluerint ſub Prælatis prædeceſſoribus. pag. 331.d.91.c.2.
Prælati Religioſum acceptum ad ſtatum clericalem nequeunt deſtinare ad humilem ſtatum laicorũ. pag.326.d.93.c.2.
Prælatorum poteſtas eſt tota in bonum ſubditorũ. pag.329.d.94.c.1.
In Prælatis eſt ius diſtribuendi bona communitatis iuxta proportionem geometricam. pag. 329. d. 45.c.1.
Prælatus ad hoc, vt rectè diſtribuat principatus, debet inueſtigare merita ſubditorum. pag. 329. d. 94.c.2.
Prælatus nequit vti notitia habita per confeſſionem ad externam gubernationem: habes limitationes. pag. 343.d.97.c.1.& ſeq.
Quæ peccata extra confeſſionem cadant ſub hanc notitiam. pag.342.d.97.c.1.
Prælati, qui gubernant ad proprium commodum, ſunt Tyranni. pag.348.d.98.c.1.
Triplex genus Prælatorum habetur, alij ſunt qui benè viuunt, & ſubditos malè viuere permittunt; alij, qui malè viuere volunt, & ſubditos benè viuere cogunt; tertij, qui malè viuunt, & ſubditos malè viuere volunt. pag. 351.d.99.c.1.
Prælati mali totam inficiunt communitatem. pag. 351.d.99.c.2.
Prælati, qui intendunt ſua commoda, diuidunt Religionem. pag.352.d.99.c.1.
Diſcreta correctio Prælati multùm valet. pag.353. d.99.c.2.
Prælatus ſtudeat magis amari, quàm timeri, nam timor eſt debile fundamentum. pag. 355. d. 99. c. 1.
Prælati, dum permittunt, vt relaxetur oratio, Religionem relaxant. pag. 355.d.99.c.2.
Prælati, dum non ſe conuertunt ad Deum ad eius auxilium implorandum, deficiunt in multis, & ita relaxant Religionem. pag.359.d.99.c.1.
Prælatorum mutatio laudatur à Santo Bonauentura. pag.374.d.102.c.2.
Prælati tenentur propagare pro regimine vnitatem iuris, iuſtitiæ ſcilicet. pag.376.d.103.c.2.
In Religionibus eſt procuranda multiplicatio Prælatorum. pag. 377 d.103.c.2.
Prælati tenentur inſiſtere reformationi ſuarum Religionum. pag.384.d.105.c.1.
Semper debent habere bonum commune præ oculis. ibid.
Prælati habent rectam intentionem in regimine, dũ quærunt non quæ ſua ſunt, ſed bonum commune. pag. 385.d.105.c.2.
Prælatorum poteſtas ordinatur ad bonum ſubditorum, & non ad bonum ſui ipſorum. pag. 387. d. 106. c.1.
Prælati non debent regere ſubditos in virga ferrea, ne eorum defectus publicentur. pag. 389. d. 106.c.1.
Concordia inter Superiores maiores frænat rebelles ſubditos. pag.389.d.106.c.2.
Multiplicitas Prælatorum non obſtat perfection Religionum. ibid.
Deſcribuntur munera Prælati pro regendis ſubditis. pag.392.d.107.c.2.
Prælati nequeunt exercere iuriſdictionem in ſubditos in ordine ad ſe ipſos. pag. 394. d. 107. c. 1. pag.421.d.117.c.1.
Prælati debent eſſe recti in ſuo regimine, ne declinent neque ad ſiniſtram, neque ad dexteram. pag.395.d.107.c.1.
Prælatus, qui vtitur ſubditis, ſicut ſeruis, fit Tyrannus. pag.395.d.107.c.1.2.
Prælati, qui in ſocietate humana dirigunt ſubditos, inſtinctu Dei ducuntur, & vicem Dei gerunt in terris. pag.396.d.108.c.1.
Multæ adducuntur rationes, quibus coguntur Prælati ad deſtruendas factiones. pag. 396. d. 108. c. 2.
Prælatus, qui tyrannicè regit, curat, vt, qui contra ipſum inſurgere poſſunt, ſint impotentes. pag. 397.d.108.c.2.
In Prælatis eſt poteſtas coercitiua, ſine qua ordo, & pax in Religionibus ſeruari nequeunt. pag.407. d.114.c.2.

Prælatus, qui non timetur, de facili contemnitur, pag.407.d.114.c.2.

Prælati habent poteſtatem ferendi cenſuras, eiuſq; fundamentū demonſtratur. pag. 408.d.114.c.1.

Prælati nullum ius poſſident inquirendi peccata occulta. pag.428.d.121.c.1.

Prælati mali ſemper curant, vt conſeruentur in Pręlaturis ob bona, quæ proueniunt ex dominio, pag.441.d.127.c.1.

Prælatus pro conſeruanda Religione debet conſiliari de medijs, & non de fine. pag. 442. d. 128. c.1.

Vltimatus finis Religionis eſt eius conſeruatio. pag. 442.d.128.c.1.

Prælati fiunt Tyranni, qui quærunt in regimine propria commoda, & non bonum multitudinis. pag.443.d.129.c.1.

Prælati tenentur inueſtigare ſubditorum merita, vt conſeruetur Religio. pag.447. d.129.c.1. & ſeq.

Pax eſt procuranda à Prælatis. pag.447.d.128.c.2.

Prælati debent negligere in regiminibus propriam vtilitatem. pag.449.d.129.c.1.

Prælati, vt conſeruent multitudinem in pace, debēt eſſe erga ſubditos eminenter iuſti. pag. 451. d. 129. c. 2.

Prima operatio Prælati, qui præſidet regimini, eſt iudicare rectè, & diſtribuere rectè dignitates, vndè debet notitiam habere de meritis ſubditorum. pag.458.d.132.c.1.

Prælatus ſolus nequit indagare merita ſubditorum. pag.458.d.132.c.1. & ſeq.

Prælatus naturaliter imperat, quandò cognoſcit ea, quæ iuuare, & nocere poſſunt Religioni. pag. 460. d.133.c.2.

Ad conſeruandam Religionem debet conſiderare iuſtitiam, ſupra quam fundatur regimen. ibid.

Operatiò Prælati eſt dirigere ſubditos ſecundum rationem. pag.462.d.133 c.1

Incuria Prælati eſt cauſa ſeditionis. pag.463.d.133. c. 2.

Si Prælati ſunt iuſti, & ſubditi ſunt iuſti, & in pace conuiuunt. pag.468.d.135.c.1.

Ad exemplum Prælati tota componitur Religio. 468.d.135 c.1.

Felicitas Religionis oboritur ex virtute Prælati, pag.469.d.135.c.1.

Prælati, qui non obſeruant iuſtitiam diſtributiuam, ſunt à Deo damnandi in diuino iudicio, tanquā deſtructores finis regiminis, tanquam deſertores pacis, tanquam non habentes virtutem iuſtitiæ, quæ conuenit Præſidentibus, tanquam violatores iuſtitiæ diſtributiuæ, tanquam infideles diſpenſatores bonorum, & tandem tanquam deſtructores monaſticæ perfectionis. pag. 471. d. 137. c. 1. & ſeq.

Prælatus appellatur diſtributiuum iuſtitiæ, & eſt magis neceſſarium, quam panis. pag. 472. d. 137. c. 1.

Prælati debent conferre bona communitatis ad vtilitatem ſubditorum, & non ad propriam. pag. 472.d.137.c.2.

Deſcribuntur mores nouelli Prælati, qui ſemetipſum paſcit in Prelatura pag. 473.d.137.c. 1.

Prælati, qui non obſeruant iuſtitiam diſtributiuam, ſiunt rei vitio ſeditionis, nō ideò in eū tumultuosè poſſunt inſurgere ſubditi. pag.474.d.138.c.1.& ſeq.

Prælatus debet procurare vnitatem multitudinis. pag.476.d.137.c.2.

Prælati, qui debent operari cum conſenſu aliquorum, tenentur ſequi eorum conſilium, aliàs actus nullus. pag. 480. d.140.c. 1.

Prælati regulares fruuntur iuriſdictione quaſi Epiſcopali. pag.503.d.147.c.2.

Prælati ſemper debent præ oculis habere bonum commune. pag. 523.d 155.c.2. ideò leges, quæ ſtatuunt, ſemper debent conferre ad iſtud bonum promouendum. pag.523.d.155.c.1.

Nomen Prælati dupliciter accipitur, pag. 529. d. 157.c.1.2.

Propriè eſt Prælatus, qui habet iuriſdictionem ſpiritualem, & ordinariam in foro contentioſo. ibid.

Rectores ſunt dati ad prohibenda ſchiſmata in multitudine. pag.541.d.162.c.1.

Prælati ſunt dati in vtilitatem ſubditorum. pag.542. d.162.c.1.

Vbi deeſt, qui regat, vniuerſa confuſa ſunt. pag.542. d.162.c.2.

Amor Rectoris conciuibus eſt præcipuum fundamentum regiminis pag.543.d.62.c.2.

Prælatus poteſt inſpici, tanquam caput politicum, & tanquam Pater ſpiritualis. pag. 544. d. 163. c. 2.

Prælatus tenetur inquirere ſubditorum vitam, ſed hoc eſt faciendum maxima cum prudentia. pag. 551.d.166.c.1.2.

Nimia iuſtitia in Prælatis incurrit in peccatum, moderata facit homines perfectos. pag. 552. d.166. c.2.

Prælatus tuta conſcientia tolerare nequit ſubditum omnia referentē, quæ de eo ſubditi obmurmurāt. pag.553. d.167.c.1. & ſeq.

Prælatus, qui ordinat regimen ad ſuum commodum, fit Tyrannus. pag.564. d.171.c.1. pag. 585.d. 182.c.1. pag.587 d.182.c.1.

Prælatus debet negligere propria commoda, vt poſſit propagare finem regiminis, ideſt vnitatem. pag. 584. d. 192. c.1. & ſeq. & ratio redditur ibid.

Prælatus exquirens propria commoda non eſt aptus ad vnitatem propagandam: probatur varijs rationibus, præſertim quia cauſat diſſidia, & tumultus. ibid. c. 2 & ſeq.

Prælati ſunt quaſi diuinæ Prouidentię exequutores. pag.587.d.182.c. 2.

Prælatus adhærens proprijs cōmodis eſt cauſa multorum commodorum. pag.588.d.183.c.1.

Prælatus non vocatus à Deo infructuosè operatur in vinea Domini. pag.102.d.187.c.1.

Prælatus vocatur à Deo ad regimen animarum, qui canonicè eligitur. pag.601.d.187.c.2.

Prælatus nequit ſanctè gubernare Eccleſiam, niſi iunga-

iungatur Deo, & ab eo cognitionem hauriat. pag.602.d.187.c.1.
Ob negotia ſubditorum à Prælato pertractanda magna exigitur iuſtitia in eo. pag.603.d. 187.c.2.
Prælatus ſine iuſtitia eſt peſſimum animal, & redditur ratio.pag.604.d.187.c.1.
Munus Prælati eſt diſcordias ſedare, pacemque inducere. ibid.c.2.
Prælatus, qui ſe nutrit inter factiones, nomen Tyranni ſibi vendicat.ibid.c.2.
Prælatus ad alliciendos ſubditos ad perfectionem tenetur.pag.694.d.187.c.2.
Melius eſt regi à nullo Rectore, quam à malo Prælato.pag.106.d.187.c.2.
Prælatus, qui non regit per iuſtitiam, ſed per potentiam ſit, Tyrannus.pag.614.d.191.c.2.
Ad hoc, vt Prælatus cenſeatur aptus pro regimine, debet habere iuſtitiam, quæ tota eſt ad alterum. pag.621.d.193.c.1.
Prælatus ſine hac iuſtitia fit peſſimus. pag. 622.d. 193.c.1.
Prælatus debet cuſtodire iuſtitiam, & æquitatem, quam præterit, dum ſibi vſurpat plus de bonis, minuſque de malis.pag.622.d.193.c.2.
Prælatus habens multos ſeguaces, vt dominari poſſit, fit Tyrannus.pag.634.d.200.c.2.
Prælatus carens ſcientia debita pro regimine confundit pacem, & charitatem. pag.635.d.200. c.1.
Elector eligendo Religioſum in Prælatum debet conſiderare, ſi in eo fulgeat iuſtitia, quæ tota eſt ad alterum.pag.635.d.200.c.2.
Prælatus, qui timet amoueri ab officio, ſibi, copulat amicos. pag. 635.d.200.c.2.id enim confundit concordiam fratrum.ibid.
Multitudo ſine Rectore confunditur, ac perijt.pag. 636.d.200.c.2.
Eſt aſſumendus in Prælatum ille, qui habet illud, ſecundum quod poteſt magis pertingere ad finem Religionis.pag.637.d.200.c.2.

### *Prælatura.*

Prælaturas contemnere eſt à Deo.pag.7.d.1.c.1.
Prælaturæ fuerunt inſtitutæ, vt proemia meritorum. pag.13.d.3.c.2.pag.14.c.1.pag.16.c.1.
Prælaturæ cadunt ſub iuſtitiam diſtributiuam.pag. 16.d.3.c.1.
Prælaturæ poſſunt appeti ſine peccato.pag.17.d.3. c.1.
Prælaturæ in Eccleſia Dei ſunt ad vnitatem conſeruandam.pag.18.d.4.c.1.
Prælaturæ Regularium nõ debent præſcribi ſolùm apud paucos. pag.25.d.6.c.2.pag.35.d.7.c.1.
Prælaturas debent ſibi ad inuicem præſtare Religioſi.pag.35.d.7.c.1.pag.38.d.7.c.2.
Regularium Prælaturæ ſunt inſtitutæ ad procurandam animarum ſalutem.pag.38.d.7.c.2.
Tria poſſunt conſiderari in Prælatura, ex quibus deducitur, quandò erit peccatum eas appetere. pag.55.d.15.c.1.2.
In Prælaturis conferendis debet eſſe viciſſitudo in Religionibus. pag.198.d.57.c.1.in hoc eſt fortitudo regiminis. ibid.c.2.
Prælaturæ non debent præſcribi apud paucos ob multa incommoda, vnde aliquandò debet prætermitti ſenior ille, qui diù gubernauit pag. 205. d.56.c.1.
Poteſt aliquandò conferri Prælatura iuueni, qui relaxatè vixit in iuuentute, qui, ſi factus ſenex, reſcipiſcat.pag.320.d.91.c.1.
Prælatura ab intrinſeco non eſt perpetua.pag.335. d.101.c.1.& ſeq.
Plures ad Prælaturas promouere videtur bonum, nam ſe inuicem cuſtodiunt. pag. 373. d.102.c.1.
Prælaturæ iuſtè adminiſtratæ influunt in finem regiminis.pag.376.d.103.c.2.
Religioſi in Prælatura non ſunt longo tempore ſuſtinendi, quia tyrannidem poſſunt inuadere.pag. 378.d.73.c.2.
Communicationem Prælaturarum exigit Religioſorum perfectio.pag.380.d.104.c.2.
Prælatura eſt honor communis, ideò æqualiter ab omnibus debet participari, qui in meritis ſunt pares, ſaltem diuerſis temporibus. pag. 388.d.106. c.1.
Quæ differentia ſit inter Prælaturam electiuam, & manualem. pag.403.d.111.c.1.2.
Prælatura eſt honor communis, & in vtilitatem ſubditorum, & non Præſidentium. pag 439.d.127 c.1.
Prælaturæ in Eccleſia Dei ſunt ad vnitatẽ ſubditorum cuſtodiendam.pag.603.d.187.c.1.

### *Principatus.*

Eccleſiæ in Principatus inſtituuntur ad vnitatẽ conſeruandam. pag.4.d.1.c.2.

### *Principes.*

Virtus regendi Principum eſt à Deo. pag.11.d.2. c.1.2.
Si ſe non conuertant ad Deum per orationem, errãt in regimine.pag.11.d.2.c.1.
In Principe eſt imago diuinæ Maieſtatis.pag.12.d. 2.c.2.
Principes inſeruiunt Deo, dum curant pacem ſubditorum.pag.12.d.2.c.1.
Diſcordiæ Principum ſunt ſubditò comprimendæ, quia poſt ſe trahunt totam Ciuitatem.pag.18. d.4.c.2.
Principes reddere rationem tenentur de grauamine illato ſubditis à ſuis officialibus. pag. 93. d. 29. c.1.
Principes ſe habent in cõmunicatione ad alterum. pag.204.d.56.c.2.
Quæ tributa dandæ ſunt Principalibus, & ex qua iuſtitia eis debentur.pag.207.d.57.c.2.
Principes debẽt ſcire, quæ congruunt ſaluti ſubditorum, & quæ nocent. pag. 460.d.133.c.2.
In Principe præſumitur ſcientia iuris. pag. 539. d. 161.c.2.

Amor

Amor Principis conciuibus eſt præcipuum fundamentum Principatus.pag. 545.d.162.c.2.

Principis prudentia eſt conciliare ſibi populum, & conciliatum continere in amore. ibid.

Principes ſua ſcientia nequit omnia complecti,quæ conngruunt regimini.pag.547.d.164.c.1.

In Principe magna exigitur iuſtitia ob negotia ſubditorum pertractanda.pag.603.d.187.c.2.

Aſſumendus eſt in Principem, qui habet illud, ſecundum quod poteſt magis pertinere ad finem Reipublice pag.637.d.200.c.2.

Operatio Principis eſt iudicare, & præcipere rectè, & diſtribuere Principatus, & hęc conueniunt ei per prudentiam.pag.637.d.200.c.2.

Prima operatio Principis eſt dirigere ſubditos ſecundum rationem.pag.462.d.133.c.1.

*Priores, vide Guardiani.*

*Priuilegia.*

Priuilegia, quandò fauent Religioni, & ſunt perpetua, reputantur,ac ſi adeſſent in corpore iuris. pag.537.d.160.c.1.

*Profeſſio.*

Religioſorum profeſſio eſt quidam contractus.pag. 13.d.3 c.2. pag.31.d.7.c.2. pag.64.d.17.c.1. pag.74.d.21.c.1. pag.93.d.29.c.2. pag.191.d. 52.c.2.

Religioſi per profeſſionem non renuntiant honori, qui eſt procmium. virtutis. pag.15.d.3.c.1.2.

In profeſſione duæ perſonæ concurrunt.pag.32.d. 7.c.1.

Profeſſio nullum ius dat Prælatǫ in ordine ad ſe ipſum circa ſubditos.ibid.

Quandò contingat error in profeſſione,ita vt inualidentur profeſſiones.pag.66.d.18.c.2.pag.67.d. 18.c.1.

Profeſſio facta in Religione, quæ tota eſt diſtracta in factiones, eſt inualida.pag.67.d.18.c.2.

Si tantùm vna Prouincia laborat factionibus; non ideò inualidatur profeſſio.pag.69.d 18.c.1.

Quibus actibus inducatur tacita profeſſio. pag. 69.d. 19.c. 2 & quæ conditiones requirantur. pag.70.d. 19.c.2.

Inualida profeſſio poteſt ratificari. ibid. quæ conditiones requirantur. pag.70.d.19.c.1. vide multa circa profeſſiones tacitas in Prouincia diuiſa. pag.71.d.17.c.1.

Quibus actibus ſe poſſunt immiſceri non profeſſi. pag.71.p.19 c.2.

Profeſſi poteſt eſſe inualida ex natura rei,ſeu ex ſtatuto Eccleſiæ.pag.72.d.20.c.1.

Inualidæ profeſſiones ex natura rei nullum habent effectum. pag.73.d.20.c.1.ſed tantùm per accidens.ibid.

Profeſſio dubia eſt ratificanda.ibid.c.2.

Tenentur Religioſi ex vi ſcandali euitandi ratificare profeſſiones, imò cogi poſſunt, quandò ſunt nullæ ob totam Religionem in factiones diſtractam.pag.74.d.21.c 1.2.

Deceprio in rebus arduis inualidat profeſſionem. pag 327.d.93.c.1.

*Prouidentia diuina.*

Prouidentia diuina ſtatuit tã in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, vt creatura inferior is perfectionis regator à perfectiori.pag.138.d.41.c.1.

Prouidentia diuina gubernat omnia ſecundum eorum naturam,& in hoc conſiſtit iuſtitia.pag.141. d.41 c.1.

Prouidentia diuina ſecundum tempora ordinat, vt noui Ordines excitentur,vel veteres iam collapſi reſurgant ad conſeruandum feruorem in Eccleſia Dei.ibid.& pag.142.d 41.c.2.

Homines,qui in terris ſuper alios conſtituuntur, ſunt quaſi diuinæ Prouidentiæ executores. pag.587. d.182.c.2.

Diuina Prouidentia non ſolùm diſponit rerum ordinem, ſed etiam mouet omnia ad ordinis executionem.ibid.

*Prouincia.*

Prouincia diſtrahitur in factiones, dum Superiores maiores diuiduntur inter ſe.pag.17.d.4.c.2.pag. 18.d.4 c.2.

Ambitio diuidit Prouincias in factiones. pag.23.d. 5.c.1.

Prouinciæ diuiſæ rationes nullius ſunt roboris, & probatur.pag.58.d.16.c.2.

Prouincia in factiones diſtracta eſt deformata. pag. 63.d.17.c 1. adeò vt nequeat nouitios recipere, ibid. & eſt à Deo derelicta.ibid.

Emittere profeſſionem in Prouincia in factiones diſtracta non inualidat profeſſionem. pag.69.d.18. c.1.

Poſſunt,ac debent electores in Prouincia diuiſa duos Definitores ex qualibet parte eligere, alternatimque Prouinciales. pag.85.d.26.c.1.2.

Idque eſt tutum in conſcientia.pag 88.d.25.c.1.

Quod in Prouincia factionaria vna pars pręualeat alteram, fit ex demeritis & inſtigatione Dæmonum, ac Deo permittente.pag.108.d.34.c.2.

In Prouincia factionaria nequit rectè adminiſtrari iuſtitia.pag.109.d.34.c.1.

Ad auferendas factiones in Prouincia diuiſa exiſtimatur remedium congruum mutatio electionis diſcretorum, & Priorum.pag.113.d.36.c.2.pag. 120.d.38 c.1.

Pro reformatione Prouinciæ diuiſæ magis congruū erit tollere duas inordinationes, quæ ibi vigent, nouo introducto ordine.pag.124.d. 39.c.1. vide multa, ac multa.

# Index rerum notabilium.

*Prouincialis.*


Prouincialis, qui eligit in Priores ſuos ſectatores, peccat lethaliter. pag. 21. d. 5. c. 1. 2.

Nec eſt fidelis diſpenſator, ſed Dominus. ibid. c. 2.

Amittit etiam nomen Prouincialis. pag. 22. d. 5. c. 1.

Prouincialis, qui vtitur ſubditis, eorumque actionibus pro ſui conſeruatione principaliter, & minùs principaliter pro augumento boni communis, peccat mortaliter. pag. 34. d. 7. c. 1. temperatur doctrina ab aliquibus, ibid. c. 2.

Prouincialis nequit diſponere familias locorum, vt ſint Diſcreti, qui ſibi, & amicis præſtabunt vota pro dignitatibus. pag. 39. d. 8. c. 2.

Prouincialis factionarius tenetur contemnere officium, quem poſſidet: habetur limitatio. pag. 54. d. 14. c. 1.

Prouincialis Franciſcanus, qui hominum multitudinẽ aſſumpſit ad habitum, itaut paſſim ſit recurrendum ad pecuniam pro pane, & vino, peccauit mortaliter, non ideò quoties recurritur ad pecuniam, toties labitur in peccatum. pag. 281. d. 78. c. 2 pag. 282. d. 78. c. 2.

Prouincialis quandò peccet lethaliter promouendo ad munera Religionis duos, vel tres ſubditos, alijs neglectis: habes multa. pag. 329. d. 94. c. 2.

Prouincialis eſt ſubditus Capituli prouincialis. pag. 360. d. 99. c. 1.

Tenetur obſeruare leges Capituli prouincialis quoad vim coactiuam. pag. 360. d. 99. c. 1.

Quandò Prouincialis poſſit peccare in diſtributione familiarum pro cœnobijs. pag. 469. d. 136. c. 1. & ſeq.

Prouincialis habet authoritatem modificatam, & qualificatam ad conſilium Definitorum, & ita nequit proferre ſententiam contra Reum abſque eorum conſilio, alias eſt nulla. pag. 483. d. 141. c. 2. & ſeq. id etiam dicitur de rebus grauibus. pag. 484. d. 141. c. 2.

Prouinciales poſſunt delegare cauſas, & carceri mãcipare prętenſos Reos, ſed non ferre ſententiam. pag. 487. d. 141. c. 2.

Prouincialis nequit cogere Definitorem ad præſtandum conſenſum, quandò pro diſſenſu adeſt iuſta cauſa. pag. 494. d. 144. c. 2.

Nequit Prouincialis ſine conſenſu deferentis manifeſtare crimen occultum ſibi datum tanquam Patri, Definitoribus. pag. 496. d. 145 c. 2.

Quandò Prouincialis poſſit, & non poſſit manifeſtare delictum ſubditi, reuelatum ſibi tanquam Patri, toti Definitioni pro remedio. pag. 495. d. 45. c. 2. & ſeq.

Prouincialis tenetur celare ea, quæ tractantur in Definitorio. pag. 702. d. 146. c. 1. 2.

Prouincialis vnà cum ſuis Definitoribus poſſunt diſpenſare in pœnis impoſitis Reis: habetur limitatio. pag. 104. d. 107. c. 2.

Prouincialis, qui conferet vota pro creandis Guardianis in ordine ad ſuam conſeruationem, lethaliter peccat. pag. 519. d. 153. c. 1.

Huiuſmodi vota ſunt pręter naturam, conſequentur violenta, & conturbant quietem communitatis. pag. 118. d. 153. c. 2.

Prouincialis, qui ducitur intereſſe, non eſt aptus ad obeundum munus Prouincialatus. pag. 588. d. 183. c. 1.

Quandò ſunt deneganda vota Prouinciali, qui in Priores, ſeù Guardianos multos promouet amicos, vide totam materiam in dub. 183.

Quandò id facit pluries. pag. 592. d. 184. c. 1. 2.

Quandò id facit vnica vice, & eſt praxis quòd amici ſibi præſtant vota. pag. 594. d. 185. c. 1. 2.

Prouincialis, qui repetitis vicibus promouet amicos in Priores, conuincitur vitio ſeditionis. pag. 592. d. 134. c. 1.


*Prudentia.*


Prudentia eſt proprie virtus Præſidentis. pag. 352. d. 99. c 2 pag. 412. d. 115. c. 2. pag. 547. d. 164. c. 2.

Nulla Ciuitas poteſt eſſe fęlix, niſi ſub prudentia. ibid.

A prudente Gubernatore effectus boni eliciuntur. pag. 412. d. 115. c 1. & ſeq.

Quandò aduerſus prudentiam peccatur. pag 547. d. 164 c. 1.

Prudentiæ munus. pag. 602. d. 187. c. 2.

Impedimenta prudentiæ exercendæ ſunt peccata mortalia. ibid.

Quj non habet prudentiam, licèt ſit magnę ſanctitatis, ruet in profundum. pag. 620. d. 193. c. 2.

Prudentia conuenit Principi. pag. 621. d. 193. c. 1. pag. 636. d 200. c. 2.

Prudentia petit, vt appetitus ſit rectus per virtutem moralem. pag. 636. d. 200. c. 2.

Prudentiæ vſus recti eſt à Deo. pag. 637. d. 200. c. 2.


R.

*Recreatio.*


Recreatio debita eſt concedenda Religioſis. pag. 214. d. 59. c. 1.


*Reformatio.*


Reformatio Religionum eſt incipienda à Prælatis. pag. 100. d. 31. c. 2.

Reformatio Eccleſiæ faciliùs habetur à naturalibus eiuſdem Eccleſiæ. pag. 103. d. 33. c. 1.

In Religionibus reformatio eſt introducenda ſuauiter. pag 122. d. 38. c. 1.

Religiones potius reformandæ, quàm ſupprimendę pag. 176. d. 49. c. 2. vide modum eodem dub. pag. 177 c. 1.

Reformatio eſt incipienda à principijs relaxationis. pag. 177. d. 49 c. 2.


*Regimen.*

*Regimen.*


Omnia regimina ſunt addicta corruptioni. pag.5.d.1.c.1.etiam regimina Regularium.pag.6.d.1.c.1.pag.7.d.1.c.1.pag.108.d.34.c.1.pag.450.d.129.c.1.pag.441.d.127.c.1.pag.377.d.103.c.2.

Diuinum regimen ita ordinatur à Deo, vt non ſit virtus,quæ non probetur, licèt multi ſint ſcandalizandi, ac peruertendi.pag.9.d.2.c.2.

Regimina ſunt à Deo tam actiua,quàm paſſiua.pag.11.d.2.c.1.2.

Factioſorum regimen non eſt à Deo. pag. 12. d.2. c.1.

A regimine amoto Regente confunditur,& deperit multitudo.pag.18.d.4.c.1.pag.197.d.56.c.1.

Regimen,quod ordinatur ad ſui vtilitatem,eſt iniuſtum,atque peruerſum pag.21.d.5.c.2.

Regimen Religioſorum ordinatur ad vnitatem conſeruandam.pag.23.d.5.c.2.

Regimen per quamlibet iniuſtitiam diſponitur ad corruptionem.pag.35.d.7.c.2.

Ad rectum regimen requiritur pax inter eligentes, & electum.pag. 85.d.26.c.2.

Factioſorum regimen eſt tyrannicum, ideò diù nequit durare.pag.94.d.29.c.2.

Finis regiminis eſt commodis aliorum conſulere,neglectis proprijs.pag.106.d.34.c.1.

Regimem eſt conceſſum ad iurgia reſecanda, & ad introducendam vnionem. pag. 106. d. 34. c.2. pag.123.d.39.c.1.pag.197.d.56.c.1.2.

Ad regimina Regularium ſunt aſſumendi homines viciſſim.pag.134.d.40.c.1.pag.125.d.39.c.1.

Regimina ſpiritualia ſunt ad vnitatem ſubditorum conſeruandam.pag.122.d.39.c.2.

In arte regiminis deſideratur ſcientia eiuſdem regiminis, quæ ſcientia non indagat finem regiminis, ſed quærit media.pag.123.d.39.c.2.pag.634.d.200.c.1.

Fini s regiminis eſt vnitas, & pax, ſuper quas fundatur omnis perfectio religioſa. pag. 123.d.39.c.2.

In regiminibus contraria contrarijs curantur.pag.124.d.39.c.1.

Qui præſidet regimini,debet attendere ea,quæ poſſunt iuuare communitatis conſeruationi, expellendo nociua.pag.123.d.49.c.2.

Ad corrigenda regimina corrupta opus eſt amouere inordinationes, & introducere nouum ordinem. pag.124 d.39.c.1.

Si in regiminibus intenditur bonum commune,eſt rectum, ſi verò intenditur aliquorum bonum, alijs neglectis,eſt corruptum.ibid.c.2.

In regiminibus, dum conferuntur honores dignis, rectè lex fertur, quòd populus liceat ſibi creare magiſtratus, ſecus ſi conferuntur indignis. ibid.

Regimina ſunt ad vtilitatem eorum, qui reguntur, & non Præfectorum.pag.126.d.39.c.1.

Regimina ita debent regulari, vt de facili non poſſint labi in tyrannidem.pag.126.d.39.c.1.

Regimina,licèt ſint ſub capite, ſi non ſunt ordinata nunquam habebitur finis intentus.ibid. c.2.

Per quamlibet iniuſtitiam diſponitur regimen ad corruptionem.pag.127.d.39.c.2.

Ad reformanda regimina corrupta oportet modum ſuaue inuenire, qui præſertim non relinquat fomitem infirmitatis, & qui non ſit excedens, ita ut non creet malum peius priore.ibid.c.2.

Tres ſpecies regiminis ſcilicet Monarchiæ, Ariſtrocatiæ,& Democratiæ deſignantur, & deſignatur etiam quarta melior omnibus. pag. 197.d.56.c.1.2.

Regimen temperatum eſt magis durabile.pag.197.d.56.c.2.

Regimen naturale extenſum in Religionibus, eas conſeruat.pag.198.d.56.c.1.

Regimina tria habent, ſcilicet bonum promouendum, malum præcauendum, malumque permittendum ad maius malum præcauendum. pag.202.d.56.c.1.

Regimina ſunt inſtituenda ad malum ſpirituale præcauendum.pag.203.d.56.c.2.

Animas regere eſt ars artium.pag.223.d.63.c.1.

Amor eſt nexus veri regiminis.ibid.

In omni regimine debet eſſe poteſtas directiua, quæ ligare poteſt ſubditum, & aſſignantur tituli.pag.232.d.66.c.1.

Regimina ſunt temperanda, ne declinent in tyrannidem.pag.236.d.67.c.1.

Regimen non eſt durabile,quandò habet multas leges ſub mortali obligantes.pag.267.d.75.c.2.

Magis explicatur regimen Regularium. pag.270.d.75.c.2.

Regimen paccatum eſt vtilius Eccleſiæ.pag.311.d.27.c.2.

Reſpublica Romana facta eſt magna ob regimen iuſtum. pag.318.d.90.c.1

Regimina habent augumentum, ſtatum, & declinationē.pag.346.d.99.c.2.

Nequit percipi,per quod conſeruetur regimen, niſi ſciatur,per quod corrumpatur. pag. 346. d.98. c.2.

Regimen eſt corruptum, quandò aliqui digni honoribus negliguntur: tunc eſt rectum, quandò datur vnicuique,quod ſuum eſt. pag. 347.d. 98. c.2.

Finis regiminis eſt aliorum vtilitatibus conſulere,neglecta propria vtilitate.pag.348.d.96.c.1.

Sine iuſtitia nequeunt pacificè regi regimina. pag. 318 d.98.c.1.

Sic ſunt diſponenda regimina, vt Regentes non declinent in tyrannidem. pag.348.d.98.c.2. pag. 358.d.99.c.1.

Regimina etiam regularia habent ſuum augumentum, ſtatum, & declinationem. pag. 356.d.99.c.1.pag.370.d.101.c.2.

Regimen optimè regulatur ex conſideratione regiminum præteritorum, ideſt quid fuit deſideratū ſub alio Principe, aut non fuit deſideratum. pag. 369.d.102.c.1.

Qui non habent partem in regiminibus difficile


amant

parant ſtatum communitatis. pag. 363. d. 102. c. 1.
Regimina, ſi eſſent perpetua in hominibus, multa committerent incommoda. pag. 372. d. 102. c. 2.
Regimina ſunt peccata, quando omnes tam commoda, quàm incommoda ſubeunt. pag 373. d. 102.
Damnatur per multos textus perpetuitas in regiminibus. pag. 374. d. 102. c. 2.
Homines non ſemper ſunt apti ad eadem regimina regenda. pag. 374. d. 102. c. 2.
Regimen monarchicum, cum declinat in tyrannidem, eſt omnibus regiminibus peius. ibid.
Licèt finis regiminis ſit pax, & vnitas, propriè tamen eſt vnitas iuſtitiæ. pag. 374. d. 103. c. 1.
Religioſorum perfectioni non obſtat, quòd regularia regimina ſint corruptioni obnoxia. pag. 377. d. 103. c. 1.
Perpetuitas Regentium in regimine non eſt cenſenda bona. pag. 379. d. 105. c. 1.
Regimina alia ſunt recta, alia verò non recta. pag. 386. d. 106. c. 2.
Deſcribitur regimen Religionum, quod eſt neceſſariò in eis ſeruandum. pag. 386. d. 106. c. 1.
Regimen fundatum ſupra iniuſtum non eſt durabile. pag 388. d. 106. c 1.
Propter aliquod incommodum, quod ſequitur in regimine, non eſt deſtruendum fundamentum eiuſdem regiminis, quod eſt iuſtitia. pag. 388. d. 106. c. 2.
Perpetuitas in regiminibus, eſt cauſa multorum incommodorum. pag 389. d. 106. c. 1.
Difficilè regimen conturbatur, dum adeſt concordia inter Superiores, & ſubditos. ibid.
Iuſtitia regiminis eſt, vt omnibus prouideatur ſecundum modum ſuum. pag. 390. d. 106. c. 1.
Quandò regimina ſunt inſtituta ſecundùm æqualitatem & ſimilitudinem ciuium, tunc dignum eſt, vt in vna parte temporis quidam principentur, in alia verò alij. pag. 390. d. 106. c. 2.
Regimina Regularium non ſunt ſeruorum, ſed liberorum, quæ petunt, vt omnia æqualiter diſtribuantur in bonum ſubditorum. pag. 394. d. 107. c. 1.
Regimen animarum eſt difficillimum, quia eſt ars artium. pag. 411. d. 115. c. 1.
Ad ſuprema regimina ſunt aſſumendi, qui ſe benè geſſerint in obedientia. pag. 414. d. 115. c. 2. habes multa præcepta vulgata.
Regimen fundatum ſupra iniuſtum conſeruari nequit, quia ſubditi ſunt amaro animo. pag. 438. d. 127. c. 1.
Magis occurrendum eſt corruptioni regiminis, quàm ſcandalis. ibid. c. 1. 2.
Regimen non eſt naturale, quandò vnus ſolus dominatur, alijs ſibi ſimilibus excluſis. pag. 440. d. 127. c. 1.
Quando regimen adminiſtratur contra naturam, fit tyrannicum, & aperitur via diſſenſionibus. pag. 440. d. 127. c. 1.
Pro habendo fine regiminis requiritur ſcientia, quæ non indagat ipſum finem, ſed media. pag. 441. d. 127. c. 2.
Media ſe habent in duplici differentia: alia influentia in finē, alia corruptiua eiuſque finis. pag. 442. d. 127. c. 1.
Regiminis corruptio oboritur, quandò merita aliquorum ſunt conſiderata, alijs neglectis. pag. 448. d. 129. c. 2.
Regimina non debent fundari ſupra timorem ſubditorum, quia eſt debile fundamentum. pag. 450. d. 129. c. 2.
Curare debent Prælati, vt regimen ſit naturale, vt conſeruetur, id eò debent eſſe eminenter iuſti. pag. 451. d. 129. c. 2.
Regimen eſt rectum, quandò intenditur bonum omnium, quandò verò aliquorum, eſt corruptum. pag. 463. d. 133. c. 1.
Regimina debent ita legibus muniri, vt nequeant declinare in tyrannidem. pag. 463. d. 133. c. 2.
Illud eſt optimum regimen, quod à bonis viris adminiſtratur. pag 465. d. 133. c. 1.
Tres ſpecies regiminis dantur, Monarchiæ ſcilicet, Ariſtocratiæ, & Democratiæ, & quælibet deſcribitur, & adnotatur, quòd quælibet Religio regitur vno ex tribus regiminibus, vel ſimplici, vel compoſito. pag 482. d. 141. c. 2.
Regimina Regularium habent augumentum, ſtatum, & declinationem. pag. 512. d. 150. c. 1.
Regimina ſunt ſubiecta corruptioni. ibid. & redduntur rationes. c. 2.
Qui vult corrigere regimina corrupta, priùs ſunt remouendæ inordinationes, & deindè eſt nouus introducendus ordo. pag. 567. d. 173. c 2.
Regimen ita eſt diſponendum, vt in pace conſeruentur ſubditi, & ibi non excitentur ſeditiones. pag. 593. d. 184. c. 2.
In regimine multùm inualeſcit parua diſſenſio. pag. 603. d. 187. c. 1.
Iuſtitia regiminis eſt obſeruanda, aliàs Religiones nequeunt durare pag. 615. d. 191. c. 2.

*Regitiuum.*

Finis regitiui eſt, vt ſocietas viuat in pace. pag. 4. d. 1. c. 2.
In omnibus, quæ in vnū ordinantur, eſt aliquod regitiuum. pag. 186. d. 51. c. 2. pag 447. d. 129. c. 1.
Regitiuū poteſt intendere finem rectum, & non rectum. ibid.

*Regnum.*

Regna ſubiacent corruptioni. pag. 5. d. 2. c. 2.

Regnum non eſt propter Regem, ſed Rex propter Regnum.pag.13.d.13.c.1.
Regnum conſeruatur per iuſtitiam, & per iniuſtitiā diſſoluitur. pag.96.d.30.c.1. pag.199.d.56.c.1.2.

*Regula.*

Omnia per regulam debent regulari.pag.16.d.3.c.2.pag.128.d.39.c.1.pag.460.d.133.c.1.
Religionum regulæ, ſeu conſtitutiones non obligāt ad omnia, quæ ſunt in regula ſub mortali, aliàs ſtatus eſſet Religioſis in laqueum peccati mortalis.pag.247.d.70.c.1.pag.260.d.74.c.2.

*Religio.*

Religio quid.pag.233 d.67.c.2.
Ad perfectionem Religionum ſpectat colligere etiā malos.pag.6.d.1.c.1.
Religio per profeſſionem Religioſorum ſe obligat ad alendos eos,ac retinendos.pag.13.d.3.c.2.
In qualibet Religione maior pars imperfectè operatur.pag.14.d.3.c.2.
Religio eſt ad inſtar ſcholæ, in qua morantur diſcipuli; alius alio peritior, alius alio tudior &c. in virtute.pag.17.d.4.c.2.deſignatur cauſa.
Religio concedit ius eligendi electoribus ad conſulendum bono communi. pag.19.d.5.c.2.
Religionis bona ſunt omnium Religioſorum, ideò ſunt eis diſtribuenda rectè,pag.21.d.5.c.2.
Bonum commune Religionis propagatur pace. ibid.
Bona Religionis à Prælatis ſunt diſtribuenda tam amicis,quàm inimicis.pag.22.d.5.c.2.
Deſcribuntur mala, quæ oboriuntur in Religione, quandò regnat Prælatus malè regens. pag. 23. d.5.c.2.
Bonum commune Religionis petit,vt Prælaturæ nō remaneant apud paucos. pag.25. d.6.c. 2. pag. 35.d.7.c.1.
Religiones conſeruantur ob iuſtitiam diſtributiuam rite adminiſtratam.pag.35.d.7.c.2.
Vnuſquiſque ob bonum communeReligionis tenetur ſubire periculum vitæ. pag.45.d.10.c.1.
Bonum publicum Religionis diſſoluitur, dum non obſeruatur iuſtitia. pag.60.d.16.c.2.
Licitum eſt inducere homines ad Religionem, & quandò in hoc poteſt inſurgere inordinatio. pag. 61.d.17.c.2.
Quandò Religio dicitur deformata. pag.62. d. 17.c.1.
Religio,quandò eſt diſtracta in factiones, eſt à Deo derelicta.pag.63.d.17.c.1.
Profeſſiones emiſſæ in prædicta Religione ſunt inualidæ.pag 67.d.18.c.2.
Æqualiter diſpenſare honores ſaluat Religionem. pag 92.d.28.c.2.
In Religionibus opus eſt, vt inſtituantur Viſitatores ex eodem Ordine pro conſeruatione. pag. 93.d.29.c.1.
Summa vtilitas eſt expurgare vitijsReligiones. pag. 106.d.34.c.1.
Religio poteſt conſiderari, & materialiter,& formaliter: materialiter quatenus conſtituitur in eſſe Religionis per tria vota eſſentialia: formaliter quatenus eſt vnita per concordiam.pag.107.d. 34.c.1.
Si Religio deſinit eſſe paccata, deſinit eſſe Religio. pag.108.d.34.c.1.
Intereſt Religionibus, vt peccata non maneant impunita.pag.111.d.35.c.1.
Religiones ſunt à Deo inſpiratæ, & à Chriſto inſtitutæ.pag.135.d.41.c.2.& ſeq.
Deſcribuntur laudes Religionum, præſertim ad renouanda tria, ſcilicet Baptiſma, Martyrium, & Paradiſum.pag.136.d.41.c.1.2.
Felix Religio, in qua floret iuſtitia in conferendis dignitatibus.pag.125.d.39.c.2.nam per iuſtitiā conſeruatur.pag 126.d.39.c.1.
Religiones dantur à Deo ad profligandas hæreſes; ad roborandum fidem, ad expellenda vitia, & ad propagandam diuinam legem, ideò decorantur Apoſtolorum perfectione.pag.138.d.41.c.1. & ſeq.
A multis DD. deſcribitur fructus factus in Eccleſia Dei à varijs Religionibus.pag.140.d.41.c.1.2.
Religiones ſeneſcunt, & infirmantur in virtutum acquiſitione.pag.141.d.41.c.1.
Secundum tempora eriguntur nouæ Religiones ad conſeruandum feruorem in Eccleſia Dei. ibid.
Vberrimus fructus Religionum ad augumentandam Eccleſiam Dei, nequit perfectè cognoſci, niſi per malos Religioſos.pag.142.d 41.c.1.
In Eccleſia Dei nil vtilius Religionibus.pag. 142.d. 41.c.1.
In Religionibus multi ſunt caſuri, & multæ caſuræ ad Religioſorum humilitatem conſeruandam, qui multùm laborauerunt pro Eccleſiæ vtilitate.pag.142.d.41.c.2.
Deus ordinat erectiones Religionum iuxta Eccleſiæ neceſſitates,& ſemper geminos cœtus Religioſorum excitat.pag.142.d.41.c.2.
Duo conſeruant Religiones dū totū earum corpus non negligunt, ac dum propriā vtilitatem dominantes paruipendunt. pag. 126.d.29.c.1.
In Religionibus ſunt mali inueniendi. pag.143. d. 41.c.1.2.
Non eſt vtileReligiones expurgare à malis hominibus ob multas rationes.pag. 144.d.42.c.2.præſertim quia non eſſent ſchola ſublimis perfectionis. pag.146.d.42.c.2.
Sine malis non eſſet Religio abſolutè perfecta. pag. 148.d.42.c.2.
Triplex genus Religioſorum morantur in Religionibus: perfectorum ſcilicet, imperfectorum, ac malorum.pag.152.d.44.c.1.
Religio ſicut eleuat homines ad tantam perfectionem, ad quam communiter non attingunt alij, ita nutrit malos, qui inter peſſimos tandem connumerandi ſunt.pag.154.d.44.c.2.
In qualibetReligione sūt multi mali.p.157.d.45.c.1

à quibus ſunt perpetranda multa ſcandala, maximè quandò dilatantur Ordines.pag.158.d.45.c.1.

Religio debet paruipendere clamores nonnullorũ Religioſorum.pag.172.d.48.c.1.

Religiones cadunt à ſuo feruore, & propter cauſam naturalem, & propter alias. pag. 172. d. 49. c. 2.

Religiones quoad certam regulam determinatè sũt iuris poſitiui.pag.173.d.49.c.1.

Olim confirmabantur ab Epiſcopis, modò id ſpectat ad Sedem Apoſtolicam.ibid.

Religiones iuſta interueniente cauſa poſſunt immutari, & ſupprimi à Summo Pontifice; aliàs non. pag.173.d.49.c.2.pag.175.d.49.c.2.

Religiones poſſunt ampliari monaſterijs, quandò ſunt in primo, & ſecundo ſtatu perfectionis: quandò verò ſunt in tertio ſtatu, & declinant ad occaſum etiam poſſunt ampliari .pag. 175.d.49.c.1.2.

Quandò magis creſcit Religio, tantò magis creſcũt mali.pag.175.d.49.c.2.

Religiones ſunt potiùs reformandæ, quàm deſtruẽdæ, exemplo petito à Baronio. pag.176.d.49.c.2.

Religiones relaxatæ, quarum familiæ ſunt numeroſæ, quomodo ſint reformandæ. pag. 177.d.49 c.1.

Semel relaxata Religione, eius reparatio fit deſperabilis.ibid.c.2.pag.272.d.76.c.1.

Religionum regimina pro ſui conſeruatione petũt, vt Prælaturæ viciſſim inter homines idoneos conferantur.pag.198.d.57.c 2.vide multa.

In regiminibus Religionum vnuſquiſque debet habere aliquam partem.pag.199.d.56.c.1.

In Religionibus duplex bonum, perfectionis ſcilicet, ac vnitatis promoueri debet.pag.202.d.56.c.1.

Religionum relaxatio incipit à Prælatis.pag.236.d.67.c.2.

Religionis relaxatio oboritur tam ex parte nimij rigoris, quàm ex parte nimiæ relaxationis.pag.244.d.69.c.2.

Religionum regulæ, ſeù conſtitutiones non obligant ſub mortali ad omnia, quæ ſunt in regula, aliàs ſtatus religioſus eſſet in laqueum peccati mortalis.pag.247.d.70.c.1.

Dicitur relaxata Religio non ſolùm in tribus votis, ſed etiam quandò cadit à ſuo feruore.pag.253.d.72.c.2.

In Religionibus, quæ neceſſitas extrema, & grauis ſit deſignanda circa corruptelas, quibus eſt ſubueniendum.pag.277.d.73.c.2.

Ob aliquorum DD. doctrinas rigidas Religionis ſtatus non eſſet aſſumptibilis. pag.265.d.75.c.1.2.

In Religionibus, quandò ſubditi ſunt fortes in ſpiritu multa ſunt facilia, dum verò deperditur ſpiritus ſiunt difficilia. pag.267.d.75.c.1.

Religionum communitates ſunt in ſpiritu debiles; & ideò nequeunt in perpetuo rigore contineri. pag.268.d.75.c.1.

Deſcribitur finis cuiuslibet Religionis. pag.268.d.75.c.1.

Sine oratione, & ſilentio non conſeruantur Religiones.ibid.c.2.& etiam quandò finis particularis Religionum, ad quem ordinantur Religiones, non conſeruatur.ibid.c.1.

Religiones conſeruantur ob paupertatem ſeruatam, ſcientiam habitam, & concordiam non deſideratam.pag.270.d.75.c.2.

Vndenam oriantur relaxationes Religionum. pag.271.d.76.c.1.

Non expedit omnes paſſim ad Ordinem recipere. pag.288.d.77.c.1.

Religionis relaxatio oritur ex multitudine intrantium.pag.279.d.77.c.2.

Cognita deformatione Religionis, cognoſcitur etiã à quonam principio ſit incipienda reformatio. pag.282.d.78.c.1.

In qualibet Religione inueniendi ſunt lapſus tam graues, quàm leues.pag.285.d.76.c.1.

Religionum diuerſitas deſumitur ex particulari fine cuiuslibet Religionis.pag.334.d.75.c.2.

Religiones conſeruantur ex iuſtitia obſeruata. pag.318.d.90.c.1.

Religio ordinatur ad bonum commune, & non ad bonum Prælatorum. pag.329.d.96.c.1.

In Religionibus inueniuntur perfecti, imperfecti, & mali, qui mali ſunt in vtilitatem Religionum. pag.332.d.95.c.2. habes multa ſcitu digna.

Religio nequit imponere ſubditis, vt bis confiteantur peccata, niſi de conſenſu pœnitentium. pag.338.d.96.c.1.2. & ita confutatur quædam doctrina Cardinalis de Lugo.ibid.

Religiones habent ſuum augumentum, ſtatum, & declinationem; in primo enim ſtatu, & ſecundo non indigent viſitationibus extraordinarijs, ſecus in tertio.pag.346.d.98.c.1.2.& ſeq.

Relaxatur Religio, quandò Prælatus nimis confidit de ſuo ingenio, & ſcientia, negligendo conſilia petere.pag.350.d.99.c.1.2.

Ex malo exemplo Prælatorum ſequitur relaxatio in Religionibus.pag.251.d.99.c.1.

Electores, qui fideliter munus eligendi non præſtãt Religionem relaxant.pag.351.d.99.c.2.

Relaxatur Religio, quandò omnia vitia publicè puniuntur, vel celantur.pag.352.d.99.c.2.

Nulla Religio poſſet eſſe felix, niſi ſub prudentia, & iuſtitia. pag.352.d.99.c.2.

Relaxatur Religio, dum in legibus condendis non inſpicitur tempus futurum, & ſolùm attenditur exiguus numerus Religioſorum in ſpiritu feruens, & non multitudo. pag. 354. d. 99. c. 1.2.

Dum Prælati non ligant amoris vinculo ſubditos, ſed potiùs quærunt eos punire imponendo leges ſub grauibus pœnis exequendas. pag. 355. d. 99. c. 2.

Dum etiam ſanciantur multæ leges. pag. 354. d. 99.c.1.2.

Religio relaxatur, dum oratio relaxatur. pag.356. d.99.c.1. dum Prælati non implorant auxilium diuinum ad rectè gubernandum. pag.359. d.99. c.1. quandò aliquod incommodum eſt à Religione euellendum, & non acceptatur remedium propoſitum ob aliquam difficultatem, cuius ſolutio non eſt in promptu. pag.359. d.99.c.2.

Religionum reformatio ex Capitulis prouincialibus habetur.pag.359.d.99.c.2.

In Religionibus etiam maior pars imperfectè operatur.pag.370.d.101.c.1.

Deficiunt Religiones à ſuo feruore ob multitudinē intrantium, & ob ſubtractionem Religioſorum, qui exemplo vitæ rigidæ inſtruebant iuuenes, &c.pag.370.d.101.c.1.2.

Religio conſeruatur ob communicationem officiorum inter Religioſos.pag.378. d.103.c.1.

Religio, quæ quotidiè non reformatur, tendit ad ruinam.pag.383.d.105.c.2.

Aliquæ Religiones ſunt ſpiritu exinanitæ, quia in Capitulis non tractatur de reformatione, ſed de electionibus.ibid.

Religiones, quæ non quærunt bonum commune, ad nihilum rediguntur.pag.385.d.105.c.1.

Ad conſeruandas Religiones requiritur iuſtitia, quæ habet ſpecialem modum regendi. pag. 387. d.106.c.2.

Iuſtitia Religionis eſt, vt Religioſi ad inuicem ſibi præſtent Prælaturas.pag. 388.d.106.c.1.

Corrumpitur Religionis regimen, quandò præter proportionem dignitates diſtribuuntur. ibid. c. 2.

Religio tunc eſt in perfecta ſocietate, quandò quilibet in ſuo ſtatu habet diſpoſitionem, ac operationem.pag.391.d.106.c.1.

Religiones nequeunt conſeruari, niſi adſint leges prohibentes vniones votorum, quæ poſſunt fieri, à multis ad amicos ſublimandos, &c. pag.410.d. 114.c.1. & de facili huiuſmodi vniones poſſunt formari, quia maior pars Religioſorum eſt imperfecta. ibid.

Nulla eſt tam perfecta Religio, in qua tandem non oboriantur tam leues, quàm graues defectus.pag. 432.d.124.c.1.&c.

Religiones pace conſeruantur.pag.440.d.127.c.2. quæ pax habetur ex iuſtitia diſtributiua.pag.441. d.128.c.1.& ſeq.habes integrum dubium.

Si ſciatur, per quod corrumpitur Religio, ſcitur etiā per quod conſeruatur.pag.442.d.128.c.1.

Conuerſio Gentilium, confutatio hæreticorum, pietas chriſtianorum, conſeruatio theologiæ, &c. magna ex parte Ordinibus Mendicantium referenda.pag.444.d.128.c.2.

In qualibet Religione inueniendi ſunt mali ad bonorum exercitium.pag.445.d.128.c.2.

Conturbationes, quas aliquandò patiuntur Religiones, originem trahunt ex meritis, & demeritis eligendorum, idque probatur Apoſtolorum exēplo. ibid.

Nequit diligentia humana occurrere, ne tandem mali in Religiones ingrediantur, quia eſt arcanū diuinæ Prouidentiæ: poteſt tamen occurrere cōturbationibus, prædictis mediante iuſtitia diſtributiua. pag.446.d.128.c.1.

Mali Religioſi morantur in Religionibus, vt perſeuerantes ſe humilient, & totum bonum cognoſcant à Deo. ibid.

Religiones formantur ex perfectis, imperfectis, & malis.pag.455.d.31.c.2.

Imperfecti ſe habent in duplici differentia.ibid.

Felicitas Religionis oboritur ex virtute Prælati. pag.469.d.135.c.1.

Religionis iuſtitia petit, vt ad inuicem Religioſi ſibi præſtent dignitates. pag.477.d.139.c.2.

Habetur dubium integrum an conſeruatio Religionum petenda ſit à iuſtitia diſtributiua. pag.441. d.128.c.1. vide etiam pag.592.d.184.c.2.

Regimen Religionis ita eſt diſponendum, vt ſubditi conſeruentur in pace, & ibi ſeditiones non inſurgant.pag.593.d.184.c.2.

In qualibet Religione morantur mali, ideò audiendi ſunt multi lapſus. pag.496.d.145.c.1.

*Religioſus, vide Subditus.*

Religioſorum regimina ſunt addicta corruptioni. pag.6.d.1.c.1.

Religioſorum vnitas, & pax eſt probanda, eſto multi ſint peruertendi. pag.10.d.2.c.1.

Religioſi qui in ſectas abierunt, nō reguntur à Deō. pag.12.d.2.c.1.

Religioſi habent ius ad omnia bona Religionis. pag.13.d.3.c.2.pag.22.d.5.c.2.

Religioſi per profeſſionem ſe obligarunt ad inſeruiendum Religioni.pag.13.d.3.c.2.

Religioſi nequeunt à Prælatis peſſundari. pag. 15. d. 3. c. 1.

Religioſi non debent ſe ingerere Præfecturarum muneribus.pag 17.d.3.c.1.

Religioſi, qui ſequuntur diuiſionem Prælatorum, ſunt cæci, & tandem tam Prælati, quam ſubditi cadunt in foueam.pag.19.d.4.c.1.

Boni Religioſi reſiſtunt, ne à factionibus trahantur. ibid.

Deus præcipit Religioſis, vt viuant in pace. pag. 21.d.5.c.2.

Religioſi nequeunt à Prælatis tanquam ſerui tractari. pag.32.d.7.c.1.

Inter Religioſos debet eſſe æqua ponderatio oneris, & honoris.pag.28.d.6.c.2.

Ex prætenſionibus Religioſorum æmulationes, & inuidiæ oboriuntur.pag.38.d.7.c.2.

Religioſus, qui artificijs ad ſe trahit animos Religioſorum, ex quibus ſequitur ſuffragiorum fauor, nō peccat mortaliter. pag.45.d.10.c.1. ſecus eſt dicendum de Religioſo factioſo.ibid.

Religioſus publicans virtutes alicuius intendens acquirere vota, non eſt ſubornator malus, dum veræ ſunt virtutes. pag. 46.d.16.c.1. ſecus de factioſo.ibid.

Religioſus, qui poſitiuè conſentit, vt publicentur eius virtutes ad acquirenda vota, malè facit, eiuſque publicatio eſt vitioſa.pag.46.d.10.c.1.

Nonnulli Religioſi, etiam timentes Deum, ita ſunt cæci, vt nequeant intelligere, quòd partialitas nō ſit culpa lethalis.pag.54.d.14.c.2.

Religioſus ambitioſus eſt prauitatis ſectator.pag.57. d.15.c.2.

Religioſus dubius de ſua profeſſione tenetur eam ratificare pag.73.d.21.c.2.

Etiam certus ob ſcandalum euitandum, quandò Religio eſſet tota diſtracta in factiones.ibid.imò cogi poteſt ad id.pag.74.d.21.c.1.

Religioſi, qui morantur in Religione diſtracta in factiones, ſi Prælati negligunt eas expellere tenentur recurrere ad Sedem Apoſtolicam pro remedio.pag.76.d.22.c.1.

Diuiſiones Religioſorum, ſeù potiùs vniones, quæ fiunt ad aliquem eleuandum in Prouincialem, ſeù Definitorem, &c. ſunt lethaliter malę. pag. 90.d.28.c.2.

Væ Religioſis diuidentibus vnitatem. pag. 91.d. 28. c.1.

Quidam Religioſus deditus litibus, & mutationibus Prælatorum damnatur.pag.91.d.28.c.1.

Religioſus deſerens Religionem, non eſt de electis. pag.148.d.42.c.1.

Religioſi malè conqueruntur de malorum permixtione, quam inueniunt in Religionibus.pag. 149.d.23.c.2.

Religioſi, qui peccant ex infirmitate, grauiùs peccant, quàm ſæculares, quia duplex malitia inuenitur in eorum peccatis: non tamen quandò peccant cæteris paribus.pag.153.d.44.c.1.

Religioſi peccantes ex contemptu ſiunt peſſimi inter omnes peccatores.ibid.c.2.

Religioſi, qui proficiunt in Religionibus, ſiunt meliores omnibus alijs.ibid.c.2.

Religioſi, qui noluerunt vti in ſuis actionibus celſitudine intellectus, ſubijciuntur tandem ignominiæ ſenſuum.pag 154.d.44.c.1.

Religioſi boni ſiunt Martyres ob ſcandalorum diluuium, quæ committuntur in Mundo. pag. 154. d.45.c.2.

Si Religioſorum opera bona quoad quartam partem viderentur à ſæcularibus, adorarentur, vt Angeli.pag.158.d.45.c.1.

Religioſorum multitudo relaxat Religiones. pag. 173.d.49.c.1.pag.175.d.49.c.2.

Religioſi peregrinantes in alienis Prouincijs cum ſuorum Superiorum licentia, habent ius ad omnia bona illarum Prouinciarum. pag.191.d.54. c.1.

Securius eſt, vt multi Religioſi habeant vocem in Capitulo, quam quidam pauci. pag.200.d.57. c.1.

Religioſi malitia lapſi non ideò ſunt putandi difficillimi ad corruptionem.pag.211.d.57.c.2.

Religioſus per profeſſionem non renuntiat iuri famæ.pag.219.d.61.c.1.

Inuehitur contra DD. contemnentes famam Religioſorum.pag.220.d.61.c.2.

Monachus nequit eodem tempore poſſidere plures dignitates regulares. pag.230.d.66.c.1.

Religioſus tenetur tendere ad perfectionem iuxta vota, & præcepta, & in hoc conſiſtit eius obligatio.pag.250.d.71.c.2.

Religioſus tenetur ſub mortali non reuocare animum tendendi ad perfectionem.ibid.

Religioſus non ſemper peccat tranſgrediendo conſtitutiones, & ea, quæ ſunt in regula. pag.260. d.74.c.1.

Prælati Religioſum acceptum ad ſtatum clericalem, nequeunt deſtinare ad humilem laicorum ſtatum.pag 326.d.93.c.2.

Religioſi debent viuere inter malos, quia eorum profectui inſeruiunt. pag.322.d.94.c.2.

Religioſus aſſumitur ad præliū ſpirituale. pag.355. d.99.c 2.

Religioſi in pace nunquam erunt, niſi ſe ad inuicem tolerant.pag.380.d.104.c.1.

Religioſi debent proficere in medio ſcandalorum, eiuſque perſeuerantia debet etiam probari per multorum apoſtaſias.pag.438.d.127.c.2.

Religioſorum fraternitas non perit ob ſocietatem malorum Religioſorum.pag.439.d.127.c.1.

Religioſi debent participari de Prælaturis, vel hæ ſint honores, vel onera.ibid.c.2.

Religioſi non renuntiant per profeſſionem iuri meritorum.pag.439.d.127.c.2.

Religioſus, qui eſt in peccato mortali, non eſt dignus Prælatura. pag.452.d.130.c.1. habes limitationes. ibid.c.2.

Quandò merita tam lapſorum, quàm infirmorum Religioſorum ſint expendenda pro Prælaturis, cæterique officijs vide dubia. 130.131.pag 451. 455.habes multa ſcitu digna.

Quandò dicatur Religioſus emendatus, & quandò non.pag.454.d.130.c.1.

Subditi à Superioribus debent illuminari.pag.463. d.133.c.2.

Boni Religioſi in eorum perfectione non opprimuntur à ſocietate malorum, imò perfectio augumentatur.pag.477 d.139 c.2.

Omnibus Religioſis tam ex nomine Religioſi, quā ex proprio officio conuenit conſeruatio, & ſalus Religionis.pag.505.d.148.c.1.2.

Subditus nequit peruertere iura Superioris. pag. 534.d.159.c.1.

Religioſi ſubditi nequeunt inquirere facta aliorum Religioſorum.pag.555.d.168.c.2.

*Reprehendere.*

Licitum eſt Prælato reprehendere delinquentes. pag.186.d.52.c.2.

Eſt tamen ſpecialis modus obſeruandus. pag. 187. d.52.c.1.

Vt reprehenſio proſit, eſt probanda culpa.ibid.c.2.

Ali-

Aliquandò eſt differentia in aliud tempus. ibid.c. 2.
Poteſt Prælatus vti verbis contumelioſis; materialibus tamen ad reprehendẽdos ſubditos.pag.188. d.53.c.2.
Requiruntur tamen multæ conditiones, quæ in praxi difficiliter nequeunt obſeruari.pag. 189.d. 53.c.1.
Prælatus non tenẽtur petere veniam,quandò terminos excedit ex vi conſcientiæ, ſecus ex vi perfectionis.ibid.c.2.
Nequit Prælatus in reprehẽſione vti verbis cõtumelioſis, etiam materialibus aduerſus ſubditum extraneum, qui moratur in cœnobio gratia pertractandi negotium iuxta licentiam habitam à Superiore maiori ad hoc, vt deſerat locum. pag. 192.d.53.c.1.

*Res humanæ:*

Res humanæ nunquam carent incommodis.pag.15. d.3.c.1.pag.114. d.37.c.2.pag. 202. d. 56.c.2. pag.388.d.106.c.2.pag.565.d.61.c.2.
Res humanæ habent naturalem inclinationem ad vnionem, quia per diuiſionem pereunt. pag.107. d.34.c.1.pag.134.d.40.c.1.
Res humanæ gubernantur à Deo iuxta propriam naturam.pag.141.d.41.c.1.pag.144.d.42.c.1.
Res humanæ ſemper tendunt ad interitum. pag.141. d.41.c.1.
Non eſt res geſta humana,quæ ex aliqua parte non exponatur periculis, illa cauenda eſt, quæ plurimis periculis exponitur. pag.359.d.99 c.2.
Res humanæ decidunt ex ſe in non eſſe, niſi ſuſtententur ab illo, qui dat eſſe. pag.173.d.49.c.1.
Res humanæ ſubiacent mutationibus. pag. 512.d. 150.c.1.pag.522.d.55.c.2.

*Reſeruata peccata.*

An quandò teneatur Prælatus dare facultatem abſoluendi à reſeruatis.pag.333.d.95.c.1.
Debet eſſe facilis ad concedendam facultatem.ibid. c.2.probatur varijs rationibus. pag.334.d.95.c. 1.2.habes limitationẽ. pag.335.d.95.c.2. & habes etiam aliqua ſcitu digna. pag.336.d. 95.c 2.
Confeſſarios petens licentiam à Superiore pro ſubdito poteſt eum abſoluere à reſeruatis commiſſis poſt obtentam licentiam. pag. 337. d. 95. c.1.
Prælatus poteſt tradere ſuam facultatem abſoluendi à reſeruatis ordinario confeſſario cum onere, vt abſolotus ſuſcipiat onus comparendi coram Superiore, & quomodò id poſſit fieri:multa habes pag.339.d.96.c.2.& ſeq.
Confeſſarius cui eſt delegata authoritas abſoluendi à reſeruatis, debet eſſe facilis ad ſuſcipiendum onus comparendi pro pœnitente coram Superiore cauſa iuſta interueniente, & explicantur cauſæ.pag.340.d.69.c.1.2.
Onus comparendi obligat ſub mortali. pag.339.d. 96.c.2.
Adducuntur cauſæ, quæ eximunt pœnitentes ab onere comparendi.pag.340.d.96.c.1.

*Reſpublica.*

Reſpublica ſubiacet mutationibus. pag.5.d.1.c.1.& eſt fatale,quod tandem corruat.ibid.
Reſpublica ſaluatur ob iuſtam communicationem honorum. pag.93.d.29.c.2. pag.96.d.30.c.2. pag.462.d.103.c.2.
Reipublicæ Gubernatores tenentur tollere peccata venialia, quæ pacem deturbant. pag. 108. d.34. c.1.
Felix Reſpublica, in qua floret iuſtitia. pag. 125.d. 39.c.2.
Per iuſtitiam conſeruãtur Reſpublicæ. pag. 126.d. 39.c.1.
Reſpublicæ debet gubernari per leges, & non per homines.pag.369.d.101.c.2.
Felix Reſpublica, quandò magiſtratus obediunt legibus pag.368.d.101.c.2.
Per leges debent gubernari Reſpublicæ, vt ſaluæ fiant.pag.460.d.133.c.1.

*Reus.*

Quomodò ſunt intelligenda illa in dubio fauendũ eſt potiùs Reo, quàm actori: ad condemnandum Reum, probationes debent eſſe clariores. pag. 163.d.46.c.2.
Reo non ſunt inferenda tormenta, niſi delictum ſit ſemiplenè probatum. pag.168.d.47.c.2.
Quomodò Reus in tortura ſit interrogandus. pag. 179.d.50.c.1.2.
Reus debet pœnam ſibi impoſitam à Iudice ſubire, etiamſi Iudex ab officio abſolutus ſit. pa. 402.d. 111.c.2.
Reus prætenſos poteſt includi in carcerẽ per aliquod tẽpus, ſi exiſtimatus neceſſarium, vt ſententia eius proferatur à tota Definitione. pa. 480.d.41.c.1.
Reo fauendum eſt potiùs, quam actori.pag. 492.d. 43.c.2.

*Rex, vide Principes.*

Rex nequit cuſtodire bonum Regni,niſi ſit cuſtos iuſti.pag.94.d.29.c.1.
Regis ab exemplo totus componitur Orbis. pag. 236.d.67.c.2.
Rex non vacans vtilitati ſubditorum, eſt Tyrannus.pag.53.d.13.c.1.
Differentia inter Regem, & Tyrannum.ibid.
Rex eſt propter Regnum, & non Regnum ob Regem.ibid.
Rex intendit bonum commune, ideò debet eſſe cuſtos iuſti.pag.475.d.138.c.1.

## S.

### *Scandalum.*

SCandalum actiuum de genere ſuo eſt peccatũ. pag.64.d.17.c.1.
Ob ſcandalum vitandum quandò ſunt ratificandæ profeſſiones inualidæ.pag.74.d.21.c.1.2.
Chriſtianorum ſcandala faciunt Martyres electos. pag 156.d.45.c.1.2.
Ob ſcandalum vitandum ceſſare poteſt obſeruantia præcepti poſitiui.pag.310.d.87.c.2.
Sandala ſunt neceſſaria non ſolùm in Eccleſia Dei, ſed etiam in qualibet Religione ad Religioſorum profectum. pag. 439.d.127.c.1. vide multa in dub.42.

### *Scientia.*

Tres gradus ſcientiæ enumerantur, & quibus conueniant.pag.95.d.30.c.2.pag.633.d. 200.c.2
Quæ ſcientia debeat conuenire illis, qui ſunt promouendi ad infimas Præfeturas.pag. 129.d.39. c.1.
Scientia in regendi arte requiritur. pag 123.d.39. c.2.
Scientia conſeruat Religiones. pag. 270.d.75.c.2.
Scientia debet temperare zelum. pag. 336.d.95. c.1.
Sublata ſcientia tollitur ratio vitæ agendæ, & rerum gerendarum.pag.441.d.128.c.1.
Scientia eſt neceſſaria in regimine Religionis, & Ciuitatis. pag. 441.d.128.c.2. aliàs nequit dirigi id, quod eſt ad finem.pag.634. d.200.c.1.

### *Secretum.*

Reuelare ſecretum de genere ſuo eſt peccatum lethale.pag.602.d.146.c.1.
Tenetur quis ſibi ſecretum commiſſum ratione fidelitatis celare.pag.501.d.146.c.2.

### *Seditio, vide,* Factio.

Seditio quid.pag.3.d.1.c.2. pag. 52.d.13.c.1.pag. 89 d.28.c.2 de genere ſuo eſt peccatum mortale. ibid.pag 4-4.d.138.c.2.
Seditio importat diſcordiam regnantẽ, & vnitatem diſruptam.pag 3.d.1.c.2.
Mala ſeditionis deſcribuntur. pag.4.d.1.c.2. pag. 90.d.28.c.1.
Regimina ſeditione corrumpuntur. pag.5.d.1.c.1. pag 345.d.98.c.2.
Seditio etiam deſtruit regimina regularia. pag.7.d.1. c.1.pag.356.d.99.c.1.
Seditio excitatur ex multis neglectis. pag. 14.d.3. c.2.pag 199.d.56.c.2. pag. 200.d.56.c.1. pag. 315.d 89.c.1.pag 347.d.98.c.1.
Totalis ſeditio, ſeù diuiſio in vna Prouincia oboritur ex Superioribus maioribus diuiſis.pag. 17.d. 4.c.2.pag.18.d.4.c.2.pag 395.d.107.c.1.
Ex prauis rebus ſæpè oboriuntur ſeditiones. pag. 18.d.4.c.2.
Seditiones deſtruunt totam perfectionem Religioſorum.pag.22.d.5.c.1.
Seditione omnia euertuntur.pag.23.d.5.c.1.
Primum malum communitatis eſt diſſenſio. pag. 23.d.5.c.1. cuius remotio debet intendi à Regente.ibid.pag.463.d.133.c.1.
Seditio eſt vitium occultum, & conſiſtit in voluntatibus.pag.35.d.7.c.2.
Seditio excitentur, quandò pares in meritis ſunt neglecti.ibid.& data opportuna occaſione.ibid.
Vbique oritur ſeditio ob inæqualitatem. pag.45.d. 8.c.2.pag.357.d.99 c.1.
Seditioſi conturbant pacificum ſtatum Reipublicæ, & quomodò.pag.52.d.12.c.1.
Seditioſi ſunt Tyranni.pag.53.d.13.c.1.
Attrociſſimum vitium eſt ſeditio.ibid.c.2.
Vitio ſeditionis pertinet ad eos, qui intendunt vnitatem diſſoluere.pag.89.d.28.c.2.
Seditionis origo adnotatur.ibid.
Seditioſi implent communitatem diſcordijs.pag.91. d.28.c.2.
Seditionis vitio eſt obſtandum eius initio. pag.92. d.28.c.1.pag.395.d.107.c.1.
Seditio euertit populos, Vrbes, Imperia, &c pag.106. d.34.c.1.
Omninò quærens æqualitatẽ incidit in ſeditiones. pag 206.d.57.c.2.
Tempore congruo, & data opprotunitate inſurgunt ſeditiones.pag.319.d.90.c.2.
Seditio oboritur, quandò pauci ſunt bonorum participes pag.329.d.94.c.2 pag.330.d.94.c.2 pag 368.d.101.c.2. pag.372.d.102.c.2. pag. 377.d 33.c.2.
Itidem oboritur ex malè diſpenſatis honoribus, & oneribus.pag.347.d.98.c.1.
Adeſt aditus ad ſeditionem, quandò omnes meritis ornati non habent partem in regimine. pag. 373.d.102.c.1.pag 519.d.153.c.1.
Ex ſeditione tota vita regularis deficit. pag.439.d. 127.c.1.
Radix ſeditionum eſt voluntas. pag.443.d.128. c.1.
Seditio oboritur ex incuria Prælatorum. pag.463. d.133.c.1.pag.476.d.139.c.2
Seditio eſt morbus infectiuus. & vitiat quod eſt ſanum in Republica.pag.599.d.186.c.1.
Seditionibus eſt obſtandum eius initio, aliàs malum multùm inualeſcit.pag.599.d.86.c.2. pag. 356. d 99.c.2.
Seditio oboritur ex multis neglectis. pag. 347.d. 98.c.1.

### *Semiplena probtio.*

Semiplena probatio ſufficit ad inferendam torturã Reis regularibus.pag.168.d.47.c.1.
Delictum ſemiplenè probatum poteſt plecti pœna extraordinaria.pag.171.d.48.c.2.

Semen-

*Sententia.*

Prouincia nequit proferre ſententiam definitiuam contra aliquem Reum abſque conſilio Definitorum, aliàs eſt nulla, habetur quædam limitatio. pag.483.d.134.c.2.& ſeq.
Sententia prolata ab vna Definitione, debet exequi ab altera Definitione.pag.488.d.134.c.2.
Quas ſententias debet Definitor ſubſcribere, qui in eas non conſenſit.pag.491.d.134.c.1.& ſeq.
Sententia alia iniuſta, alia nulla.pag.486.d.134.c.2.

*Simonia.*

Incidit in ſimoniam, qui precibus, munuſculis, &c. intendit acquirere vota.pag.45.d.10.c.1.
Simonia quid, & quotuplex. pag.47.d.11.c.1.pag. 48.d.11.c.2.
Permutatio rerum ſpiritualium ex. gr. orabo pro te Deum, ſi tu orauiris pro me, non cenſetur ſimoniaca.pag.48.d.11.c.1.
Per ſimoniam realem tantùm iure Eccleſiaſtico prohibitam, non incurritur in pœnas ſimoniacis impoſitas.ibid.c.2.
Simoniacum eſt dicere, da mihi ſuffragium in Priorem, & ego dabo tibi ſuffragium in Prouincialem.ibid.
Materia ſimoniæ eſt licentia confeſſiones audiendæ, prædicandi, ordines recipiendi, &c. conſecutio Abbatiæ, Prioratus, Prouincialatus, &c.pag. 49. d.11.c.1.
Recitantur aliqui caſus, in quibus committitur ſimonia.ibid.c.2.
Religioſus adhærens vni factioni, inuoluitur vitio ſimoniæ.ibid.c.2.
Quis ſimoniam committit inducens homines ad Religionem.pag.62.d.17.c.1.
Quando Prælati inuoluantur labe ſimoniæ in procurandis votis pag.316.d.89.c.2.pag.328.d.94. c.2.

*Socius criminis.*

Quandò admittitur in teſtem ſocius criminis, & ſit integræ fidei.pag.165.d.57.c.1.2.
An ei ſit inferenda tortura ob infamiam. pag.166.d. 47.c.1.
Quandò eius dictum facit indicium ad torturam. pag.167.d.47.c.2.
Exculpatio ſocij criminis quandò prodeſt, & non prodeſt Reo.pag.168.d.47.c.2.

*Solicitatio ad turpia.*

Frequens ſolicitatio ad turpia eſt peccatum contra bonum publicum.pag.184.d.51.c.1.
Quandò dicatur frequens.ibid.c.2.
Religioſus addictus ſolicitationibus debet deferri Iudici, vt puniatur: habetur limitatio ibid.c.2.
Iudex quandò poſſit præcipere ſubditis, vt denuntient ſolicitantes.pag.185.d.51.c.2.
Quid poſſit facere Prælatus, quandò ſolicitans eſt ſibi denunciatus tanquam Patri.ibid.

*Subditi, vide, Religioſus.*

Quòd ſubditi obediant Prælato eſt à Deo. pag. 14. d.2.c.1.
Subditorum timor ad obediendum eſt à Deo. ibid.
Subditi habent inclinationem naturalem ad vnitatem, & pacem.pag.12.d.2.c.1.
Subditi, qui in factiones diſtrahuntur, non reguntur à Deo.ibid.
Subditi, qui diuidunt ad diuiſionem Prælatorum fiunt cæci, & tam Prælati, quàm ſubditi tandem in foueam cadunt.pag.19.d.4.c.1.
Subditi non ſunt ſerui Prælatorum.pag.32.d.7.c.1.
Vti ſubditis, ſicut ſeruis, eſt contra iuſtitiam.pag 40. d.8.c.2.
Subditorum imperfectio arguit negligentiam in Prælatis pag.99.d.31.c.2.
Subditus non tenetur denunciare peccata, etiam poſito præcepto, quandò eſt complex delicti pag. 186.d.51.c.1.
Subditus eximitur ab obedientia, quandò Superior præcipit aliquid impoſſibile, ſeù moraliter, ſeù phiſice pag.243.d.69.c.2.
Subditus, qui ex mala intelligentia doctrinę infringit aliquod præceptum, non eſt lethalis culpæ reus, nec eſt pœna mulctandus. pag. 245. d.69. c.1.
Subditi tenentur reformationi inſiſtere . pag. 259. d.53.c.1.
Quandò peccet ſubditus recuſando ſubire pœnas, quę imponuntur tranſgreſſoribus conſtitutionũ, quæ ad nullam culpam obligant.pag. 264. d.74. c.1.
Subditi tenentur obedire Prælatis iuxta regulam promiſſam pag 421.d.117.c.2.

*Subornatio.*

Subornatio quid, bona non prohibetur, mala verò quidem .pag. 44 d.10.c.2.pag.117 d.193.c.2.
Quandò in Religionibus prohibentur ſubornationes, nunquam excluduntur tractatus conſultorij.ibid.
Mala poteſt fieri voce, donis, minis, & precibus. ibid.
Sub mala etiam comprehendi debet bona, quandò ſequitur principium factionis.ibid.
Mali ſubornatores debent amoueri ab officijs . pag. 45.d.10.c.1.
Ad contrahendas pœnas ſubornationis malæ non ſufficit petitio voti, ſed requiritur ſuaſio pag 41. d.9.c.2.
Subornationes, quæ fiunt inter factioſos, ſunt malæ. pag.42.d.9.c.1.
Sunt ſtatim denuntiandæ Prælato. pag 43.d.9.c.2. & explicatur doctrina.ibid.

Non

Non eſt ſubornatio mala, quandò publicantur virtutes ad acquirenda vota, dum verè inſunt illæ. pag.46.d.10.c.3.
Subornatio alia bona, alia mala. pag. 617.d.192. c.2.
In canonicis electionibus ſolùm prohibetur mala ſubornatio, modò ſit ſufficienter prouiſum, vt impoſturæ, & malignitates deferantur Iudici, aliàs ſuſtineri debet etiam bonā eſſe prohibitam. pag.618.d.192.c.2.
Deſignatur forma ad occurrendum malignitatibus aſtutorum.pag.619.d.192.c.1.
Subornatio, vt cenſeatur bona, debet verſari circa qualitates requiſitas, quæ faciunt hominē dignū Prælatura, ac officio.pag.621.d.193.c.1.
Præſertim debet verſari ad oſtendendum illum, pro quo fit ſubornatio, habere iuſtitiam, quæ conuenit Præſidenti, ſine qua nequit adminiſtrare regimen.pag.621.d.193.c.1.
Qui perſuadet electoribus virtutes alicuius pro Prælatura, qui caret hac iuſtitia, peccat mortaliter, tanquam ſubornator malus. pag. 622. d. 193. c. 1.2.

*Superfluum.*

Superfluum quid. pag. 305.d.85.c.2.
Quæ ſuperfluitas prohibeatur fratribus minoribus. ibid.

T.

*Tacens.*

Tacens non videtur conſentire, quandò ius reſiſtit.pag.490.d.142.c.3.
Tacens non videtur conſentire in præiudicialibus, ſecus in fauorabilibus.ibid.c.2.

*Tentatio.*

Tentationes cadunt ſub menſuram diuinæ Prouidentiæ.pag.147.d.42.c.2.
Tentatio diſcernit bonum à malo. pag. 148.d.43. c.1.
Tentatio facit hominem ſeruum Dei. pag. 355.d. 99.c.2.

*Teſtes.*

Plures teſtes ſingulares ad condemnandum Reum, quandò, & quomodò poſſint admitti. pag. 165. d.46.c.2.
Teſtes inhabiles in delictis difficillimæ probationis admittuntur.pag. 164.d.46.c.2.
Quandò ſæculares, & mulieres poſſint vocari in teſtes aduerſus Regulares. pag.166.d.47.c.1.2.
Quandò meretrix poſſit eſſe teſtis.ibid.
Teſtis ſecularis, qui ſponte iurat, eſt idoneus teſtis. ibid.poteſt etiam ſubijci tormentis Regularium. ibid.c.2.
Quandò vnico teſti præſtanda ſit fides.pag. 218. d. 60.c.2.
Quinque, vel ſex teſtes ſingulares nequeunt probare ex.gr. Titium eſſe furem. pag.219.d.61.c.2.
Quandò teſtes actoris, & Rei in ſpectantibus ad facti ſubſtantiam ſunt diſcordes, & æquales, ſtandum eſt pro Reo.ibid.

*Timor.*

Timor eſt debile fundamentum, in quo fundatur regimen.pag.355.d.99.c.2 pag.397.d. 108.c.2. pag.450.d.129.c.2.
Humani mor.ſe it timere eū,cuius iudicio nunce rigi tur, nunc deprimitur homo.pag.367.d.101.c.2.

*Timor Dei.*

Timor Dei non admittit, vt quis doceat in Religionibus opiniones rigidas.pag.214.d.56.c.2.

*Tyrannus.*

Tyrannus deprimit ciues, eoſque reddit diffidentes, & ſatagit eos depauperare pag.200. d.56.c.2.
Incidit in tyrannidem, qui longo tempore adminiſtrat Imperium.ibid.
Tyrannus eſt, qui curat, ne ſubditi fiant docti, vt ipſe conſeruetur in Prælatura. pag. 201. d. 56. c.1.
Fit Tyrannus, qui gubernat ad proprium commodum.pag.358.d.99.c.2. pag.463.d.133.c.1.
Tyrannus eſt, qui vtitur ciuibus, ſicut ſeruis. pag. 395.d.107.c.1.
Deſcribuntur cauſæ, vnde oboriantur tyrannides. pag.358.d.99.c.2.
Tyrannicum regimen quomodò deperdatur. pag. 397.d.108.c.1.2.

V.

*Veritas.*

Nil vtilius veritate.pag.213.d.59.c.1. nonnulla habentur.
Pro ea conſequenda omnes fatigantur. pag. 213.d. 59.c.1.
Ob veritatis carentiam tot ſunt ortæ opiniones.ibid.

*Vigiles.*

An Priores poſſint deputare in cœnobijs vigiles pro maiori cuſtodia diſciplinæ regularis. pag.551.d. 66.c.2.

*Violentum.*

Nullum violentum eſt perpetuum.pag.451.d. 129. c.1.

### *Virtus.*

Virtus probatur.pag.9.d.2.c.1. nec cerni poteſt niſi per ſua contraria.ibid.

Sine concordia virtutes deperduntur. pag. 18.d.4.c.1.

In opere virtutis ea igitur, vt homo habeat rectam intentionem de fine, & benè ſe habeat circa ea, quæ ſunt ad finem.pag. 103.d.187.c.1.

Alia eſt virtus Principis, alia verò ſubditi. pag. 620.d.193.c.1.

### *Viſitatores.*

Viſitatores deſtinantur ad viſitandas Prouincias, præſertim pro auferendis diſcordijs, & deficiendo à ſuo officio ſunt cauſa multorum malorum. pag.39.d.8.c.2.

Viſitatores poſſunt impetrari à parte oppreſſa apud Generalem, & Generalis tenetur ei annuere deſtinando Viſitatorem. pag.94.d.29.c.1.

Tenetur Viſitator partem oppreſſam ſubleuare, quia eius munus eſt diuiſos in vnum congregare. ibid.

Tenetur punire, qui non ſeruauerunt iuſtitiam diſtributiuam, partem oppreſſam ſubleuare, & curare, vt in omnibus æqualitas ſeruetur. pag. 96.d.30.c.1.

Viſitatores poſſunt compellere ſubditos diuiſos ad concordiam.pag.97.d.30.c.1.

Viſitatores debent remouere à Prouincia,& ab electionibus factionum capita.pag.98.d.31.c.2.

Viſitator poteſt præcipere in Capitulis parti ſuperanti in votis alteram, vt ferat vota pro parte debiliori ad deſtruendas factiones. pag. 132.d.40.c.1.2.& ſeq.

An Viſitatores frequenter ſint deſtinandi ad viſitandas Prouincias, pag.346.d.98.c.2.& ſeq.

Viſitatores debent temperare receptiones Nouitiorum, & reformare conſuetudines prauas in Prouincijs.pag.348.d.98.c.2.

### *Vnio.*

Vnitas eſt finis multitudinis. pag. 4. d.1.c.2. pag. 123.d.39.c.2.

Ad vnitatem conſeruandam, inſtituuntur Principatus, & gradus Eccleſiæ ibid.

Vnitas facit homines membra Chriſti.ibid.

Superioribus vnitis vniuntur, & ſubditi. pag. 18.d.4.c.1.pag.468.d.35.c.1.

Sine vnione Sacerdotum,& ſubditorum opera Deo non placent.pag.21.d.5.c.2.

Vnitas multitudinem regit.pag.23.d.5.c.1.

Vnio eſt fundamentum ſpiritualis ædificij. pag. 24.d.5.c.1. eaque deſtructa, deſtruitur etiam Religio.pag.24.d.5.c.1.

Nequit multitudo regi ſine vnitate,& ea amiſſa turba eſt.pag.28.d.6.c.2.

Væ homini, qui odit vnitatem.pag.52.d.13.c.1.

Vnitas dat rei bonitatem, & diuiſio eam tollit.pag. 60.d.56.c.1.

Qui diuidit vnitatem, violat charitatem.ibid.c.2.

Væ, qui diuidit vnitatem.pag.91.d.28.c.1.

Vnitas meritum operibus dat.pag.98.d.31.c.1.

Vnitas eſt donum Dei.ibid.pag.106.d.34.c.2.

Vnitas ab omnibus cõmendatur,& vbi vnitas,ibi perfectio.pag.99.d.31.c.2.

Vtilitas concordiæ deſcendit in ſubditos ea vnitate Prælatorum.pag.100.d.31.c.2.

Nil vtilius Ciuitati, quàm vnio. pag.106.d. 34.c.2.

Vnitas donatur à Deo, tanquam forma eſſentialis multitudinis.pag.106.d.34.c.2.

Spiritus Sanctus nunquam viuificabit nos,niſi pace vniti fuerimus pag.107.d.34.c.1.

Res tantùm habent bonitatis,quantùm habent vnitatis.pag.107.d.34.c.1.

Vnitas eſt bonum multitudinis, qua remota perit. pag.107.d.34.c.1.

Sine vnione multitudo nequit facere bonum. pag. 110.d.34.c.2.

Vnitas commendatur ex varijs factis ſacræ Scripturæ. pag. 110.d.34.c.1.

Vnitas habetur ea iuſtitia diſtributiua obſeruata. pag.125.d.39.c.2.pag.162.d.133.c.2.

Vnio cauſatur, quandò iura omnium in honoribus, ac officijs obſeruantur. pag. 347.d.98.c.1.pag. 477.d.139.c.1.

Ab vnitate ſpiritus recedit, qui quærit,quæ ſua ſunt. pag. 384.d.105.c.2.

Vnitas Religioſorum habet maximam vim in oratione.pag.387.d.106.c.2.

Nunquam erit vera vnio, & concordia ſine iuſtitia. pag.451.d.129.c.2.

Vnitas eſt fundamentum ſpiritus. pag. 462.d.133.c.2.

Vnio multitudinis eſt procuranda à Rectore. pag. 476.d.139.c.2.

Quantò maior eſt vnio ad ſubditos, tantò eſt politia ſecurior.pag.542.d.168.c.2.

Vtilitas præcipuè attendenda in multitudine eſt vnitas, & pax.pag.580.d.181. c 2.& ſeq.

Adnotantur media pro vnitatis conſecutione. pag. 583.d.181.c.1.2.

Vnitas & pax in Religionibus eſt fundamentum ædificij ſpiritualis.pag.585.d.181.c.1.

### *Votum.*

Votum quid,eiuſque conditiones. pag.66 d.18.c.1. diuiditur in ſimplex, & ſolemne, & quæ conditiones requirantur ad ſolemne. ibid.

Eximitur à voto vouens Religionem animo expreſſo Clericatum aſſumendi,ſi à Superioribus reijciatur,pag.326.d.93.c.2.

Ceſſante cauſa finali voti, ceſſat etiam votum. pag.428.d.121.c.1.

### *Vox.*

Prælatus nequit priuare ſubditum voce actiua, & paſſiua,

paſſiua, ipſo inaudito.pag.217.d.60.c.2. & omnis commiſſio ad hunc effectum eſt explicanda, ſeruato iuris ordine.pag.218.d.60.c.1.

Priuatio vtriuſque vocis ob delicta famamRei denigrantia nequit imponi, niſi per teſtes conteſtes. pag.220.d.61.c.1. ſecus ob defectus leues. ibid. pag.221.d.61.c.1.

Votorum vniones, ſeù diuiſiones, quæ fiunt à nonnullisReligioſis pro conferendis digitatibus,ſunt lethaliter malæ.pag.90.d.28.c.2.

Mens ſacr. Concil. Trid. prohibendo manifeſtationem votorum eſt, vt celebrentur electiones cum omni iuſtitia, & æquitate, omni remota fraude. pag.623.d.194.c.1.

Huiuſmodi ſecretum Concilij prohibet rixas, contentiones, &c. & vniones, ſeù monopolium electorum in conferendis votis. pag. 624.d. 193. c.2.

Non omne ſecretum prohibet Concil. ſed illud, quod opponitur manifeſtationi illorum votorũ, quæ cauſat rixas, &c. & monopolium, &c.pag. 625.d.93.c 1.

Secretum impoſitum à Concil. Trid. non tollit ſecretum, impoſitum in cap. Quia propter. pag. 629.d.95.c.1.

Elector non intendens cauſare incommoda, quæ prohibentur à Concilio, licèt manifeſtet ante, vel poſt electionem ſuum votum, non infringit ſecretum eiuſdem Concilij. pag. 127.d.196.c.2.

Elector.dum aperit ſuum votum, & cauſat incommoda prædicta, irritat electionem. pag. 128. d. 196.c.1.ſecus ſi intendit reddere inutilem electionem.pag.129.d.197.c.1.

Si Capitulum permittit, vt vnus ex electoribus votum, ſeù ſchedulam propalet abſque malitia, ac dolo, non irritatur electio:ſecus ſi cum malitia, & fraude.pag.629.d.197.c.1.& ſeq.

Votorum manifeſtatio in communi, permittente Capitulo, electionem irritat. pag. 130. d.197. c.1.

Elector manifeſtans ſuum votum lædens finem ſacr.Concil.peccat lethaliter, ſecus ſi non lædit. pag.630.d.98 c.2.

Electores,ſeù nõ electores quandò poſſũt iuri vocis renuntiare.pag.574.d.178.c.1.2.

Et an voce renuntiata poſſint eam reaſſumere. pag. 575.d.179.c.2.& ſeq.

Quid ſit faciendum, quandò renuntiatio eſt conditionata.pag.576.d.178.c.1.2.

*Vtilitas.*

Eccleſiæ vtilitas eſt indaganda pro dignoſcendo digniori. pag. 60.d. 16.c.1.pag.131.d.40.c.1.2, pag. 579.d.180.c.1.

Vtilius eſt Religionibus docere opiniones ſuaues, quàm rigidas. pag. 213. d.59.c.2.habes totam materiam.

Z.

*Zelus.*

ZElus ſine ſcientia eſt malus. pag.336.d.95.c. 1.pag.214.d.59.c.2.

# BENIGNE LECTOR.

*NE mireris, ſi multos errores lapſos reperies, licèt non mediocris fuerit adhibita diligentia ad eos corrigendos; ſcias, quæſo, eos expurgari adamuſsim noſtris viribus haudquaquam ſubiacere, tum ex parte obſeruabilium, in quibus contingere poſſunt errores; ſunt enim, vt tibi ſemper videbitur, penè infinita, tum ex parte imbecillitatis intellectus, cuius capacitas ratione ſuæ finitatis tot, ac tanta aduertere nequit; adde, quòd mens ſemper vagatur, & dum hos infrænatos motus patitur, ad errores lapſos non attendit; imo ſæpe ſæpius quantò diligentius ſtudet expurgationi, tantò magis defatigata labore, errata nõ aduertens, incorrecta prætermittit, tum ex parte oculorum, qui, licèt diſtinctè videant verba, eiſque correſpondeat lingua, nihilominus confusè colligunt ſyllabas, vnde experientia docet varios correctores varios emendare errores, tum ex parte miniſtri, cuius officium eſt, adnotata pro correctione emendare, qui aliquandò vice expurgationis nouos addit errores, tum ex parte imprimentium, qui charatere à ſuo loco remoto, illum ad priſtinum ſtatum reducere negligunt, attendentes potiùs ad laboris mercedem, quàm ad operis integritatem; ideò tua, ſi errores inter legendum deteget intelligentia, emendet patientia, imò tua imbecillitas, quæ etiam multos alios correctione dignos non percipit. Concludе tandem, precor, quòd grauis eſſet error ſupra iam lapſos errores, emendare velle, quòd ex tot capitibus ſicut impediri, ita emendari nequit: habes tamen aliquos inferiùs adnotatos, vel pro veri ſenſus intelligentia, vel ſaltem pro clariori. Vale.*

| pag. | col. | lin. | Errata | Corrige. |
| --- | --- | --- | --- | --- |
| 10. | 1. | 18. | babere | habere |
| 12. | 1. | 44. | ambitiones | ambitione |
| 14. | 1. | 49. | proemia | vt proemia. |
| 33. | 1. | 14. | mala | malo |
| 78. | 1. | 38. | excere | exercere |
| 89. | 1. | 14. | duplicatur | publicatur |
| 107. | 2. | 43. | desſidere | diſſidere |
| 108. | 2. | 10. | vinus | viuus |
| 108. | 2. | 24. | inſiuare | inſinuare |
| 113. | 2. | 41. | compromiſſis | compromiſſi |
| 138. | 1. | 39. | graſſiora | groſſiora. |
| 150. | 1. | 16. | ſædiunt | ſæuiunt. |
| 340. | 2. | 41. | diſtinctionem | ditionem |
| 349. | 1. | 16. | duenda | ducenda |
| 348. | 2. | 45. | regimu | regimen |
| 66. | 2. | 23. | de Religione | 3. de Religione |
| 229. | 1. | 21. | qu.23.art.2.tom.2. | qu.12.art.18.tom.1. |
| 443. | 1. | 19. | miuſtæ | iniuſtè |
| 444. | 1. | 52. | hæreres | hæreſes |
| 407. | 2. | 2. | amicitiæ | amicitias |
| 445. | 1. | 19. | cononocis | canonicis |
| 463. | 2. | 46. | in dignis | indignis |
| 474. | 1. | 16. | diligerent | deligerent |
| 474. | 1. | 18. | diligerent | deligerent |
| 514. | 1. | 44. | multitudo | multitudine |
| 541. | 1. | 38. | chiſma | ſchiſma. |
| 203. | 1. | 12. | deſſenſio | diſſenſio. |